167
C
7

BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
167
C
7
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

JO. ORTWINI WESTENBERGII
JCTI ET ANTECESSORIS DUM VIVERET
IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA
LONGE CELEBERRIMI

OPERA OMNIA
JURIDICA
NUNC PRIMUM COLLECTA
ATQUE
IN TRES TOMOS DISTRIBUTA.
CURANTE
JOANNE HENRICO JUNGIO.

TOMUS II.



Hanoveræ & Luneburgi
Apud JOANNEM GUILIELMUM SCHMIDIUM, 1747.

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS ORTWINI WESTENBERGII,
JCTI ET ANTECESSORIS,

PRINCIPIA JURIS SECUNDUM ORDINEM DIGESTORUM SEU PANDECTARUM,

IN USUM AUDITORUM
VULGATA.

Hanoveræ & Luneburgi,
APUD IOANNEM GUILIELMUM SCHMIDIUM, 1746.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD
LECTOREM BENEVOLUM,
QUAM AUCTOR EDITIONI SUAE ANNI 1732. PRAEMISIT.

Ex quo ad Jurisprudentiam animum applicui, non ſemel ſubiit mirari ſuperciliosſum quorundam de Jure Noſtro Civili judicium, dum illud tanquam plurimis nævis ſcatens deſpiciunt, & in eos invehuntur, qui Jus Justitianeum reduxerunt & in uſum revocarunt, imo inter maximos Reip. morbos referunt, quod Legibus utamur Romanis. Cum nullum unquam Jus præclarius conſtitutum ſit, neque diligentius.

Non enim Librorum, quibus Jus Justinianeum continetur, ſolus Justinianus auctor eſt: ne quis hanc ſapientiam ab illo uno repeti putet. Sed exponuntur in iis Jura Populi romani, uti ipſe

Digitized by Google

Imp. fateri non erubeſcit (a). Quorum alia petita ſunt, a ſapientiſſimis Athenienſium, aliorumque, Civitatibus; alia vero ab iis, qui in Populo Romano, aut Reip. aut Juri dicundo, aut huic ipſi interpretando præfuerunt. Quales ab ultima memoria Urbis conditæ, longa ſucceſſione, homines, ſummo ingenio, acerrimo judicio, & maxima doctrina præditi, prope fuere innumerabiles. Qui in tanto ac tam diuturno imperio, artem æqui bonique in innumeris obvenientibus caſibus excolentes, & naturalem æquitatem ubique applicantes, longo plurimarum ac graviſſimarum rerum uſu, & quotidiana experientia docti, facile viderunt, quid æquius melius eſſet, quidque Reip. recte conſtituendæ regendæque conveniret, eaque, quæ cognoverunt, non minore fide, integritate, diligentia tradiderunt (b).

Neque Leges continent tantum Civiles, ſed & Deciſiones plerarumque cauſarum incidentium, ex Æquitate & Jure NATURALI collectas & deductas. Quod cum ubique idem ſit, non potuit ſane non ſumma Æquitatis ratio maximam huic Juri conciliare auctoritatem, non tantum apud Romanos, eosque, qui Imperio Romano fuere ſubjecti, ſed etiam extraneos. Ut ad quos Populos arma Romana nunquam pertingere potuerunt, Leges Romanæ ſine vi ulla, Juſtitiæ ſuæ vi triumphantes pervenerint; omnesque fere Gentes Europeæ, ad Legem Romanam, ceſſante Jure Patrio, cujus ut plurimum maxima eſt anguſtia, tanquam ad communem Εὐνομίαν, confugiendum cenſuerint.

Quæ Juris Romani Juſtitia ex ſingulis ejus partibus usque adeo elucet, ut cuivis fiat obviam, maxime vero ex ſanctiſſimo illo Juſtitiæ Templo DIGESTIS ſc. ſeu PANDECTIS. Vix enim in PANDECTIS ullum fragmentum eſt, in quo non gravitatis, prudentiæ, æquitatis vis, non eruditæ Vetuſtatis Majeſtas emineat. Apparet ibi priſca in reſpondendo fides & religio, à qua veteres illi Juris auctores, Servius Sulpicius, Scævola, aliique, commendabantur (c). Ita omnes illi, quorum

(a) §. 1. *I. de I. N. G. & C.*
(b) *v.* Don. *Præf. & L.* 1. *Comm. c.* 16.
(c) v. Cic. *Phil. 9. c. 5.* & in *Brut. c 39. & ſeqq.*

rum Reſponſa in PANDECTIS habemus, ſcripſerunt, ut in ſumma brevitate nihil ſit aptius, aut convenientius, in ſumma dignitate rerum nihil ſit aptius, aut convenientius, in ſumma dignitate rerum nihil elegantius aut jucundius. Cumque in his auctoribus maxima varietas ſit, ſi numerum ſpectes, tamen ut in Jure veritatem, & certitudinem in oratione agnoſcas, tantus ac tam ſingularis inter omnes eſt conſenſus, ut ſi fragmentis Auctorum nomina, & inſcriptiones detraxeris, unum te auctorem in omnibus intueri putes (d). Neſcias utrum diligentia an gravitas, prudentia an æquitas, ſcientia rerum an orationis dignitas præſtet, & majori laude digna eſſe videatur (e)?

Ut adeo Juri æquiſſimo & utiliſſimo operam dare, in verum & genuinum ejus ſenſum inquirere, id ipſum illuſtrare, facilemque ad id aditum præſtare, non poſſit non utile eſſe ac neceſſarium.

Et quidem non pauci Viri Conſultiſſimi, tum maximi judicii, tum ſolidæ eruditionis fama celeberrimi, in eo exponendo operam poſuere laudabilem, Commentariisque tum majoribus, tum minoribus (quos & veneramur, & in concinnandis hiſce noſtris PRINCIPIIS ſæpiſſime conſuluimus) tum alias Partes, tum DIGESTA ſeu PANDECTAS illuſtrarunt. Ut poſt tot tantorum Virorum egregios labores, hi noſtri conatus ſuperflui, imo inutiles videri poſſint.

Sed vix eſt, ut aliorum ſententiæ ita quis addictus eſſe queat, ut in eorum ſcriptis & methodo non aliquando quædam deſideret, maxime, ſi erudiendæ Juventuti, & docendi muneri præpoſitus ſit. Qui utique maxime commode animi ſui ſenſa, & cogitationes, propria methodo cum Auditoribus ſuis communicare poteſt. Quæ ratio uti jam dudum alios, ſic & nos, qui, ut ſtudiis Studioſorum aliqua ex parte prodeſſe poſſimus, hoc unice ſtudemus, ad hoc ſcribendi genus impulit.

Quantum autem ad inſtitutum noſtrum attinet, inprimis de Ratione

(d) Don. *d. l.*
(e) L. Vall. *Eleg. L. 3. præf.*

one Connexionis Titulorum præmittenda, quippe quæ & ad intellectum ipſorum Titulorum, & adjuvandam memoriam multum confert, fuimus ſolliciti. Licet enim non pauci nullam omnino ordinis rationem reddi poſſe ſtatuant, novamque Juris methodum exhibere ſatagant, aliud tamen fateare neceſſe eſt, ſi conſideres Jus PANDECTARUM, ex ipſius Imp. juſſu, ſecundum Edicti Perpetui imitationem digeſtum eſſe (f). Qui ordo etſi non ubique ſervatus, neque forte ſatis accuratus ſit, non tamen nullus eſt, ſed talis, qui boni conſuli poſſit. (g)

Deinde ex eadem ratione, & conſilio JCti dum viveret Celeberrimi Bockelmanni (h), ipſum Edictum, Leges, SCta, eorumque fragmenta, quantum difficultas rei & inſtituti ratio permiſit, indaganda viſa ſunt. Sic ſane fecere Antiqui, Ulpianus, Paulus, aliique, qui Edicti, aliarumque Legum fere ſingula verba perſecuti ſunt. Atque ita faciendum etiam viſum Cujacio, Hotmano, Duareno, Weſenbecio, aliisque. Cum enim non pauci ex JCtis, quorum ſcripta in Digeſta relata ſunt, in interpretandis ſæpe verbis Edicti, nec non Legum, & SCtorum, occupati ſint, ut multæ leges Pandectarum nihil aliud ſint, quam ad ea commentarii, res ſane, de qua agitur, rectius intelligi nequit, quam ſi ipſum Edicti, Legis, vel SCti caput exhibeatur, eoque præmiſſo res ipſa explicetur, ſimulque oſtendatur, qua ratione JCti hæc vel illa verba expoſuerint. Qua in re ita verſatus ſum, ut ipſa fragmenta, quæ extant, literis uncialibus (quæ *Capitales* dici ſolent), reliqua autem capita, prout probabiliter vel concepta ſunt, vel concipi poſſe videbantur, ſecundum ſententiam maxime Cl. Ranchini, literis Italicis, vulgo *Curſivis*, deſcribenda curaverim.

Actiones porro ſimiliter ex veterum more, ita exhibendas cenſui, ut conſtet, *Unde* quæque *Actio naſcatur? Cui detur? Adverſus Quem? Ad Quid?* & *Quamdiu duret?*

Ubi-

(f) *§. 2. Conſt. de Conc. Dig. l. 2. ff. de ſtat. hom.*
(g) v. Cuj. *Parat. ad T. D. mand.*
(h) *Præf. Comm. ad Dig.*

Ubique autem, quantum fieri potuit, ipſa Legum verba retinui: tum quia cum antiquis JCtis loqui haud dubie optimum eſt, tum quia ex ipſis fontibus fundamenta Juris tutiſſime hauriuntur.

Ab allegationibus Interpretum vero, & collatione Juris Hodierni abſtinui; neque enim ratio inſtituti noſtri talia patitur: quæ magis commentariis, quam Principiis hiſce (quæ in majorem jam molem excreverunt quam volueram) conveniunt. Jus etiam Hodiernum, cum à Jure noſtro recedit, pro varietate & diverſitate Regionum ac locorum, mire variat, ut in univerſum vix certi aliquid de eo dici poſſit; adeoque, ubi e re Auditorum id eſſe videtur, viva voce potius de eo monendum cenſeam.

Non pauca tamen eſſe, quæ vel omiſſa ſunt, vel minus recte poſita, cum errare humanum ſit, & nihil humani à me alienum putem, nullus dubito. Quæ, ut & errata typographica (quorum quædam graviora in calce notata ſunt), quemadmodum vel ipſi, vel à Doctis moniti, vel in privatis ſcholis, vel ſecundis curis, ſi ita ſupremo rerum Arbitro viſum fuerit, vel ſupplebimus, vel emendabimus, ſic nos, contra obtrectatorum Theoninos dentes, & calumniantium iniquitates, ſilentio & contemtu vindicabimus. Vale.

Ita fere præfatus ſum, cum primum hæc Juris Principia in lucem prodirent. Neque eſt, quod longiori prologo Te B. L. morari velim. Quid in hac Editione præſtitum ſit, in ejus commendationem, pluribus addere, à genio meo alienum eſt, ac proinde Judicio tuo lubens committo. Errata ſane typographica ante commiſſa, quantum fieri potuit, curavi ut emendarentur, quædam etiam obſcurius forte dicta clarius exhibui, quædam mutavi, & non pauca, ubi res exigere videbatur, ſupplevi. Licet non omnia ita curari potuerint, quin & nunc corrigenda occurrant, quorum quædam in fine monita ſunt (i).

Quan-

(i) *Hæc jam emendari curavimus.*

Quantum vero ad calumniantium iniquitates attinet, quemadmodum vix ulli, ſic nec mihi eas effugere datum eſt. Sed ſolatio cedit, quod fructus ex hiſce PRINCIPIIS, quos ſperare poteram, perceperim uberrimos, & quod Peritis ac Æquis rerum Arbitris, ea non tantum non diſplicuiſſe, ſed & probata intellexerim, ut & quidam ea in non paucis ſecuti ſint. Ut adeo, maxime cum auctor calumniarum latere potius, quam in publicum prodire maluerit, eas, uti ante conſtitui, ſilentio potius prætereundas ac contemnendas, quam referendas & confutandas cenſeam. Iterum Vale.

PRIN-

Digitized by Google

PRINCIPIA JURIS,

SECUNDUM ORDINEM

DIGESTORUM,

SEU

PANDECTARUM.

PARS PRIMA.

LIBER I. TITULUS I.

DE JUSTITIA ET JURE.

De Justitia.

§. 1.

Finis omnis Juris & Jurisprudentiæ eſt *Juſtitia*, ut ſcil. ea in Rep. recte adminiſtretur; *Nov. 69. pr. l. 1. §. 1. D. h. t. §. 7. Proœm. Inſt. Finis* enim *in Jure Civili eſt, legitimæ ac uſitatæ, in rebus cauſisque civium, æquabilitatis conſervatio.* Cic. *de Orat. Lib. 1. c. 42.* Unde de *Juſtitia* hic & in *Inſt.* primo loco agitur.

§. 2. Quæ deſcribitur, quod ſit *conſtans & perpetua voluntas, jus ſuum cuique tribuendi. l. 10 pr. D. h. t. pr. I. h. t. l. 31. §. 1. D. depoſ.*

§. 3. Diciur *Voluntas*, i. e. *habitus voluntatis*, v. Ariſtot. *ad Nicom. L. V. c. 1.* Cic. *de Invent. L. II. c. 53.* vel potius *Propoſitum.* v. Corn. Nep. *in Lyſand. c. 2. Dion. c. 3. l. 53. pr. D. de furt.*

§. 4. Dicitur *Voluntas conſtans & perpetua;* eodem fere modo, quo Cic. *de Leg. L. 1. c. 17. Parad. III. c. 1. Virtutem* ait eſſe *conſtantem ac perpetuam rationem vitæ,* & Gell. *L. XVII. c. 5. in f.* Liberalitatem *perpetuæ benignitatis conſtantiam.*

§. 5. Licet enim nemo conſtanter & perpetuo juſte agat, vel agere poſſit, non tamen hoc obſtat, quominus Juſtitia ſic deſcribi queat: Cum ad hoc, ut quis *Juſtus* dicatur, ſufficiat conſtans & perpetuum *propoſitum. v. Prov. c. XXIV. 16.*

§. 6. Additur *Jus ſuum cuique tribuendi; l. 31. §. 1. D. depoſ.* Objectum enim Juſtitiæ Jus cujusque ſuum eſt; Finis, ut id quisque obtineat, i. e. ut cuique quod ei debetur tribuatur. v. Cic. *de Fin. L. V. c. 23. de Offic. L. I. c. 5. 7. Ad Heren. L. III. c. 2. de Invent. L. II. c. 53. Nov. 69. Præf.*

§. 7. Eſt autem Juſtitia alia *Divina,* alia *Humana.*

§. 8. *Humana,* de qua ſola hic agitur, ſecundum Ariſt. *ad Nicom. L. V. c. 1.* aliosque eum ſecutos, eſt *Univerſalis,* vel *Particularis.*

§. 9. *Univerſalis* eſt *obſervantia omnium virtutum erga alios;* ſeu *Virtus; per quam obedientiam præſtamus omnibus legibus, eum in finem, ut publica utilitas promoveatur, & ſocietas Politica inter homines conſervetur.*

§. 10. *Particularis* eſt *virtus, quæ in diſtributione & commutatione rerum ſervat juſtam æqualitatem, qua unicuique id tribuitur, quod ei debetur.*

§. 11. *Particularis* ſubdividitur in *Diſtributivam,* & *Commutativam.*

§. 12. *Juſtitia Diſtributiva* eſt *virtus, quæ in diſtributione bonorum vel malorum externorum* (præmiorum ſcil. & pœnarum) *rationem habet & dignitatis perſonarum, & æqualitatis rerum, ut ſingulis pro eorum merito ſuum tribuatur.*

§. 13. *Commutativa* eſt *virtus, quæ in contractibus & commutatione rerum eam ſervat æqualitatem, ut quisque ſuum conſequatur, & neutra pars defraudetur.*

§. 14. In *Juſtitia Diſtributiva* ſervanda *Proportio Geometrica,* ſeu reſpectus perſonarum habendus eſt: In *Commutativa* vero *Proportio Arithmetica,* nullusque reſpectus perſonarum habendus eſt.

§. 15. Quæ Juſtitiæ diviſio multis involuta eſt difficultatibus.

§. 16. Vehementer enim inter Interpretes diſputatur, de qua *Juſtitiæ* ſpecie accipienda ſit deſcriptio tradita *l. 10. pr. D. h. t. pr. I. h. t.* Tum &, ſecundum quam proportionem infligendæ ſint pœnæ, *Geometricam,* an *Arithmeticam?* Nec non, an proportio *Arithmetica* in contractibus ſemper locum habeat?

§. 17. Quibus difficultatibus ut obviam irent, Alii *Proportionem Harmonicam* excogitarunt; Alii tertiam Juſtitiæ ſpeciem *Vindicativam* ſcil. commenti ſunt; Alii denique cum Grot. *de J. B. ac P. L. I. c. 1. §. 8.* Juſtitiam, in *Expletricem* & *Attributricem,* commode dividi poſſe cenſuerunt.

§. 18.

Digitized by Google

§. 18. Juſtitiam *Expletricem* Grotius vocat, *quæ docet cuique tribuere, quod plene & perfecte ad eum pertinet;* uti ſunt vita, bona, honos cujusque. Ad quam & *pœnas* refert, eo quod delinquentes pœnas plene & perfecte mereantur.

§. 19. *Attributricem* vero, *quæ cuique tribuere dictat, quod ſemiplene & probabiliter tantum ad eum pertinet;* ut ſunt præmia, officia miſericordiæ, humanitatis, & gratitudinis.

§. 20. Sed diviſio illa Grotiana, in ſubdiviſionem Ariſtotelicam, qua Juſtitia *Particularis* in *Diſtributivam* & *Commutativam* dividitur, re ipſa incidit; neque omnem ſcrupulum eximit.

§. 21. Quantum autem ad jus noſtrum attinet, nulla in eo Juſtitiæ diviſio occurrit.

§. 22. Simplicius itaque & rectius haud dubie ſtatuitur, Juſtitiam *unicam* eſſe, minimeque dividendam. Eadem enim ſemper virtus eſt, quæ ſuum cuique tribuere jubet: Licet diverſas habeat functiones, pro diverſitate caſuum & circumſtantiarum.

De Jure.

§. 23.

Jus, quod derivatione Grammatica & etymologica deſcendit a *jubendo*, reali autem & Philoſophica a *Juſtitia* appellatum eſt, *l* 1. *pr. D. h. t.* varie accipitur; v. *l. pen. & ult. D. h. t.* Maxime pro *Lege* in genere, ſeu Regula & norma agendorum, *l.* 1. *§.* 2. *D. h. t. tit. I. de J. N. G. & C.* & *Arte Juris,* ſeu Jurisprudentia, *l.* 1. *pr. D. h. t.*

§. 24. *Jus* pro Lege acceptum ab Ulp. in *l.* 1. *§.* 2. *& ſeqq. h. t.* 1. Dividitur in *Publicum* & *Privatum*; 2. in *Naturale, Gentium,* & *Civile;* add. §. *ult. I. h. t.* a Gajo vero in *l.* 9. *D. h. t.* in *Commune*, & *Proprium.*

§. 25. Sed, ſi accurate agamus, dividendum videtur in *Divinum,* cujus Deus Auctor eſt, & *Humanum,* cujus homo eſt conditor. v. c. 1. *Diſt.* 1. *Divinum* vero in *Innatum,* ſeu cordibus hominum inſitum, quod *Naturale* dici ſolet; & *Promulgatum:* Quod recte ſubdividitur in *Morale, Ceremoniale,* & *Forenſe.* v. Deut. V, 31. VI, 1. XI, 1. Geneſ. XXVI, 5.

§. 26. *Jus Divinum Morale* eſt, *quod ad regimen morum ſpectat, præcipiens facienda ac prohibens contraria;* & in præceptis Decalogi proponitur. v. Exod. XIX. & XX, 1. *& ſeqq. Deut. V,* 5. *& ſeqq.* Quod idem fere eſt cum Jure Divino *Innato* ſeu *Naturali*, adeoque omnes obligat homines.

§. 27. *Jus Ceremoniale* ſeu *Rituale* eſt *Lex praeceptorum, quæ in ritibus poſita eſt;* Ep. ad Epheſ. II, 15. ſeu *Jus Divinum ſcriptum de ceremoniis circa cultum Divinum, vel propter ſignificationem typicam ſeu myſticam, vel propter ordinem Eccleſiaſticum, a Populo Judaico olim obſervandis.* Quod cum Servatore noſtro cruci affixum, & ita ſublatum eſt. v. Ep. ad Coloſſ. II, 14. *& ſeqq.*

Digitized by Google

§. 28. *Jus Forenſe* eſt, *quod pertinet ad gubernationem Populi Judaici Politicam, continetque præcepta de defenſione diſciplinæ in civilibus & criminalibus*; Ut in contractibus, dominiorum diſtinctionibus, hereditatum diviſionibus, Judiciis, Officiis Magiſtratuum, pœniſque. Quod etiam, in quantum mere forenſe eſt, cum Rep. Judaica, ad quam tantum pertinebat, jamdudum exſtinctum eſt.

§. 29. Cum vero diviſio Ulp. in *l. 1. §. 2. & ſeqq. l. 2. & ll. ſeqq. h. t.* ex profeſſo exponatur, ſatius fuerit, confuſionis vitandæ cauſa, hunc ordinem ſequi, ejusque diviſionis membra paulo plenius videre.

§. 30. *Hujus ſtudii* itaque ait Ulp. *d. l. 1. §. 2. h. t.* i. e. Juris cui ſtudetur, *duæ ſunt poſitiones* i. e. ſpecies, *Publicum* & *Privatum*, ſeu potius *Jus Publicum & Privatum*, uti habetur *§. ult. I. h. t.*

§. 31. *Jus Publicum* eſt, *quod ad ſtatum Rei* i. e. Reip. *Romanæ ſpectat*; *d. l. 1. §. 2. D. §. ult. I. h. t.* ſeu quod ad utilitatem Reip. directo & primario pertinet. *Status* enim *Reip.* idem eſt quod Reſp. Quæ nihil aliud eſt, quam τάξις πόλεως, Ariſt. III. *Polit.* 4. ſeu *ſtatus Civitatis*, uti loquitur Tacit. Ann. L. I. c. 4. add. Flor. *L. I. c. 1. l. 2. §. 24. in f. D. de O. J.*

§. 32. Idque *in Sacris*, *in Sacerdotibus*, *& Magiſtratibus conſiſtit*, i. e. rebus ad functiones eorum pertinentibus; *l. 1. §. 2. D. h. t.* in adminiſtratione ſcil. pacis & belli, omnibusque in quibus regiminis publici cauſa vertitur.

§. 33. *Jus privatum* eſt, *quod ad ſingulorum utilitatem* ſpectat; *d. l. 1. §. 2. h. t.* directo ſcil. & primario.

§. 34. In quo jus *Privatum a Publico* differt; Quin enim ea, quæ privatim ſunt utilia, & indirecte ſpectent ad utilitatem Reip. nemo negaverit.

§. 35. Privatum Jus tripertitum eſt; Collectum etenim eſt ex *Naturalibus præceptis*, aut *Gentium*, aut *Civilibus. d. l. 1. §. 2. D. h. t. §. ult. I. h. t.*

§. 36. Jus *Publicum* quidem in Jure Naturæ & Gentium non minus fundamentum habet, quam Jus *Privatum*; ſed de ſolo jure *Privato* id monent Ulp. & Imp. quia de Jure Privato in Legibus noſtris principaliter agitur, de eoque JCti maxime ſunt ſolliciti.

§. 37. Sequitur igitur *altera*, quæ ab Ulp. *d. l.* nec non Imp. in *pr. & §§. ſeqq. I. de J. N. G. & C.* exhibetur *Juris Diviſio*, quod ſcil. Jus ſit *Naturale*, *Gentium*, *& Civile*.

§. 38. *Jus Naturale* (ſeu *Legem Naturæ v. l. 1. §. ult. D. de furt. §. 1. I. de Obl. quæ ex delict.*) Ulp. eumque ſecutus Imp. deſcribunt, *quod natura omnia animalia docuit. d. l. 1. §. 3. D. h. t. pr. I. de J. N. G. & C.*

§. 39. Sed cum bruta animalia ratione & ſenſu careant, quemadmodum iidem rectiſſime philoſophantur alibi, in *l. ſc. 1. §. 3. D. ſi quadr. paup. fec. dic. pr. I. eod.* & jura hominum cauſa conſtituta ſint, *l. 2. D. de ſtat. hom.* Jus naturale brutis animalibus non magis, quam plantis & arboribus, tribui poteſt; v.

Cic.

Digitized by Google

Cic. *de Off. L. I. c. 16. de Nat. Deor. L. II. c. 53. & ſeqq.* Adeoque improprie id dictum accipiendum eſt.

§. 40. Accuratius deſcribi videtur, ſi dicatur, *Dictamen rectæ rationis, quod, ſine multo mentis diſcurſu, docet ea quæ ſunt facienda, prohibetque contraria.* Quam deſcriptionem ſuppeditat Cic. *de Leg. L. I. c. 6. 15.* & confirmat Doctor Gentium Paulus Ep. ad Rom. II, 14. 15.

§. 41. Quod Jus licet multi in dubium vocent, negare tamen nequeunt, quicunque Deum agnoſcunt, & ad dictamen rectæ rationis attendunt.

§. 42. Creatus enim eſt homo, non ut cætera animalia ſolo corpore prædita, ſed, quo a beſtiis maxime differt, recta ratione præditus eſt. v. Cic. *de Off. L. I. c. 16. de Fin. L. II. c. 14. L. V. c. 21.*

§. 43. Cum itaque homo Deum Ens eſſe perfectiſſimum cogitat, ſeſeque ab eo dependentem percipit, non poteſt non ſimul intelligere, Deum ſummum omnium rerum moderatorem eſſe, Legislatorem, atque Arbitrum; Cujus voluntati ceu Legi parendum ſit, quique homines, creaturas & ſubditos, ad iſtam obſervandam, pro ſummo ſuo imperio, adſtrictos habeat.

§. 44. Quæcunque proinde homo, ex innatis ſibi principiis & notionibus, Deo placere vel diſplicere percipit, ad ea vel facienda vel non facienda, ſeſe obligatum eſſe, per neceſſariam conſequentiam ſimul intelligit.

§. 45. Quod apertiſſime docet conſcientia, cujus tanta in utramque partem vis eſt & efficacia, *ut neque timeant, qui nihil commiſerint, & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccarint.* Cic. *pro Milon. c. 23. Nam*

Conſcia mens ut cuique ſua eſt, ita concipit intra
Pectora pro facto ſpemque metumque ſuo.

Ovid. *L. I. Faſtor. v. 485. & ſeq.* v. Diſſert. Noſtr. I. *de Cauſ. Obl. c. 2. §. 2. & ſeqq.*

§. 46. Quin & ea, quæ Juris ſunt naturalis, omnes homines in ſemetipſis deprehendunt.

§. 47. Quæ conſiderari poſſunt vel ratione *Dei*, vel ratione *Sui* & *Proximi.* v. Matth. XXII, 27. *& ſeqq.* Luc. X, 27. Marc. XII, 29. *& ſeqq.*

§. 48. Ratione *Dei*, Juris naturalis eſſe religionem erga Deum, nemo ſanus negaverit. v. *l. 2. D. h. t.*

§ 49. Ratione *Sui* & *Proximi* autem Juris naturalis ſunt, Amor ſui ipſius & conſervatio; v. Cic. *pro Mil. c. 4. l. 3. D. h. t. l. 4. pr. l. 45. §. 4. D. ad L. Aquil. l. 1. §. 27. D. de vi & vi arm.* Matth. XXII, 39. Marc. XII, 31. Amor parentum erga liberos, liberorumque erga parentes; *pr. I. de J. N. G. & C. l. 7. §. 1. D. und. lib. l. 7. §. 1. D. de bon. damn. l. 2. D. h. t.* Alterum innocentem non lædere; v. *d. l. 3. D. h. t. §. 3. I. h. t.* Fidem datam ſervare; v. *l. 1. D. de pact. l. 1. pr. D. de pec. conſt.* Gratitudo; v. Luc. VI, 32. Matth. V, 46. 47. *l. 25. §.*

Digitized by Google

11. D. de pet. her. Alteri denique concedere, quod ſine ſuo incommodo fieri poteſt, v. *l. 38. D. de evict. l. 2. §. 5. D. de aq. & aq. pluv. arc.* Differt. Noſtr. I. *de Cauſ. Obl. c. 2. §. 19. & ſeqq.*

§. 50. Quæ JCti ſub tribus præceptis *Honeſte vivere, Alterum non lædere, Suum cuique tribuere*, complexi videntur; *l. 10. §. 1. D. h. t. §. 3. I. h. t.* &, quantum ad proximum attinet, ad unum ſummumque caput referri poſſunt, *quod tibi vis fieri alteri feceris*, & contra *quod tibi non vis fieri alteri ne feceris.* v. Matth. VII, 12. Luc. VI, 31. *l. 1. pr. & §. 1. D. quod quisque jur. in alt. ſtat.* Phædr. *L. I. Fab. 26.*

§. 51. Accedit tandem ſacrarum literarum auctoritas. v. Geneſ. IV, 14. Geneſ. XLII, 22. & XLIV, 16. Lev. XVIII, 24. 25. & XX, 23. Ep. ad Rom I, 18. 19. 20. II, 14. 15. & XII, 17. Ex quibus omnibus locis manifeſtiſſimum eſt, omnium hominum, eorum etiam, qui Legem promulgatam non acceperunt, mentibus & cordibus inſitam & inſculptam eſſe Legem, contra quam qui commiſerint, eos, vel ipſorum conſcientia accuſante, criminis reos pœnaque dignos eſſe.

§. 52. *Effectus* itaque *Juris naturalis* eſt, ut omnes obliget homines, ad ſui obſervantiam, vel ad pœnam. arg. *l. 7. D. de ll.*

§. 53. Cumque ex recta ratione profluat, & Deum O. M. ejusque immutabilem voluntatem anctorem habeat, ſequitur id ipſum etiam eſſe immutabile. *§. 11. I. de J. N. G. & C.* Lact. *I. Div. L. VI. c. 8.* Sen. *L. VI. de Benef. c. 23.*

§. 54. Circumſtantiæ tamen mutari doſſunt, v. gr. ſi Titius apud te gladium depoſuerit, paulo poſt autem furere incipiat, Jus naturæ & recta ratio, quæ docet depoſitum ordinario deponenti reddendum eſſe, propter ſupervenientem furorem, repetenti gladium minime reddendum eſſe dictat. v. Plat. *L. I. de Legib.* Quod & duobus aliis exemplis eleganter illuſtrat Tryphoninus in *l. 31. pr. & §. 1. D. depoſ.* Add. Cic. *de Off. L. I. c. 3. & L. III. c. 24.*

§. 55. Generalibus etiam Juris naturalis principiis, per Leges civiles addi aliquid poteſt, vel detrahi; *l. 6. D. h. t.* de quo deinceps *§. 72. & ſeq.*

§. 56. Dividi ſolet Jus Naturale in *Proprium* & *Improprium*, ſeu *Præcipiens* & *Permittens*.

§. 57. Jus Naturale *Proprium* & *Præcipiens* eſt illud, de quo adhuc egimus, quod jubet facienda & prohibet contraria.

§. 58. *Improprium* autem ſeu *Permittens* (quod & *Suadens* quibusdam dicitur) quod circa ea verſatur, quæ licita ſunt neque repugnant naturæ, qualis eſt procreatio ſobolis, libertas, occupatio ejus quod nullius eſt, ſimilesque facultates naturales; Item quæ ratio ſuadet ut meliora, non tamen imperat, veluti quod hereditas proximo ſanguini relinquenda ſit, & ſimilia. v. *§. 12. I. de R. D. l. 7. D. de bon. damn.*

§. 59.

Digitized by Google

§. 59. Sed *Jus Permittens* proprie *Jus* dici nequit, uti vel ex ipſo verbo, dum ſcil. *Improprium* dicitur, facile intelligitur.

§. 60. *Jus Gentium* Ulp. dicit eſſe, *quo gentes humanæ utuntur; Idque a naturali recedere, quia illud omnibus animalibus, hoc ſolis hominibus inter ſe commune eſt. l. 1. §. ult. h. t.*

§. 61. Sed ſimiliter minus accurate; De Jure enim gentium Civili etiam dici poteſt, id eſſe quo gentes utuntur; & differentia inter *Jus Naturale* & *Gentium* plane vitioſa eſt: Bruta enim animalia cum ſenſu & ratione careant, uti alibi idem agnoſcit Ulp. *l. 1. §. 8. D. ſi quadr. paup. fec. dic.* & §. *39. ſupr.* jam monitum eſt, Jure naturali uti dici nequeunt.

§. 62. Rectius deſcribit Gajus in *l. 9. D. h. t.* dum ait, *Jus Gentium eſſe, quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, & apud omnes peræque cuſtoditur;* ſeu *quod ratione naturali inter omnes homines peræque obſervatur; l. 1. D. de A. R. D.* nec non Imp. Juſtinianus, dum docet *Jus Gentium* eſſe, *quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, & apud omnes populos peræque cuſtoditur; §. 1. I. de J. N. G. & C.* quodque *omni humano generi commune eſt, uſuque exigente & humanis neceſſitatibus eſt introductum. §. 2. I. eod.*

§. 63. Quod cum ſimiliter fundamentum in recta ratione habeat, eundem etiam quem Jus Naturale auctorem & Legislatorem habet, Deum ſcil. O. M. Adeoque & ad Jus Naturæ latius acceptum referri poteſt; v. *§. 1. 11. I. de R. D. l. 84. §. 1. D. de R. J.* Simulque eſt immutabile.

§. 64. Nam uti recta ratio inſita a natura & in omnes diffuſa conſtans eſt & ſempiterna, ita & perpetuum eſt, quod ea per certas concluſiones præſcribit.

§. 65. Diverſum tamen nihilominus a *Jure Naturæ* etiam ſtatui poteſt.

§. 66. *Jus Naturale* enim, ſtrictius acceptum ita innatum eſt, ut primo intuitu ab omnibus intelligatur, *Jus Gentium* vero ratiocinando elicitur: Circa ea enim hoc Jus vertitur, quæ convenienter quidem rationi naturali, non tamen immediate ex ejus dictamine, ſed uſu exigente & humanis neceſſitatibus inde deducuntur: Uti ex iis, quæ Juri Gentium adſcribuntur, facile intelligitur.

§. 67. Ex Jure Gentium enim introducta ſunt bella, captivitates, ſervitutes, manumiſſiones, diſcretæ gentes, Regna condita, Dominia diſtincta, agris termini poſiti, ædificia collocata, commercium, emtiones venditiones, locationes conductiones, obligationes inſtitutæ, exceptis quibusdam (Verborum ſcil. & Literarum obligationibus) quæ a Jure Civili introductæ ſunt; *l. 4. l. 5. D. h. t. §. 2. J. de I. N. G. & C.* Jura denique Legatorum, quæ utroque tempore & belli & pacis locum habent, conſtituta ſunt. *l. ult. D. de legation.*

§. 68. Dividitur *Jus Gentium* a DD. in *Primævum* & *Secundævum*, ſeu *Primarium & Secundarium.*

§. 69. *Primævum* dicunt, *quod ex ſola & ſimplici ratione profluit, & homini a principio innatum eſt.*

§. 70.

§. 70. *Secundævum vero, quod ex compoſita mentis humanæ notitia, adhibita ratiocinatione mentisque diſcurſu, naſcitur, uſuque exigente & humanis neceſſitatibus introductum eſt.*

§. 71. Quæ diviſio minime eſt neceſſaria; *Jus Gentium Primævum* enim, quod dicunt, a *Jure Naturali* non differt, uti ex dictis manifeſtum eſt.

§. 72. *Jus Civile* eſt, *quod quisque Populus liber ſibi proprium conſtituit, l. 9. D. h. t. §. 1. I. de I. N. G. & C. neque in totum a Naturali vel Gentium recedit, nec per omnia ei ſervit,* ſed *Juri communi vel addit aliquid vel detrahit. l. 6. pr. D. h. t.*

§. 73. *Addit* autem, vel confirmando quæ Jure Naturæ vel Gentium jam conſtituta ſunt, vel non ſatis definita determinando, ſolennitatesve adjiciendo. *Detrahit* vero, vel caſus aliquos a generalibus Juris naturalis præceptis excipiendo, veluti in uſucapione; v. *l. 1. D. de uſurp. & uſuc. pr. I. eod. junct. l. 14. D. de condict. indeb.* vel libertatem naturalem quandoque reſtringendo, veluti per Legem Falcidiam, SCtum Trebellianum, & ſimilia.

§. 74. *Jus Civile* duplex eſt, *Scriptum* aut *Non Scriptum. l. 6. §. 1. D. h. t. §. 3. I. de I. N. G. & C.*

§. 75. Non tamen eo ſenſu, quo apud Græcos, τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι οἱ δὲ ἄγραφοι: Licet hoc videatur velle Ulp. *d. l.* & diviſionis hujus originem, ab inſtitutis Athenienſium & Lacedæmoniorum, aperte petat Imp. in *§. 10. I. de I. N. G. & C.*

§. 76. *Jus ſcriptum* enim eſt; *quod per expreſſam ſanctionem promulgatum eſt;* & in genere *Lex* dici ſolet; v. *l. 32. pr. §. 1. l. 37. D. de ll.* Quale etiam fuit Jus non ſcriptum Lacedæmoniorum, v. Juſtin. *L. III. c. 2. Jus non ſcriptum* autem, quod tacito populi conſenſu ſeu diuturnis moribus utentium introductum eſt. *l. 32. pr. & §. 1. D. de ll. §. 3. 9. I. de I. N. G. & C. v. infr. ad t. de LL. §. 39. & ſeqq.*

§. 77. *Scriptum* vero dicitur, non quaſi ſcriptura de Legis ſit eſſentia, ſed quia majoris commodi cauſa ſcribi ſolet: Ita accip. *d. l. 32. l. 36. D. de ll. §. 11. I. de R. D.*

§. 78. Juris ſcripti ſpecies ſunt ſex, *Lex*, *Plebiſcitum*, *Senatusconſultum*, *Principum placita*, *Magiſtratuum Edicta*, & *Reſponſa Prudentum §. 3. I. de J. N. G. & C. l. 7. pr. & §. 1. D. h. t.*

§. 79. *Lex* (in ſpecie ſcil. dicta) eſt, *quam Populus Romanus Senatorio Magiſtratu rogante, veluti Conſule, conſtituebat. §. 4. I. de J. N. G. & C. v.* Gell. *L. X, c. 20.* De qua plenius ad *t. de LL.*

§. 80. *Plebiſcitum eſt quod Plebs, Plebeja Magiſtratu rogante, veluti Tribuno Plebis, conſtituebat. d. §. 4. I. de J. N. G. & C.* Gell. *d. l.*

§. 81. Quod jus, cum plebs primis temporibus non haberet, ſucceſſu temporis, uti & ipſos Tribunos Plebis, Patriciis extorſit.

§. 82.

§. 82. Cumque Plebiſcitis Patricii non tenerentur, lata primum Lege *Horatia* A. U. C. 304. v. Liv. *L. III. c. 55.* Dion. Halic. *L. XI. c. 49.* poſtmodum *Publilia* A. U. C. 414. v. Liv. *L. VIII. c. 12.* tandemque A. U. C. 467. *Hortenſia*, a Q. Hortenſio Dictatore ſic dicta, factum eſt, ut eo jure, quod Plebs ſtatuiſſet, omnes Quirites tenerentur; adeoque Plebiſcita non minus quam *Leges* valere cœperunt, *d. §. 4. I. de J. N. G. & C. l. 2. §. 8. D. de O. J.* Plin. *L. XVI. c. 10.* Gell. *L. XV. c. 27.*

§. 83. Unde Legis *Hortenſiæ d. §. 4. I. de J. N. G. & C. d. l. 2. §. 8. D. de O. J.* tantum ſit mentio, neque pro Hortenſia *Horatia* legendum reſtituendumve eſt.

§. 84. *Senatusconſultum* eſt, *quod Senatus jubet atque conſtituit. §. 5. I. de J. N. G. & C. l. 2. §. 9. D. de O. J.* De quo ad *t. de LL. SCtis &c. §. 34. & ſeqq.*

§. 85. *Principis Placitum* ſeu *Conſtitutio Principis* eſt, *quod Principi placuit ut Legis habeat vigorem. §. 6. I. de J. N. G. & C. l. 1. pr. D. de Conſt. Pr.* De quo ad *t. de Conſtit. Princ.*

§. 86. *Magiſtratuum Edicta*, ſeu *Ius Prætorium* eſt, *quod Prætores introduxerunt, adjuvandi, ſupplendi, vel corrigendi juris civilis gratia.* Quod & *Honorarium* dicitur ab *honore* Prætorum ſic appellatum. *l. 7. §. 1. D. h. t. §. 7. I. de J. N. G. & C. l. 2. §. 10. D. de O. J.*

§. 87. Cum enim Prætorum Edicta naturali ratione & æquitate plerumque niterentur, Populus paulatim conceſſiſſe videtur, ut ea pro jure obtinerent, & ſecundum ea ſequentes quoque Prætores jus dicerent. v. Cic. *de Inv. L. II. c. 22.*

§. 88. *Adjuvit* autem Prætor Jus Civile, caſus jure civili comprehenſos ad faciliorem exitum perducendo, *pr. I. de bon. poſſ.* Actionesque ſecundum Jus Civile concedendo. *v. l. 1. & 3. D. de neg. geſt. l. 1. D. commod. l. 1. pr. & §. 3. D. ſi quadr. paup. fec. dic. l. 1. pr. D. ſi pars her. pet. Supplevit*, extendendo jus civile, & caſus omiſſos pro comprehenſis habendo; dum dedit ſcil. Actiones in factum, ex. gr. in cauſa L. Aquiliæ; *l. 11. D. de P. V.* Actionem Publicianam, *t. t. D. de Publ. in rem. act. §. 4. I. de Act.* ſimilesque. *Correxit*, reſtringendo Jus Civile, & admittendo quod Jure Civili generaliter vetitum videbatur, dando v. gr. bonorum poſſeſſionem contra tabulas. *pr. §. 1. I. de bon. poſſ. t. t. D. & C. de bon. poſſ. cont. tab. §. 3. I. de exher. lib.*

§. 89. Leges enim abrogare, & aperte contra Jus Civile aliquid ſtatuere non poterat. *l. 12. §. 4. D. de Publician. in rem. act. l. 12. §. 1. D. de bon. poſſ.*

§. 90. Sub jure *Prætorio* autem etiam continetur *Ædilitium*, ab Ædilibus Curulibus ſcil. conſtitutum *§. 7. I. de J. N. G. & C v. l. 2. §. 21. 26. D. de O. J.* Qui ſub *Prætoris* nomine latius accepto comprehenduntur. v. Paul. *L. I. Sent. T. 15. & §. 2. I. de diviſ. ſtip.*

§. 91. *Reſponſa Prudentum* ſunt *ſententiæ & opiniones eorum, quibus permiſſum erat de Jure reſpondere. §. 8. I. de J. N. G. & C.*

§. 92. Quæ ſub libera Rep. tum demum vim juris habebant, cum receptæ eſſent ſententiæ, ſed ſub Auguſto & ſeqq. Imperatoribus ex auctoritate Principum. *d. §. 8. l. 2 §. 47. D. de O. J.*

§. 93. *Jus non ſcriptum* eſt *Jus moribus conſtitutum, quod uſus approbavit,* ſeu quod tacito Populi conſenſu (in libera ſcil. Rep.) & diuturnis moribus utentium introductum eſt; & uno nomine dicitur *Conſuetudo. l. 32. pr. D. de ll. §. 9. I. de J. N. G. & C.* De qua ad *t. de ll. SC. & long. conſuet. §. 39. & ſeqq.*

§. 94. Dum quis autem Juri ſedulo incumbit, acquirit, *Artem Juris*, quæ eſt *ars æqui & boni; l. 1. §. 1. D. h. t.* ſeu *Jurisprudentiam*, quæ eſt *divinarum & humanarum rerum notitia, juſti atque injuſti ſcientia. l. 10. §. 1. h. t.*

§. 95. *Jurisprudentia* enim ab *Arte juris* non eſt diſtincta: Nam Praxis & Theoria hic concurrunt, quemadmodum & ab Ulp. conjunguntur in *l. 1. §. 1. D. h. t.*

TITULUS II.

DE ORIGINE JURIS, ET OMNIUM MAGISTRATUUM, ET SUCCESSIONE PRUDENTIUM.

§. I.

Actum eſt de Jure, tum *Naturali*, tum *Gentium*, tum *Civili:* Sequitur de *Juris Civilis Origine*, nec non *Magiſtratuum*, & *Succeſſione Prudentium*, a quibus potiſſimum orta, condita, aucta, tradita, & illuſtrata ſunt Jura Populi Romani.

DE ORIGINE JURIS.

§. 2. Et quidem, quemadmodum principio rerum arbitria Regum pro Legibus fuiſſe monet Juſtin. *Lib. I. c. 1. pr.* Sic initio civitatis Romanæ, Populus ſine Lege certa, ſine jure certo agere inſtituit, omniaque manu a Regibus gubernabantur. *l. 2. §. 1. D. h. t.* Dion. Hal. *L. IV. c. 25. X. c. 1.* Tacit. *Annal. L. III. c. 26.*

§. 3. Romulus tamen *Leges Curiatas*, ſequentesque Reges, maxime Servius Tullius, Leges quasdam ad Populum tulerunt *d. l. 2. §. 2.* Tacit. *d. l.* Quarum *Regiarum* legum fragmentum & mentio occurrit in *l. 2. D. de mort. infer.* add. Plin. *L. XIV. c. 12.*

§. 4. Quas in unum Librum collegit P. Papyrius; quod inde *Jus Papyrianum* dictum eſt. *l. 11. §. 2. junct. §. 36. h. t.* add. *l. 144. D. de V. S.*

§. 5. Exactis deinde Regibus Lege Tribunicia, Leges Regiæ pleræque exoleverunt,

leverunt, iterumque cœpit Populus Romanus incerto magis jure & conſuetudine uti. *l. 2. §. 3. D. h. t.*

§. 6. Quod ne diutius fieret, A. U. C. 299. placuit publica auctoritate mitti tres viros, (non *decem*, uti habetur *l. 2. §. 4 h. t.* ſi modo locus ſanus eſt) Sp. ſcil. Poſtumium Album, A. Manlium, & P. Sulpitium Camerium, per quos peterentur Leges a Græcis civitatibus, *l. 2. §. 4. h. t.* Liv. *L. III. c. 31.* Dion. Hal. *L. X. c. 59. 64.*

§. 7. Iisque triennio poſt reverſis, A. U. C. 302. conſtituti ſunt Decemviri ſumma cum poteſtate, per quos civitas fundaretur Legibus. Liv. *L. III. c. 33.* Dion. Hal. *L. X. c. 64. 65.*

§. 8. Qui Leges in X. Tabulas æreas (ſic leg. vid.) perſcriptas pro roſtris compoſuerunt. *l. 2. §. 4. D. h. t. v.* Liv. *d. l.* Dion. Hal. *L. X. c. 66.*

§. 9. Cumque Decemviri ſequentis anni animadvertiſſent, aliquid deeſſe iſtis primis Legibus, alias duas ad easdem tabulas adjecerunt; Atque ita A. U. C. 303. (ſecundum Liv. *d. L. III. c. 55.*) ante Chriſtum natum A. 449. latæ, & ex accidenti appellatæ ſunt *Leges XII. Tabularum. d. l. 2. §. 4. h. t.* Dion. Halic. *L. X. c. 68. 69.* add. Gell. *L. XVII. c. 21.*

§. 10. In quibus omnis civilis ſcientia, deſcriptis omnibus civitatis utilitatibus, continebatur; Cic. I. *de Orat. c. 43.* Ut merito fons publici & privati juris, imo Corpus omnis Romani Juris, dicantur Liv. *L. III. c. 34.*

§. 11. His Legibus latis, cœpit, ut naturaliter evenire ſolet, ut interpretatio deſideraret Prudentium auctoritatem, *neceſſariaque eſſet* (ſic leg. vid.) *Diſputatio fori.* Quod Jus communi nomine appellatur *Jus Civile*, *l. 2. §. 5. h. t.*

§. 12. Deinde ex his Legibus, eodem tempore fere, *Actiones* (i. e. Actionum formulæ) compoſitæ ſunt, quibus inter ſe homines diſceptarent; Quas Actiones, ne Populus, prout vellet, inſtitueret, certas ſolennesque eſſe voluerunt. Et appellatur hæc pars Juris *Legis Actiones*; *l. 2. §. 6. D. h. t.* Diverſæ a *Legis Actionibus*, de quibus *l. 3. D. de off. Procons.* nec non ab *Actibus Legitimis*, de quibus *l. 77. D. de R. J.*

§. 13. Quas cum Appius Claudius propoſuiſſet, & ad formam redegiſſet, Cnæus Flavius ſcriba ejus ſurreptum librum populo tradidit; Qui Liber appellatur *Jus Civile Flavianum. l. 2. §. 7. D. h. t. v.* Liv. *L. IX. c. 46.*

§. 14 Quia autem deerant quædam genera agendi, non poſt multum temporis ſpatium Sextus Ælius alias Actiones compoſuit, & Librum Populo dedit, qui appellatur *Jus Ælianum. l. 2. §. 7. D. h. t.*

§. 15. Acceſſerunt variis temporibus *Plebiſcita; v. l. 2. §. 8. D. h. t. SCta; v. d. l. 2. §. 9. Prætorum Edicta; v. d. l. 2. §. 10.* & ſub ſtatu monarchico *Conſtitutiones Principum. v. l. 2. §. 11. D. h. t.* De quibus ad *tit. præced.* jam monitum, & ad ſeq. *t. III. & IV.* plenius agendum.

DE ORIGINE MAGISTRATUUM.

§. 16. *Magiſtratus* (a *Magiſtro* ſic dictus; *l. 57. D. de V. S.*) latius acceptus eſt omnis Poteſtas Politica; Quo ſenſu Magiſtratibus *Reges* annumerantur a Pomponio in *l. 2. §. 13. 14. h. t.* add. Liv. *L. XLV. c. 5.*

§. 17. Strictiori ſignificatione vero eſt *Perſona publica, quæ jurisdictioni præeſt.*

§. 18. Sunt autem I. Magiſtratus vel *Ordinarii*, vel *Extraordinarii.*

§. 19. *Ordinarii* ſunt, qui ſtatis temporibus & ſemper in Rep. fuerunt; uti *Conſules, Tribuni plebis, Ædiles, Quæſtores, Pratores. v. l. 2. §. 16. 20. 21. 22. 26. 27. 28. D h. t.*

§. 20. *Extraordinarii*, qui neque ſtatis temporibus, neque ſemper in Rep. fuerunt; puta *Cenſores, Dictatores, Decemviri, Tribuni militum Conſulari poteſtate, Præfecti Vigilum*, ſimilesque. v. *l. 2. §. 17. 18. 24. 25. 33. D. h. t.*

§. 21. II. Alii ſunt *Majores*, ali *Minores. l. 2. D. de in jus voc. l. 32. D de injur.*

§. 22. *Majores* ſunt, qui majoribus creabantur auſpiciis, & lictores viatoresque habebant; veluti *Conſules, Pratores. v.* Gell. *L. XIII. c. 14.*

§. 23. *Minores*, qui minoribus auſpiciis creabantur, & lictores viatoresque non habebant; quales erant Ædiles & Quæſtores. v. Gell. *d. l. & L. XIII. c. 12.*

§. 24. III. Alii ſunt *Urbani*, alii *Provinciales.*

§. 25. *Urbani* ſunt, qui in Urbe poteſtatem & jurisdictionem exercent.

§. 26. *Provinciales*, qui in Provinciis.

§. 27. Sed, cum de pleriſque Magiſtratibus, eorumque officio, ſingulares poſtea occurrant Tituli, ulteriori eorum expoſitione hic ſuperſedere licet.

DE SUCCESSIONE PRUDENTIUM.

§. 28. *JCtus* eſt, *qui jus profitetur, reſpondet, interpretatur:* vel *Vir bonus, legum ac morum, ad reſpondendum atque interpretandum, peritus.* v. Cic. I. *de Orat. c. 48.*

§. 29. Juris Civilis ſcientiam autem plurimi & maximi viri profeſſi ſunt. *l. 2. §. 35. D. h. t.*

§. 30. Inter quos celebres ſunt, *Tiberius Coruncanius*, qui primus publice profiteri cœpit. *l. 2. §. 35. D h. t. P. Mutius, Brutus, & Manilius*, qui Jus Civile fundarunt. *l. 2. §. 39. D. h. t. Q. Mutius* P. Filius, qui Jus Civile primus conſtituit, id generatim in libros decem & octo redigendo. *l. 2. §. 41. D. h. t.* Nec non *A. Ofilius*, qui poſt illos Libros de Jure Civili plurimos, & qui omnem partem operis fundarent, reliquit. *l. 2. §. 44. D. h. t.*

§. 31. Maximæ vero auctoritatis fuerunt duo illa pacis decora, *Atejus Capito*, qui *Ofilium* ſecutus eſt, & *Antiſtius Labeo* inſtitutus a *Trebatio. l. 2. §. 47. D. h. t.*

Digitized by Google

D. h. t. Tacit. *L. III. Ann. c. 70. 75.* Qui primum diverſas ſectas conſtituerunt. *d. l. 2. §. 47.*

§ 32. Nam *Atejus Capito*, in his, quæ ei tradita fuerant, perſeverabat; *Labeo* ingenii qualitate, & fiducia doctrinæ, qui & cæteris operis ſapientiæ operam dederat, plurima innovare inſtituit. *d. l. 2. §. 47.* add. Tacit. *d. c. 75.* Gell. *L. XIII. c. 12.*

§. 33. *Atejo Capitoni* ſucceſſit *Maſſurius Sabinus*, (a quo *Sabiniani* dicti ſunt) & *C. Caſſius Longinus*, (a quo *Caſſiani*, & *Schola Caſſiana.* v. Plin. *L. VII. Ep. 24.*) Caſſio *Cœlius Sabinus*, Cœlio Sabino *Priſcus Javolenus*, Javoleno *Alburnius Valens*, *Tuſcianus* ſeu potius *Voluſius Mæcianus*, & *Salvius Julianus. d. l. 2. §. 47. D. h. t.*

§. 34. *Labeoni* ſucceſſit *Nerva Pater*, Nervæ *Proculus* (unde *Proculejani* vocati ſunt) & *Nerva Filius*, Proculo *Pegaſus* (unde *Pegaſiani*) Pegaſo *Celſus*, Patri Celſo *Celſus Filius* & *Priſcus Neratius. d. l. 2. §. 47.*

§ 35. Quorum, ut & diſſenſionis eorum, in Jure noſtro frequens eſt mentio. v. *l. 11. §. 3. D. de don. int. Vir. & Ux. l. 35. §. 3. D. de mort. cauſ. don. l. 18. D. de furt. §. 25. I. de R. D. §. 2. I. de emt. vend. §. 8. I. de mand.* Ulp. *Fragm. T. XI.* §. *ult.*

TITULUS III.

De Legibus, Senatusque Consultis, et Longa Consuetudine.

C. I. 14. 16. VIII. 53.

§. 1.

Poſt caput de Jure ejusque Origine, ſubjicitur de partibus quibusdam Juris Civilis conſtituentibus in ſpecie, de *Legibus* ſcil. *SCtis*, *Longa Conſuetudine*, *h. t.* & *Conſtitutionibus Principum*, *tit. ſeq.* IV.

De Legibus.

§. 2. *Lex* (quæ a *legendo*, vel quod legendo proponeretur, Varr. *de L. L. Lib. V.* Iſidor. *L. II. c. 10. L. V. c. 3.* vel quod *delectus* vis in Lege poneretur, Cic. *de Leg. L. I. c. 6.* dicta eſt) varie accipitur.

§. 3. Vel enim *latiſſime* pro omni jure ponitur, quo utimur in Rep., ut & ipſum jus non ſcriptum comprehendat; v. *l. 6.* §. *1. l. 9. D. de J. & J. §. 1. I. de J. N. G. & C.*

Vel *late*, pro omni jure ſcripto; *l. 1. & 32. D. h. t. l. 1. §. 1. D. de off. ejus cui mand. eſt jurisd* ut & Jus *Honorarium* complectatur. *l. 1.* §. *2. D. und. cogn.* Paul. *Rec. ſent. L. III. T. 3.*

Digitized by Google

Vel *ſtricte*, pro ea juris ſcripti ſpecie, quam Populus Romanus Senatorio Magiſtratu rogante conſtituebat §. 4. *I. de J. N. G. & C.*

Vel denique *ſtrictiſſime*, pro Lege XII. Tabb. *l. 7. §. 14. in fin. D. de pact. l. 13. §. 3. in f. D. de S. P. R.* junct. *l. 8. D. eod. l. 18. D. qui teſt. fac. poſſ. l. 5. §. 1. D. de acq. her.* junct. *l. 1. D. de cur. fur. l. 6. §. 1. D. de re jud. l. 130. D. de V. S. t. I. de Legit. Patron. tut.* Aliave quadam Lege ſingulari.

§. 4. *Lex late accepta* deſcribitur, quod ſit *commune præceptum, virorum prudentium conſultum, delictorum quæ ſponte vel ignorantia contrahuntur coërcitio, communis Reip. ſponſio;* vel, *Regula juſtorum & injuſtorum, præceptrix faciendorum, prohibitrix autem non faciendorum; l. 1. 2. D. h. t.* ſeu, uti alii malunt, quod ſit *commune præceptum ſummæ poteſtatis, omnes ei ſubjectos, ipſorum bono, ad parendum obſtringens.*

§. 5. Legem ferre poteſt ſummus rerum arbiter Deus O. M. omnesque penes quos eſt τὸ κύριον ſeu Majeſtas in Rep. v. *l. 9. D. de J. & J. §. 1. I. de J. N. G. & C. l. 32. §. 1. D. l. ult. C. h. t.*

§. 6. Unde *Lex* alia *Divina* eſt, alia *Humana.* vid. ſupr. *ad t. de J. & J. §. 25. & ſeqq.*

§. 7. Feruntur Leges de rebus honeſtis & licitis, v. Act. IV, 19. V, 29. & quidem futuris, non præteritis, ad quas vis & poteſtas legum non extenditur. *l. 22. D. h. t. l. 7. C. h. t. l. 29. v. Quæ in poſterum C. de teſtam. l. 23. §. ult. C. mand. l. 17. v. Quæ tam C. de fid. inſtrum. l. pen. C. de Decur. Nov. 99. c. 1. §. 2. c. f. X. de conſtit.*

§. 8. Niſi I. nominatim & de præterito tempore, & adhuc pendentibus negotiis cautum ſit; *d. l. 7. C. h. t. v. l. ult. C. de pact. pign. l. 21. in f. l. 22. §. 1 C. de SS. Eccleſ. l. un. §. 4. C. de contr. jud. l. 2. §. 9. C. de jurej. propt. cal. l. 17. v. Quæ tam C. de fid. inſtrum. N. 19. Præf. N. 115. c. 1.*

Vel II. Lex lata tantum ſit declaratoria juris antiqui; v. *N. 19. præf. in f. N. 143. præf. in f.* quia per declarationem nihil additur novi. *l. 21. §. 1. D. qui teſt. fac. poſſ.*

§. 9. Feruntur etiam de iis, quæ ut plurimum & frequenter, non perraro contingunt: *Quod enim ſemel aut bis exiſtit, prætereunt Legislatores l. 3. 4. 5. 6. 10. D. h. t.*

§. 10. Quod tamen non impedit, quominus & de raris & inſolitis Legislatores quandoque ſint ſolliciti. vid. *§. 22. 23. I. de R. D. l. 14. D. de ſtat. hom. l. 3. D. ſi pars hered. pet. l. 36 D. de ſol. l. 9. §. 1. l. 22. & 23. D. de reb. dub. l. 12. C. de legit. hered. l. 16. C. de don. ant. nupt. N. 5. c. 2. §. 1.* Diſſert. N. III. *de Port. Legit. C. 3. §. 21. & ſeqq.*

§. 11. Modus ferendæ legis conſiſtit in promulgatione, ut ſcil. voluntas Legislatoris manifeſta fiat, & ab omnibus intelligatur. *l. 32. §. 1. D. l. 9. C. h. t.*

§. 12.

Digitized by Google

§. 12. Simul atque enim Lex promulgata eſt, obligat ſubditos; v. *l. pen. in f. C. de Decur.* Non demum poſt duos menſes, uti quidam volunt ex male intellecta *Nov. 66. c. 1.* Niſi certum tempus nominatim Lege comprehenſum ſit, ex quo vim demum obligandi habeat. *Nov. 116. c. 1.*

§. 13. *Legis* itaque promulgatæ *effectus* eſt, obligare ſubditos, omnes ſcil. cives & incolas in territorio Legislatoris degentes, *l. ult. D. de jurisd. l. 7. §. 10. D. de interd. & releg. l. 3. 13. D. de Off. Præſ.* ad ſui obſervantiam, *l. 10. C. h. t.* etiam in conſcientia; Ep. ad Rom. XIII, 1. 2. 3. 4. 5. 1. Ep. Petr. II, 13. *& ſeqq.* vel, ſi contra fiat, ad pœnam; *Imperare* ſcil. *vetare, permittere, punire*, ut ait JC. *l. 7. D. h. t.* add. *Nov. Leon. pr.* Quint. *Inſt. L. VII. c. 5.*

§. 14. Non etiam *ſuadere;* v. Sen. *Ep. 94.* Licet non pauci in jure noſtro ſint textus ſuaſorii, merum conſilium Legislatoris continentes. v. *§. 3. I. de pup. ſubſt. §. 5. I. de hered. qual. & diff.* junct. *l. ult. §. 14. C. de jur. delib. §. ult. I. de V. O. l. 34. D. h. t. l. 24. l. 36. D. de R. V. l. 1. §. 3. D. de peric. & comm. rei vend. l. 9. D. de ſuſp. tut. l. 2. C. de annal. exc. N. 22. c. ult. pr.*

§. 15. Sed & hic Legis effectus eſt, ut, ſi quid contra Legem fiat, ordinario ſit ipſo jure nullum; *l. 5. C. h. t. §. 12. I. de nupt. pr. I. de exher. lib.* Niſi Legislator actum ſubſiſtere patiatur, & tantum pœnam adjiciat, *arg. l. 41. D. de pœn.* uti in SCto Vellejano & Macedoniano; *tt. D. & C. ad SC. Maced & Vellej.* vel reſciſſionem expreſſe deſideret, uti in *Nov. 115. c. 3. §. ult. & c. 4. §. ult.*

§. 16. *Contra legem* autem *facit*, non tantum qui contra verba legis facit, ſed & qui contra mentem Legislatoris & ſententiam, qui proprie *fraudem legi facere* dicitur. *l. 29. & 30. D. h. t. l. 5. C. h. t.* v. *l. 3. §. 3. l. 7. §. 3. D. ad SC. Maced. l. 123. §. 1. de legat. 1.*

§. 17. Obligat autem Lex ſubditos, non etiam Principem; qui Legibus, non Julia tantum & Papia, ſed omnibus ſolutus eſt. *l. 31. D. h. t. l. 23. D. de legat. 3. §. ult. I. quib. mod. teſt. inf. l. 3. C. de teſtam. Nov. 105. c. 2. §. ult.* Dion. Caſſ. *L. LIII.*

§. 18. *Civilibus* ſcil. non etiam Naturalibus & Regni fundamentalibus, neque Divinis moralibus. v. Deut. XVII, 18 19.

§. 19. Sed & officium boni Principis eſt, dignaque vox majeſtate regnantis, ſe legibus, quibus ſolutus eſt, alligatum profiteri. *l. 4. C. h. t. §. ult. I. quib. mod. teſt. inf. l. 3. C. de teſtam.* Claud. *in Panegyr. de quart. Conſul. Honor. v. 295. & ſeqq.*

§. 20. Cum autem Leges ita ſcribi nequeant, ut omnes caſus, qui quandoque inciderint, comprehendantur, *Interpretatione* ſæpenumero opus eſſe, res ipſa loquitur. *l. 10. 11. 12. 13. D. h. t. N. 74. pr.*

§. 21. Fit autem Interpretatio vel per *Principem* ſeu *Legislatorem*, vel per *Conſuetudinem*, vel per *JCtos.*

§. 22.

Digitized by Google

§. 22. *Interpretatio* quæ fit per *Principem* ſeu *Legislatorem*, *Authentica* dici ſolet; v. *l. 1. 9. 12. C. h. t.* Eaque locum maxime habet, cum Lex aperta & clara eſt, ſed prædura; Tum enim ſolius Principis ſeu Legislatoris eſt, duritiem illam mitigare, novumque jus introducere. v. *l. 12. §. 1. D. qui & a quib. man. lib. non fiunt.* junct. *l. 32. C. ad L. Jul. de adult.*

§. 23. Quæ fit per *Uſum* ſeu *Conſuetudinem*, *Uſualis* appellatur. De qua v. *l. 37. D. h. t. l. 11. C. h. t.*

§. 24. Quæ vero per *JCtos*, *Doctrinalis* vocari ſolet: Quæ conſiſtit in vera & congrua voluntatis Legislatoris expoſitione; & locum habet, cum verba Legis non adeo ſint obſcura, quin mens ejus argumentando ex præcedentibus & conſequentibus educi poſſit, nec adeo aperta, quin aliquam ex bono & æquo deſiderent interpretationem.

§. 25. Eaque triplex eſt, *Declarativa*, *Extenſiva*, & *Reſtrictiva*.

§. 26. *Interpretatio Declarativa* eſt, *qua proprius Legis dubiæ ſenſus exponitur.*

§. 27. Quæ ut feliciter procedat, inprimis verba Legis probe conſideranda veniunt; *l. 1. §. 20. D. de exerc. act. l. 8. D. de Publician. in rem. act.* arg. *l. 7. §. ult. de ſupell. leg. l. 69. pr. de leg. 3.* add. Gell. *L. XIII. c. 10.* adeoque tota Lex perlegenda, *l. 24. h. t.* præcedentia & conſequentia examinanda, prioresque Leges cum poſterioribus conferendæ ſunt. *l. 26. 27. 28. D. h. t.*

§. 28. Non tamen verbis tantum inhærendum, ſed & in mentem Legislatoris, rationemque legis, quæ anima ejus eſt, inquirendum; *Scire leges enim non hoc eſt verba legum tenere, ſed vim ac poteſtatem. l. 17. D. h. t. l. 13. §. 2. D. de excuſ. tut.* add. *l. 18. §. 3. D. de inſtr. vel inſtrum. leg.* Cic. *pro Cæcin. c. 18. 23. 28.*

§. 29. Licet non omnium, quæ a majoribus tradita ſunt, ratio reddi poſſit; *l. 20. D. h. t.* v. *l. 9. D. de religioſ.* Adeoque nimis curioſe in eam inquiri non oporteat. *l. 21. D. h. t.* Multa enim contra rationem diſputandi, pro utilitate communi, recepta ſunt; *l. 51. §. 2. D. ad L. Aquil.* & alioquin multa ex his, quæ certa ſunt, ſubverterentur. *d. l. 21. D. h. t.*

§. 30. Et in genere ad hoc attendendum, ut ea accipiatur ſignificatio, quæ vitio caret, *l. 19. D. h. t.* & ſubjectæ materiæ convenit; *l. 67. D. de R. J.* benigniora præferantur, *l. 18. 25. D. h. t. l. 56. 168. D. de R. J.* ſemperque major æquitatis, quam ſtricti juris ratio habeatur. *l. 8. C. de jud. l. 90. D. de R. J.*

§. 31. *Interpretatio Extenſiva eſt, cum ob paritatem rationis a ſimilibus ad ſimilia proceditur*, ſecundum *l. 12. 13. 27. D. h. t.* v. *§. unic. I. de Legit. Patron. tut. l. 32. pr. D. ad L. Aquil. l. 7. §. 2. D. de juriſd. l. 14. D. ad SC. Maced. l. 13. D. de teſt. l. 16. de Sponſ. l. 59. de R. N. l. 4. D. de fund. dot.*

§. 32. Quæ tamen in jure ſingulari ceſſat; *l. 14. 15. D. h. t.* neque procedit, ſi extenſio nominatim ſit prohibita: De quo ex mente Legislatoris, non ex verbis

verbis *tantummodo*, *ita demum*, *duntaxat*, ſimilibusve tantum judicandum eſt. v. *l. f. C. de rev. don. Nov. 115. c. 3. l. 1. pr. D. de off. ejus cui mand. eſt juriſd. l. 5. §. 3. D. de in lit. jur.* junct. *l. 2. C. eod.*

§. 33. *Reſtrictiva* vero eſt, *cum ratio Legis generalis ad ſubjectam materiam reſtringitur.* v. *l. 1. pr. D. de pec. conſt.* junct. *l. 1. D. de pact. l. 32. D. de pact. l. 40. D. de pet. her. pr. I. de ingen. l. 3. §. 1. D. de off. Praef. Vig. l. 6. §. 2. D. de jur. patr.*

De Senatusconsultis.

§. 34. *Senatusconſultum* eſt, quod Senatus jubet atque conſtituit. *§. 5. I. de J. N. G. & C. l. 2. §. 9. D. de O. J.* Non enim ambigitur Senatum jus facere poſſe. *l. 9. D. h. t. l. un. C. de SCtis.*

§. 35. Quod tamen ſano ſenſu accipiendum eſt. Senatus enim propria auctoritate jus condere non potuit: Quae poteſtas, ſub ipſis etiam Regibus, penes ſolum fuit populum. Dion. Hal. *L. II. c. 14. L. VI. c. 58. L. IX. c. 54.*

§. 36. Adeoque ſub libera Rep. SCta rata non erant, niſi a populo probata eſſent. Sed poſtquam Comitia e Campo ad Patres a Tiberio translata ſunt, vid. Tac. *Ann. L. I. c. 15.* Senatus ex auctoritate Impp. ad praecedentes plerumque Orationes Principum, SCta condidit. v. *l. 20. §. 6. D. de pet. her. l. 16. D. de R. N. l. 32. pr. §. 2. D. de don. int. Vir. & Ux.* Suet. *in Claud. c. 25. Veſp. c. 11.*

§. 37. Unde quod uno loco *SCto*, alio *Orationi Principis* adſcribitur. *l. 8. §. 17. 20. D. de transact.* junct. *l. 23. §. 2. D. de condict. ind. l. 1. D. in quib. cauſ. pign. tac.* junct. *l. 24. §. 2. D. de reb. auct. jud. poſſ.* & *l. 52. §. 10. pro ſoc. l. 60. inſcr. & pr. D. de R. N. l. 1.* junct. *l. 12. D. de reb. cor. l. 1. C. de praed. min. l. 7. C. eod. d. l. 32. pr. §. 2. 24. 26. D. de don. int. Vir. & Ux.*

§. 38. Quae Senatus auctoritas poſtea multum imminuta, v. *l. 8. l. ult. §. 1. C. h. t.* & a Leone Imp. ei plane ademta eſt, v. *Nov. Leon. 78.*

De Longa Consuetudine.

§. 39. *Conſuetudo* (quae varie accipitur; v. *l. 50. §. 3. D. de leg. 1. l. 3. in f. C. de Epiſc. aud. §. 15. I. de R. D. l. 32. pr. l. 36. D. h. t.*) hic eſt *Jus moribus conſtitutum, quod uſus approbavit;* ſeu *quod tacito Populi conſenſu* (in libera ſcil. Rep.) *& diuturnis moribus utentium introductum eſt. l. 32. §. 1. D. h. t. §. 9. 11. I. de J. N. G. & C.*

§. 40. Ad *Conſuetudinem* itaque introducendam requiritur *conſenſus* vel Populi vel Principis. Quod enim errore primum, deinde conſuetudine obtentum eſt, in aliis ſimilibus non obtinet. *l. 39. D. h. t. l. 15. D. de juriſd.*

§. 41. Et quidem conſenſus *tacitus:* in quo conſuetudo differt a Jure ſcripto, quod per expreſſum conſenſum & ſanctionem conſtituitur. v. *l. 32. §. 1. D. h. t. §. 9. I. de J. N. G. & C.* v. ſupr. *ad t. de J. & J. §. 76.*

§. 42. Quod tamen non impedit, quo minus conſuetudo, poſtquam introducta eſt, in ſcripturam redigi poſſit; v. *l. 4. D. de pign. & hyp.* Uti ex *Conſuetudinibus Feudalibus*, aliisque, manifeſtum eſt.

§. 43. Præter tacitum autem Populi vel Principis conſenſum, nihil deſideratur.

§. 44. De quo tamen, ut conſtet, probari debet *Actuum frequentia*, *l. 1. C. quæ ſit long. conſuet. & temporis diuturnitas. l. 33. D. h. t. tit. Cod. quæ ſit long. conſuet.*

§. 45. Unde conſuetudo dicitur *tenaciter* & *jugiter ſervata*, *l. ult. C. quæ ſit long. conſuet. antiqua*, *l. 9. C. de jur. fiſc. vetuſtiſſima & jugiter obſervata, l. ult. C. de priv. Schol. longa*, *inſcr. & l. 35. D. h. t. tit. C. quæ ſit long. conſuet. inveterata*, *l. 32. §. 1. D. h. t. diuturna*; *l. 73. h. t.* & *per plurimos annos obſervata. l. 35. D. h. t.*

§. 46. Quot Actus, quantum temporis ſpatium requiratur, nuſquam deciſum eſt: Adeoque relinquendum hoc eſt prudentis Judicis arbitrio, arg. *l. 1. §. 2. D. de jur. delib.*

§. 47. Sive autem Actus ſint judiciales, ſive extrajudiciales, nihil intereſt; *l. 38. D. h. t.* Tacitus enim Populi conſenſus ex actibus extrajudicialibus etiam colligi poteſt, & conſuetudo extrajudicialis, æque ac rerum judicatarum auctoritas, vim legis obtinet. *d. l. 38. D. h. t.*

§. 48. *Effectus Conſuetudinis* introductæ, cum ſpecies ſit Juris Civilis, *§. 9. I. de J. N. G. & C.* idem eſt, qui Legis; *d. §. 9. I. de J. N. G. & C. l. ult. C. quæ ſit long. conſuet. l. 32. pr. §. 1. l. 33. 35. D. h. t.* Nihil enim intereſt, *ſuffragio populus ſuam voluntatem declaret, an rebus ipſis & factis. d. l 32. §. 1. h. t.*

§. 49. Jus proinde novum, de quo antea nihil cautum eſt, inducit; *dd. ll.* II. Optima eſt Legum interpres; *l. 37. h. t.* Et III. Quemadmodum Leges poſteriores abrogant priores, Liv. *L. VII. c. 17.* Gell. *L. XI. c. 18. l. ult. D. de conſt. Princ.* ſic & conſuetudo conſuetudinem Legemque tollit priorem. *d. l. 32. §. 1. in f. h. t. §. 11. I. de J. N. G. & C.* Gell. *d. l.*

§. 50. Quemadmodum etiam Legis virtus eſt, imperare, vetare, punire; *l. 7. D. h. t.* ſic & conſuetudo ſubditos obſtringit, ut ſecundum eam actiones dirigant. v. *l. 31. §. 20. D. de Æd. Ed. l. 6. de evict. l. 4. §. f. D. de publican. & vect.*

§. 51. Judex quoque ſecundum conſuetudinem, æque ac ſecundum legem, judicare tenetur; *pr. I. de off. Jud. Auth. Jubemus. C. de jud.* ut ſi contra fecerit, ſententia ipſo jure nulla ſit, arg. *l. 19. D. de appell. l. 1. §. 2. D. quæ ſent. ſin. provoc. l. 2. C. quand. prov. non eſt neceſſ.*

§. 52. Ut autem hunc effectum habeat, naturali rationi & æquitati minime debet eſſe contraria, *l. 39. D. h. t. l. 2. C. quæ ſit long. conſuet. N. 134. c. 1.* Qualis

Digitized by Google

lis merito habetur quorundam locorum conſuetudo, qua bona naufragorum fiſco addicuntur. v. *l. 1. C. de naufr. Auth. Navigia. C. de furt.*

TITULUS IV.

De Conſtitutionibus Principum.

C. I. 14.

§. 1.

Conſtitutio Principis, i.e. Imperatoris, v. Tacit. *Ann. L. I. c. 1. l. 1. §. 1. D. h. t.* nihil aliud eſt, quam *Principis placitum*, ſeu id, *quod Principi placuit, ut Legis habeat vigorem l. 1. pr. D. h. t. §. 6. I. de J. N. G. & C.*

§. 2. *Lege Regia* enim, quæ de imperio ejus lata eſt, Populus ei & in eum omne ſuum imperium & poteſtatem (& quidem privative) conceſſit. *d. l. 1. pr. §. 6. I. de J. N. G. & C.*

§. 3. Quæ *Lex Regia* non eſt figmentum politicum, ſed expreſſe de imperio Principis, & quidem ſub Auguſto A. U. C. 727. (ut videtur) lata, ſequentium autem Impp. temporibus repetita. v. *l. 2. §. 11. D. de O. J. l. 1. pr. h. t. l. un. pr. D. de off. Præf. Prætor. l. 3. C. de teſtam. l. 1. §. 7. C. de vet. jur. enucl. §. 6. I. de J. N. G. & C.* Strab. *Lib. ult. in f.* Tacit. *L. 1. Ann. c. 1.* Dion Caſſ. *Lib. LIII. LIV. & LVII.* Suet. *in Calig. c. 14.* Dion Caſſ. *L. LX.* Tacit. *L. IV. Hiſt. c. 3.* Diſſert. N. II. *ad Conſtit. Marci Aur. Antonini Imp. C. 1. §. 16. & ſeqq.*

§. 4. Non tamen ſtatim temporibus Auguſti *Regia* dicta videtur; Erat enim hoc nomen tum temporis valde exoſum; Unde & ipſe Auguſtus nomen *Regis, Dictatoris*, ac *Domini*, ut maledictum & opprobrium, ſemper exhorruit. Dion. Caſſ. *L. LIII.* Sueton. *in Aug. c. 52. 53.*

§. 5. Succeſſu temporis autem, firmato jam ſatis imperio, cum imperium *Regnum*, v. Tacit. *Ann. L. XII. c. 66. L. XIII. c. 14.* & Impp. Græcis non tantum *βασιλεῖς*, v. *l. 9. D. ad L. Rhod. de jact.* ſed & Latinis *Reges* dicerentur, v. Papin. Stat. *L. IV. Sylv. 1. v. 46.* Lamprid. *in Heliogab. c. 34. in Alexand. c. 38.* nomen *Regium* etiam de iis, quæ ad Impp. pertinent, uſurpari cœpit: v. Capit. *in Marc. c. 5.* Eaque ratione Lex illa, qua Regia poteſtas principi data eſt, poſterioribus temporibus, maxime a JCtis, *Regia* dicta eſt. *d. Diſſ. II. C. 1. §. 32.*

§. 6. Quodcunque igitur Imp. per Epiſtolam & ſubſcriptionem ſtatuit, vel cognoſcens decrevit, vel de plano interlocutus eſt, vel Edicto præcepit, Legem eſſe conſtat: Ita tamen, ut conſtitutiones perſonales ad exemplum non trahantur, nec perſonam egrediantur. *d. l. 1. pr. & §. 1. D. h. t. §. 6. I. de J. N. G. & C.*

§. 7. Unde recte dividuntur *Conſtitutiones Principum*, quod aliæ ſint *Generales*, aliæ *Speciales*. *d.* Diſſ. II. *C. 2. §. 2.*

§. 8. *Conſtitutiones Principum Generales* ſunt, quibus omnes tenentur; *d. §. 6. I. de J. N. G. & C.* & fere vel *Reſcripta* dicuntur, vel *Decreta*, vel *Edicta d. l. 1. §. 1. h. t. d. §. 6. I. de J. N. G. & C. d. C. 2. §. 3.*

§. 9. *Reſcriptum* ſeu *Reſcriptio v. l. 8. 9. D. de offic. Præf. l. un. C. ſi cont. matr. volunt. tut.* eſt, quo Princeps vel ad libellos partium, *v. l. 19. §. 9. D. locat. l. 17. D. de jur. patron.* vel ad conſultationes Magiſtratuum reſpondet. *v. l. 3. §. 1. 2. 3. D. de teſtib. l. 31. D. de re jud. l. 7. D. de in int. reſt. d. C. 2. §. 4.*

§. 10. Moris enim erat Principem, quamvis præſentem, ſcripto ſeu per libellos adire. v. Tacit. *Ann. L. IV. c. 39.* Suet. *in Aug. c. 53. Domit. c. 17.* Mart. *L. VIII. Epigr. ult. l. 33. D. de re jud. l. 5. D. ad SC. Turp. l. 6. D. ad L. Jul. de vi publ.*

§. 11. Quibus libellis vel ipſi Principes ſubſcribebant, *v. l. 32. §. 14. D. de recept.* Lamprid. *in Commod. C. 13.* vel aliis, maxime JCtis, Magiſtris ſcil. libellorum, ſubſcribendi curam mandabant. *v. inſcr. l. un. D. de Offic. Præf. Prat. l. 12. D. de diſtr. pign. d. C. 2. §. 5. & ſeqq.*

§. 12. Sunt autem *Reſcriptorum* variæ ſpecies; *I. Annotationes*, ſeu *Subnotationes* Principis, ad libellum privati in cauſa privata factæ: *l. 6. 7. C. de div. reſcr. l. 1. C. de prec. Imp. off. l. 1. C. ſi nupt. ex reſcript. l. 5. C. ad L. Corn. de fic. l. 1. C. quom. & quand. II. Epiſtolæ* ſeu *Literæ*, *v. l. 7. C. Theod. de Prætor.* i. e. Reſcripta Impp. ad Præſidis vel Magiſtratus relationem de negotio dubio factam, data *v. l. 3. §. 1. D. de teſtib. l. 31. D. de re jud. §. 4. I. de fidej.* Theoph. *ad §. 6. I. de J. N. G. & C. III. Sanctiones* ſeu *Leges pragmaticæ*, i. e. Principis juſſiones, quæ de publico negotio, ex conſilii ſententia, vel ad preces univerſitatis manarunt. *l. 7. §. 1. C. de div. reſcr. d. C. 2. §. 10.*

§. 13. Quæ ut vim & auctoritatem juris habeant, requiritur. I. Ut preces impetrantium veritate nitantur. *l. f. C. de div. reſcr. l. 5. C. ſi cont. jus vel util. publ.* II. Ne ſint damnoſa fiſco, vel juri utilitative publicæ contraria *l. 3. & 7. C. de prec. Imp. off. l. ult. C. ſi cont. jus vel util. publ.* III. Ut, ſi beneficia ſint perſonalia, adjectum habeant diem & conſulem. *l. 4. C. de div. reſcr.* IV. Denique ſubſcriptionem habeant Principis, *encauſto* ſeu cocti muricis & triti conchylii ardore, i. e. liquore purpureo, faciendam. *l. 3. & 6. C. de div. reſcr. d. C. 2. §. 11.*

§ 14. *Decretum* eſt Principis ſententia, inter partes litigantes, cauſa cognita prolata; cum ſcil. Princeps *cognoſcens decrevit, vel de plano interlocutus eſt. d. l. 1. §. 1. D. h. t. §. 6. I. de J. N. G. & C. l. ult. pr. C. de LL. d. C. 2. §. 12.*

§. 15. Ipſi enim Principes, in cauſis gravioribus, ſæpenumero extra ordinem, i. e. extra locum, ſtrepitum, formulaſque judicii, judicabant, partibuſque auditis ſententiam pronunciabant; *v. l. 3. D. de his quæ teſt. del. l. 13. D. quod met. c. l. 41. D. de hered. inſt. §. ult. I. de vulg. & pup. ſubſt. N. 88. præf.* Qualium *Imperialium Sententiarum in cognitionibus prolatarum*, ſeu *Decretorum*, complures libros collegit Paulus JCtus, uti docent inſcriptiones *l. ult. D. de jur. patron.*

Digitized by Google

patron. l. ult. D. de hered. inſt. l. ult. D. ad SC. Treb. l. 38. D. de min. l. 97. D. de acq. vel om. her. d. C. 2. §. 10.

§. 16. Id autem, quod de Sententia Principis dicitur, ad Sententiam Judicis minime extendendum eſt; De qua non tantum nusquam in jure noſtro hoc dicitur, ſed imo expreſſe contrarium conſtitutum eſt, res ſcil. inter alios judicatas aliis non præjudicare, neque emolumentum afferre. *l. 63. D. de re jud. l. 2. C. quib. res jud. non noc. l. 1. l. 2. C. int. al. act. vel jud. al. non noc.*

§. 17. Cujus diverſi juris ratio non longe petenda; Princeps enim ſummam poteſtatem, & proinde jus etiam condendæ Legis habet, quod de Prætore vel Judice dici nequit. Accedit, quod Princeps citra odium vel gratiam judicare præſumatur, quæ ratio in Judice ſæpe ceſſat. *d. C. 2. §. 14. 15.*

§. 18. *Edictum* ſeu *Lex Edictalis* eſt, quam Princeps motu proprio ad utilitatem ſubditorum promulgat. *d. l. 1. §. 1. h. t. §. 6. I. de J. N. G. & C. l. 2. C. de ll. §. ult. I. d. uſuc.* Theoph. *ad d. §. 6. d. C. 2. §. 16.*

§. 19. Quæ vel ad totum Populum, vel Provinciales, vel etiam Præfectum Prætorio dirigebatur. v. *l. 6. C. de ſec. nupt.* & per programma publicum promulgabatur *d. l. 3. C. de ll.* cujus initium fere eſt: *Hac Edictali Lege d. l. 6. C. de ſec. nupt. Hac perpetua Lege. l. 2. C. ubi quis de curial. vel cohortal. Hac in perpetuum valitura Lege ſancimus. l. 6. C. de div. præd. urb. d. C. 2. §. 17.*

§. 20. *Conſtitutiones Principum ſpeciales* ſeu *ſingulares*, ſunt jura ſingularia, certæ perſonæ vel cauſæ contemplatione, præter jus commune conſtituta *d. l. 1. §. 2. D. h. t. §. 6. I. de J. N. G. & C. l. 16. D. de ll. d. Diſſ. II. C. 3.*

§. 21. Eaque fere uno nomine *privilegia* vocari ſolent. *l. 196. D. de R. J.* Dicuntur enim *Privilegia* quaſi *privæ leges*, quia veteres *priva* dixerunt, quæ nos *ſingula* dicimus. Gell. *L. X. c. 20.* Iſid. *L. V. c. 18. d. C. 3. §. 2. 3.*

§. 22. Sunt autem *Privilegia* vel *Favorabilia*, quæ in alicujus favorem; vel *Odioſa*, quæ in odium & pœnam conſtituta ſunt *d. l. 1. §. 2. D. h. t. d. §. 6. I. de J. N. G. & C.* Quale fuit, quod a Pompejo in Milonem, v. Aſcon. Ped. *in arg. Orat. pro Milon.* & a Clodio in Ciceronem latum eſt. v. Cic. *pro dom. c. 17.* add. *l. 16. §. f. D. de pœn. l. 5. §. 1. C. ad L. Jul. Maj. d. C. 3. §. 5. 6.*

§. 23. II. *Privilegia* ſunt vel *Cauſæ*, vel *Perſonæ*, ſeu *Realia* vel *Perſonalia*. *l. 196. D. de R. J. l. 1. §. 13. D. de aq. quot. & æſtiv. d. C. 3. §. 7.*

§. 24. *Privilegia Cauſæ* ſeu *Realia* ſunt, *quæ cauſæ vel rei conceſſa ſunt*, & cum ea ad heredes aliosque ſucceſſores, etiam ſingulares, tranſeunt. *d. l. 196. de R. J. l. 1. §. 43. D. de aq. quot. & æſtiv.* Qualia ſunt immunitas prædiis data; *l. 3. §. 1. de cenſib. l. 4. D. de jur. imm.* Beneficium quod datur judicatis; *l. 29. D. de re jud. l. ult. §. 1. C. de uſur. rei jud.* Nec non privilegium prælationis, quo funeris impenſa omne creditum præcedit. *l. pen. D. de relig. d. C. 3. §. 8.*

 §. 25.

Digitized by Google

§. 25. *Perſonæ* vero ſeu *Perſonalia, quæ perſonæ conceſſa*, cum eadem extinguuntur. *d. l. 196. l. 68. de R. J. l. 1. §. 43. D. de aq. quot. & æſtiv.* Qualia ſunt, Beneficium competentiæ; *l. 12. l. 18. D. ſol. matr. l. 63. §. 1. pro ſoc.* Dotis; *l. un. C. de priv. dot. l. 12. §. 1. C. qui pot. in pign.* Pupillorum, *l. 19. §. 1. D. de reb. auct. jud. poſſ.* Minorum, Profeſſorum, Studioſorum, ſimiliumque. *d. C. 3. §. 9. 10.*

TITULUS V.

DE STATU HOMINUM.

§. 1.

Expoſitis partibus Juris conſtituentibus, ſequitur de Jure Conſtituto.

§. 2. Omne jus autem quo utimur, vel ad *Perſonas*, pertinet, vel ad *Res*, vel ad *Actiones*. *l. 1. D. h. t. §. ult. I. de J. N. G. & C.* Quæ *tria juris Objecta* dici ſolent.

§. 3. Cum igitur hominum cauſa omne jus conſtitutum ſit; primo *de Perſonarum ſtatu*, ac poſt de cæteris. ordinem *Edicti Perpetui ſecuti, & his proximos atque conjunctos applicantes titulos, ut res patitur, dicemus. l. 2. D. h. t.*

§. 4. *Status* in jure noſtro vel *generaliter* accipitur, pro qualitate & conditione rerum, veluti dignitatis, *l. 5. §. 1. D. de extraord. cogn.* Obligationis, *l. 108. § 1 D. de V. O. l. 9. §. 1. D. de duob. reis.* & Reip. *§. 5. I. de J. & J. l. 2. §. 24. in f. D. de O. J.* vel *ſpecialiter* pro conditione hominum, ſecundum quam hoc vel illo jure utuntur. *h. t.*

§. 5. Eoque ſenſu vel ſignificat *conditionem* & qualitatem hominum *naturalem*, vel *civilem*.

§. 6. Ratione *conditionis naturalis* homines ſunt vel *Nati* ſeu editi, vel *Naſcituri* ſeu *nondum editi*.

§. 7. *Naſcituri* intelliguntur partus, qui adhuc ſunt in utero materno. Qui ſimul ac animati ſunt, hominibus merito annumerandi ſunt.

§. 8. Unde ſi quis partum animatum abegerit, vel abortum procuraverit, ultimo ſupplicio afficitur; Exod. XX, 22. 23. *l. 38. §. 5. l. 39. D. de pœn.* ſi non animatum, exilio. *l. 8. D. ad L. Corn. de ſic. l. 4. D. de extr. crim. d. l. 38. §. 5. d. l. 39.*

§. 9. Et quidem in genere ei, qui in utero eſt, tributum eſt, ut in toto pene jure civili perinde habeatur, ac ſi natus & in rebus humanis eſſet, quoties de commodo ipſius partus quæritur; *l. 7. 26. D. h. t.* omniaque jura in tempus naſcendi integra retineat. *l. 3. D. ſi pars hered. pet. v. l. 18. h. t. d. l. 26. D. h. t. l. 23. D. de capt. & poſtl. §. 4. I. de tutel.*

§. 10. Quæ tamen ita demum procedunt, ſi ille, qui in utero eſt, vivus naſcatur, *l. 30. §. 1. D. de acq. her. l. 29. de neg. geſt. l. 19. §. 2. de teſt. tut. l. 129. D. de*

Digitized by Google

D. de V. S. perfectus, *l. 3. C. de poſt. hered. inſtit. l. 141. D. de V. S. l. 12. D. de lib. & poſt. &* non prodigioſus. *d. l. 3. C. de hered. inſt.*

§. 11. Monſtra enim non ſunt homines. *l. 14. D. h. t.* Licet ad evitandas Orbitatis pœnas liberorum numero etiam ſint habita. *l. 135. D. de V. S.*

§. 12. Sunt autem monſtroſi partus, ***qui contra formam humani generis procreantur.*** *l. 14. D. h. t. l. 38. D. de V. S.* Non etiam, qui membrorum humanorum officia ampliarunt; *d. l. 14. h. t.* veluti ſi quis natus ſit tribus manibus forte aut pedibus, aut qua alia parte corporis, quæ naturæ contraria eſt. *d. l. 38. D de V. S.* Qui tamen una cum monſtris *oſtenti* nomine veniunt. *d. l. 38.* add. Cic. *de Nat. Deor. L. II. c. 3.*

§. 13. Licet autem partus, qui in utero eſt, cum de ipſius commodis agitur, pro nato habeatur; *d. l. 7. 26. D. h. t.* Aliis tamen, antequam naſcatur, nequaquam prodeſt. *d. l. 7. 231. D. de V. S.*

§. 14. Niſi ipſius partus commodum concurrat; Veluti ſi mulier prægnans ultimo ſupplicio vel corporali pœna afficienda eſſet, quo caſu illa ſervanda, pœnaque differenda, usque dum partum ediderit. *l. 18. D. h. t. l. 3. D. de pœn.* add. *l. 1. §. 3. D. de ventr. in poſſ. mitt.*

§. 15. *Nati* ſunt, qui poſt tempus a natura finitum, v. *l. 12. D. h. t. l. 3. §. pen. ult. de ſuis & leg. her.* Gell. *L. III. c. 16.* in lucem prodeunt. Quod ſi exciſus ſit partus ex utero materno, non quidem proprie natus, *l. 132. §. 1. D. de V. S.* ſed *editus* dicitur. *l. 141. D. de V. S. l. 1. §. 5. D. ad SC. Tertull.*

§. 16. ***Nati*** ſunt vel ***Maſculi***, vel ***Fœminæ***; *l. 152 1. D. de V. S. l. 62. D. de leg. 3.*

§. 17. Et ordinario quidem maſculi & fœminæ eodem jure gaudent; *v. l. 4. C. de lib. præter.* adeo ut ea, quæ de maſculis conſtituta ſunt, etiam ad fœminas producenda ſint. *d. l. 1. 195. D. de V. S.*

§. 18. In multis tamen maſculorum melior eſt conditio; v. *l. 2. D. de R. J. l. fin. D. de tutel. l. fin. D. de fid. inſtrum. l. 9. D. de his qui not. infam l. 30. pr. v. in primis. C. ad L. Jul. de adult. l. 1. 8. D. de Senat. l. 13. C. de dign.* & fœminarum contra deterior. v. *l. 9. D. h. t. d. l. 2. D. de R. J. l. 12. D. de jud. l. 45. pr. de legat. 2.* §. *10. I. de adopt. §. 3. I. de hered. qual. & differ. l. 20. §. 6. D. de teſtam. l. 6. D. de pop. act. l. 195. §. 2. D. de V. S.*

§. 19. Sed & fœminis, maxime ob ſexus fragilitatem, privilegia quædam conceſſa ſunt, tum ratione rerum conſervandarum, v. *l. 12. §. 1. C. qui pot. in pign. tt. D. & C. ad SC. Vellej.* tum pœnarum. v. *l. 15. §. 4. 5. D. ad L. Corn. de Falſ. l. 5. §. 1. 3. C. ad L. Jul. Maj. Nov. 134. c. 9. 10. l. 6. pr. D. ad L. Jul. Pec. l. 9. pr. D. de jur. & fact. ign.* junct. *l. 38. §. 2. D. ad L. Jul. de adult. l. 3. & Auth. ſeq. C. de cuſtod. reor.*

§. 20. Quod ſi *Hermaphroditus* ſeu *Androgynus* naſcatur, ejus ſexus æſtimandus

Digitized by Google

mandus erit, qui in eo prævalet. *l. 10. D. h. t. l. 15. §. 1. de teſtib. l. 6. § f. D. de lib. & poſt.*

§. 21. II. Homines ſunt vel *Minores XXV.* annis, vel *Majores. t. t. D. de minor.*

§. 22. *Minores* ſunt vel *Puberes*, vel *Impuberes. pr. I. quib. mod. tut. fin.*

§. 23. *Impuberes* ſunt vel *Infantes*, vel *Infantiæ proximi*, vel *Pubertati proximi. §. 9. I. de inut. ſtip.*

§. 24. *Infans* eſt, qui fari nequit, *l. 1. §. 2. D. de adm. tut. l. 70. D. de V. O. l. 65. §. 3. D. ad SC. Treb.* & quidem jure noſtro usque ad annum ſeptimum completum. *l. 18. C. de jur. delib. d. l. 1. §. 2. D. de adm. tut.* Iſid. *Orig. L. II. c. 2.*

§. 25. *Infantiæ proximus* eſt maſculus, qui nondum explevit annum decimum & dimidium; & fœmina, quæ nondum implevit annum nonum & dimidium. *Pubertati proximus* vero, qui quævis id tempus quidem exceſſit, ſed ſubſtitit intra annum XIV. vel XII. arg. *§. 9. I. de inut. ſtip.*

§. 26. *Puberes* ſunt vel *ſimpliciter tales*, maſculi ſcil. poſt annos XIV, fœminæ poſt annos XII. *pr. I. quib. mod. tut. fin.* vel *plene puberes*, maſculi ſcil. poſt annum XVIII. fœminæ poſt annum XIV. *§. 4. I. de adopt. l. 40. §. 1. D. eod. l. 14. §. 1. D. de alim. leg.*

§. 27. *Majores XXV.* annis ſunt vel *Juniores*, vel *Seniores.*

§. 28. *Juniores* a Servio Tullio ad annum quadrageſimum ſextum, ſupra eum annum autem *Seniores* appellati ſunt. Gell. *L. X. c. 8.* Sed aliis *Senes* ab anno L. aliis demum ab anno LX. dicendi videntur.

§. 29. De quo cum nihil certi ſtatutum reperiatur, multum hic relinquendum eſt judicis arbitrio. arg. *l. 1. §. 2. D. de jur. delib. l. 2. §. 7. D. de vac. mun.*

§. 30. III. Homines ſunt vel *Sanæ mentis*, vel *Dementes*; & hi iterum vel *Mente capti*, vel *Furioſi. v. §. 3. 4. I. de Curat. l. 5. D. de R. J. l. 8. D. de tut. dat.*

§. 31. *Conditio* ſeu *Status Civilis* triplex eſt, *Libertatis*, *Civitatis*, & *Familiæ. l. ult. D. de cap. min.*

§. 32. Ratione *Libertatis* dividuntur homines, quod alii ſint *Liberi*, alii *Servi. l. 3. D. h. t. pr. I. de jur. perſon.*

§. 33. Tertium genus, quod medium ſit inter liberos & ſervos, non datur.

§. 34. Sunt ſane quidam *Statu liberi*, i. e. qui ſtatutam in tempus, vel ſub conditione libertatem habent; *l. 1. D. de ſtat. lib.* Sed interim revera ſervi ſunt. *l. 9. D. eod.*

§. 35. Licet propter ſpem futuræ libertatis in quibusdam pro liberis habeantur, *l. ult. D. ſi ex noxal. cauſ. ag. l. 14. D. de quæſt. l. 9. §. ult. D. de pœn.*

§. 36.

Digitized by Google

§. 36. Sunt etiam *Adſcriptitii*, i. e. qui fundo vel glebæ terræ adſcripti ſunt, unaque cum fundo transferuntur; Sed & illi ſervi ſunt. *l. 21.* [illegible] *f. C. de agric. & cenſit. L. XI. N. 162. c. 5.*

§. 37. Licet ſpecialia quædam ipſis quoque conceſſa ſint. v. N. 123. *c. 17.*

§. 38. *Libertini* quidem *tertium* dicuntur *genus*; *l. 4. de J. & J. pr. I. in fin. de Libertin.* Sed id ſano ſenſu accipiendum eſt: Non enim ſunt tertium genus inter *liberos & ſervos*, ſed medii quaſi inter *ſervos & ingenuos.*

§. 39. Sunt autem *Liberi*, qui juſta libertate fruuntur; *Servi*, qui juſtam ſerviunt ſervitutem.

§. 40. *Libertas eſt naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, niſi quid vi vel jure prohibeatur. l. 4. D. h. t.* §. *1. I. de jur. perſ.*

§. 41. *Servitus eſt conſtitutio Juris Gentium, qua quis dominio alieno contra naturam* (i. e. naturalem & primævum hominum ſtatum, *§. 2. in f. I. de J. N. G. & C.*) *ſubjicitur. l. 4. §. 1. h. t. §. 2. I. de jur. perſon.*

§. 42. Servi autem in dominium noſtrum rediguntur aut *Jure Gentium*, aut *Jure Civili. l. 5.* §. *1. D. h. t.*

§. 43. *Jure Gentium* ſervi noſtri fiunt, qui ab hoſtibus capiuntur; aut qui ex ancillis noſtris naſcuntur. *d. l. 5. §. 1. D. §. 4. I. de jur. perſ. v. l. 24. D. de capt.*

§. 44. *Jure Civili*, ſi quis ſe major viginti annis ad pretium participandum venire paſſus eſt. *d. l. 5. §. 1. h. t. d.* §. *4. I. de jur. perſ.*

§. 45. Poteſtas Dominica in ſervos olim fuit maxima; Quantum enim ad perſonam ſervi attinet, Dominus in eum jus vitæ & necis habebat; *l. 1.* §. *1. D. de his qui ſunt ſui vel alien. jur. §. 1. I. eod.* Omniaque quæ ſervus acquirit, Domino acquiruntur. *dd. ll. §. 3. I. per quas. perſ. cuique acq.*

§. 46. Sed jure novo non licet dominis ſine cauſa ultra modum in ſervos ſuos ſævire, *l. 1. §. 2. D. de his qui ſunt ſui vel alien. jur. §. 2. I. eod.* & modica eis tantum caſtigatio permittitur. *l. un. C. de emend. ſerv.*

§. 47. Quod ſi quis contra fecerit, & ſine cauſa ſervum occiderit, incidit in Legem Corneliam de Sicariis; *d. l. 1. §. 2. D. de his qui ſunt ſui vel alien. jur. d. §. 2. I. eod. l. 1. §. 2. D. ad L. Corn. de ſicar.* Si vero aliter in eum ſævierit, bonis conditionibus eum vendere cogitur. *d. l. 1, §. 2. l. 2. D. de his qui ſui. d.* §. *2. I. eod.*

§. 48. Et *ſervorum* quidem una eſt conditio, licet varia eorum ſint miniſteria; v. *l. 15.* §. *1. D. de uſufr. l. 1.* §. *5. D. naut. caup. ſtab. l. 12. §. 42. D. de inſtr. & inſtr. leg. l. 15. §. 44. D. de injur. Liberorum* autem hominum quidam *Ingenui* ſunt, quidam *Libertini. l. 5. pr. D. h. t.* §. *ult. I. de jur. perſ.*

49 *Ingenui* ſunt, *qui ex matre libera nati ſunt.* Quam vel eo tempore quo conce-

concepit, vel quo partus naſcitur, vel etiam medio, liberam fuiſſe ſufficit. *l. 5. §. 2. 3. D. h. t. pr. I. de ingen.*

§. 50. *Libertini ſunt, qui ex juſta ſervitute manumiſſi ſunt. l. 6. D. h. t. pr. I. de Libertin.* vel potius, *qui ex juſta ſervitute libertatem adepti ſunt*, ſeu *qui deſierunt eſſe ſervi.*

§. 51. Sunt enim modi & caſus, quibus ſervi etiam ſine manumiſſione, ipſo jure ſcil. & beneficio Legis, liberi fieri poſſunt. *t. t. D. qui ſin. man. ad lib. perven.*

§. 52. *Libertini* vero triplicis erant conditionis, vel enim *Cives* erant *Romani*, vel *Latini Juniani*, qui minorem conſequebantur libertatem, vel *Dedititii*, quorum peſſimus ſtatus erat & ſervili proximus. *§. 3. I. de Libertin.* Ulp. T. 1. *§. 5. & ſeqq.* Caj. 1. *Inſt. T. II. pr. 1. §. 1. & ſeqq.*

§. 53. Sed Imp. noſter, cum jam ante eum Antoninus (ſc. Caracalla) Imp. omnes ingenuos feciſſet Cives Romanos, *l. 17. D. h. t.* conſtituit, ut omnes liberti (ſalvo tamen jure Patronatus) ſint ingenui, adeoque omnes homines Liberos, qui ſunt in orbe Romano, cives efficit Romanos. *d. §. 3. I. de Libertin. l. un. C. de Latin. libert. toll. l. un. C. de dedi tit. lib. toll. Nov. 78. c. 2. 5.*

§. 54. Ratione *Civitatis* dividuntur homines, in *Cives & Peregrinos.*

§. 55. *Cives Romani* ſunt, qui jure & privilegiis Civitatis Romanæ gaudent.

§. 56. Quorum ſummam quaſi exhibet Cic. II. *de Leg. Agrar. contr. Rull. c. 27.* dum ait, *Retinete iſtam poſſeſſionem gratiæ, libertatis, ſuffragiorum, dignitatis, Urbis, fori, ludorum, feſtorum dierum, cæterorum omnium commodorum.* Quibus jus fere Quiritum, tum *Publicum*, tum *Privatum*, complexus eſt.

§. 57. *Jus Quiritum Publicum* enim conſiſtit in Jure Cenſus, Militiæ, Tributorum, Vectigalium, ſuffragiorum, honorum, & ſacrorum.

§. 58. *Privatum* vero in jure libertatis, connubiorum, patrio, legitimi dominii, nexus, teſtamenti, & uſucapionis, Vid. Sigon. *de jur. Civ. Rom. L. 1. c. 6. & ſeqq.*

§ 59. *Peregrini* ſunt, qui a Civitate Romana ejusque communione excluſi ſunt. v. *pr. I. de nupt. l. 1. §. 2. D. de Leg. 3. l. 1. C. de hered. inſt. l. 21. pr. C. de teſtam. l. 10. §. 6. D. de in jus voc. l. 17. §. 1. D. de pœn.*

§. 60. Quam differentiam, quantum ad teſtamenti factionem attinet, ſuſtulit Fridericus Imp. in *Auth. Omnes Peregrini. C. comm. de Succeſſ.*

TITULUS VI.

De His Qui Sui Vel alieni Juris Sunt.

§. 1.

Ratione *Familiæ* dividuntur homines, quod alii ſint *Sui juris* i. e. *Patresfamilias*, ſeu familiæ ſuæ Principes & capita; alii vero *Alieni juris*, ut ſervi familiares

Digitized by Google

miliares (de quibus ad *tit. praeced. §. 42. & ſeqq.*) *l. 1. pr. h. t. Filiiquefamilias. l. 1. pr. l. 4. D. h. t.*

§. 2. *Patresfamilias* ſunt, qui ſunt ſuæ poteſtatis, & in domo dominium habent; neque intereſt an liberos habeant, an puberes ſint, an impuberes. *l. 4. D. h. t. l. 195. §. 2. D. de V. S.*

§. 3. *Filiiſamilias* contra, qui ſunt in poteſtate patria, ſeu Patrumfamilias, *d. l. 4. D. h. t.*

§. 4. Eſt autem ***Patria poteſtas Jus, quod cives Romani maſculi habent in liberos ſuos.***

§. 5. Quæ origine & fundamento eſt juris Gentium, Ariſt. VIII. *Eth. 12. & I. Pol. 1. 2.* Plin. *in Paneg. Trajan. c. 38.* determinatione vero Juris Civilis Romanorum. *§. 2. I. de patr. pot.*

§. 6. Lege Regia enim, a Romulo lata, v. Dion. Hal. *L. II. c. 27. 28.* Collat. Leg. Moſ. & Rom. *tit. 4.* Et a Decemviris in XII. Tabb. confirmata, conſtitutum, moribusque receptum, v. *l. 8. D. h. t.* ut Patres in liberos liberrimam poteſtatem haberent.

§. 7. Adeo quidem, ut patribus in liberos idem jus competeret, quod dominis in ſervos.

§. 8. In perſonam enim liberorum pater etiam vitæ necisque poteſtatem habebat; Dion. Halic. *L. II. c. 27. 28. L. VIII. c. 91.* add. Val. Max. *L. V. c. 8. l. 11. D. de lib. & poſt. l. ult. C. de patr. pot.* Et quicquid ad liberos pervenerat, hoc ſine ulla diſtinctione parentibus ſuis acquirebant. Dion. Hal. *L. VIII. c. 91. pr. I. per quas perſ. cuique acq.*

§. 9. Sed Jus illud vitæ necisque poſtea ſublatum, *l. 11. D. de lib. & poſt. l. ult. C. de patr. pot.* Et modica tantum caſtigatio parentibus conceſſa eſt. *l. 3. C. de patr. pot. l. un. C. de his qui par. vel lib. occid. l. un. C. de emend. propinq.* ad Prov. XIX, 18.

§. 10. Graviora filiorum admiſſa nunc ſolus Magiſtratus vindicat, ſententiam tamen dicturus, quam pater dici voluerit. *l. 3. C. de patr. pot.* add. Deut. XXI, 18. & ſeqq. Exod. XXI, 15. 17.

§. 11. Poteſtas etiam vendendi, ad caſum *l. 2. C. de patrib. qui fil. diſtr.* reſtricta eſt; *v. l. ult. C. de patr. pot.* Ut ſcil. patri tantum egeno filium filiamve *ſanguinolentos* (i. e. recenter natos v. *l. 1. C. Theod. de expoſ. rubr. C. Theod. de his qui ſanguinolentos empt. vel nutriend. accep.* Juv. *Sat. 7. v. 195.*) vendere liceat. add. Exod. XXI, 7. 2. Reg. IV, 1. Nehem. V, 2. 5.

§. 12. Quin & Filiofam. conceſſum, ut in cauſis publicis habeatur pro Patrefamilias. *l. 9. D. h. t.*

§. 13. Non pauci tamen Patriæ poteſtatis, in perſonam liberorum, effectus etiamnum ſuperſunt notabiles; veluti, quod pater liberos ex Jure Quiritum poſ-

ſit vindicare; *l. 1. §. 2. D. de R. V.* Actionibus præjudicialibus petere; §. *13. I. de Act.* Et ad exhibendos eos agere; *l. 1. pr.* §. *1. D. de lib. exhib.* Quod pater liberis in teſtamento tutorem dare poſſit; *§. 3. I. de tut. l. 1. pr. D. de teſt. tut.* Quod liberi ſine conſenſu parentum nuptias contrahere nequeant; *pr. I. de nupt. l. 2. D. de R. N. l. 12. C. eod.* ſimilesque.

§. 14. Sed & jus acquirendi per liberos jure novo coarctatum eſt, introducta diſtinctione peculiorum; Ut filius *peculium Caſtrenſe & Quaſi caſtrenſe* pleno jure ſibi acquirat; § *1. I. per quas perſ. cuique acq. l. 2. D. ad SC. Maced. Adventitium ordinarium* quoad proprietatem ſibi, quoad uſumfructum vero patri; *d. §. 1. l. 6. l. ult. §. 5. C. de bon. lib.* At *Profectitium* pleno jure patri, *d. §. 1. I. per quas perſ. cuique acq.*

§. 15. Ex quo tamen ſimiliter ſupereſt, quod pater liberis pupillariter poſſit ſubſtituere; *§. 4. I. de pup. ſubſt.* Quod pater bona filii adventitia, ſine ſatisdatione vel rationum redditione, adminiſtret: *l. 1. C. de bon. mat.* junct. *l. 6. §. 2. l. 8.* §. *4. C. de bon. quæ lib.* Quod filiusfam. de iis teſtari nequeat; *pr. I. quib. non eſt perm. fac. teſt.* ſimiliaque.

§. 16. Acquiritur autem Patria poteſtas tribus potiſſimum modis, *Juſtis nuptiis, pr. §. ult. I. de pat. pot. l. 3. 4. D. h. t. Legitimatione, §. ult. I. de nupt. & Adoptione. l. 1. D. de adopt. pr. I. eod.*

§. 17. *Juſtis nuptiis* acquiritur patria poteſtas per procreationem liberorum. *l. 3. 4. 5. 6. D. h. t. pr. §. ult. I. de patr. pot.*

§. 18 Ex *juſtis nuptiis* autem procreati cenſentur, qui naſcuntur ex juſto *Matrimonio, & tempore legitimo. d. l. 3. 4. 6. D. h. t. l. 9. C. de nupt. l. 5. D. de in jus voc.*

§. 19. Adeo, ut, ſi quis neget ita natum filium ſuum eſſe, id non attendatur: *d. l. 6.* Etiamſi jurato aſſeveret, vel apud acta profeſſus ſit; *l. 29. §. 5. D. de prob.* Imo licet mater de adulterio convicta ſit; Crimen enim adulterii, quod mulieri objicitur, infanti non præjudicat, *cum poſſit & illa adultera eſſe* & infans maritum *patrem habuiſſe. l. 11. §. 9. D. ad L. Jul. de adult.* v. Diſſert. N. VII. *ad Conſt. Marc. §. 6. & ſeqq.*

§. 20. Niſi demonſtrari poſſit, maritum patrem eſſe non poſſe; Veluti ſi maritus abſuerit per decennium, & reverſus anniculum invenerit in domo ſua; vel ea valetudine ſit, ut generare non poſſit. v. *d. l. 6. D. h. t.* junct. *l. 1. §. 14. D. de agn. & al. lib.*

§ 21. Tempus autem, quo partus legitime naſcitur, propter auctoritatem doctiſſimi viri Hippocratis, eſt Menſis VII. nec non VIII. IX. & X. *l. 12. D. de ſtat. hom. l. 3. §. pen. & ult. D. de ſuis & legit. hered.* v. Gell. *L. III. c.* 16.

§. 22. Unde ſi quis partus perfectus natus ſit menſe I. II. III. IV. V. vel ſexto poſt contractas nuptias, vel XI. XII. &c. a morte mariti, eſt illegitimus. *d. l. 12. d. l. 3. §. pen.*

§. 23.

Digitized by Google

§. 23. *Illegitimi* enim ſunt, neque in patris poteſtate, qui ſine legitimo Matrimonio neque juſto tempore nati ſunt. Iique vel *Naturales* ſunt, vel *Spurii*, vel *Adulterini*, vel *Inceſtuoſi*. v. §. 12. & *ult. I. de nupt. t. t. C. de Natural. lib. l. 23. 24. D. de ſtat. hom. N. 89. c. 1. & ult.*

§. 24. *Legitimatio* eſt *Actus, quo liberi naturales* ſeu ex concubina nati, *conſentientes, fiunt legitimi.* §. *ult. I. de nupt. l. ult. D. h. t. N. 89. c. 1. & ſeqq.*

§. 25. Eaque tribus fit modis; Per *Oblationem Curiæ*, per *Subſequens matrimonium*, & per *Reſcriptum Principis. d.* §. *ult. d. N. 89. c. 2. 8. 9.*

§. 26. Per *Oblationem Curiæ*, cum pater filium naturalem ad munus Decurionatus offert, vel filia naturalis Decurioni nubit. *d. §. ult. I. de nupt. l. 3. 4. 9. C. de nat. lib. d. Nov. 89. c. 2.*

§. 27. Licet enim *Decurionum* munus eſſet honorificum, & multa eorum privilegia, multo majora tamen eorum erant onera; v. *l. 1. D. de decur. l. 31. 34. 41. & 54. C. eod. l. un. C. ſi cur. relict. civ. t. t. C. de præd. Decur. Nov. 38.* Ut ad munus hoc obeundum Municipales præmiis invitandi eſſent.

§. 28. Per *Subſequens matrimonium*, cum pater concubinam, ex qua liberos ſuſcepit, uxorem ducit. *d. §. ult. I. de nupt. l. 10. 11. C. de nat. lib. N. 89. c. 8.*

§. 29. Ad quod dotalia inſtrumenta non ſunt neceſſaria: *l. 5. C. de nat. lib. l. 9. C. de nupt. l. 11. pr. C. de rep. l. 30. D. de R. J.* Quæ tantum probandi cauſa intercedere ſolent; v. *l. 4. D. de fid. inſtr.* Ita accip. *d.* §. *ult. I. de nupt. d. l. 10. 11. C. de nat. lib. N. 89. c. 8.*

§. 30. Non etiam intereſt, quo tempore matrimonium contrahatur; Adeo, ut hæc legitimatio etiam in mortis articulo fieri poſſit. arg. *d. l. 30. D. de R. J. l. 106. D. de cond. & dem. l. 27. C. de nupt.*

§. 31. Quod ſubſequens Matrimonium omnibus prodeſt liberis; *d. §. ult. d. l. 10. 11. C. de nat. lib.* Adeoque & (filio naturali mortuo) nepoti ex filio naturali nato. arg. *l. 220. D. de V. S. l. 7. §. 2. D. de Senat.* §. *5. I. de adopt.* v. Diſſert. N. II. *de Port. Legit. C. 2. §. 21. 22.*

§. 32. Per *Reſcriptum Principis*, cum Princeps ad petitionem patris, vel ipſorum legitimandorum, legitimis non extantibus, jura liberorum legitimorum naturalibus tribuit. *Nov. 89. c. 9. 10. 11. §. 1. Nov. 74. c. 2.*

§. 33. Additur a quibusdam & quartus modus Legitimandi, *Nominatio* ſcil. *filii filiæve* in teſtamento, aliove inſtrumento publico, ſimpliciter facta; *Nov. 117. c. 2.* Sed *nominatio* illa non tam novam legitimationis ſpeciem conſtituit, quam præſumtionem facit, matrimonium contractum eſſe. *d. Nov. 117. c. 2.* in verb. *nullam aliam probationem ab iis quæri.*

 TITU-

TITULUS VII.

DE ADOPTIONIBUS, ET EMANCIPATIONIBUS, ET ALIIS MODIS, QUIBUS POTESTAS SOLVITUR.

C. VIII. 48. 49.

§. 1.

Filios familias autem non ſolum natura, ſed & *Adoptiones* faciunt. *l. 1. pr. h. t.*

§. 2. Eſt vero *Adoptio Actus legitimus*, v. *l. 4. D. l. 1. C. h. t. l. 3. D. de Off. Proc. l. 77. D. de R. J. quo, in locum filii vel nepotis, adſciſcimus eum, qui nobis extraneus eſt, ad eorum, qui liberos non habent, ſolatium inventus. d. l. 1. pr. l. 6. 10. 11. 15. §. 1. l. 37. pr. l. 43. 44. D. pr. §. 5. 6. 7. 8. I. h. t.* Gell. *L. V. c. 19.*

§. 3. Eaque in *duas ſpecies dividitur*, quarum altera *Adoptio* ſimiliter dicitur, altera *Arrogatio. l. 1. §. 1. h. t. §. 1. I. h. t.* Gell. *d. l.*

§. 4. *Adoptio in Specie* ſic dicta eſt, *cum adoptamus liberos, qui in poteſtate parentum ſunt, imperio Magiſtratus, d. l. 1. §. 1. l. 2. pr. D. h. t. d. §. 1. I. h. t.* Gell. *d. l.*

§. 5. *Arrogatio* eſt, *cum adoptamus eos, qui ſui juris ſunt, auctoritate Principis*, ſeu *Imperatoris. d. l. 1. §. 1. l. 2. pr. D. l. 2. in f. C. h. t. d. §. 1. I. h. t.* Gell. *d. l.*

§. 6. Quæ ſpecies adoptionis *Arrogatio* dicitur, tum quia olim per Populi rogationem fiebat; Gell. *L. V. c. 19.* add. *d. l. 2. in f. C. h. t.* Tum quia & is qui adoptat rogatur i. e. interrogatur, *an velit eum, quem adoptaturus ſit, juſtum ſibi filium eſſe?* Et is qui adoptatur rogatur, *an id fieri patiatur? l. 2. pr. D. h. t.*

§. 7. Cum autem Adoptio imitetur naturam, Adoptare poſſunt, qui naturaliter parentes eſſe, & liberos in poteſtate habere poſſunt; *l. 16. D. h. t. §. 4. I. h. t. l. 23. de lib. & poſt. her. inſt.* Etiam cœci, *l. 9. h. t.* nec non cœlibes, *l. 30. D. h. t.* & ſpadones, qui vitio tantum temporali laborant. *l. 2. §. 1. l. 40. §. 2. D. h. t. §. 9. I. h. t.*

§. 8. Contra non poſſunt *caſtrati*, *§. 9. I. h. t. impuberes natuque minores; l. 15. §. 3. h. t. §. 4. I. h. t.* Adeo, ut is, qui ſibi filium per adoptionem vel arrogationem facit, plena pubertate, i. e. decem & octo annis, præcedere debeat. *l. 40. §. 1. h. t. §. 4. I. h. t.* Neque *fœminæ*, quia neque naturales liberos in ſua poteſtate habent. *§. 10. I. h. t.* Quibus tamen, ad ſolatium liberorum amiſſorum, adoptare licet, *d. §. 10. l. 5. C. h. t.* & poſtea a Leone Imp. *N. 27.* indiſtincte id conceſſum eſt.

§. 9. Et non niſi *cauſa cognita* adoptare poſſunt minores annis LX, quia tales liberorum creationi adhuc ſtudere poſſunt; *l. 15. §. 2. l. 17. §. 2. D. h t.* Liberos legitimos jam habentes, *l. 17. §. 3. D. h. t.* ut & tutores & curatores: ne forte ideo

Digitized by Google

ideo adoptent, ne rationes reddant; *l. 17. pr. h. t.* quibus tamen privignum adoptare permittitur. *l. 32. §. 1. h. t.*

§. 10. In adoptionem dare poteſt Pater naturalis, qui liberos in poteſtate habet; *l. 1. §. 1. l. 2. pr. l. 28. D. h. t. §. 1. 7. I. h. t.* etiam mutus, ſi quidem alio modo, quam ſermone, voluntatem ſuam manifeſtam facere poſſit. *l. 29. D. h. t.*

§. 11. *Adoptantur* liberi alieni qui in patris ſunt poteſtate; *l. 1. §. 1. l. 2. pr. D. h. t. §. 1. I. h. t.* (non etiam proprii naturales; *l. 7. v. In poſterum C. de nat. lib.*) maſculi & fœminæ, *l. 21. D. h. t. l. 8. C. eod.* ipſi etiam infantes. *l. 42. D. h. t.*

§. 12. *Arrogantur* qui ſui juris ſunt, non tantum extranei, ſed & proprii liberi, ſi ſcil. ſint emancipati; *l. 12. & 41. D. h. t.* Non tantum majores, ſed & minores, modo curatorum adhibeatur auctoritas. *l. 8. D. h. t. l. ult. in f. C. de auct. præſt.*

§. 13. Impuberes olim arrogari non poterant; quia neque ipſi auctores fieri poterant, neque tutoribus in pupillos tanta erat auctoritas & poteſtas, ut caput liberum fidei ſuæ commiſſum alienæ ditioni ſubjicere poſſent. Gell. *d. L. V. c. 19.*

§. 14. Sed Antoninus Pius impuberum arrogationem poſtea permiſit. Ulp. *Fragm. T. VIII. §. 5.*

§. 15. Adhibitis tamen quibusdam cautionibus; Ut ſcil. I. non aliter procedat, quam adhibito conſilio propinquorum, & auctoritate tutorum; *l. 2. C. h. t. l. ult. C. de auct. præſt.* Præmiſſa cauſæ cognitione, *an arrogatio honeſta ſit, expediatque pupillo? §. 3. I. h. t.* v. *l. 15. §. 2. 3. l. 17. pr. §. 1. 2. 3. 4. D. h. t.* II. Ut caveat Pater Arrogator perſonæ publicæ (i. e. Tabulario) datis fidejuſſoribus, ſeſe, ſi intra pubertatem pupillus deceſſerit, reſtiturum bona illis, *ad quos ea res pertinet*, i. e. qui, ſi adoptio facta non eſſet, ad bona ejus venturi fuiſſent. *§. 3. I. h. t. l. 17. §. ult. l. 18. 19. 20. D. h. t.* Theoph. *ad d. §. 3. I. h. t.* III. Ut, ſi pater Arrogator filium arrogatum ſine juſta cauſa emancipaverit, vel etiam exheredaverit, bona ſua ei reddat, & inſuper ei *Quartam* propriorum *bonorum partem* relinquere neceſſe habeat. *d. §. 3. I. h. t. l. 22. §. 1. D. h. t. l. 2. C. h. t. l. 8. §. 15. D. de inoff. teſt.*

§. 16. Quæ *Quarta D. Pii* vocari ſolet; Et *ſi unus* arrogatus ſit, uti plerunque fieri ſolet, haud dubie *Quarta* eſt *omnium bonorum; d. §. 3. I. h. t. l. 22. §. 1. D. h. t. l. 2. C. h. t. l. ult. D. Si quid in fraud. patron.* Si vero *plures* arrogentur, uti ex cauſa fieri poteſt, *l. 15. §. 3. D. h. t.* *Quarta* erit *portionis ab inteſtato debitæ.* arg. *l. 8. §. 8. D. de inoff. teſt.*

§. 17. Fit autem adoptio tantum inter præſentes & conſentientes; *l. 25. §. 1. l. 21. l. 5. 6. D. h. t.* in perpetuum, non ad tempus; *l. 33. D. h. t.* apud Magiſtratum, apud quem eſt legis actio. *l. 2. pr. l. 3. 4. & 36. §. 1. D. h. t.* vel Imperatorem; *d. l. 2. pr. D. §. 1. I. h. t.* omni loco & tempore; arg. *l. 36. D. h. t. l. 2. & 8.*

C. de

C. de ſer. Adhibita, ſecundum dicta, in Arrogatione, auctoritate tutorum vel curatorum. *l. 2. C. h. t. l. ult. C. de auct. præſt. l. 8. D. h. t.*

§. 18. *Effectus Adoptionis* eſt, quod liberi adoptivi tranſeant in poteſtatem patris adoptantis, & quidem *Arrogati* ſimpliciter, una cum liberis ſuis; *l. 2. §. f. l. 15. pr. l. 40. pr. D. h. t. §. 11. I. h. t.* *Adoptivi* vero jure novo tum demum, ſi ab Aſcendentibus adoptati ſint; *l. pen. C. h. t. §. 2. I. h. t.* Quod accipiant jus agnationis (non etiam ſanguinis & cognationis,) *l. 23. 44. D. h. t.* dignitatem, adeoque & Nobilitatem, aliaque jura familiæ; *l. 13. D. h. t. l. pen. pr. & §. f. C. h. t. §. 2. I. h. t. l. 5. 6. 10. D. de Sen. l. 4. C. de decur. l. 11. §. 2. D. de bon. poſſ. ſec. tab.* Quodque in pleriſque cauſis habeantur pro legitime natis. *§. 8. I. h. t.*

De Emancipationibus, et aliis Modis quibus Poteſtas Solvitur.

§. 19. Quemadmodum autem Patria poteſtas non uno modo acquiritur, ita & variis modis ſolvitur.

§. 20. Et primum quidem *Emancipatione*, quæ eſt *actus legitimus, quo liberi non inviti, e manu* i. e. poteſtate *patris volentis, dimittuntur. §. 6. I. quib. m. jus patr. pot. ſolv. l. 31. h. t. §. f. I. quib. m. jus pat. pot. ſolv. l. 5. C. de emanc. N. 89. c. 11. pr.*

§. 21. Uti enim filius invitus non emancipatur. *d. l. 5. C. de emanc. Nov. 89. c. 11. pr.* Sic & pater ad emancipandum nullo *pene* modo cogi poteſt. *d. l. 31. D. h. t.* junct. *§. ult. I. quib. m. jus patr. pot. ſolv.* Niſi ſcil. juſta cauſa aliud ſuadeat. v. *l. 32. D. h. t. l. 1. §. 3. l. ult. D. ſi a par. quis man. l. 12. C. de Ep. aud. l. 3. §. 6. D. de min.*

§. 22. *Emancipatio* autem pro varia temporum diverſitate triplex conſtitui poteſt, *Legitima*, *Anaſtaſiana*, & *Juſtinianea.*

§. 23. *Legitima* eſt, *quæ per antiquam Legis XII. Tabb. obſervationem procedebat, & per imaginarias venditiones & intercedentes manumiſſiones celebrabatur. d. §. 6. I. quib. m. jus patr. pot. ſolv. l. ult. C. de Emanc.* v. Ulp. *T. X.* §. 1. Gaj. *L. I. T. VIII.* §. *3.* Theoph. *ad d. §. 6.*

§. 24. *Anaſtaſiana*, quæ ab Anaſtaſio Imp. introducta eſt, & *fit per Principis reſcriptum d. §. 6. l. pen. C. de emanc.*

§. 25. *Juſtinianea*, *quæ* ex conſtitutione Imp. Juſtiniani, ſine Principis reſcripto, *fit auctoritate Magiſtratus; d. §. 6. l. ult. C. de emanc.* omnique loco & tempore celebrari poteſt. *l. 36. D. h. t. l. pen. C. de emanc. l. 2. 8. C. de ſer.*

§. 26. II. Solvitur patria poteſtas *Dignitate;* & primum quidem ſola Patriciatus dignitate; *§. 4. I. quib. m. jus patr. pot. ſolv. l. ult. C. de Conſ. N. 81. c. 2.* Poſtea vero etiam omni ea, quæ liberat ab onere Decurionatus; *N. 81. pr. c. 1. §. 1.* qualis eſt Conſulatus, Conſularitas, Præfectura Prætorii, & urbis, Magiſterium militum, Patronatus fiſci, *l. ult. C. de Decur.* & Epiſcopatus. *d. N. 81. c. 3.*

§. 27.

Digitized by Google

§. 27. III. Denique *Morte Naturali*, vel *Civili*, i. e. maxima & media capitis deminutione patris, vel filii *pr.* §. 1. *3. I. quib. m. jus patr. pot. ſolv.*

§. 28. Quod ſi tamen deportati, ex indulgentia Principis, *per omnia* i. e. pleniſſime reſtituti fuerint, priſtinum ſtatum recipiunt. *d.* §. 1. *I. quib. m. patr. pot. ſolv. l.* 1. *C. de ſent. paſſ.*

TITULUS VIII.

De Diviſione Rerum et Qualitate.

§. 1.

Expoſita differentia & varia qualitate hominum ſeu *Perſonarum*, ſequitur *de Diviſione & qualitate Rerum.*

§. 2. Summa *Rerum diviſio* autem in duos articulos deducitur: Nam aliæ *Divini juris ſunt*, aliæ vero *Humani. l. 1. pr. D. h. t.*

§. 3. *Res Divini Juris* ſunt, *quæ nullius in bonis ſunt; veluti Res Sacræ, Religioſæ, & Sanctæ. d. l. 1. pr. l. 6. §. 2. h. t.* §. 7. *I. h. t.*

§. 4. *Res Sacræ* ſunt, *quæ publice* i. e. publica auctoritate *conſecratæ ſunt;* veluti ædes ſacræ, & donaria, quæ rite ad miniſterium Dei dedicata ſunt. *l. 6.* §. *3. l. 9. pr.* §. *1. 2. D. h. t.* §. *8. I. h. t.* Feſt. in voc. *Sacer mons.*

§. 5. Quæ æſtimationem non recipiunt, *l. 9. §. ult. D. h. t.* neque alienari poſſunt; *§. 8. I. h. t.* Niſi captivorum redimendorum; *d.* §. *8. l. 21. C. de SS. Eccl. N. 120. c. 1.* Pauperum alendorum, *d. l. 21. C. de SS. Eccleſ.* & debitorum Eccleſiæ ſolvendorum gratia, in caſu neceſſitatis. *Nov. 120. c. 10.*

§. 6. Adeo, ut ſemel conſecrata ſemper Sacra ſint, & diruto ædificio ſacro locus adhuc Sacer maneat. *d. l. 6. §. 3. h. t. §. 8. I. h. t. l. 73. D. de contr. emt.* Cic. *pro Dom. c. 40.* Plin. X. *Ep. 76.*

§. 7. Quod ſi tamen ſacra ab hoſtibus capta ſint, ſacra eſſe deſinunt. *l. 36. D. de relig.* Conſecrata autem ab Ethnicis fiſco vindicantur; *l. 5. & 9. C. de Pagan.* ab Hæreticis vero, in alium pium uſum transferuntur. v. *l. 12. C. de Jud. l. 3. & 5.* verſ. *cunctis. l. 8. §. 3. C. de hæret. N. 131. c. 8. & 14.* add. *l. 16. D. de uſu & uſufr. leg.*

§. 8. A rebus ſacris autem differunt *bona Eccleſiaſtica*, quæ ſunt in patrimonio Eccleſiæ, & dictis non tantum caſibus, ſed & aliis, ſuadente utilitate, alienari poſſunt. v. *l. 14. 17. §. 1. C. de SS. Eccleſ. N. 120. c. 7.*

§ 9. *Religioſum locum unusquiſque ſua voluntate facit, dum mortuum infert in locum ſuum. l. 6. §. 4. D. h. t. §. 9. I. h. t.*

§. 10. Cenotaphium itaque i. e. Monumentum ſeu ſepulchrum inane (quod *tumulum honorarium* vocat Sueton. *in Claud. c. 1.*) locus religioſus non eſt; *l. 42. D. de relig.* Licet Marcianus aliique moti auctoritate Virgilii *L. III. Æn. v. 303. & ſeqq.* & *L. VI. Æn. v. 505. & ſeqq.* diſſenſerint; *l. 6. §. ult. D. h. t.* Quorum

ſententia rejecta eſt. *l. 7. D. h. t.* De quibus plenius *infr. ad tit. de Religioſ. §. 2. & ſeqq.*

§. 11. *Res ſanctæ* (a *ſanciendo*, non a *Sagminibus*, uti voluit Marcianus, *l. 8. §. 1. D. h. t.* ſic dictæ; v. *l. 9. §. 3. D. h. t. §. 10. I. h. t.* Feſt. in voc. *Sagmina* & *Sanctum.* Iſidor. *L. XV. c. 4.*) ſunt, *quæ* neque ſacræ neque profanæ ſunt, ſed *ſanctione quadam, contra injuriam & violationem hominum munitæ & confirmatæ ſunt. l. 8. pr. l. 9. §. 3. D. h. t. §. 10. I. h. t.* Veluti muri, & portæ Civitatis, *§. 10. I. h. t.*

§. 12. Quas ſi quis violaverit capite punitur. *l. ult. D. h. t. d. §. 10. I. h. t.* Quod & procedit in Vallis in caſtris, *l. 3. §. 17. D. de re mil.* neque tantum quoad muros Urbis Romanæ, ſed & Municipiorum locum habet. *l. 8. §. 2. D. h. t.* Feſt. in voc. *Religioſus* arg. *l. f. verſ. ex differentia locorum C. de temp. in int. reſt.*

§. 13. Neque res tantum, ſed & perſonæ ſanctæ ſunt, veluti Parentum & Patronorum, *l. 9. D. de obſeq. par. & patr. præſt.* Legatorum, *l. ult. D. de Legation.* & Studioſorum. *Auth. Habita C. ne fil. pro patr.*

§. 14. *Res Humani Juris* aut *Publicæ* ſunt, aut *Privatæ. l. 1. pr. D. h. t.*

§. 15. *Publicæ* ſunt vel *Communes*, vel *Publicæ in ſpecie* ſic dictæ, vel *Univerſitatis. d. l. 1. pr. l. 2. pr. l. 4. §. 1. l. 6. §. 1. D. h. t. pr. I. h. t.*

§. 16. *Res Communes* ſunt, *quæ quoad proprietatem nullius ſunt, quoad uſum vero omnium hominum;* Veluti aër, aqua profluens, mare, & litora maris. *l. 2. §. 1. l. pen. D. h. t. §. 1. I. h. t. l. 13. D. comm. præd.* Cic. *de Off. L. I. c. 17.*

§. 17. Nemo igitur in mari piſcari, navigare, vel ad litus maris accedere, caſamve in eo ponere prohibetur; dummodo a villis, & ædificiis, & monumentis abſtineatur. *l. 4. pr. l. 5. §. 1. l. 6. pr. D. §. 1. 5. l. h. t.* Quod adeo verum eſt, ut Oceanus in dominium alicujus Principis, vel Populi, redigi nequeat; arg. *l. 1. §. 1. D. de acq. poſſ. l. 13. D. comm. præd.* Niſi exigua forte ejus portione jactis in mare molibus occupata, *l. 2. §. 8. D. ne quid in loc. publ.* vel in prædium privatum admiſſa. *l. 14. D. de injur. Nov. Leon. 56. 57.*

§. 18. *Res Publicæ in ſpecie* ſunt, *quæ quoad proprietatem ſunt alicujus populi vel privati, quoad uſum omnium eorum qui ſunt de illo populo:* Uti flumina perennia, portus, ripæ. *l. 4. §. 1. l. 5. pr. D. h. t.* §. 2. 4. *I. h. t.*

§. 19. Unde in flumine piſcari, *§. 2. I. h. t.* navigare, navem ad ripas appellere, funes ex arboribus ibi natis religare, retia ſiccare, & onus aliquod in his reponere, cuilibet liberum eſt. *l. 5. pr. D. h. t.*

§. 20. Sic tamen, ut Jus piſcandi in diverticulo fluminis longo tempore præſcribi poſſit; *l. 7. D. de div. & temp. præſcr.* dummodo perpetuo quis piſcatus ſit, neque aliquo tempore piſcari deſierit. Ita accip. *l. 45. D. de uſurp. & uſuc.*

§. 21. *Res Univerſitatis* ſunt, *quæ quoad proprietatem ſunt Univerſitatis*, vel

vel *Collegii*, *corporisve liciti*, *quoad uſum vero omnium eorum*, *qui Univerſitatis illius membra ſunt*; Veluti theatra, ſtadia, & his ſimilia. *l. 6. §. 1. D. h. t. §. 6. I. h. t.* de quibus ad *t. D. quod cujusq. Univ. nom. §. 3. & ſeqq.*

§. 22. *Privatæ res ſunt*, *quæ ſingulorum ſunt*, ſeu quæ in Privatorum bonis ſunt & Patrimonio. *l. 1. pr. D. h. t. §. 11. I. h. t.*

§. 23. Quædam præterea res *Corporales* ſunt, quædam *Incorporales*. *l. 1. §. 1. D. h. t. t. t. I. de reb. corp. & incorp.*

§. 24. *Res Corporales* ſunt, *quæ tangi poſſunt*, *veluti fundus*, *homo*, *veſtis*, *aurum*, *argentum*, *& denique aliæ res innumerabiles. d. l. 1. §. 1. D. h. t.* §. *un. I. de reb. corp. & incorp.*

§. 25. Eæque ſunt vel *Mobiles*, vel *Immobiles*. *pr. I. de uſuc. l. 15. §. 2. D. de re jud. l. 13. C. de ſerv. & aq. l. un.* §. 7. *C. de rei ux. act. l.* 7. *C. de bon. quæ lib.*

§. 26. *Res Mobiles* ſunt, *quæ integræ & ſalvæ de loco in locum moveri poſſunt*; Veluti pecunia numerata, *N. 22. c. 45. §. 2.* etiam præſidii cauſa repoſita, *l. 79.* §. *1. D. de leg. 3.* imo & fœnori, prædiorumve emtioni deſtinata; arg. *l. 17. §. 10. 11. D. de act. emt. l. 55. §. 7. D. de leg. 3. l. 22. C. de admin. tut. d. N. 22. c. 45. §. 2.* Fructus a fundo ſeparati; *l. f. §. 2. D. de req. vel abſ. damn. l. 17. §. 1. D. de act. emt.* Navis; arg. *l. 1. §. 6. 7. D. de vi & vi arm. l. 20. §. 4. D. quod vi aut clam.* Ædificia ſupra terram ad tempus poſita. *l. 18. D. de act. emt. l. 60. D. de A. R. D.*

§. 27. Quibus annumerandæ *res Moventes*, quæ a mobilibus non differunt. *l. 93. D. de V. S.* v. *l. 2. de ſupell. leg. l. ult. §. 2. de req. vel abſ. damn.* Licet proprie hoc nomine ſervi & animalia, quæ ſe ipſa movent, veniant. *d. l. 93. l. 15. §. 2. D. de re jud. l. 49. §. 2. 3. C. de Epiſc. & cler. l. 13. C. de ſerv. & aq. l. 2. pr. C. de conſt. pec. l. un. §.* 7. verſ. *exactio C. de rei ux. act. l. 30. pr. C. de jur. dot. l. 7. C. de bon. quæ lib. l. 2. pr. C. de quadr. præſcr. l. 1. C. de Præt. pign.*

§. 28. *Res immobiles* ſunt, *quæ de loco in locum citra rei corruptionem moveri nequeunt*; Puta fundus ſeu ſolum, *l. 1. D. de cond. trit.* (unde & *res ſoli* dici ſolent; *d. l. 1. D. de cond. trit. l. 15. §. 1. D. qui ſatisd. cog. l. 15. §. 2. D. de re jud. l. 13. C. de ſerv. & aq.*) & res ſolo cohærentes; v. *l. 1. §. 3. 4. 6. l. 3. §. 15. D. de vi & vi arm.* Uti Arbores ſtantes, *l. 40. D. de act. emt. l. 7. §. 5. D. quod vi aut clam.* fructus pendentes, *l. 44. D. de R. V.* Ædificia in perpetuum extructa. *l. 7. §. 10. D. de A. R. D. §. 29. 30. I. de R. D.*

§. 29. Quin & res mobiles immobilium jure quandoque cenſentur: Si ſcil. immobilibus ita junctæ ſint, ut partem earum conſtituant; vel perpetui uſus cauſa certo in loco collocatæ ſint. *l. 13. §. f. l. 14. 15. 17. pr. §. 7. D. de Act. emt. l. 242.* §. *f. D. de V. S.*

§. 30. *Res Incorporales* ſunt, *quæ tangi non poſſunt*: *Qualia ſunt ea quæ in jure*

Digitized by Google

jure conſiſtunt ; ſicut hereditas, uſusfructus, obligationes quoquo modo contracta. l. 1. §. 1. D. h. t. §. un. I. de reb. corp. & incorp.

§. 31. Quæ neque mobiles ſunt neque immobiles, ſed tertium genus conſtituunt. *l. 7. §. 4. D. de peeul. l. 15. §. 2. D. de re jud. l. un. §. 7. C. de rei ux act. l. 2. C. pr. de quadr. præſcript.*

TITULUS IX.

DE SENATORIBUS.

§. 1.

Actum eſt de *Perſonis* & *Rebus ;* Videndum nunc porro de *Actionibus.*

§. 2. Ut autem Actiones recte inſtituantur, in primis conſiderandus venit *Magiſtratus* ſeu *Judex,* coram quo Actio inſtitui debeat, quive juris dicendi poteſtatem habeat.

§. 3. Unde *tit. X. & ſeqq.* de plerisque Magiſtratibus, (quales ſcil. fere usque ad tempora Alexandri Severi, iisque proxima, fuerunt) eorumque Officio agitur.

§. 4. Cumque ex *Ordine Senatorio* (Ordines autem Populi Romani tres erant, *Senatorius, Equeſtris* & *Plebejus ;* v. Liv. *L. XXVI. c. 36.* Cic. *Orat. in tog. cand. contr. C. Ant. & L. Catilin. & pro Dom. c. 28.* Auſon. *Edyl. XI. v. 78. l. 238. pr. D. de V. S.)* ceu ſeminario quodam, Magiſtratus maxime crearentur, de *Senatoribus* eorumque dignitate *h. t.* præmittitur.

§. 5. *Senatores* dicti ſunt a *Senatu, Senatus* vero, quia e *Senioribus* conſtabat. Cicer. *in Caton. c. 6.* Flor. *L. I. c. 1.* Feſt. in voc. *Senatores.* Ovid. V. *Faſt. verſ. 64. & ſeq.*

Nec niſi poſt annos patuit tunc curia ſeros,
Nomen & ætatis mite Senatus *habet.*

§. 6. Sunt autem *Senatores* Conſiliarii Reip. ſeu *qui in Senatum lecti ſunt, Conſilii publici cauſa, quique ſententiæ in ſenatu dicendæ jus habent.* Flor. *d. L. I. c. 1.* Gell. *L. III. c. 18. l. ult. §. 1. D. h. t.*

§. 7. Et quidem primum Romulus Senatores creavit *centum;* Liv. *L. I. c. 8.* Dion. Halic. *L. II. c. 12.* Quibus, confecto bello adverſus Sabinos, alii adjecti ſunt centum; Dion. Hal. *L. II. c. 49.* Trecentos fecit Tarquinius Priſcus; Liv. *L. I. c. 35.* Dion. Halic. *L. III. c. 90.* Eumque numerum, cædibus Regis Tarquinii Sup. diminutum, lectis ad trecentorum ſummam, explevit L. Junius Brutus, Liv. *L. II. c. 1.* Dion. Halic. *L. V. c. 13.* qui *Patres Conſcripti* poſtea dicti ſunt: Liv. *L. II. c. 1.* Tac. *L. XI. Ann. 25.* Plut. *Quæſt. cent. Rom.* Sed C. Gracchus Tribunus Plebis poſtea trecentos alios Equeſtris Ordinis addidit, & ſexcentos effecit;

Plut.

Digitized by Google

Plut. *in Vit. C. Gracch. p. 22.* Julius Cæſar autem nongentos, Peregrinos etiam in Senatum alliciendo, inſtituit. Suet. *in Caſ. c. 80.* Quem numerum ad ſexcentos reduxit Auguſtus. Suet. *in Aug. c. 35.* Dion. Caſſ. *L. LV.*

§. 8. Quorum uti primis temporibus ſumma erat auctoritas & dignitas, ut & SCtorum condendorum, *l. 9. D. de LL.* & juris dicendi poteſtatem haberent, *l. 1. §. 10. D. de poſt. l. 1. §. 2. D. a quib. appell. l. 14. D. ad L. Corn. de falſ.* ita & non pauca eorum commoda erant, & privilegia.

§. 9. Duplex enim (ratione commodorum ſcil. non etiam onerum; *l. 22. §. 6. l. 23. D ad munic.*) Domicilium habebant; *l. pen. D. h. t. l. pen. C. de incol.* In Civilibus fori gaudebant privilegio; *l. 1. 2. C. ubi ſen. vel clar.* In criminalibus vero, neque quæſtionibus, neque pœnis plebejorum poterant ſubjici; *l. 11. C. de quæſt. l. 16. C. de dign.* Patrimoniumque eorum a ſordidis muneribus immune erat, *l. 4. 5. 14. C. de dign.*

§. 10. Dignitas quoque Senatoria non ſolis Senatoribus competebat, ſed & ad uxores, & viduas, liberosque eorum extendebatur, non tantum naturales, ſed & adoptivos, non tantum poſt, ſed & ante Senatoriam dignitatem natos, *l. 1. §. 1. l. 5. 6. 7. 8. 10. D. h. t. l. 11. C. de dign.*

§. 11. Amittitur autem dignitas Senatoria, I. ſi quis ob turpitudinem Senatu motus ſit, *l. 2. 3. 4. D. h. t. l. 12. 17. C. de dign.* Plin. II. *Ep. 12.* II. Si vidua vel filia Senatoris inferioris ordinis viro, aut. plebejo nubat. *l. 8. in f. l. ult. D. h. t.*

§. 12. Sed Senatorum auctoritas & dignitas ſucceſſu temporis ſub Impp. multum imminuta, & in totum fere extincta eſt. v. Tacit. I. *Ann. c. 12. & ſeqq. Nov. Leon. 78.*

TITULUS X.

De Officio Consulis.

C. XII. 3.

§. 1.

Magiſtratus alii erant *Majores*, alii *Minores*. *l. 2. D. de in jus voc. l. 32. D. de injur. l. 2. 33. D. de O. J. l. 17. §. 4. D. de excuſ.* iique vel *Urbani*, vel *Provinciales. v. ſupr. ad t. de O. J. §. 21. & ſeqq.*

§. 2. Inter *Urbanos* principem locum obtinebant *Conſules;* Qui ſic dicti ſunt, quod eorum eſſet *conſulere* i. e. providere Civibus & Reip. *l. 2. §. 16. D. de O. J.* Flor. *L. I. c. 9.* Dion. Hal. *L. V. c. 1.*

§. 3. Creati autem ſunt *Conſules*, ejecto ex Urbe Tarquinio Superbo, numero duo, L. (ſcil.) Junius Brutus & L. Tarquinius Collatinus. A. U. C. 244. ante Chr. nat. 509. v. Liv. *L. I. c. 60. L. II. pr.* Dion. Hal. *L. V. c. 1. & ſeqq.* Flor. *L. I. c. 9.*

§. 4. Quibus eadem, quæ Regibus competierat, data eſt poteſtas; Liv. *L. II. c. 1. L. IV. c. 2.* Dion. Hal. *L. V. c. 1. L. X. pr.* Cic. *L. III. de LL. c. 7. l. 2. §. 16. D. de O. J.* Ita tamen, ut paulo poſt Lege Valeria nominatim cautum ſit, ut ab iis ad Populum provocatio eſſet, neve poſſent in caput civis Romani injuſſu Populi animadvertere. Liv. *L. II. c. 8.* Dion. Hal. *L. V. c. 19. l. 2. §. 16. D. de O. J.*

§. 5. Sed ſumma illa Conſulum poteſtas, ſucceſſu temporis, maxime occupata ab Impp. Republica, ſimiliter valde imminuta eſt. Adeo, ut vix iis relinqueretur juriſdictio, tum voluntaria, tum contentioſa. *v. l. un. h. t. l. 57. D. de re jud. l. 1. §. 3. D. de appel. l. 50. D. de cond. & dem. l. 3. in f. de alim. leg. l. 27. D. de Legat. 2. §. 1. I. de fideic. her.* Unde & Officium eorum ad Manumiſſiones, Actusque voluntariæ juriſdictionis, *l. un. h. t.* fere reſtringitur. add. *N. 105.*

§. 6. Manſerunt tamen *Conſules* ordinarii tum Romæ, tum Conſtantinopoli, longo tempore. Quorum, ex privatis ſcil. creatorum, in Urbe Conſtantinopolitana, ultimus fuit Fl. Baſilius. A. U. C. 1293. poſt Chr. nat. 541.

TITULUS XI.

DE OFFICIO PRÆFECTI PRÆTORIO.

C. I. 26. 27. VII. 42. XII. 4.

§. 1.

Prætor olim omnis Magiſtratus erat, qui exercitui præerat, Aſcon. Ped. *in Verr. L. I. c. 14.* ſic dictus a *præeundo*, quod ſcil. exercitui præiret. Varr. *L. IV. de L. L. Nov. 24. præf. 25. præf.* Unde & *Conſules* primum *Prætores* dicti ſunt. Varr. *d. L. IV. de L. L.* Cic. *L. III. de LL. c. 3.* Feſt. *in voc. Prætoria porta.*

§. 2. *Prætorium* autem in *genere* eſt, quod ad *Prætorem* pertinet; In *ſpecie* vero, vel *tabernaculum Prætoris*, ſeu Imperatoris, ſignificat; Feſt. *d. l.* Aſcon. Ped. *d. l.* Veget. *L. III. c. 8.* vel *Cohortes Prætorias*, quæ a Prætore non diſcedebant, Feſt. *in voc. Prætoria Cohors.* quasque ad corporis cuſtodiam Prætor habebat. v. Tacit. I. *Ann. 24. IV. Hiſt. 46.* Suet. *Ner. c. 9.* Epiſt. ad Philipp. I, 13.

§. 3. Quas poſtmodum per urbem diſperſas, una in caſtra ad muros Urbis, non procul Viminali porta, Sejani conſilio, conduxit Tiberius. Tacit. *L. IV. Ann. c. 2.*

§. 4. His autem cohortibus qui præerat, *Præfectus* dicebatur *Prætorio.* Tacit. *d. L. I. Ann. c. 24.* Sueton. *in Claud. c. 10. Calig. c. 56.*

§. 5.

Digitized by Google

§. 5. Adeoque Magiſtratus primum fuit Militaris, ſimilis *Magiſtro Equitum*, qui creato ſub libera Rep. Dictatore ab eo eligebatur. *l. un. pr. D. h. t. l. 2. §. 19. D. de O. J.* Tacit. *Ann. L. IV. c. 2. L. VI. c. 8.*

§. 6. Sed poſtea mirum in modum eorum crevit auctoritas. v. *l. 40. C. de Decur.* Ut non tantum diſciplinæ publicæ emendationem, & Edictorum condendorum poteſtatem haberent; *d. l. un. pr. in f. l. 2. C. de off. Præf. Præt. Or.* ſed, & a Sententia eorum appellare non liceret, ſola ſupplicatione conceſſa. Credidit enim Princeps, eos, qui ob ſingularem induſtriam, explorata eorum fide & gravitate, ad hujus officii magnitudinem adhibentur, non aliter judicaturos pro ſapientia ac luce dignitatis ſuæ, quam ipſe foret judicaturus. *l. un. §. 1. D. h. t. l. un. C. de ſent. Præf. Præt. l. 17. D. de minor. N. 119. c. 5.*

§. 7. Subnixi etiam ſunt alio privilegio, ne a Sententiis eorum minores ætate ab aliis Magiſtratibus, niſi ab ipſis Præfectis Prætorio, reſtitui poſſint. *d. l. un. §. 2. d. l. 17. D. de minor.*

§. 8. Cum autem primis temporibus duo eſſent, vel unus, v. Dio Caſſ. *L. LII. LV. LVII. LVIII.* Tac. Ann. *L. I. c. 7. VI. c. 15.* Suet. *in Cal. c. 12.* Tac. *Ann. L. XII. c. 42.* tempore Conſtantini M. quatuor fuere, *Præfectus* ſcil. *Prætorio Orientis, Illyrici, Italiæ, & Galliarum;* Zoſim. *L. II. c. 33. t. t. C. de off. Præf. Præt. Orient. & Illyr.* Quibus *Præfectum Prætorio Africæ* adjecit Imp. Juſtinianus. *l. 1. 2. C. de off. præf. Afr.*

TITULUS XII.

De Officio Præfecti Urbi.

C. I. 28. XII. 4.

§. 1.

Præfectus Urbi eſt Magiſtratus, cui Urbis terminorumque ejus curam Princeps permiſit.

§. 2. Cujus origo antiquiſſima eſt. Profectis enim ab Urbe Regibus, ac mox Magiſtratibus, ne Urbs ſine imperio eſſet, in tempus deligebatur, qui jus redderet, ab ſubitis mederetur. Tacit. *Annal. L. VI. c. 11. l. 2. §. 33. D. de O. J.*

§. 3. Poſt ad paucos tantum dies hic Magiſtratus conſtitui cœpit, quoad ſol. ſolenne ſacrum Feriarum Latinarum rite peractum eſſet. Tacit. *d. l. d. l. 2. §. 33. D. de O. J* add. Sueton. *in Claud. c. 4. Ner. c. 7.*

§. 4 Auguſtus autem Imp. ob magnitudinem populi, & tarda legum auxi- *Præfecturam Urbanam* fecit perpetuam. Tacit. *d. l.* Sueton. *in Aug. c. 37.*

§. 5. Auxit deinde poteſtatem hujus Magiſtratus D. Severus, deditque Præ-o Urbi jus de omnibus Criminibus, intra Urbem & C. Lapidem ſeu milian, cognoſcendi. *l. 1. pr. & §. 4. l. ult. D. h. t.*

§. 6. Juriſdictionem itaque habuit, tum civilem, tum criminalem, intra Urbem

Urbem & centeſimum ab Urbe lapidem; *d. l. 1. pr.* §. 4. *l. 2. D. h. t.* Adeoque pœnas capitales potuit irrogare; *l. 7. C. ad. L. Fab. de plag.* deportare, ac relegare; *l. 1. §. 3. D. h. t.* Urbe aliave ſolitarum regionum interdicere; ut & negotiatione, Profeſſione, & Advocatione, & foro, ad tempus & in perpetuum. *d. l. 1.* §. 13.

§. 7. Quies denique Popularium, inter alia, ad ipſius curam pertinet; Ad quam tuendam diſpoſitos milites ſtationarios habere ipſi conceſſum eſt. *l. 1. §. 12. D. h. t.*

TITULUS XIII.

DE OFFICIO QUÆSTORIS.

C. I. 30. XII. 6.

§. 1.

Q*uæſtores* ſunt vel *Ærarii*, vel *Parricidii. l. 2. §. 22. 23. D. de O. J.* Feſt. in voc. *Parici* (ſeu potius *Parricidii*) *Quæſtores*.

§. 2. *Quæſtores Ærarii* (de quibus ſolis hic agitur) ſunt, *qui pecuniæ publicæ præſunt.* Sic dicti, quod *inquirendæ*, & curandæ pecuniæ cauſa, creati ſint. *d. l. 2. §. 22. D. de O. J. l. un. §. 1. h. t.* Varr. *de L. L. L. IV.*

§. 3. Origo autem Quæſtoribus creandis ſimiliter antiquiſſima eſt. Ut a quibusdam ad ipſos Reges, maxime Tullum Hoſtilium, referatur. *l. un. pr. h. t.* add. Tacit. *Ann. L. XI. c. 22.*

§. 4. Officium itaque Quæſtorum fuit, Pecuniæ publicæ tum conquirendæ, tum conſervandæ, tum in varios uſus erogandæ, curam gerere; *d. l. 2. §. 22. D. de O. J.* Provincias ſortiri, rem militarem ſequi, prædasque & manubias in publicas rationes referre. *l. un.* §. *2. D. h. t.*

§. 5. Exceptis *Candidatis Principum*, qui libellis & Epiſtolis Principalibus in Senatu legendis vacabant; *l. un. §. 2. D. h. t.* Suet. *in Aug. c. 65.* Tacit. *Ann. XVI. c. 27.* Spart. *in Hadr. c. 3.* Omnemque poſtea juſtitiæ in Aula curandæ poteſtatem conſecuti ſunt. *l. 1. 2. 3. C. h. t. l. 32. C. de appell.* add. *l. ult. C. de div. reſcr. N. 114. c. 1. N. 126.*

§. 6. Cæterum curam Ærarii Saturni Quæſtoribus abſtulit Auguſtus, eamque Prætoriis Prætoribusve mandavit. Suet. *in Aug. c. 36.* reddidit Claudius, Suet. *in Claud. c. 24.* ſed ademit iterum Nero, & ad *Præfectos ærarii* tranſtulit; Tacit. *L. XIII. Ann. c. 28.* Gell. *L. XIII. c. 23.* Quorum in jure noſtro freqüens eſt mentio. v. *l. 15. §. ult. D. de jur. fiſc. l. 42. cod. l. 2. §. 4. ne quid in loc. publ.*

§. 7. Fuit & temporibus Juſtiniani alius *Quæſtor*, qui in vagabundos, mendicos, & otioſos inquirebat, eosque labori addicebat; Nec non de falſo, Executorumque concuſſionibus, cognoſcebat. *Nov. 80. c. 1. & ſeqq.*

TITU-

TITULUS XIV.

De Officio Prætorum.

C. I. 39. XII. 2.

§. 1.

Prætor olim omnis dicebatur Dux exercitus, eo quod exercitui præiret, v. Varr. *L. IV. de L. L.* Aſcon. Ped. *in Verr. L. I. c. 14. ſupr. ad t. de Offic. Præf. Prætor. §. 1.*

§. 2. Sed hoc loco Magiſtratus eſt, *qui Juri dicundo creatus eſt; l. 2. §. 27. D. de O. J.* ſeu *Juris diſceptator, qui privata judicat, judicarive jubet.* Cic. *de LL. L. III. c. 3.*

§. 3. Cum enim Conſules avocarentur bellis finitimis, neque eſſet, qui in civitate jus reddere poſſet, *Prætor* creatus eſt, qui *Urbanus* appellatus, quod in Urbe jus redderet. *d. l. 1. §. 27. D. de O. J.* add. Liv. *L. VI. c. 42.*

§. 4. Eoque non ſufficiente, quod multa turba etiam peregrinorum in civitatem veniret, creatus deinde eſt & alius *Prætor*, qui *Peregrinus* appellatus eſt, ab eo, quod plerumque inter peregrinos jus dicebat. *l. 2. §. 28. D. de O. J.* add. Epit. Liv. *L. XIX.*

§. 5. Ut adeo *Prætor*, alius eſſet *Urbanus*, qui & *Major*. dicebatur, qui jus inter cives reddebat: Alius *Peregrinus*, qui & *Minor* dicebatur, v. Feſt. *in voc. Majorem Conſulem.* qui inter peregrinos, vel cives & peregrinos, jus dicebat. v. *l. 17. C. de appell.*

§. 6. Creſcente autem imperio, in tantum poſtea amplificatus eſt Prætorum numerus, ut 18. Prætores aliquando in civitate jus dixerint. *l. 2. §. 32. in f. D. de O. J.*

§. 7. Officium itaque Prætorum erat maxime *Jus dicere;* quod tribus fere verbis abſolvitur, *Do*, *Dico*, *Addico*, v. Varr. *L. V. de LL.* Macrob. *L. I. Sat. c. 16.*

§. 8. *Dabant* Actionem, judicem Pedaneum, v. Cic. II. *in Verr. c. 12.* (quod tamen deinceps abrogatum; *l. 2. C. de ped. jud.*) tutorem, bonorum poſſeſſionem, reſtitutionem in integrum; *Dicebant* ſcil. jus, cum ipſi de cauſis gravioribus cognoſcebant; *Addicebant* denique res in Ceſſionibus & Auctionibus.

§. 9. Unde dies, quibus Prætor ſui copiam faciebat, & tria illa verba fari poterat, *faſti*, quibus vero jus non reddebatur *nefaſti* dicebantur; Ovid. *L. I. Faſtor. 47. 48.*

Ille nefaſtus *erit, per quem tria verba ſilentur;*
Faſtus *erit per quem lege licebat agi.*

add. Varr. *d. l.* Macrob. *d. l.*

Digitized by Google

§. 10. Cumque Juris civilis cuſtodes eſſent, Cic. *L. III. de LL. c. 3.* Jus Civile per Edicta ſua adjuvare & ſupplere; *l. 7. §. 1. D. de J. & J.* Sed contra illud aliquid ſtatuere non poterant. *l. 12. §. 4. D. de Publician. in rem act. l. 12. §. 1. D. de bon. poſſ. v. ſupr. ad t. de J. & J. §. 86. & ſeqq.*

§. 11. Jurisdictionem autem tantum habebant civilem, non etiam merum imperium, ſeu jurisdictionem criminalem. *l. 1. 2. D. h. t. l. 1. 2. C. h. t. l. ult. C. de præd. min. l. 1. §. ult. l. 2. D. de ſuſp. tut. §. 10. 11. I. eod. l. 4. C. de adm. tut.* Exceptis tamen iis, qui Publicarum Quæſtionum cauſa a Corn. Sulla creati ſunt. *l. 2. §. 32. de O. J.*

§. 12. Plane Servum Prætorem eſſe non poſſe, nemo non intelligit; v. *l. 175. pr. l. ult. D. de R. J. l. 12. §. 2. D. de jud. l. 11. 38. C. de liberal. cauſ.* Quod ſi tamen contingat, ſervum aliquem, qui liber eſſe credebatur, cum Barbario Philippo, (de quo v. Suid. in Βάρβιος Φιλιππικός) Prætorem creari, ea, quæ edixit, quæ decrevit, quæque apud eum acta ſunt, detecto errore, non ſunt reprobanda, ſed ob utilitatem publicam rata habenda. *l. 3. D. h. t.* add. *l. 2. C. de ſent. & interl.* Cic. *Phil. 1. c. 7.*

§. 13. Ex qua, communem errorem jus facere, minime inferri poteſt. v. *l. 39. D. de ll. l. 6. §. 1. D. de off. Præſ.*

TITULUS XV.

De Officio Præfecti Vigilum.

C. I. 43.

§. 1.

Apud Vetuſtiores incendiis arcendiis *Triumviri* præerant, qui ab eo, quod excubias agebant, *Nocturni* dicti ſunt. *l. 1. h. t.* Val. Max. *L. VIII. c. 1. in Damnat.* n. 6.

§. 2. Interveniebant nonnunquam & Ædiles, & Tribuni Plebis. *d. l. 1. D. h. t.*

§. 3. Deinde Divus Auguſtus maluit per ſe huic rei conſuli, pluribus uno die incendiis ortis. *d. l. 1. in f. l. 2. D. h. t.* Dion. Caſſ. *L. LV.* Sueton. *in Aug. c. 30.* add. *l. 2. §. 33. D. de O. J.*

§. 4. Itaque ſeptem cohortes opportunis locis conſtituit, ut binas regiones urbis unaquæque cohors tueatur: Præpoſitis eis Tribunis, & ſuper omnes ſpectabili Viro, qui *Præfectus Vigilum* appellatur. *l. 3. pr. h. t.*

§. 5. Quorum auctoritas & poteſtas primum parva fuit, ut *Præfectus Vigilum* ne quidem Magiſtratibus accenſeretur. v. *l. 2. §. 33. D. de O. J.*

§. 6. Sed poſtmodum vehementer aucta eſt. Munus enim eorum non tantum eſt *per totam noctem vigilare & cum hamis & dolabris coërrare; l. 3. §. 3. h. t.*

Digitized by Google

3. h. t. Sed *cognoſcit* etiam *Præfectus Vigilum de incendiariis, effractoribus, furibus, raptoribus & receptatoribus:* Poteſtque eos, *qui negligentius ignem habuerunt*, ipſis quoque *fuſtibus caſtigare, quia plerumque incendia culpa fiunt inhabitantium l. 3. §. 1 2. 5. l. ult. D. h. t.*

§. 7. Jus tamen gladii, vel ultimi ſupplicii irrogandi, non habuit. Non obſt. *l. pen. D. de cond. cauſ. dat. cauſ. non ſec.* Ubi pro *Præfecto. & Præfectus Vigilum.* legendum videtur *Præfecto. & Præfectus Urbi.*

§. 8. Poſtquam vero hic Magiſtratus vilioribus dari cœptus, ipſique fures cum eo ſæpe conſpirarent, v. *Nov. 13. c. 2.* paulatim deſpectus eſt: Ejusque loco a Juſtiniano Imp. in Urbe Conſtantinopolitana *Prætor Populi* creatus eſt; cui & in eos, qui nocte mœchando, vel furando, vel alio modo deliquiſſent, gladii poteſtas data eſt. *Nov. 13. præf. c. 1. §. 1. c. 2. pr. §. 1. c. 4. pr. §. 1. c. 6. pr. §. 1.*

TITULUS XVI.

DE OFFICIO PROCONSULIS ET LEGATI.

C. I. 35.

DE OFFICIO PROCONSULIS.

§. 1.

Inter *Magiſtratus Provinciales* primo conſiderandus venit *Proconſul*, ejusque *Legatus.*

§. 2. *Proconſul* eſt, qui *pro Conſule* mittitur, i. e. conſulari poteſtate, ut Conſulis vice fungatur.

§. 3. Et quidem propagatis Imperii finibus complurium & ingentium bellorum cura exorta, ſub Lib. Rep. fere obſervatum, ut quo quique anno Conſules fuiſſent, ſequenti Proconſules manerent, & varias Provincias cum imperio ſortirentur. Dion. Caſſ. L. LIII. Suet. *in Aug. c. 36.*

§. 4. Auguſtus autem Imp. Provincias inter ſe & Populum diviſit; ita quidem, ut validiores, & quas annuis Magiſtratuum imperiis regi, nec facile, nec tutum erat, ipſe ſuſciperet, reliquas Proconſulibus ſortito permitteret. Suet. *in Aug. c. 47.* Strab. *L. ult. circ. fin. p. 1197. Ed. Amſt.* Dion. Caſſ. *L. LIII.*

§. 5. Ex quo in Provincias Populi a Senatu P. Q. R. miſſi ſunt *Proconſules;* in Provincias vero Cæſaris, ab Impp. *Præſides;* de quib. *t. ſeq. 18.*

§. 6. Mittebatur autem Proconſul in Provincias cum Conſulari imperio, & pleniſſima poteſtate. *l. 7. §. ult. l. 8. 9. pr. D. h. t.*

§. 7. Ut Juriſdictionem habeat non tantum *civilem*, tum *voluntariam*, (quam ſtatim exercet, ſimul atque Urbem eſt egreſſus; *l. 2. D. h. t.*) tum *contentioſam*, (quam demum exercet, ubi Provinciam ingreſſus eſt; *l. 1. 2. h. t.*)

ſed & criminalem, ſeu gladii poteſtatem. *l. 6. pr. l. 11. D. h. t.* Act. Ap. XVIII, 12. *& ſeqq.*

§. 8. Quin & jus habuit Edicta promulgandi, jura Provincialia condendi, *l. 1. D. de alien. jud. m. c. l. 57. de Acq. her. l. 26. de dol.* Ut & diſciplinam militarem adminiſtrandi. *N. 30. c. 1.* §. *1.*

§. 9. Ut autem Dignitate ſua integre & honeſte fungantur Proconſules, aliique Magiſtratus, a muneribus & ſordibus abſtinere debent. *l. 6. §. 3. D. h. t. l. 18. D. de offic. Praeſ.*

§. 10. Quod tamen ad Xeniola, eſculentum, potulentumve, quod intra dies proximos prodigatur, non pertinet. *d. l. 6. §. 3. D. h. t. d. l. 18. D. d. off. Praeſ.*

De Officio Legati.

§. 11. *Legatus Proconſulis* eſt, *qui Proconſuli in Provincias eunti publico nomine adjungebatur:* tum ut actiones ejus obſervaret, tum ut ei opera ſua praeſto eſſet.

§. 12. Quem in finem Proconſul, poſtquam provinciam ingreſſus eſt, Jurisdictionem Legato mandat. *l. 4. §. 6. l. 6. §. 1. l. 13. D. h. t.*

§. 13. Quae tamen Legati Jurisdictio in multis magis propria eſt, quam mandata. v. *d. l. 4. §. 6. h. t. l. 4. pr. D. de offic. ejus cui mand. eſt jurisd. l.* 2. junct. *l. 1. §. 1. D. quis a quo appell. l. pen. h. t.* junct. *l. 1. §. 1. D. de tut. dat.*

§. 14. Habent autem Legati Jurisdictionem tantum Civilem, etiam voluntariam, ex quo ſcil. Provinciam ingreſſi ſunt; *d. l. pen. h. t. l. 17. §. 1. D. de man. vind.* Non vero Criminalem. *d. l. 6. pr. l. 11. D. h. t. l. 1. pr. D. de off. ejus cui mand. eſt jurisd.* Adeoque, ſi quid majorem animadverſionem exigat, remittere Legatus ad Proconſulem debet. *d. l. 1. h. t.*

TITULUS XVII.

De Officio Praefecti Augustalis.

C. I. 37.

§. 1.

In Provincias Caeſaris ſeu Principis mittebantur *Praeſides.*

§. 2. Cum vero Aegyptus Provincia longe maximi eſſet momenti, vid. Sueton. *in Veſp. c. 7.* Tacit. *L. III. Hiſt. c. 8.* Auguſtus Imp. inter alia dominationis arcana, illam ſibi ſepoſuit, v. Tacit. *L. II. Annal. c. 59.* eique ſingularem Magiſtratum praepoſuit, qui inde *Praefectus Auguſtalis, h. t.* Strab. *L. XVII. p. 1147.* *in*

in f. Ed. Amſt. nec non *Præfectus Ægypti* dictus eſt. *l. un. D. h. t. l. 21. D. de man. vind. l. 1. D. de tut. & cur. dat.*

§. 3. Habuit autem *Præfectus Auguſtalis* imperium Proconſulari ſimile; *d. l. un. D. h. t.* Adeoque Jurisdictionem criminalem & civilem, voluntariam & contentioſam. arg. *d. l. un.* junct. *l. 7. §. ult. l. 8. D. de off. Proconſ.*

§. 4. Unde tutores dare, *d. l. 1. D. de tut. & curat. dat.* de manumiſſionibus cognoſcere, *l. 21. D. de man. vind.* Poſtulationibus interdicere, *l. 1. C. de poſtul.* Similiaque exercere potuit.

TITULUS XVIII.

De Officio Præsidis.

C. I. 40.

§. 1.

Reliquarum Provinciarum Cæſaris ſeu Principis ſummi Magiſtratus dicebantur *Præſides.*

§. 2. *Præſidis* ſane nomen generale eſt, eoque & Proconſules, & Legati Cæſaris, & omnes Provincias regentes, imo & ipſi Principes appellantur. *l. 1. D. h. t.* Flor. *L. IV. c. 3.* Stat. v. *Sylv. 2.*

§. 3. Sed hic *Præſes in ſpecie* eſt Magiſtratus, a Cæſare, in Provincias Cæſaris ſeu Principis, miſſus. Unde & *Legatus Cæſaris* dictus eſt. *l. 20. D. h. t. l. 4. D. de offic. Aſſ. l. 12. D. de accuſ.*

§. 4. Mittebatur Præſes a Principe in Provinciam ſumma cum poteſtate, ut majus in ea Provincia haberet imperium omnibus poſt Principem, *l. 4. D. h. t.* & de omnibus cauſis, quæ Romæ varios habebant judices, cognoſceret, *l. 10. & 11. h. t.*

§. 5. Jurisdictionem itaque habuit non tantum civilem, tum voluntariam, v. *l. 2. ſ. 17. D. h. t.* tum contentioſam, ſed & criminalem. *l. 3. & 6. §. 8. l. 14. 21. D. h. t. l. 6. pr. & §. ult. D. de pœn.*

§. 6. Unde ad Officium ejus pertinet in crimina inquirere, & in delinquentes pro re nata animadvertere: *Congruit enim bono & gravi Præſidi curare, ut pacata atque quieta provincia ſit, quam regit: Quod non difficile obtinebit, ſi ſollicite agat, ut malis hominibus Provincia careat, eosque conquirat: Nam & ſacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquirere debet; & prout quisque deliquerit, in eum animadvertere, receptoresque eorum coërcere, ſine quibus latro diutius latere non poteſt. l. 3. & 13. pr. l. ult. D. h. t.*

§. 7. Jus tamen deportandi in inſulam, niſi Principe probante, Præſidibus Provinciarum non competit. *l. 2. §. 1. D. de pœn. l. 6. §. 1. D. de interd. & releg. l. 1. §. 3. D. de leg. 3.* junct. *l. 8. D. ad L. Corn. de Sic.* Deportatio enim in locum

cum Aquæ & Ignis interdictionis ſucceſſit, *d. l. 2. §. 1. de pœn. l. 3. D. ad L. Jul. pec. l. pen. §. f. de extr. cogn.* quæ a ſolo decernebatur Populo, & proinde ſpecialia quædam habuit.

§. 8. *Obſervandum etiam eſt jus reddenti, ut in adeundo quidem facilem ſe præbeat, ſed contemni non patiatur: Unde Mandatis adjicitur, ne Præſides Provinciarum in ulteriorem familiaritatem Provinciales admittant. Nam ex converſatione æquali contemtio dignitatis naſcitur. l. 19. pr. D. h. t.*

§. 9. *Sed & in cognoſcendo, neque excandeſcere adverſus eos, quos malos putat, neque precibus calamitoſorum inlacrimari oportet: Id enim non eſt conſtantis & recti judicis, cujus animi motum vultus detegit. Et ſummatim ita jus reddi debet, ut auctoritatem dignitatis ingenio ſuo augeat. d. l. 19. §. 1. D. h. t.*

§. 10. In judicando denique Acta & Probata ſequi debet; *l. 6. §. 1. h. t.* Neque *ſpectandum, quid Romæ factum, ſed quid fieri debeat. l. 12. D. h. t.*

TITULUS XIX.

DE OFFICIO PROCURATORIS CÆSARIS, VEL RATIONALIS.

§. 1.

Procurator Cæſaris ſeu *Rationalis* (qui ab Auguſto inſtitutus, Dion Caſſ. *L. LIII.*) eſt Magiſtratus in Provincias miſſus, ut ea, quæ ad fiſcum Principis pertinent, curaret. *l. 1. §. 1. 2. D. h. t. l. 9. D. de Offic. Proc. l. 2. C. ubi cauſ. fiſc.*

§. 2. Qui, licet primum nullam videatur habuiſſe Juriſdictionem, poſtea tamen Civilem, inter fiſcum ſc. & privatos, v. *l. 1. 2. 5. C. ubi cauſ. fiſc. l. 25. C. ubi cauſ. ſtat.* Suet. *in Claud. c. 12.* non Criminalem, conſecutus eſt. v. *l. ult. h. t. l. 2. C. de mod. mulct.* Tacit. *L. IV. Ann. c. 15.* Dion Caſſ. *L. LIII.*

§. 3. Niſi vice Præſidis fungeretur; *l. 2. C. de pœn. l. 4. C. ad L. Fab. de Plag. l. 1. 3. C. ubi cauſ. fiſc.* Qualis Procurator fuit Pontius Pilatus, ſub quo Servator noſter paſſus eſt. Matth. XXVII, 2. Joſeph. *L. XVIII. c. 5.* Euſeb. *Hiſt. Eccl. L. I. c. 11.* Tac. *Ann. L. XV. c. 44.*

TITULUS. XX.

DE OFFICIO JURIDICI.

C. I. 57.

§. 1.

Ne præfectus Auguſtalis vel Ægypti, occupata opulentiſſima illa Provincia, res novas moliretur, & Italiam fame premeret, v. Tacit. *L. III. Hiſt. c. 8. 48.* & *L. XII. Ann. c. 43.* Suet. *in Veſp. c. 7.* Juſtin. *L. II. c. 1.* Imp. Auguſtus ei *Juridicum*

ridicum adjunxit; tum, ut videret, ne quid conſilii Præfectus Auguſtalis in detrimentum Reip. caperet, tum etiam, ut in Alexandrina Civitate jus diceret. *l. 1. 2. D. h. t. l. un. C. h. t. §. 5. I. de Attil. tut.*

TITULUS XXI.

De Officio Ejus, cui Mandata est Jurisdictio.

§. 1.

Magiſtratus autem, qua Urbani, qua Provinciales, Jus non tantum per ſe dixerunt, ſed etiam per alios, quibus videlicet ipſi jurisdictionem ſuam, jure Magiſtratus ſibi competentem, non etiam ſpeciali Lege delatam, mandaſſent. *l. 1. D. h. t.* De qua *Mandata Jurisdictione* plenius agetur ad *t. de Jurisd. §. 35. & ſeqq.*

TITULUS XXII.

De Officio Adsessorum.

C. I. 51.

§. 1.

Cum vero Magiſtratus Provinciales arma fere magis quam jura noſſent, non ſoli jus dixerunt, ſed *Aſſeſſores* habuerunt ſeu Conſiliarios, qui jura ipſis ſuggererent.

§. 2. Sunt itaque *Aſſeſſores* JCti, qui a Magiſtratibus in conſilium adhibentur, *in cognitionibus, poſtulationibus, libellis, Edictis, Decretis, epiſtolis. l. 1. D. h. t.* add. *Auth. Ad hæc C. de jud.*

§. 3. Qui, ſi perperam de jure reſponderint, litem ſuam faciunt, neque Magiſtratui hoc officit, ſed ipſis Aſſeſſoribus. *l. 2. D. quod quisque jur. in alt. ſtat.*

§. 4. Funguntur autem hoc munere quicunque non ſunt prohibiti: Quales ſunt Advocati, qui eodem tempore Advocati & Aſſeſſoris partes, ſive in diverſis, ſive in eodem Auditorio, ſuſtinere nequeunt. *l. 17. D. de jurisd. l. 6. §. ult. C. de poſt. l. ult. C. h. t.* Plin. I. *Ep. 23.*

§. 5. Quod tamen non obſtat, quominus cauſæ eorum, in alio Auditorio, per alios Advocatos expediri poſſint. v. *l. pen. D. h. t.*

§. 6. Pro navata opera Aſſeſſoribus ſolvitur ſalarium; Olim ab ipſis Præſidibus definiri ſolitum; *l. 4. D. h. t.* poſtea vero ab Alexandro Severo conſtitutum. Lamprid. *in Alex. c. 46. l. 32. D. ex quib. cauſ. maj.*

§. 7. Debeturque ipſis integrum ſalarium, etiamſi Præſes ante conſtitutum tempus diem functus ſit. *l. 4. D. h. t. l. 38. pr. §. 1. D. locat. l. 1. §. 13. D. de extr. cogn.*

cogn. Niſi reſiduo tempore aliis Præſidibus operam ſuam addixerint. *d. l. 4. 19. §. ult. D. locat. cond.*

* *

LIBER II. TITULUS I.

DE JURISDICTIONE.

C. III. 13.

§. 1.

Expoſitis ſingulis Magiſtratibus, eorumque Officiis, ſequitur Titulus Generalis de *Jurisdictione*, ejusque exercendæ modo.

§. 2. Quemadmodum enim, qui Actionem inſtituere parat, conſiderare in primis debet, coram quo Actio inſtitui debeat, ſic & Magiſtratus ad modum exercendæ jurisdictionis, qui ipſis præſcriptus eſt, attendere debet.

§. 3. *Jurisdictio* autem (quæ a *jure* & *dicendo* ſic vocata eſt, *arg. l. 1. D. h. t. l. un. §. 1. D. ſi quis jus dic. non obt.* & varie accipitur; v. Sen. *de Clem. L. I. c. 1. l. 5. D. de jud. §. 4. I. de Attil. tut. l. 6. §. 2. D. de tutel.*) hic eſt *Publica, de cauſis tum Criminalibus, tum Civilibus, juris dicendi, & judicatum exequendi poteſtas. l. 3. C. l. 2. D. h. t. l. 5. pr. D. de re jud. l. 99. pr. de V. S. l. ult. §. 1. D. de off. ejus cui mand. eſt jurisd. l. un. D. ſi quis jus dic. non obt.*

§. 4. Dicitur *Poteſtas Publica*, i. e. publica auctoritate conceſſa. Privati enim jurisdictionem alicui tribuere nequeunt. *l. 3. C. h. t.*

§. 5. Quo ipſo excluduntur *Arbitri compromiſſarii;* qui quidem de cauſis controverſis etiam cognoſcunt, & ſententias pronunciant, ſed privata tantum conventione conſtituuntur. *l. 11. §. 3. l. 17. §. 3. l. 19. pr. D. de recept. & qui arb. rec.*

§. 6. Dicitur *Poteſtas, de cauſis tum criminalibus, tum civilibus, juris dicendi;* Quin enim *Jurisdictio* de cauſis etiam criminalibus recte dicatur, ne quidem dubitandum videtur. v. *l. 2. §. 16.* junct. *§. 23. D. de O. J. l. 1. pr. D. de off. ejus cui mand. eſt jurisd. l. 7. §. ult. l. 8. D. de Off. Proc.* Tertull. *ad Scap. c. 4.* Caſſiod. *L. VI. var. form. 20.*

§. 7. Additur denique, *& judicatum exequendi;* Quia *cui jurisdictio data eſt, ea quoque conceſſa eſſe videntur, ſine quibus jurisdictio explicari non poteſt,* & jurisdictio cæteroquin nulla eſt. *l. 2. D. h. t. l. ult. §. 1. D. de off. ejus cui mand. eſt jurisd. l. un. pr. D. ſi quis jus dic. non obtemp.*

§. 8. Per quæ verba excluduntur *Judices Pedanei*, qui nudam tantum notionem habebant; *l. 5. 15. pr. D. de re jud.* nec non *Arbitri compromiſſarii*, qui ſimi-

ſimiliter notionem habent, ſed ſententiam exequi nequeunt. arg. *l. 5. C. de recept. l. 27. §. f. l. 2. D. eod.*

§. 9. *Juriſdictio* autem alio nomine vocatur *Imperium*. v. *l. 7. §. 14. D. de pact.* junct. *l. 1. §. 9. D. de novi op. nunc. l. 13. §. 4. D. ad SC. Treb. l. 7. in f. l. 8. 9. pr. D. de off. Proc. l. 215. D. de V. S. l. 3. D. h. t.* junct. *l. 12. §. 1. D. de jud. l. 26. pr. §. 1. D. ad munic.* junct. *l. 16. §. ult. D. de min. §. 1. I. de adopt.* junct. *l. 2. D. de Offic. Proc.*

§. 10. Eoque ſenſu *Imperium* dividitur in *Merum* & *Mixtum*, ſeu *Juriſdictio* in *Criminalem* & *Civilem. l. 3. D. h. t.*

§. 11. *Merum Imperium* ſeu *Juriſdictio Criminalis* eſt, *habere gladii poteſtatem, ad animadvertendum in facinoroſos homines. d. l. 3. D. h. t.* junct. *l. 70. D. de R. J.* ſeu poteſtatem juris dicendi & exequendi, in cauſis criminalibus.

§. 12. Quod *Merum* dicitur, non ideo, quia ſolum ac nudum imperium eſt, in ſola executione conſiſtens. *Merum* enim *imperium*, non magis ac mixtum, ſine cauſæ cognitione exerceri poteſt. *l. 6. pr. D. de Off. Proconſ. l. 2. §. 23.* junct. *§. 16. D. de O. J.*

§. 13. Non etiam ideo, quia purum eſt, nec Juriſdictioni civili cohærens & commixtum.

§. 14. Sed *merum imperium* potius ſic dici videtur, quaſi vehemens, ſummum, excellens. Ad ultionem enim læſæ diſciplinæ publicæ pertinet, & ſeveritatem judicis ac vim requirit: in eoque præcipuum quoddam jus poteſtatis elucet. add. Plaut. *Mil. Glor. Act. IV. ſc. 2. verſ. 85.* Sidon. Apoll. *L. IV. Ep. 2.*

§. 15. *Gladii* autem in deſcriptione *meri imperii* mentionem facit Ulp. *d. l. 3.* exempli tantum gratia. v. *l. 70. D. de R. J. l. 6. §. 8. D. de off. Præt.* Tum, quia eo plerumque ad irrogandum ultimum ſupplicium utebantur. v. *l. 8. §. 1. D. de pœn.* Tum, quia Magiſtratus merum imperium accipientes gladio accingi ſolebant. v. Ep. ad Rom. XIII, 4. Tacit. *Hiſt. L. III. c. 68.*

§. 16. Quemadmodum autem tres fere gradus ſunt pœnarum, ſic & tres gradus ſunt Meri Imperii:

I. Quo vita naturalis adimitur. *l. 28. pr. l. 21. D. de pœn. l. 203. D. de V. S.*

II. Quo vita civilis, ſeu jus civitatis tollitur. *d. l. 28. & 63. §. 10. D. pro ſoc. l. 209. D. de R. J.*

III. Quo alia levior pœna irrogatur. *l. 6. §. ult. l. 8. & 28. pr. D. de pœn.*

§. 17. Quod Imperium nulli competit, niſi cui ſpeciali lege conceſſum eſt; *l. 1. D. de off. ejus cui mand. eſt juriſd.* ab eo ſcil. qui in Rep. Majeſtatem habet. v. *l. 2. §. 16. 23. D. de O J. l. 3. D. ad L. Jul. Maj. l. 3. C. h. t.*

§. 18. Eique, cui conceſſum eſt, non proprietate competit & dominio, ſed uſu tantum & exercitio. arg. *d. l. 2. §. 16. 23. D. de O. J. l. 1. D. de offic. ejus cui mand. eſt juriſd.*

§ 19. Exerceri autem poteſt, non tantum accuſatore crimen deferente, ſed

& ex officio, nullo accuſatore exiſtente. *l. 3. 13. D. de off. Præſ. l. 2. §. 6. D. ad L. Jul. de adult. l. 1. C. de Cuſtod. reor.*

§. 20. *Mixtum Imperium eſt, cui etiam Jurisdictio ineſt*, i. e. quo etiam jurisdictio continetur, ſeu, quod cum Jurisdictione idem eſt, alioque nomine etiam *Jurisdictio* appellatur. *l. 3. D. h. t.* junct. *l. 7. §. 10. D. de pact.* v. *ſupr. §. 9. Poteſtas* ſcil. *Juris dicendi, & exequendi, in cauſis civilibus.*

§. 21. Quod *Mixtum* dicitur, quia lenius eſt: neque tam vehemens & excellens, quam Imperium Merum. v. Cic. *pro Cæcin. c. 2.*

§. 22. Non pauci ſane cenſent, *Mixtum imperium* a *Jurisdictione* diverſum eſſe; quia jurisdictioni cohæret, ejusque tuendæ cauſa comparatum eſt. *l. 1. §. ult. in f. l. ult. §. 1. D. de off. ejus cui mand. eſt jurisd.*

§. 23. Sed fugit eos duplex *Mixti Imperii* ſignificatio. Vel enim pro ipſa *Jurisdictione Civili* accipitur; *d. l. 3. D. h. t.* v. *ſupr. §. 9.* Vel pro *executione* & *coërcitione* Jurisdictioni civili cohærente. *d. l. 1. §. 1. in f. l. ult. §. 1. D. de offic. ejus cui mand. eſt jurisd.*

§. 24. *Priori* ſenſu *Mixto imperio Jurisdictio* ineſt, neque *Mixtum imperium* a *Jurisdictione* differt: Sed poſteriori ſenſu a *Jurisdictione* diverſum eſt.

§. 25. Ex quibus apparet, in *d. l. 3. D. h. t.* nihil mutandum vel emendandum eſſe; Nec non, quid ſentiendum de Nobili illa Quæſtione, An *Dare bonorum Poſſeſſionem*, *Jubere cavere Prætoria ſtipulatione*, *In poſſeſſionem mittere*, *In integrum reſtituere*, *Jurisdictionis* ſint, an *Mixti imperii?*

§. 26. Si enim *Mixtum imperium* pro ipſa *Jurisdictione* accipiatur, illa *Mixti* ſunt *imperii*; *d. l. 3. 4. D. h. t. l. 26. pr.* §. 1. *D. ad municip.* v. *l. 3. §. 8. D. de Bon. poſſ.* Si vero pro *executione* ſeu *coërcitione*, non item. *l. 1. D. h. t. d. l. 3. §. 8. D. pr. §. 2. I. de bon. poſſ. l. 2. §. 1. D. quis ord. in bon. poſſ. l. 5. pr. D. de V. O. l. 3. pr. D. ne vis fiat ei qui in poſſ. l. 16. §. f. D. de min. l. fin. C. ubi & ap. quem. cogn. in int. reſt.*

§. 27. *Civilis* autem *Jurisdictio* varie ſubdividitur. Et *primo* quidem in *Voluntariam*, & *Contentioſam*. *l. 2. pr. D. de offic. Proconſ.*

§. 28. *Jurisdictio Voluntaria* eſt, *quæ inter volentes & conſentientes*, auctoritatis cauſa, fere de plano, & citra cauſæ cognitionem, *exercetur*. Ad quam pertinent Legis Actiones, *Manumiſſio*, *Adoptio*, *Emancipatio*. *d. l. 2. D. de adopt. §. 6. ult. I. quib. m. patr. pot. ſolv. l. f. C. de emanc.*

§. 29. *Contentioſa* vero, *quæ* cum cauſæ cognitione *non tantum in conſentientes, ſed & invitos exercetur. l. 1. 2. 3. D. h. t. l. 37. D. de O. & A.* arg. *l. 83. §. 1. de V. O.* Eoque pertinent omnes actiones, & quæ inſtar actionum ſeſe habent. *d. l. 37. D. de O. & A.*

§. 30. II. *Jurisdictio Civilis* dividitur in *Ordinariam*, & *Extraordinariam*. *l. 7. §. f. D. de Off. Proc. l. 6. §. 2. D. de tutel.*

§. 31. *Ordinaria* eſt, *quæ jure Magiſtratui competit*, & jure ordinario, a majo-

Digitized by Google

majoribus recepto, Officio Magiſtratus ineſt. *l. 2. §. 13. D. de O. J. l. 12. §. 1. D. de jud.*

§. 32. *Extraordinaria* autem, *quæ ſpeciali Lege conceſſa eſt; d. l. 7. §. fi D. de Off. Proconſ. d. l. 6. §. 2. D. de tutel.* veluti *tutoris dandi poteſtas. d. l. 6. §. 2.*

§. 33. III. Denique dividitur *in Principalem* ſeu *Propriam*, *Mandatam*, & *Prorogatam.*

§. 34. Jurisdictio *Principalis* ſeu *Propria* eſt, *quæ principaliter alicui conceſſa, ac proprio jure competit. l. 5. 6. D. h. t.*

§. 35. *Mandata, quam quis juſſu ac nomine mandantis, & propriam habentis, exercet. d. l. 5. & 16. D. h. t. l. 1. §. 1. l. 3. D. de off. ejus cui mand. eſt jurisd.*

§. 36. *Mandare jurisdictionem* enim non eſt officio ſe privare, & in alterum illud transferre, quod legibus non permittitur; *l. 20. D. de off. Præſid. l. 3. C. de jurisd.* Sed jurisdictionem alteri ſuo nomine exercendam committere. *d. l. 16. D. h. t.*

§. 37. Mandare Jurisdictionem poteſt, qui eam proprio jure habet. *l. 5. D. h. t. l. 4. §. f. D. de off. Proc.*

§. 38. Mandari poteſt Jurisdictio Ordinaria, quæ jure Magiſtratus competit; *d. l. 5. D. h. t. l. 4. pr. §. 1. D. de off. ejus cui mand. eſt jurisd.* vel in totum, vel pro parte. *l. 16. 17. h. t.*

§. 39. Non etiam Merum imperium, neque Jurisdictio civilis Extraordinaria, quæ ſpeciali Lege conceſſa eſt. *l. 1. pr. §. 1. l. 2. pr. §. 1. D. de off. ejus cui mand. eſt jurisd. l. 70. D. de R. J. l. 8. pr. D. de tut. & curat. dat. l. 8. §. 8. D. de tranſact.*

§. 40. Mandari poteſt omnibus, etiam privatis, *l. f. §. 1. D. de offic. ejus cui mand. eſt jurisd.* qui Judices eſſe neque prohibentur, neque impediuntur. arg. *l. 12. §. 2. D. de jud.*

§. 41. Mandata Jurisdictione Mandatarius Mandantis nomine eam exercet; *l. 1. §. 1. l. 3. D. de off. ejus cui mand. eſt jurisd. l. 16. D. h. t.* & ſententiam exequitur; *l. 1. §. f. l. f. §. 1. de off. ejus cui mand. eſt jurisd.* Sed alteri eam mandare ſeu ſubdelegare nequit. *l. f. pr. D. de offic. ejus cui mand. eſt jurisd.*

§. 42. Extinguitur autem mandata Jurisdictio;

I. Revocatione mandantis; *l. 6. §. 1. de offic. Proc.* arg. *§. 9. I. de mand. l. 58. D. de jud.*

II. Extincta morte vel tempore jurisdictione mandantis. *l. 6. D. h. t.* arg. *§. 10. I. de mand.*

III. Denique morte mandatarii. arg. *d. §. 10.*

§. 43. *Prorogata Jurisdictio* eſt, *quæ ex voluntate partium extra terminos ſuos exercetur. l. 1. 2. D. de jud. l. 1. C. de jurisd. omn. jud. l. 18. D. h. t.*

§. 44. *Prorogatio* Jurisdictionis eſt *Expreſſa*, vel *Tacita.*

Digitized by Google

§. 45. *Expreſſa* eſt, *quæ fit expreſſo partium conſenſu, judicis aditione confirmato. l. 18. D. h. t. l. 1. 2. D. de jud.*

§. 46. Quod ſi per errorem alius pro alio Prætor fuerit aditus, nihil valebit quod actum eſt. Non enim conſentiunt qui errant, cum nihil tam contrarium ſit conſenſui, quam error, qui imperitiam detegit. *l. 15. D. h. t.* add. *l. 2. pr. D. de jud.*

§. 47. Similiter, ſi, priusquam Prætor adiretur, mutata fuerit voluntas, procul dubio nemo compelletur ejusmodi conventioni ſtare. *d. l. 18. D. h. t.* Quod per *l. pen. C. de pact.* mutatum non videtur.

§. 48. *Prorogatio Tacita* eſt, *quæ fit conſenſu tacito;* qui ex circumſtantiis, ſeu re ipſa & facto colligitur; veluti ſi reus, omiſſa fori exceptione, coram incompetenti judice ſciens litem conteſtatus ſit. *l. 4. C. h. t. l. ult. C. de exc.* add. *l. 52. D. de jud.*

§. 49. Quo etiam pertinet, quod, ſi quis contra aliquem coram Judice aliquo actionem inſtituat, eundem judicem in *Reconventione* contra ſe admittere cogatur. *Cujus enim in agendo Actor obſervat arbitrium, eum & contra ſe habere judicem non dedignetur. l. 11. §. 1. D. h. t. l. 22. D. de jud. l. 14. & Auth. Seq. C. de ſent. & interloc. N. 96. c. 2.* Quam quidam Prorogationem *Legalem* dicunt, ſeu *Neceſſariam.*

§. 50. Eſt autem *Reconventio* nihil aliud, quam *mutua petitio, d. l. 11. §. 1. D. h. t.* ſeu *conventio Rei, adverſus Actorem, coram eodem judice facta.*

§. 51. Quæ in omnibus cauſis locum habet, *l. 22. D. de jud.* & non tantum ante, ſed & poſt litem conteſtatam proponi poteſt, parique paſſu, cum conventione, ambulat. *d. l. 14. C. de ſent. & interl. Nov. 96. c. 2.*

§. 52. Prorogatur autem jurisdictio vel *de Re ad Rem* ſeu *Cauſa ad Cauſam,* vel *de Perſona ad Perſonam.*

§. 53. *Prorogatio de Re ad Rem* ſive *Cauſa ad Cauſam* eſt, cum judici, qui ex. gr. ad certam ſummam judicare juſſus eſt, conceditur, ut judicet de ſumma majori. *l. 74. §. 1. D. de jud. l. 28. D. ad munic.*

§. 54. Quæ ut procedat, requiritur, ut cauſæ ejusdem ſint generis. In rebus enim diverſi generis hæc prorogatio locum non habet. Unde, qui civilibus tantum cauſis præeſt, ex prorogatione de criminalibus cognoſcere nequit; *l. 1. C. ubi cauſ. fiſc.* & contra. *l. 61. §. 1. D. de judic.*

§. 55. *De Perſona ad Perſonam* vero, cum, qui judici, ad quem vocatur, ſubjectus non eſt, in eum vel expreſſe vel tacite conſentit. *l. 14. 15. & 18. D. h. t. l. 1. 2. pr. D. de jud. l. 1. & 3. C. h. t.*

§. 56. *Prorogatio de Loco ad Locum,* quam quidam adjiciunt, nec non *de Tempore ad Tempus,* recte rejicitur. Extra territorium enim quilibet eſt privatus, & jus dicenti impune non paretur; *l. ult. D. h. t. l. 3. D. de off. Præſ. l. ult. D. de off. Præf. Urb.* Quod & ratione temporis locum habet. *l. 13. §. 1. D. h. t.*

§. 57.

§. 57. Præterea Jurisdictio dividi poteſt in *Civilem*, quæ eſt penes Magiſtratum civilem; & *Militarem*, quæ penes Magiſtratum militarem. v. *l. 6. C. h. t. & t. t. C. de off. Civ. jud. & de off. Milit. jud. l. 2. C. ubi quis de curial. vel cohort.*

§. 58. Nec non in *Minorem*, quæ competit Magiſtratibus Minoribus; & *Majorem*, quam ſoli habent Magiſtratus Majores; v. *l. 2. D. de in jus voc. l. 32. D. de injur.* Cujus generis ſunt, jubere *cavere Prætoria ſtipulatione, in poſſeſſionem mittere, in integrum reſtituere &c.* quæ proinde magis *Imperii* quam *Jurisdictionis* eſſe dicuntur. *l. 4. D. h. t. l. 26. D. ad municip.*

§. 59. Jurisdictionem dare poſſunt, penes quos eſt Majeſtas; Non Privati. *l. 3. C. h. t. l. 3. D. de offic. Præt. l. 3. in f. D. ad L. Jul. Maj.*

§. 60. Unde conſequitur, eam per præſcriptionem acquiri non poſſe; *l. 3. in f. D. ad L. Jul. Maj.* arg. *l. 2. C. de uſuc. pro emt.* junct. *l. 1. §. 1. D. de off. ejus cui mand. eſt jurisd. l. 6. C. de præſcr. 30. vel 40. ann. l. 1. pr. D. de off. ejus cui mand. eſt jurisd.*

§. 61. Dari poteſt omnibus, qui Judices eſſe neque prohibentur, neque impediuntur. arg. *l. 12. §. 2. D. de jud.*

§. 62. Officium *Jus dicentis* latiſſimum eſt: Nam & bonorum poſſeſſionem dare poteſt, & in poſſeſſionem mittere, pupillis non habentibus tutores conſtituere, Judices litigantibus dare (ſecundum antiquum ſcil. litigandi morem) *l. 1. D. h. t.* Aliaque ſecundum modum conceſſæ Jurisdictionis expedire.

§. 63. Exercetur autem Jurisdictio in ſubditos; Quia extra territorium jus dicenti impune non paretur. *l. ult. D. h. t.*

§. 64. Illud etiam obſervandum, ut, qui jurisdictioni præeſt, aliis, non ſibi ipſi, neque iis, quos ſecum habet, jus dicat. *l. 10. D. h. t. & t. t. C. ne quis in ſua cauſ. jud. vel jus ſibi dic.* Quintil. *Decl. XIII.* Caſſiod. IV. *Var. 10.*

§. 65. Unde neque Pater in cauſa filii, neque filius in cauſa Patris, niſi conſentiente adverſario, jus dicere poteſt. *l. 10. D. h. t.* junct. *l. 77. D. de jud.*

§. 66. Sunt tamen caſus excepti, quibus etiam ſibi ipſi, & in propria cauſa jus dicere permiſſum eſt.

§. 67. In propria enim cauſa judicare poteſt Princeps. *l. 3. D. de his quæ in teſt. del. l. 41. D. de hered. inſt. §. ult. I. de vulg. ſubſt.*

II. Prætor in cauſa dubia judicat, an ſua ſit jurisdictio. *l. 5. 2. §. 6. D. de jud. l. 2. pr. D. ſi in jus voc. non ier.*

III. Magiſtratus violatam jurisdictionem & auctoritatem vindicare, eamque pœnali judicio defendere poteſt. *l. un. pr. D. ſi quis jus dic. non obt.*

Urbem & centeſimum ab Urbe lapidem; *d. l. 1. pr.* §. 4. *l. 2. D. h. t.* Adeoque pœnas capitales potuit irrogare; *l. 7. C. ad. L. Fab. de plag.* deportare, ac relegare; *l. 1. §. 3. D. h. t.* Urbe aliave ſolitarum regionum interdicere; ut & negotiatione, Profeſſione, & Advocatione, & foro, ad tempus & in perpetuum. *d. l. 1.* §. *13.*

§. 7. Quies denique Popularium, inter alia, ad ipſius curam pertinet; Ad quam tuendam diſpoſitos milites ſtationarios habere ipſi conceſſum eſt. *l. 1. §. 12. D. h. t.*

TITULUS XIII.

DE OFFICIO QUÆSTORIS.

C. I. 30. XII. 6.

§. I.

Quæſtores ſunt vel *Ærarii*, vel *Parricidii*. *l. 2. §. 22. 23. D. de O. J.* Feſt. in voc. *Parici* (ſeu potius *Parricidii*) *Quæſtores.*

§. 2. *Quæſtores Ærarii* (de quibus ſolis hic agitur) ſunt, *qui pecuniæ publicæ præſunt.* Sic dicti, quod *inquirendæ*, & curandæ pecuniæ cauſa, creati ſint. *d. l. 2. §. 22. D. de O. J. l. un. §. 1. h. t.* Varr. *de L. L. L. IV.*

§. 3. Origo autem Quæſtoribus creandis ſimiliter antiquiſſima eſt. Ut a quibusdam ad ipſos Reges, maxime Tullum Hoſtilium, referatur. *l. un. pr. h. t.* add. Tacit. *Ann. L. XI. c. 22.*

§. 4. Officium itaque Quæſtorum fuit, Pecuniæ publicæ tum conquirendæ, tum conſervandæ, tum in varios uſus erogandæ, curam gerere; *d. l. 2. §. 22. D. de O. J.* Provincias ſortiri, rem militarem ſequi, prædasque & manubias in publicas rationes referre. *l. un.* §. *2. D. h. t.*

§. 5. Exceptis *Candidatis Principum*, qui libellis & Epiſtolis Principalibus in Senatu legendis vacabant; *l. un. §. 2. D. h. t.* Suet. *in Aug. c. 65.* Tacit. *Ann. XVI. c. 27.* Spart. *in Hadr. c. 3.* Omnemque poſtea juſtitiæ in Aula curandæ poteſtatem conſecuti ſunt. *l. 1. 2. 3. C. h. t. l. 32. C. de appell.* add. *l. ult. C. de div. reſcr. N. 114. c. 1. N. 126.*

§. 6. Cæterum curam Ærarii Saturni Quæſtoribus abſtulit Auguſtus, eamque Prætoriis Prætoribusve mandavit. Suet. *in Aug. c. 36.* reddidit Claudius, Suet. *in Claud. c. 24.* ſed ademit iterum Nero, & ad *Præfectos ærarii* tranſtulit; Tacit. *L. XIII. Ann. c. 28.* Gell. *L. XIII. c. 23.* Quorum in jure noſtro frequens eſt mentio. v. *l. 15. §. ult. D. de jur. fiſc. l. 42. eod. l. 2. §. 4. ne quid in loc. publ.*

§. 7. Fuit & temporibus Juſtiniani alius *Quæſtor*, qui in vagabundos, mendicos, & otioſos inquirebat, eosque labori addicebat; Nec non de falſo, Executorumque concuſſionibus, cognoſcebat. *Nov. 80. c. 1. & ſeqq.*

TITU-

Digitized by Google

TITULUS XIV.

De Officio Prætorum.

C. I, 39. XII. 2.

§. 1.

Prætor olim omnis dicebatur Dux exercitus, eo quod exercitui præiret, v. Varr. *L. IV. de L. L.* Aſcon. Ped. *in Verr. L. I. c. 14. ſupr. ad t. de Offic. Præf. Prætor. §. 1.*

§. 2. Sed hoc loco Magiſtratus eſt, *qui Juri dicundo creatus eſt; l. 2. §. 27. D. de O. J.* ſeu *Juris diſceptator, qui privata judicat, judicarive jubet.* Cic. *de LL. L. III. c. 3.*

§. 3. Cum enim Conſules avocarentur bellis finitimis, neque eſſet, qui in civitate jus reddere poſſet, *Prætor* creatus eſt, qui *Urbanus* appellatus, quod in Urbe jus redderet. *d. l. 1. §. 27. D. de O. J.* add. Liv. *L. VI. c. 42.*

§. 4. Eoque non ſufficiente, quod multa turba etiam peregrinorum in civitatem veniret, creatus deinde eſt & alius *Prætor*, qui *Peregrinus* appellatus eſt, ab eo, quod plerumque inter peregrinos jus dicebat. *l. 2. §. 28. D. de O. J.* add. Epit. Liv. *L. XIX.*

§. 5. Ut adeo *Prætor*, alius eſſet *Urbanus*, qui & *Major.* dicebatur, qui jus inter cives reddebat: Alius *Peregrinus*, qui & *Minor* dicebatur, v. Feſt. *in voc. Majorem Conſulem.* qui inter peregrinos, vel cives & peregrinos, jus dicebat. v. *l. 17. C. de appell.*

§. 6. Creſcente autem imperio, in tantum poſtea amplificatus eſt Prætorum numerus, ut 18. Prætores aliquando in civitate jus dixerint. *l. 2. §. 32. in f. D. de O. J.*

§. 7. Officium itaque Prætorum erat maxime *Jus dicere;* quod tribus fère verbis abſolvitur, *Do*, *Dico*, *Addico*, v. Varr. *L. V. de LL.* Macrob. *L. I. Sat. c. 16.*

§. 8. *Dabant* Actionem, judicem Pedaneum, v. Cic. II. *in Verr. c. 12.* (quod tamen deinceps abrogatum; *l. 2. C. de ped. jud.*) tutorem, bonorum poſſeſſionem, reſtitutionem in integrum; *Dicebant* ſcil. jus, cum ipſi de cauſis gravioribus cognoſcebant; *Addicebant* denique res in Ceſſionibus & Auctionibus.

§. 9. Unde dies, quibus Prætor ſui copiam faciebat, & tria illa verba fari poterat, *faſti*, quibus vero jus non reddebatur *nefaſti* dicebantur; Ovid. *L. I. Faſtor. 47. 48.*

Ille nefaſtus *erit, per quem tria verba ſilentur;*
Faſtus *erit per quem lege licebat agi.*

add. Varr. *d. l.* Macrob. *d. l.*

§. 10. Cumque Juris civilis cuſtodes eſſent, Cic. *L. III. de LL. c. 3.* Jus Civile per Edicta ſua adjuvare & ſupplere; *l. 7. §. 1. D. de J. & J.* Sed contra illud aliquid ſtatuere non poterant. *l. 12. §. 4. D. de Publician. in rem act. l. 12. §. 1. D. de bon. poſſ. v. ſupr. ad t. de J. & J. §. 86. & ſeqq.*

§. 11. Jurisdictionem autem tantum habebant civilem, non etiam merum imperium, ſeu jurisdictionem criminalem. *l. 1. 2. D. h. t. l. 1. 2. C. h. t. l. ult. C. de præd. min. l. 1. §. ult. l. 2. D. de ſuſp. tut.* §. *10. 11. I. eod. l. 4. C. de a lm. tut.* Exceptis tamen iis, qui Publicarum Quæſtionum cauſa a Corn. Sulla creati ſunt. *l. 2.* §. *32. de O. J.*

§. 12. Plane Servum Prætorem eſſe non poſſe, nemo non intelligit; v. *l. 175. pr. l. ult. D. de R. J. l. 12. §. 2. D. de jud. l. 11. 38. C. de liberal. cauſ.* Quod ſi tamen contingat, ſervum aliquem, qui liber eſſe credebatur, cum Barbario Philippo, (de quo v. Suid. in Βάρβιος Φιλιππικός) Prætorem creari, ea, quæ edixit, quæ decrevit, quæque apud eum acta ſunt, detecto errore, non ſunt reprobanda, ſed ob utilitatem publicam rata habenda. *l. 3. D. h. t.* add. *l. 2. C. de ſent. & interl.* Cic. *Phil. 1. c. 7.*

§. 13. Ex qua, communem errorem jus facere, minime inferri poteſt. v. *l. 39. D. de ll. l. 6. §. 1. D. de off. Præſ.*

TITULUS XV.

De Officio Præfecti Vigilum.

C. I. 43.

§. 1.

Apud Vetuſtiores incendiis arcendiis *Triumviri* præerant, qui ab eo, quod excubias agebant, *Nocturni* dicti ſunt. *l. 1. h. t.* Val. Max. *L. VIII. c. 1. in Damnat.* n. 6.

§. 2. Interveniebant nonnunquam & Ædiles, & Tribuni Plebis. *d. l. 1. D. h. t.*

§. 3. Deinde Divus Auguſtus maluit per ſe huic rei conſuli, pluribus uno die incendiis ortis. *d. l. 1. in f. l. 2. D. h. t.* Dion. Caſſ. *L. LV.* Sueton. *in Aug. c. 30.* add. *l. 2.* §. *33. D. de O. J.*

§. 4. Itaque ſeptem cohortes opportunis locis conſtituit, ut binas regiones urbis unaquæque cohors tueatur: Præpoſitis eis Tribunis, & ſuper omnes ſpectabili Viro, qui *Præfectus Vigilum* appellatur. *l. 3. pr. h. t.*

§. 5. Quorum auctoritas & poteſtas primum parva fuit, ut *Præfectus Vigilum* ne quidem Magiſtratibus accenſeretur. v. *l. 2. §. 33. D. de O. J.*

§ 6. Sed poſtmodum vehementer aucta eſt. Munus enim eorum non tantum eſt *per totam noctem vigilare & cum hamis & dolabris coërrare; l. 3. §. 3. h. t.*

3. h. t. Sed *cognoſcit* etiam *Præfectus Vigilum de incendiariis, effractoribus, furtibus, raptoribus & receptatoribus:* Poteſque eos, *qui negligentius ignem habuerunt*, ipſis quoque *fuſtibus caſtigare, quia plerumque incendia culpa fiunt inhabitantium l. 3. §. 1 2. 5. l. ult. D. h. t.*

§. 7. Jus tamen gladii, vel ultimi ſupplicii irrogandi, non habuit. Non obſt. *l. pen. D. de cond. cauſ. dat. cauſ. non ſec.* Ubi pro *Præfecto. & Præfectus Vigilum.* legendum videtur *Præfecto. & Præfectus Urbi.*

§. 8. Poſtquam vero hic Magiſtratus vilioribus dari cœptus, ipſique fures cum eo ſæpe conſpirarent, v. *Nov. 13. c. 2.* paulatim deſpectus eſt: Ejusque loco a Juſtiniano Imp. in Urbe Conſtantinopolitana *Prætor Populi* creatus eſt; cui & in eos, qui nocte mœchando, vel furando, vel alio modo deliquiſſent, gladii poteſtas data eſt. *Nov. 13. præf. c. 1. §. 1. c. 2. pr. §. 1. c. 4. pr. §. 1. c. 6. pr. §. 1.*

TITULUS XVI.

De Officio Proconsulis Et Legati.

C. I. 35.

De Officio Proconsulis.

§. 1.

Inter *Magiſtratus Provinciales* primo conſiderandus venit *Proconſul*, ejusque *Legatus*.

§. 2. *Proconſul* eſt, qui *pro Conſule* mittitur, i. e. conſulari poteſtate, ut Conſulis vice fungatur.

§. 3. Et quidem propagatis Imperii finibus complurium & ingentium bellorum cura exorta, ſub Lib. Rep. fere obſervatum, ut quo quique anno Conſules fuiſſent, ſequenti Proconſules manerent, & varias Provincias cum imperio ſortirentur. Dion. Caſſ. L. LIII. Suet. *in Aug. c. 36.*

§. 4. Auguſtus autem Imp. Provincias inter ſe & Populum diviſit; ita quidem, ut validiores, & quas annuis Magiſtratuum imperiis regi, nec facile, nec tutum erat, ipſe ſuſciperet, reliquas Proconſulibus ſortito permitteret. Suet. *in Aug. c. 47.* Strab. *L. ult. circ. fin. p. 1197. Ed. Amſt.* Dion. Caſſ. *L. LIII.*

§. 5. Ex quo in Provincias Populi a Senatu P. Q. R. miſſi ſunt *Proconſules;* in Provincias vero Cæſaris, ab Impp. *Præſides;* de quib. *t. ſeq. 18.*

§. 6. Mittebatur autem Proconſul in Provincias cum Conſulari imperio, & pleniſſima poteſtate. *l. 7. §. ult. l. 8. 9. pr. D. h. t.*

§. 7. Ut Jurisdictionem habeat non tantum *civilem*, tum *voluntariam*, (quam ſtatim exercet, ſimul atque Urbem eſt egreſſus; *l. 2. D. h. t.*) tum *contentioſam*, (quam demum exercet, ubi Provinciam ingreſſus eſt; *l. 1. 2. h. t.*)

Digitized by Google

ſed & criminalem, ſeu gladii poteſtatem. *l. 6. pr. l. 11. D. h. t.* Act. Ap. XVIII, 12. *& ſeqq.*

§. 8. Quin & jus habuit Edicta promulgandi, jura Provincialia condendi, *l. 1. D. de alien. jud. m. c. l. 57. de Acq. her. l. 26. de dol.* Ut & diſciplinam militarem adminiſtrandi. *N. 30. c. 1.* §. *1.*

§. 9. Ut autem Dignitate ſua integre & honeſte fungantur Proconſules, aliique Magiſtratus, a muneribus & ſordibus abſtinere debent. *l. 6. §. 3. D. h. t. l. 18. D. de offic. Præſ.*

§. 10. Quod tamen ad Xeniola, eſculentum, potulentumve, quod intra dies proximos prodigatur, non pertinet. *d. l. 6. §. 3. D. h. t. d. l. 18. D. d. off. Præſ.*

DE OFFICIO LEGATI.

§. 11. *Legatus Proconſulis* eſt, *qui Proconſuli in Provincias eunti publico nomine adjungebatur:* tum ut actiones ejus obſervaret, tum ut ei opera ſua præſto eſſet.

§. 12. Quem in finem Proconſul, poſtquam provinciam ingreſſus eſt, Juriſdictionem Legato mandat. *l. 4. §. 6. l. 6. §. 1. l. 13. D. h. t.*

§. 13. Quæ tamen Legati Juriſdictio in multis magis propria eſt, quam mandata. v. *d. l. 4. §. 6. h. t. l. 4. pr. D. de offic. ejus cui mand. eſt juriſd. l. 2.* junct. *l. 1. §. 1. D. quis a quo appell. l. pen. h. t.* junct. *l. 1. §. 1. D. de tut. dat.*

§. 14. Habent autem Legati Juriſdictionem tantum Civilem, etiam voluntariam, ex quo ſcil. Provinciam ingreſſi ſunt; *d. l. pen. h. t. l. 17. §. 1. D. de man. vind.* Non vero Criminalem. *d. l. 6. pr. l. 11. D. h. t. l. 1. pr. D. de off. ejus cui mand. eſt juriſd.* Adeoque, ſi quid majorem animadverſionem exigat, remittere Legatus ad Proconſulem debet. *d. l. 1. h. tt.*

TITULUS XVII.

DE OFFICIO PRÆFECTI AUGUSTALIS.

C. I. 37.

§. 1.

In Provincias Cæſaris ſeu Principis mittebantur *Præſides.*

§. 2. Cum vero Ægyptus Provincia longe maximi eſſet momenti, vid. Sueton. *in Veſp. c. 7.* Tacit. *L. III. Hiſt. c. 8.* Auguſtus Imp. inter alia dominationis arcana, illam ſibi ſepoſuit, v. Tacit. *L. II. Annal. c. 59.* eique ſingularem Magiſtratum præpoſuit, qui inde *Præfectus Auguſtalis, h. t.* Strab. *L. XVII. p. 1147.*

in

Digitized by Google

in f. Ed. Amſt. nec non *Præfectus Ægypti* dictus eſt. *l. un. D. h. t. l. 21. D. de man. vind. l. 1. D. de tut. & cur. dat.*

§. 3. Habuit autem *Præfectus Auguſtalis* imperium Proconſulari ſimile; *d. l. un. D. h. t.* Adeoque Jurisdictionem criminalem & civilem, voluntariam & contentioſam. arg. *d. l. un.* junct. *l. 7. §. ult. l. 8. D. de off. Proconſ.*

§. 4. Unde tutores dare, *d. l. 1. D. de tut. & curat. dat.* de manumiſſionibus cognoſcere, *l. 21. D. de man. vind.* Poſtulationibus interdicere, *l. 1. C. de poſtul.* Similiaque exercere potuit.

TITULUS XVIII.

De Officio Præsidis.

C. I. 40.

§. 1.

Reliquarum Provinciarum Cæſaris ſeu Principis ſummi Magiſtratus dicebantur *Præſides*.

§. 2. *Præſidis* ſane nomen generale eſt, eoque & Proconſules, & Legati Cæſaris, & omnes Provincias regentes, imo & ipſi Principes appellantur. *l. 1. D. h. t.* Flor. *L. IV. c. 3.* Stat. v. *Sylv. 2.*

§. 3. Sed hic *Præſes in ſpecie* eſt Magiſtratus, a Cæſare, in Provincias Cæſaris ſeu Principis, miſſus. Unde & *Legatus Cæſaris* dictus eſt. *l. 20. D. h. t. l. 4. D. de offic. Aſſ. l. 12. D. de accuſ.*

§. 4. Mittebatur Præſes a Principe in Provinciam ſumma cum poteſtate, ut majus in ea Provincia haberet imperium omnibus poſt Principem, *l. 4. D. h. t.* & de omnibus cauſis, quæ Romæ varios habebant judices, cognoſceret, *l. 10. & 11. h. t.*

§. 5. Jurisdictionem itaque habuit non tantum civilem, tum voluntariam, v. *l. 2. 5. 17. D. h. t.* tum contentioſam, ſed & criminalem. *l. 3. & 6. §. 8. l. 14. 21. D. h. t. l. 6. pr. & §. ult. D. de pœn.*

§. 6. Unde ad Officium ejus pertinet in crimina inquirere, & in delinquentes pro re nata animadvertere: *Congruit enim bono & gravi Præſidi curare, ut pacata atque quieta provincia ſit, quam regit: Quod non difficile obtinebit, ſi ſollicite agat, ut malis hominibus Provincia careat, eosque conquirat: Nam & ſacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquirere debet; & prout quisque deliquerit, in eum animadvertere, receptoresque eorum coërcere, ſine quibus latro diutius latere non poteſt. l. 3. & 13. pr. l. ult. D. h. t.*

§. 7. Jus tamen deportandi in inſulam, niſi Principe probante, Præſidibus Provinciarum non competit. *l. 2. §. 1. D. de pœn. l. 6. §. 1. D. de interd. & releg. l. 1. §. 3. D. de leg. 3.* junct. *l. 8. D. ad L. Corn. de Sic.* Deportatio enim in locum

cum Aquæ & Ignis interdictionis ſucceſſit, *d: l. 2. §. 1. de pæn. l. 3. D. ad L. Jul. pec. l. pen. §. f. de extr. cogn.* quæ a ſolo decernebatur Populo, & proinde ſpecialia quædam habuit.

§. 8. *Obſervandum etiam eſt jus reddenti, ut in adeundo quidem facilem ſe præbeat, ſed contemni non patiatur: Unde Mandatis adjicitur, ne Præſides Provinciarum in ulteriorem familiaritatem Provinciales admittant. Nam ex converſatione æquali contemtio dignit utis naſcitur. l. 19. pr. D. h. t.*

§. 9. *Sed & in cognoſcendo, neque excandeſcere adverſus eos, quos malos putat, neque precibus calamitoſorum inlacrimari oportet: Id enim non eſt conſtantis & recti judicis, cujus animi motum vultus detegit. Et ſummatim ita jus reddi debet, ut auctoritatem dignitatis ingenio ſuo augeat. d. l. 19. §. 1. D. h. t.*

§. 10. In judicando denique Acta & Probata ſequi debet; *l. 6. §. 1. h. t.* Neque *ſpectandum, quid Romæ factum, ſed quid fieri debeat. l. 12. D. h. t.*

TITULUS XIX.

DE OFFICIO PROCURATORIS CÆSARIS, VEL RATIONALIS.

§. 1.

Procurator *Cæſaris* ſeu *Rationalis* (qui ab Auguſto inſtitutus, Dion Caſſ. *L. LIII.*) eſt Magiſtratus in Provincias miſſus, ut ea, quæ ad fiſcum Principis pertinent, curaret. *l. 1. §. 1. 2. D. h. t. l. 9. D. de Offic. Proc. l. 2. C. ubi cauſ. fiſc.*

§. 2. Qui, licet primum nullam videatur habuiſſe Juriſdictionem, poſtea tamen Civilem, inter fiſcum ſc. & privatos, v. *l. 1. 2. 5. C. ubi cauſ. fiſc. l. 25. C. ubi cauſ. ſtat.* Suet. *in Claud. c. 12.* non Criminalem, conſecutus eſt. v. *l. ult. h. t. l. 2. C. de mod. mulct.* Tacit. *L. IV. Ann. c. 15.* Dion Caſſ. *L. LIII.*

§. 3. Niſi vice Præſidis fungeretur; *l. 2. C. de pæn. l. 4. C. ad L. Fab. de Plag. l. 1. 3. C. ubi cauſ. fiſc.* Qualis Procurator fuit Pontius Pilatus, ſub quo Servator noſter paſſus eſt. Matth. XXVII, 2. Joſeph. *L. XVIII. c. 5.* Euſeb. *Hiſt. Eccl. L. I. c. 11.* Tac. *Ann. L. XV. c. 44.*

TITULUS. XX.

DE OFFICIO JURIDICI.

C. I. 57.

§. 1.

Ne præfectus Auguſtalis vel Ægypti, occupata opulentiſſima illa Provincia, res novas moliretur, & Italiam fame premeret, v. Tacit. *L. III. Hiſt. c. 8. 48.* & *L. XII. Ann. c. 43.* Suet. *in Veſp. c. 7.* Juſtin. *L. II. c. 1.* Imp. Auguſtus ei *Juridicum*

ridicum adjunxit; tum, ut videret, ne quid conſilii Præfectus Auguſtalis in detrimentum Reip. caperet, tum etiam, ut in Alexandrina Civitate jus diceret. *l. 1. 2. D. h. t. l. un. C. h. t. §. 5. I. de Attil. tut.*

TITULUS XXI.

De Officio Ejus, cui Mandata est Jurisdictio.

§. 1.

Magiſtratus autem, qua Urbani, qua Provinciales, Jus non tantum per ſe dixerunt, ſed etiam per alios, quibus videlicet ipſi jurisdictionem ſuam, jure Magiſtratus ſibi competentem, non etiam ſpeciali Lege delatam, mandaſſent. *l. 1. D. h. t.* De qua *Mandata Jurisdictione* plenius agetur ad *t. de Jurisd. §. 35. & ſeqq.*

TITULUS XXII.

De Officio Adsessorum.

C. I. 51.

§. 1.

Cum vero Magiſtratus Provinciales arma fere magis quam jura noſſent, non ſoli jus dixerunt, ſed *Aſſeſſores* habuerunt ſeu Conſiliarios, qui jura ipſis ſuggererent.

§. 2. Sunt itaque *Aſſeſſores* JCti, qui a Magiſtratibus in conſilium adhibentur, *in cognitionibus, poſtulationibus, libellis, Edictis, Decretis, epiſtolis. l. 1. D. h. t.* add. *Auth. Ad hac C. de jud.*

§. 3. Qui, ſi perperam de jure reſponderint, litem ſuam faciunt, neque Magiſtratui hoc officit, ſed ipſis Aſſeſſoribus. *l. 2. D. quod quisque jur. in alt. ſtat.*

§. 4. Funguntur autem hoc munere quicunque non ſunt prohibiti: Quales ſunt Advocati, qui eodem tempore Advocati & Aſſeſſoris partes, ſive in diverſis, ſive in eodem Auditorio, ſuſtinere nequeunt. *l. 17. D. de jurisd. l. 6. §. ult. C. de poſt. l. ult. C. h. t.* Plin. I. *Ep. 23.*

§. 5. Quod tamen non obſtat, quominus cauſæ eorum, in alio Auditorio, per alios Advocatos expediri poſſint. v. *l. pen. D. h. t.*

§. 6. Pro navata opera Aſſeſſoribus ſolvitur ſalarium; Olim ab ipſis Præſidibus definiri ſolitum; *l. 4. D. h. t.* poſtea vero ab Alexandro Severo conſtitutum. Lamprid. *in Alex. c. 46. l. 32. D. ex quib. cauſ. maj.*

§. 7. Debeturque ipſis integrum ſalarium, etiamſi Præſes ante conſtitutum tempus diem functus ſit. *l. 4. D. h. t. l. 38. pr. §. 1. D. locat. l. 1. §. 13. D. de extr. cogn.*

Digitized by Google

cogn. Niſi reſiduo tempore aliis Præſidibus operam ſuam addixerint. *d. l. 4. 19. §. ult. D. locat. cond.*

* *

LIBER II. TITULUS I.

De Jurisdictione.

C. III. 13.

§. 1.

Expoſitis ſingulis Magiſtratibus, eorumque Officiis, ſequitur Titulus Generalis de *Jurisdictione*, ejusque exercendæ modo.

§. 2. Quemadmodum enim, qui Actionem inſtituere parat, conſiderare in primis debet, coram quo Actio inſtitui debeat, ſic & Magiſtratus ad modum exercendæ juriſdictionis, qui ipſis præſcriptus eſt, attendere debet.

§. 3. *Jurisdictio* autem (quæ a *jure* & *dicendo* ſic vocata eſt, *arg. l. 1. D. h. t. l. un. §. 1. D. ſi quis jus dic. non obt.* & varie accipitur; v. Sen. *de Clem. L. I. c. 1. l. 5. D. de jud. §. 4. I. de Attil. tut. l. 6. §. 2. D. de tutel.)* hic eſt *Publica, de cauſis tum Criminalibus, tum Civilibus, juris dicendi, & judicatum exequendi poteſtas. l. 3. C. l. 2. D. h. t. l. 5. pr. D. de re jud. l. 99. pr. de V. S. l. ult. §. 1. D. de off. ejus cui mand. eſt jurisd. l. un. D. ſi quis jus dic. non obt.*

§. 4. Dicitur *Poteſtas Publica*, i. e. publica auctoritate conceſſa. Privati enim jurisdictionem alicui tribuere nequeunt. *l. 3. C. h. t.*

§. 5. Quo ipſo excluduntur *Arbitri compromiſſarii*; qui quidem de cauſis controverſis etiam cognoſcunt, & ſententias pronunciant, ſed privata tantum conventione conſtituuntur. *l. 11. §. 3. l. 17. §. 3. l. 19. pr. D. de recept. & qui arb. rec.*

§. 6. Dicitur *Poteſtas, de cauſis tum criminalibus, tum civilibus, juris dicendi*; Quin enim *Jurisdictio* de cauſis etiam criminalibus recte dicatur, ne quidem dubitandum videtur. v. *l. 2. §. 16.* junct. §. *23. D. de O. J. l. 1. pr. D. de off. ejus cui mand. eſt jurisd. l. 7. §. ult. l. 8. D. de Off. Proc.* Tertull. *ad Scap. c. 4.* Caſſiod. *L. VI. var. form. 20.*

§. 7. Additur denique, *& judicatum exequendi*; Quia *cui jurisdictio data eſt, ea quoque conceſſa eſſe videntur, ſine quibus jurisdictio explicari non poteſt*, & jurisdictio cæteroquin nulla eſt. *l. 2. D. h. t. l. ult. §. 1. D. de off. ejus cui mand. eſt jurisd. l. un. pr. D. ſi quis jus dic. non obtemp.*

§. 8. Per quæ verba excluduntur *Judices Pedanei*, qui nudam tantum notionem habebant; *l. 5. 15. pr. D. de re jud.* nec non *Arbitri compromiſſarii*, qui ſimi-

Digitized by Google

ſimiliter notionem habent, ſed ſententiam exequi nequeunt. arg. *l. 5. C. de recept. l. 27. §. f. l. 2. D. eod.*

§. 9. *Jurisdictio* autem alio nomine vocatur *Imperium.* v. *l. 7. §. 14. D. de pact.* junct. *l. 1. §. 9. D. de nov. op. nunc. l. 13. §. 4. D. ad SC. Treb. l. 7. in f. l. 8. 9. pr. D. de off. Proc. l. 215. D. de V. S. l. 3. D. h. t.* junct. *l. 12. §. 1. D. de jud. l. 26. pr. §. 1. D. ad munic.* junct. *l. 16. §. ult. D. de min. §. 1. I. de adopt.* junct. *l. 2. D. de Offic. Proc.*

§. 10. Eoque ſenſu *Imperium* dividitur in *Merum & Mixtum*, ſeu *Jurisdictio* in *Criminalem & Civilem. l. 3. D. h. t.*

§. 11. *Merum Imperium* ſeu *Jurisdictio Criminalis* eſt, *habere gladii poteſtatem, ad animadvertendum in facinoroſos homines. d. l. 3. D. h. t.* junct. *l. 70. D. de R. J.* ſeu poteſtatem juris dicendi & exequendi, in cauſis criminalibus.

§. 12. Quod *Merum* dicitur, non ideo, quia ſolum ac nudum imperium eſt, in ſola executione conſiſtens. *Merum* enim *imperium*, non magis ac mixtum, ſine cauſæ cognitione exerceri poteſt. *l. 6. pr. D. de Off. Proconſ. l. 2. §. 23.* junct. *§. 16. D. de O. J.*

§. 13. Non etiam ideo, quia purum eſt, nec Jurisdictioni civili cohærens & commixtum.

§. 14. Sed *merum imperium* potius ſic dici videtur, quaſi vehemens, ſummum, excellens. Ad ultionem enim læſæ diſciplinæ publicæ pertinet, & ſeveritatem judicis ac vim requirit: in eoque præcipuum quoddam jus poteſtatis elucet. add. Plaut. *Mil. Glor. Act. IV. ſc. 2. verſ. 85.* Sidon. Apoll. *L. IV. Ep. 2.*

§. 15. *Gladii* autem in deſcriptione *meri imperii* mentionem facit Ulp. *d. l. 3.* exempli tantum gratia. v. *l. 70. D. de R. J. l. 6. §. 8. D. de off. Prat.* Tum, quia eo plerumque ad irrogandum ultimum ſupplicium utebantur. v. *l. 8. §. 1. D. de pœn.* Tum, quia Magiſtratus merum imperium accipientes gladio accingi ſolebant. v. Ep. ad Rom. XIII, 4. Tacit. *Hiſt. L. III. c. 68.*

§. 16. Quemadmodum autem tres fere gradus ſunt pœnarum, ſic & tres gradus ſunt Meri Imperii:

I. Quo vita naturalis adimitur. *l. 28. pr. l. 21. D. de pœn. l. 203. D. de V. S.*

II. Quo vita civilis, ſeu jus civitatis tollitur. *d. l. 28. & 63. §. 10. D. pro ſoc. l. 209. D. de R. J.*

III. Quo alia levior pœna irrogatur. *l. 6. §. ult. l. 8. & 28. pr. D. de pœn.*

§. 17. Quod Imperium nulli competit, niſi cui ſpeciali lege conceſſum eſt; *l. 1. D. de off. ejus cui mand. eſt jurisd.* ab eo ſcil. qui in Rep. Majeſtatem habet. v. *l. 2. §. 16. 23. D. de O. J. l. 3. D. ad L. Jul. Maj. l. 3. C. h. t.*

§. 18. Eique, cui conceſſum eſt, non proprietate competit & dominio, ſed uſu tantum & exercitio. arg. *d. l. 2. §. 16. 23. D. de O. J. l. 1. D. de offic. ejus cui mand. eſt jurisd.*

§ 19. Exerceri autem poteſt, non tantum accuſatore crimen deferente, ſed

& ex officio, nullo accuſatore exiſtente. *l. 3. 13. D. de off. Præf. l. 2. §. 6. D. ad L. Jul. de adult. l. 1. C. de Cuſtod. reor.*

§. 20. *Mixtum Imperium eſt, cui etiam Jurisdictio ineſt*, i. e. quo etiam jurisdictio continetur, ſeu, quod cum Jurisdictione idem eſt, alioque nomine etiam *Jurisdictio* appellatur. *l. 3. D. h. t.* junct. *l. 7. §. 10. D. de pact.* v. *ſupr.* §. *9. Poteſtas* ſcil. *Juris dicendi, & exequendi, in cauſis civilibus.*

§. 21. Quod *Mixtum* dicitur, quia lenius eſt: neque tam vehemens & excellens, quam Imperium Merum. v. Cic. *pro Cæcin. c. 2.*

§. 22. Non pauci ſane cenſent, *Mixtum imperium* a *Jurisdictione* diverſum eſſe; quia jurisdictioni cohæret, ejusque tuendæ cauſa comparatum eſt. *l. 1. §. ult. in f. l. ult. §. 1. D. de off. ejus cui mand. eſt jurisd.*

§. 23. Sed fugit eos duplex *Mixti Imperii* ſignificatio. Vel enim pro ipſa *Jurisdictione Civili* accipitur; *d. l. 3. D. h. t.* v. *ſupr. §. 9.* Vel pro *executione* & *coërcitione* Jurisdictioni civili cohærente. *d. l. 1. §. 1. in f. l. ult.* §. *1. D. de offic. ejus cui mand. eſt jurisd.*

§. 24. *Priori* ſenſu *Mixto imperio Jurisdictio* ineſt, neque *Mixtum imperium* a *Jurisdictione* differt: Sed poſteriori ſenſu a *Jurisdictione* diverſum eſt.

§. 25. Ex quibus apparet, in *d. l. 3. D. h. t.* nihil mutandum vel emendandum eſſe; Nec non, quid ſentiendum de Nobili illa Quæſtione, An *Dare bonorum Poſſeſſionem, Jubere cavere Prætoria ſtipulatione, In poſſeſſionem mittere, In integrum reſtituere, Jurisdictionis* ſint, an *Mixti imperii?*

§. 26. Si enim *Mixtum imperium* pro ipſa *Jurisdictione* accipiatur, illa *Mixti* ſunt *imperii; d. l. 3. 4. D. h. t. l. 26. pr.* §. *1. D. ad municip.* v. *l. 3.* §. *8. D. de Bon. poſſ.* Si vero pro *executione* ſeu *coërcitione*, non item. *l. 1. D. h. t. d. l. 3. §. 8. D. pr. §. 2. I. de bon. poſſ. l. 2. §. 1. D. quis ord. in bon. poſſ. l. 5. pr. D. de V. O. l. 3. pr. D. ne vis fiat ei qui in poſſ. l. 16. §. f. D. de min. l. fin. C. ubi & ap. quem. cogn. in int. reſt.*

§. 27. *Civilis* autem *Jurisdictio* varie ſubdividitur. Et *primo* quidem in *Voluntariam*, & *Contentioſam. l. 2. pr. D. de offic. Proconſ.*

§. 28. *Jurisdictio Voluntaria* eſt, *quæ inter volentes & conſentientes*, auctoritatis cauſa, fere de plano, & citra cauſæ cognitionem, *exercetur.* Ad quam pertinent Legis Actiones, *Manumiſſio, Adoptio, Emancipatio. d. l. 2. D. de adopt. §. 6. ult. I. quib. m. patr. pot. ſolv. l. f. C. de emanc.*

§. 29. *Contentioſa* vero, *quæ* cum cauſæ cognitione *non tantum in conſentientes, ſed & invitos exercetur. l. 1. 2. 3. D. h. t. l. 37. D. de O. & A.* arg. *l. 83. §. 1. de V. O.* Eoque pertinent omnes actiones, & quæ inſtar actionum ſeſe habent. *d. l. 37. D. de O. & A.*

§. 30. II. *Jurisdictio Civilis* dividitur in *Ordinariam*, & *Extraordinariam. l. 7. §. f. D. de Off. Proc. l. 6. §. 2. D. de tutel.*

§. 31. *Ordinaria* eſt, *quæ jure Magiſtratui competit*, & jure ordinario, a majo-

majoribus recepto, Officio Magiſtratus ineſt. *l. 2. §. 13. D. de O. J. l. 12. §. 1. D. de jud.*

§. 32. *Extraordinaria* autem, *quæ ſpeciali Lege conceſſa eſt ; d. l. 7. §. f. D. de Off. Proconſ. d. l. 6. §. 2. D. de tutel.* veluti *tutoris dandi poteſtas. d. l. 6. §. 2.*

§. 33. III. Denique dividitur *in Principalem* ſeu *Propriam*, *Mandatam*, & *Prorogatam.*

§. 34. Jurisdictio *Principalis* ſeu *Propria* eſt, *quæ principaliter alicui conceſſa, ac proprio jure competit. l. 5. 6. D. h. t.*

§. 35. *Mandata, quam quis juſſu ac nomine mandantis, & propriam habentis, exercet. d. l. 5. & 16. D. h. t. l. 1. §. 1. l. 3. D. de off. ejus cui mand. eſt jurisd.*

§. 36. *Mandare jurisdictionem* enim non eſt officio ſe privare, & in alterum illud transferre, quod legibus non permittitur ; *l. 20. D. de off. Præſid. l. 3. C. de jurisd.* Sed jurisdictionem alteri ſuo nomine exercendam committere. *d. l. 16. D. h. t.*

§. 37. Mandare Jurisdictionem poteſt, qui eam proprio jure habet. *l. 5. D. h. t. l. 4. §. f. D. de off. Proc.*

§. 38. Mandari poteſt Jurisdictio Ordinaria, quæ jure Magiſtratus competit ; *d. l. 5. D. h. t. l. 4. pr. §. 1. D. de off. ejus cui mand. eſt juriſd.* vel in totum, vel pro parte. *l. 16. 17. h. t.*

§. 39. Non etiam Merum imperium, neque Jurisdictio civilis Extraordinaria, quæ ſpeciali Lege conceſſa eſt. *l. 1. pr. §. 1. l. 2. pr. §. 1. D. de off. ejus cui mand. eſt jurisd. l. 70. D. de R. J. l. 8. pr. D. de tut. & curat. dat. l. 8. §. 8. D. de transact.*

§. 40. Mandari poteſt omnibus, etiam privatis, *l. f. §. 1. D. de offic. ejus cui mand. eſt jurisd.* qui Judices eſſe neque prohibentur, neque impediuntur. arg. *l. 12. §. 2. D. de jud.*

§. 41. Mandata Jurisdictione Mandatarius Mandantis nomine eam exercet ; *l. 1. §. 1. l. 3. D. de off. ejus cui mand. eſt jurisd. l. 16. D. h. t.* & ſententiam exequitur ; *l. 1. §. f. l. f. §. 1. de off. ejus cui mand. eſt jurisd.* Sed alteri eam mandare ſeu ſubdelegare nequit. *l. f. pr. D. de offic. ejus cui mand. eſt jurisd.*

§. 42. Extinguitur autem mandata Jurisdictio ;

I. Revocatione mandantis ; *l. 6. §. 1. de offic. Proc.* arg. *§. 9. I. de mand. l. 58. D. de jud.*

II. Extincta morte vel tempore jurisdictione mandantis. *l. 6. D. h. t.* arg. *§. 10. I. de mand.*

III. Denique morte mandatarii. arg. *d. §. 10.*

§. 43. *Prorogata Jurisdictio* eſt, *quæ ex voluntate partium extra terminos ſuos exercetur. l. 1. 2. D. de jud. l. 1. C. de jurisd. omn. jud. l. 18. D. h. t.*

§. 44. *Prorogatio* Jurisdictionis eſt *Expreſſa*, vel *Tacita*.

§. 45. *Expreſſa* eſt, *quæ fit expreſſo partium conſenſu, judicis aditione confirmato. l. 18. D. h. t. l. 1. 2. D. de jud.*

§. 46. Quod ſi per errorem alius pro alio Prætor fuerit aditus, nihil valebit quod actum eſt. Non enim conſentiunt qui errant, cum nihil tam contrarium ſit conſenſui, quam error, qui imperitiam detegit. *l. 15. D. h. t.* add. *l. 2. pr. D. de jud.*

§. 47. Similiter, ſi, priusquam Prætor adiretur, mutata fuerit voluntas, procul dubio nemo compelletur ejusmodi conventioni ſtare. *d. l. 18. D. h. t.* Quod per *l. pen. C. de pact.* mutatum non videtur.

§. 48. *Prorogatio Tacita* eſt, *quæ fit conſenſu tacito;* qui ex circumſtantiis, ſeu re ipſa & facto colligitur; veluti ſi reus, omiſſa fori exceptione, coram incompetenti judice ſciens litem conteſtatus ſit. *l. 4. C. h. t. l. ult. C. de exc.* add. *l. 52. D. de jud.*

§. 49. Quo etiam pertinet, quod, ſi quis contra aliquem coram Judice aliquo actionem inſtituat, eundem judicem in *Reconventione* contra ſe admittere cogatur. *Cujus enim in agendo Actor obſervat arbitrium, eum & contra ſe habere judicem non dedignetur. l. 11. §. 1. D. h. t. l. 22. D. de jud. l. 14. & Auth. Seq. C. de ſent. & interloc. N. 96. c. 2.* Quam quidam Prorogationem *Legalem* dicunt, ſeu *Neceſſariam.*

§. 50. Eſt autem *Reconventio* nihil aliud, quam *mutua petitio, d. l. 11. §. 1. D. h. t.* ſeu *conventio Rei, adverſus Actorem, coram eodem judice facta.*

§. 51. Quæ in omnibus cauſis locum habet, *l. 22. D. de jud.* & non tantum ante, ſed & poſt litem conteſtatam proponi poteſt, parique paſſu, cum conventione, ambulat. *d. l. 14. C. de ſent. & interl. Nov. 96. c. 2.*

§. 52. Prorogatur autem jurisdictio vel *de Re ad Rem* ſeu *Cauſa ad Cauſam,* vel *de Perſona ad Perſonam.*

§. 53. *Prorogatio de Re ad Rem* ſive *Cauſa ad Cauſam* eſt, cum judici, qui ex. gr. ad certam ſummam judicare juſſus eſt, conceditur, ut judicet de ſumma majori. *l. 74. §. 1. D. de jud. l. 28. D. ad munic.*

§. 54. Quæ ut procedat, requiritur, ut cauſæ ejusdem ſint generis. In rebus enim diverſi generis hæc prorogatio locum non habet. Unde, qui civilibus tantum cauſis præeſt, ex prorogatione de criminalibus cognoſcere nequit; *l. 1. C. ubi cauſ. fiſc.* & contra. *l. 61. §. 1. D. de judic.*

§. 55. *De Perſona ad Perſonam* vero, cum, qui judici, ad quem vocatur, ſubjectus non eſt, in eum vel expreſſe vel tacite conſentit. *l. 14. 15. & 18. D. h. t. l. 1. 2. pr. D. de jud. l. 1. & 3. C. h. t.*

§. 56. *Prorogatio de Loco ad Locum,* quam quidam adjiciunt, nec non *de Tempore ad Tempus,* recte rejicitur. Extra territorium enim quilibet eſt privatus, & jus dicenti impune non paretur; *l. ult. D. h. t. l. 3. D. de off. Præſ. l. ult. D. de off. Præf. Urb.* Quod & ratione temporis locum habet. *l. 13. §. 1. D. h. t.*

§. 57.

§. 57. Præterea Juriſdictio dividi poteſt in *Civilem*, quæ eſt penes Magiſtratum civilem; & *Militarem*, quæ penes Magiſtratum militarem. v. *l. 6. C. h. t. & t. t. C. de off. Civ. jud. & de off. Milit. jud. l. 2. C. ubi quis de curial. vel cohort.*

§. 58. Nec non in *Minorem*, quæ competit Magiſtratibus Minoribus; & *Majorem*, quam ſoli habent Magiſtratus Majores; v. *l. 2. D. de in jus voc. l. 32. D. de injur.* Cujus generis ſunt, jubere *cavere Prætoria ſtipulatione, in poſſeſſionem mittere, in integrum reſtituere &c.* quæ proinde magis *Imperii* quam *Jurisdictionis* eſſe dicuntur. *l. 4. D. h. t. l. 26. D. ad municip.*

§. 59. Jurisdictionem dare poſſunt, penes quos eſt Majeſtas; Non Privati. *l. 3. C. h. t. l. 3. D. de offic. Præt. l. 3. in f. D. ad L. Jul. Maj.*

§. 60. Unde conſequitur, eam per præſcriptionem acquiri non poſſe; *l. 3. in f. D. ad L. Jul. Maj.* arg. *l. 2. C. de uſuc. pro emt.* junct. *l. 1. §. 1. D. de off. ejus cui mand. eſt jurisd. l. 6. C. de præſcr. 30. vel 40. ann. l. 1. pr. D. de off. ejus cui mand. eſt jurisd.*

§. 61. Dari poteſt omnibus, qui Judices eſſe neque prohibentur, neque impediuntur. arg. *l. 12. §. 2. D. de jud.*

§. 62. Officium *Jus dicentis* latiſſimum eſt: Nam & bonorum poſſeſſionem dare poteſt, & in poſſeſſionem mittere, pupillis non habentibus tutores conſtituere, Judices litigantibus dare (ſecundum antiquum ſcil. litigandi morem) *l. 1. D. h. t.* Aliaque ſecundum modum conceſſæ Jurisdictionis expedire.

§. 63. Exercetur autem Juriſdictio in ſubditos; Quia extra territorium jus dicenti impune non paretur. *l. ult. D. h. t.*

§. 64. Illud etiam obſervandum, ut, qui jurisdictioni præeſt, aliis, non ſibi ipſi, neque iis, quos ſecum habet, jus dicat. *l. 10. D. h. t. & t. t. C. ne quis in ſua cauſ. jud. vel jus ſibi dic.* Quintil. *Decl. XIII.* Caſſiod. IV. *Var. 10.*

§. 65. Unde neque Pater in cauſa filii, neque filius in cauſa Patris, niſi conſentiente adverſario, jus dicere poteſt. *l. 10. D. h. t.* junct. *l. 77. D. de jud.*

§. 66. Sunt tamen caſus excepti, quibus etiam ſibi ipſi, & in propria cauſa jus dicere permiſſum eſt.

§. 67. In propria enim cauſa judicare poteſt Princeps. *l. 3. D. de his quæ in teſt. del. l. 41. D. de hered. inſt. §. ult. I. de vulg. ſubſt.*

II. Prætor in cauſa dubia judicat, an ſua ſit jurisdictio. *l. 5. 2. §. 6. D. de jud. l. 2. pr. D. ſi in jus voc. non ier.*

III. Magiſtratus violatam jurisdictionem & auctoritatem vindicare, eamque pœnali judicio defendere poteſt. *l. un. pr. D. ſi quis jus dic. non obt.*

Digitized by Google

§. 68. Finitur autem Jurisdictio, finito Magiſtratus officio, vel tempore, vel depoſitione, vel morte. *pr. I. de perp. & temp. act. l. 6. D. h. t. l. 49. §. 1. D. de jud. l. 10. §. 1. D. de off. Proconſ.*

DE ALBO CORRUPTO.

§. 69. Tuendæ verò & ſtabiliendæ Jurisdictionis cauſa, Edicta quædam Prætor propoſuit; veluti *de Albo corrupto.*

§. 70. Quod ita conceptum fuit: SI QUIS ID, QUOD JURISDICTIONIS PERPETUÆ CAUSA, NON QUOD PROUT RES INCIDIT, IN ALBO, VEL IN CHARTA, VEL IN ALIA MATERIA PROPOSITUM ERIT, DOLO MALO CORRUPERIT, IN EUM QUINGENTORUM AUREORUM JUDICIUM DABO. *l. 7. pr. D. h. t.*

§. 71. Ait Prætor, SI QUIS; Quibus verbis uterque ſexus, & tam ſervi, quam liberi continentur. *d. l. 7. §. 1. D. h. t. l. 1. 152. D. de V. S.*

§. 72. ID, QUOD JURISDICTIONIS PERPETUÆ CAUSA, NON QUOD PROUT RES INCIDIT; Edictum enim Prætoris duplex erat: Unum *Perpetuum*, quod initio anni proponebatur, per univerſum Prætoris imperium permanebat, & in omnibus cauſis obtinebat. Alterum *Temporale* & paucorum dierum, quod ad cauſas ſingulas & oborta negotia accommodatur, v. *l. 68. 69. 70. D. de jud. l. 53. §. 1. D. de re jud.*

§. 73. IN ALBO; *Album* erat tabula dealbata, in qua Prætores Edicta ſua, ut omnibus innoteſcerent, Actionesque & Interdicta proponebant. *l. 2. §. 10. D. de O. J. l. 1. §. 1. D. de edend. l. 1. C. de interd.* Vet. Gloſſar. voc. *Album.*

§. 74. Sive autem in *Albo* Edictum ſit propoſitum, ſive in alia materia, nihil intereſt; Unde additur, VEL IN CHARTA, VEL IN ALIA MATERIA.

§. 75. PROSITUM ERIT; Quod ſi, dum proponitur, vel ante propoſitionem quis corruperit, verba quidem Edicti ceſſant, ſed ſententia Edicti & ad hæc porrigenda. *d. l. 7. §. 2.*

§. 76. CORRUPERIT; ſive quis manibus fecerit, ſive mandaverit, nihil intereſt. Sed & qui tollit, licet non corruperit, tenetur. *d. l. 7. §. 5. D. h. t.*

§. 77. DOLO MALO; *doli mali* in verbis Edicti ideo fit mentio, quia, ſi per imperitiam vel ruſticitatem, vel ab ipſo Prætore juſſus, vel caſu aliquis corruperit, non tenetur. *d. l. 7. §. 4. D. h. t.*

§. 78. IN EUM QUINGENTORUM AUREORUM JUDICIUM DABO; Quæ pœna nimis gravis minime putanda eſt; Cum & contemta Majeſtas Prætoris, & ipſius Populi, hoc modo vindicetur.

by Google

§. 79. *Aureus* autem nihil aliud eſt, quam nummus aureus, qui alibi *Solidus* dici ſolet. v. *l. 5. §. 6. D. de his qui eff. vel dejec.* junct. *§. 1. I. de obl. quæ quaſ. ex del. l. 4. D. de man. teſt.* junct. *l. 8. in f. l. 9. D. de inoff. teſt. l. un. C. de collat. ær.*

§. 80. Cujus ea fuit quantitas, ut unus aureus XXV. contineat denarios, ſecundum Dion. Caſſ. *L. LV. & XX.* libris æris æſtimetur, ſec. *l. un. C. de collat. ær.* Septuaginta duo autem ſolidi libram faciant auri, ſecundum *l. 5. C. de ſuſceptor.*

§. 81. Quod judicium populare eſt; *d. l. 7. pr. in f.* Populi enim intereſt, ſervari auctoritatem Magiſtratuum, & ſcire ea quæ publice proponuntur; adeoque ad tuendum jus populi pertinet. v. *l. 1. D. de pop. act.*

§. 82. Eaque pœna actori, non fiſco, applicanda eſt. *l. 12. D. de V. S.*

§. 83. Quod ſi vero plures corruperint, in ſingulos datur actio. *l. 7. §. f. l. 8. 9. D. h. t.* Quia hic contemta Majeſtas Prætoris vindicatur, & plura facta intelliguntur. *d. l. 9.*

TITULUS II.

Quod Quisque Juris In Alterum Statuerit, Ut Ipse Eodem Jure Utatur.

§. 1.

Ad Dignitatem & Auctoritatem jus dicentis quoque ſpectat Edictum (quod Ciceronis tempore jam in uſu fuit; v. Cic. *ad Q. Fratr. L. I. Ep. 1. c. 7.*) *de Jure novo* i. e. iniquo *non ſtatuendo*, neque impetrando.

§. 2. Cujus Edicti verba hæc ſunt; „*Qui Magiſtratum poteſtatemve*] *habebit*, „*ſi quid in aliquem novi juris ſtatuerit, ipſe, quandoque adverſario poſtulante*, „*eodem jure uti debet. Si quis apud eum, qui Magiſtratum poteſtatemve habe-* „*bit, aliquid novi juris obtinuerit, quandoque poſtea adverſario ejus poſtulante*, „*eodem jure adverſus eum decernetur. Præterquam ſi quis eorum contra eum* „*fecerit, qui ipſe eorum quid feciſſet.*„ *l. 1. §. 1. l. ult. D. h. t.*

§. 3. Quod ſummam habet æquitatem, & ſine cujusquam indignatione juſta: *Quis enim aſpernabitur idem jus ſibi dici, quod ipſe aliis dixit, vel dici effecit? l. 1. pr. D. h. t.* Nam injuria non eſt, pati quod prior feceris; Sen. *L. II. de Ira c. 30.* & ſua quisque exempla æquo animo pati debet. Phædr. *L. I. Fab. 26.* verſ. *ult.* Propter ſummam illam Juris Naturalis regulam, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* v. Matth. VII, 12. Luc. VI, 31. Diſſert. N. I. *de Cauſ. Obl. C. 2 §. 30. & De Jur. Rhadam. p. 32. & ſeqq.*

§. 4. Sunt autem duo hujus Edicti capita: Quorum *Prius* agit de Magiſtratu novum jus ſtatuente: *Alterum* de Litigatore Jus iniquum impetrante.

§. 5. Quantum ad Prius attinet, ait Prætor, Qui Magistratum potesta-

TESTATEMVE HABEBIT; *Magiſtratum* ſcil. in Urbe, *Poteſtatem* vero in Provinciis, arg. *l. 13. §. 1. D. de juriſd. l. 12. pr. D. de accuſ.*

§. 6. SI QUID IN ALIQUEM NOVI JURIS STATUERIT; Jus *novum* hic ſignificat iniquum, *l. 3. pr. D. h. t.* ex quo infertur injuria; *l. 1. §. 2. D. h. t.* ſeu jus aliter dictum quam oportuit, *l. 2. D. h. t.* add. Cic. I. *in Verr. c. 47. 52* Tacit. *L. II. Ann. c. 30.*

§. 7. Verbum *ſtatuerit* autem cum effectu accipiendum eſt, non verbotenus: Et ideo, ſi, cum vellet ſtatuere, prohibitus eſt, nec effectum decretum habuit, ceſſat Edictum; nam *ſtatuit* verbum rem perfectam ſignificat, & conſummatam injuriam, non cœptam. Et ideo ſi inter eos quis dixerit jus, inter quos jurisdictionem non habet, quoniam pro nullo hoc habetur, nec eſt ulla ſententia, Edictum ceſſat; *Quid enim offecit conatus, cum injuria nullum habuit effectum? l. 1. §. 2. D. h. t.* add. *l. 5. §. 2. D. ne quis eum qui in jus voc. vi exim. l. 225. D. de V. S. l. 18. D. de pœn.*

§. 8. Debet etiam Magiſtratus jus novum ſtatuere *dolo malo:* Hoc Edicto enim *dolus* jus dicentis punitur; Nam ſi Adſeſſoris imprudentia jus aliter dictum ſit, quam oportuit, non debet hoc Magiſtratui officere, ſed ipſi Adſeſſori. *l. 2. D. h. t.*

§. 9. IPSE QUANDOQUE, cum ſcil. Magiſtratu abierit, *l. 2. D. de in jus voc.* ADVERSARIO POSTULANTE, EODEM JURE UTI DEBET, i. e. pati, ut idem ſibi dicatur, quod ipſe aliis dixit. *d. l. 1. pr. & §. 1.*

§. 10. Altero Edicti capite ait Prætor, SI QUIS APUD EUM, QUI MAGISTRATUM POTESTATEMVE HABEBIT, ALIQUID NOVI JURIS OBTINUERIT; Requiritur enim hac parte, ut quis poſtulatione ſua jus iniquum impetraverit. Unde, ſi Magiſtratus motu proprio, non poſtulante Actore, jus iniquum ſtatuerit, ipſe quidem hoc Edicto coërcetur, ſed Actor in id non incidit, etiamſi jure illo iniquo uſus ſit. *l. 3. pr. D. h. t.*

§. 11. Sufficit autem jus iniquum impetratum eſſe, licet impetrans eo uſus non ſit; Quia per impetrationem delictum conſummatum eſt, *d. l. 3. pr. D. h. t.*

§. 12. QUANDOQUE POSTEA ADVERSARIO EJUS POSTULANTE, EODEM JURE ADVERSUS EUM DECERNETUR. Non ſolum ſcil. eo poſtulante, qui ab eo læſus eſt, ſed omni, qui quandoque experitur; *l. 3. §. 2. D. h. t.* Quod enim quisque in alterius perſona æquum eſſe credidit, id in ipſius quoque perſona valere patiatur. *l. 1. §. 1. in f. D. h. t. v. l. 3. §. 3. D. h. t. l. 7. C. de reſc. vend.*

§. 13. Eamque pœnam non ſolum in his actionibus patitur, quas tunc habuit, cum incideret in Edictum, verum & in iis, quæ poſtea ei acquirentur. *l. 3. §. 6. D. h. t.*

§. 14.

Digitized by Google

§. 14. Præterquam si quis eorum contra eum fecerit, qui ipſe eorum quid feciſſet. Quod recte Prætor excepit, ne ſcil. Magiſtratus, dum ſtudet Edictum hoc defendere, vel Litigator, dum vult beneficio hujus Edicti uti, ipſe in pœnam ipſius Edicti committat. *l. ult. D. h. t.*

§. 15. Datur itaque ex utroque Edicti capite *Actio Pœnalis*, tum illi, contra quem *jus novum* ſeu iniquum dictum vel impetratum eſt, tum alteri cuicunque. *l. 3. §. 2. D. h. t.* contra Magiſtratum jus iniquum ſtatuentem, vel Actorem jus iniquum impetrantem, ad id ut idem illis jus dicatur. *d. l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 16. Quæ pœna ad heredes quoque transmittitur. *l. 3. §. 5. D. h. t.*

§. 17. *Ceſſat* autem Edictum ejusque pœna

I. Si jus iniquum, quod Magiſtratus dixit, non habuit effectum. *l. 1. §. 2. D. h. t.*

II. Si ille, contra quem jus iniquum dictum eſt, vel alius quicunque hoc Edicto utatur. *l. ult D. h. t.*

III. Si ſolutio facta ſit. *l. 3. §. ult. D. h. t.*

TITULUS III.

SI QUIS JUS DICENTI NON OBTEMPERAVERIT

§. 1.

Ad defendendam denique Jurisdictionem Magiſtratuum ſpectat Edictum, quod Prætor contra eos, *qui jus dicenti non obtemperant*, propoſuit.

§. 2. *Omnibus* enim Magiſtratibus, *non tamen* Duumviris (quibus ea, quæ magis imperii ſunt, quam jurisdictionis, non competunt; *l. 26. D. ad municip.*) ſecundum jus poteſtatis ſuæ, conceſſum eſt, jurisdictionem ſuam defendere pœnali judicio, *l. un. pr. D. h. t.* Dion. Hal. *L. X. c. 50.*

§. 3. Edictum autem illud Prætoris his verbis conceptum videtur: *Si quis jus dicenti non obtemperaverit, quanti ea res erit; intra annum adverſus eum judicium dabo.* arg. *Inſcr. &* *l. un. §. 1. ult. D. h. t.*

§. 4. *Si quis jus dicenti non obtemperaverit; Is* videtur *jus dicenti non obtemperaſſe, qui, quod extremum in jurisdictione eſt, non fecit*, i. e. qui executioni reſtitit, eamque fieri paſſus non eſt, *l. un. §. 1. D. h. t.*

§. 5. Si procurator, vel tutor, vel curator jus dicenti non obtemperavit, ipſe punitur, non dominus, vel pupillus, *d. l. un. §. 2.*

§. 6. Non ſolum autem reus, qui non obtemperavit, verum etiam *petitor*, hoc Edicto tenetur. *l. un. §. 3. D. h. t.*

§. 7. *Quanti ea res erit*; Hoc judicium enim, non *ad id quod intereſt*, ſed

quanti ea res eſt, quæ in judicium ſcil. deducta eſt, concluditur. *l. un. §. ult. D. h. t.* add. *l. 5. §. 1. D. ne quis eum qui in jus voc. vi exim.*

§. 8. *Intra annum adverſus eum judicium dabo;* Cum enim meram pœnam hoc judicium contineat, neque poſt annum, neque in heredem datur. *d. l. un. §. ult. D. h. t. l. 35. D. de O. & A. pr. & §. 1. I. de perp. & temp. act.*

§. 9 Datur autem hæc Actio pœnalis non cuivis ex populo, neque Magiſtratui, ſed Adverſario contra Adverſarium, ad pœnam Actori, non fiſco, applicandam. *d. l. un. §. ult.*

TITULUS IV.

DE IN JUS VOCANDO.

C II. 2.

§. 1.

Conſideratis Magiſtratibus, eorumque Jurisdictione, nec non Edictis ad Jurisdictionem pertinentibus, ſubjicitur de *In jus vocatione*, quæ Actionum inſtituendarum, omnisque adeo *judicii* (latius ſcil. accepti; v. *l. 2. §. 2. D. qui ſatisd. cog. l. 1. §. pen. & ult. D. de adm. tut. l. ult. D. ſi quis in jus voc.*) prima pars eſt & principium. *§. ult. I. de pœn. tem. lit.*

§. 2. Cumque inauditus nemo condemnari poſſit, in omnibus cauſis neceſſaria eſt, *d. §. ult. I. de pœn. tem. lit.* v. Geneſ. III, 9. Adeo ut, ſi omiſſa ſit, omnia, quæ in judicio fiunt, ſint ipſo jure nulla. v. *l. 4. C. de ſent. & interl. l. 9. C. quom. & quand.*

§. 3. Eſt autem *in jus vocare, juris experiundi cauſa vocare*, ad eum ſcil. qui jurisdictioni præeſt, *l. 1. D. h. t. l. 2. D. ſi quis in jus voc.*

§. 4. *Jus* enim hic locum ſignificat, ubi jus redditur: quem locum determinare hoc modo poſſumus: Ubicunque Prætor ſalva Majeſtate imperii ſui, ſalvoque more majorum jus dicere conſtituit. *l. pen. D. de J. & J.* add. *l 4. §. 1. D. de interr. in jur. fac. l. 2. pr. D. ſi quis in jus voc.*

§. 5. In jus vocatio ex L. XII. Tab. primis temporibus privata fiebat auctoritate, ut & viliores, nec non vadimonii deſertores, obtorto collo in jus rapere liceret. v. Plaut. *Aul. Act. IV. Sc. 10. Curcul. Act. V. Sc. 2. verſ. 23. & ſeqq. Sc. 3. verſ. 45.* Terent. *Phorm. Act. V. Sc. 7. verſ. 88. & ſeqq.* Horat. I. *Serm. Sat. 9. verſ. 74. & ſeqq.* Add. Gell. *L. XX. c. 1.*

§. 6. Sed poſtea receptum, ut in jus vocatio publica tantum auctoritate, per apparitorem, vel viatorem, fieri poſſet; v. *§. 24. I. de Act. l. 3. 7. C. de praſcr. 30. ann. l. 3. C. de ann. exc. N. 53. c. 3. N. 112. c. 2.* ita quidem, ut apparitor libellum conventionis ab Actore acceptum ad reum deferret, & reus ei ſubſcriberet, quo

Digitized by Google

quo die ei oblatus eſſet. *N. 53. c. 3. §. 1. 2. N. 79. c. 3. N. 69. N. 112. c. 2. Auth. Offeratur. C. de lit. cont.*

§. 7. Qui autem in jus aliquem vocare volunt, rationem habere debent *Perſonarum, Temporis, & Loci.*

§. 8. Quantum ad *Perſonas* attinet, ſunt quidam, qui *ſimpliciter* in jus vocari nequeunt; quidam, qui non *niſi venia impetrata* vocari poſſunt.

§. 9. *Simpliciter* in jus vocari non oportet, neque Conſulem, neque Præfectum, neque Prætorem, neque Proconſulem, neque cæteros Magiſtratus, qui imperium habent, qui & coërcere aliquem poſſunt, & jubere in carcerem duci. *l. 2. pr. D. h. t.* add. Gell. *L. XIII. c. 13.*

§. 10. Nec furioſos, nec infantes, *l. 4. pr. h. t.* nec impuberes, alieno ſcil. juri ſubjectos; *l. 22. D. h. t.* Si enim ſui juris ſunt, tutore auctore vocari poſſunt. *l. 2. pr. D. de adm. tut.*

§. 11. Non *niſi venia impetrata* in jus vocari poſſunt *Parentes & Patroni*, ſimilesque quibus ſingularis reverentia præſtanda eſt. *l. 4. §. 1. l. 13. D. h. t.* add. *l. 1. C. h. t. l. 7. §. 4. D. de obſeq. par. & putr. præſt.*

§. 12. Prætor ait, Parentem, Patronum, Patronam, liberos parentes, batroni Patronæ, in jus, sine permissu meo, ne quis vocet; *Si quis adverſus ea fecerit, in eum quinquaginta aureorum judicium dabo. d. l. 4. §. 1. l. pen. D. h. t. §. ult. I. de pœn. tem. litig.*

§. 13. Parentem; *Parentem hic utriusque ſexus accipe*, & quidem in infinitum; *Parentum* enim nomine hic omnes veniunt *Majores. d. l. 4. §. 2.*

§. 14. An parentes legitimi ſint an illegitimi, an naturales an adoptivi, nihil intereſt; *Una enim omnibus parentibus ſervanda reverentia. d. l. 4. §. 3. l. 5. 6. 7. 8. pr. D. h. t.*

§. 15. Patronum, Patronam; *Patroni* hic accipiendi ſunt, qui ex ſervitute manumiſerunt: vel ſi colluſionem detexerunt, vel ſi qui præjudicio pronuncietur eſſe libertus, cum alioqui non fuerit; aut ſi juravi eum libertum meum eſſe. *l. 8. §. 1. l. 9. 10. D. h. t.*

§. 18. Liberos parentes patroni patronæ; *Liberos & Parentes* utriusque etiam ſexus, *l. 10. §. 5. D. h. t. & Liberos* ultra trinepotes accipere debemus. *d. l. 10. §. 9.*

§. 17. In jus, nisi permissu meo, ne quis vocet; Permiſſurus enim eſt, ſi famoſa actio non ſit, vel pudorem non ſugillet, qua patronus, vel parentes conveniuntur. *d. l. 10. §. 12.*

§. 18. *Si quis adverſus ea fecerit in eum quinquaginta aureorum judicium dabo;* arg. *d. §. ult. I. de pœn. tem. litig.* quod nec heredi, nec in heredem, nec ultra annum datur, *l. pen. D. h. t.*

Digitized by Google

§. 19. Quam pœnam ſi quis ob inopiam ſolvere nequeat, a Præfecto Urbi quaſi inofficioſus caſtigatur. *l. ult. D. h. t.*

§. 20. Idque non tantum in liberto, *d. l. ult.* ſed & filio locum habet. *v. l. 1. §. ult. D. de pœn. l. 7. §. 3. D. de juriſd. l. 35. D. de injur. l. 4. C. de ſerv. fugit.*

§. 21. Deinde ratio habenda eſt *Temporis.* In jus enim vocare non oportet *Pontificem,* dum ſacra facit; nec eos, *qui propter loci religionem inde ſe movere non poſſunt,* i. e. qui ſacris interſunt; nec eum, *qui equo publico, in cauſa publica, tranſvehitur. l. 2. D. h. t.*

§. 22. Quod de ſolemni Equitum Romanorum transvectione accipiendum videtur. v. Sueton, *in Aug. c. 38.* Dion. Hal. *L. VI. c. 11.* Quanquam & ad alios caſus ſimiles id extendi poſſit; Adeoque & ad eos pertineat, qui in cauſa publica, diſpoſitis equis cum duplomate proficiſcuntur. v. *l. 137. §. 2. D. de V. O.*

§. 23. Præterea in jus vocari non decet qui uxorem ducat, aut eam, quæ nubat, nec judicem dum de re cognoſcat, nec eum, dum quis apud Prætorem cauſam agit, neque funus ducentem familiare juſtave mortuo facientem, vel qui cadaver proſequuntur, quique litigandi cauſa neceſſe habet in jure vel certo loco ſiſti. *l. 2. 3. 4. D. h. t.* add. Capitolin. *in Marc. c. 11.*

§. 24. Tempore quoque feriato nemo in jus vocandus eſt. Et feriis quidem Divinis in jus vocatio facta nulla eſt; *l. 3. l. ult. C. in f.* Humanis vero fieri poteſt, dummodo fiat ad diem non feriatum; Ad diem enim feriatum facta ſimiliter nullius eſt momenti: ſive feriæ iſtæ Divinæ ſint, ſive Humanæ. *l. 1. pr. §. 1. D. de fer.*

§. 25. Tandem ratio habenda eſt *Loci.* Nullum enim de domo ſua in jus vocare, *l. 18. D. h. t.* multoque minus extrahere licet; *l. 21. D. h. t. l. 103. D. de R. J.* Quia domus tutiſſimum cuique refugium eſt atque receptaculum; *d. l. 18. D. h. t.* Cic. *pro dom. c. 41.* Satisque pœnæ ſubit reus, ſi non defendatur, & latitet, quod mittitur adverſarius in bonorum poſſeſſionem ejus. *l. 19. D. h. t.*

§. 26. *Domum* hic accipimus, ut in *Lege Cornelia de injuriis,* non tantum proprietatem domus, ſed etiam domicilium. Quare ſive in propria domo quis habitet, ſive in conducta, vel gratis, aut hoſpitio, non ut viator, ſed habitandi gratia receptus, hoc jus locum habebit. v. *l. 5. §. 2. 5. D. de injur. l. 1. §. pen. D. de his qui eff. vel dejec. l. 203. D. de V. S.*

§. 27. Si quis contra fecerit, vim facere videtur; *d. l. 18. D. h. t.* Et ſi quidem matremfam. ob debita de domo extrahat, ſine ulla indulgentia capite plectitur. *l. 1. C. de offic. div. jud.*

§. 28. Si vero reus aditum ad ſe præſtet, aut ex publico conſpiciatur, recte in jus vocabitur. *l. 19. in f. D. h. t.*

§. 29. Sed & caſus ſunt, quibus aliquem de domo extrahere licet: Reus enim criminis publici de domo ſua extrahi poteſt. *Nov. 134. c. 5.* omnisque cui negatur

Digitized by Google

negatur jus Aſyli. Exod. XXI, 14. 1. Reg. XI, 29. *Nov. 17. c. 7.* Idem obtinet in debitoribus fiſci, arg. *l. 2. C. de exact. trib.* nec non Decurionibus, ſimilibusque, qui ad ſubeundam munerum functionem, ex omnibus domibus protrahi poſſunt. *l. 31. C. de decur.*

§. 30. In Jus vocatione facta, ſi reus ſtatim ſequeretur, in Jure apud Prætorem ſummaria ſiebat cauſæ expoſitio, nec non Litis conteſtatio; eaque facta Prætor Judicem dabat Pedaneum, qui deinceps partes citabat, de cauſa cognoſcebat, & ſententiam dicebat. v. Aſcon. Ped. *in Verr. de Prat. Urb. p. m. 76.* Feſt. *in voc. conteſtari.*

§. 31. Adeoque *in Jus vocationem* jure Antiquo ſequebatur *Citatio*; Inter *quam & in Jus vocationem* multum intererat.

§. 32. *In Jus vocatio* enim fiebat ad Prætorem; *Citatio* ad Judicem maxime Pedaneum.

In Jus vocatio fiebat ante litem conteſtatam; *Citatio* maxime poſt litem conteſtatam.

In Jus vocatio ſemel de tota cauſa fiebat; *Citatio* ſæpius.

In Jus vocabatur tantum Reus; *Citabatur* non ſolum Reus, ſed & Actor, & teſtes.

§. 33. Sed mos dandorum judicum pedaneorum poſtea abrogatus eſt, v. *l. 2. C. de ped. jud.* & *In jus vocatio* cum *Citatione* fere confuſa eſt.

§. 34 Ut *In Jus vocatio* ſeu *Citatio* nunc deſcribi poſſit, *Legitima denunciatio, juſſu judicis facta, ut quis ſe coram Judice ſiſtat.*

§. 35. Eſt autem *in jus vocatio*, ſeu *citatio* alia *Realis*, alia *Verbalis*.

§. 36. *Realis* eſt, *cum vel ipſe Reus*, vel *res ſeu bona ejus apprehenduntur, ac detinentur.*

§. 37. Quæ, cum ab executione initium litis non ſit faciendum, *l. 58. D. de re jud. l. 1. C. de exec. rei jud. l. 9. C. de Obl. & Act.* ordinario locum non habet.

§. 38. Permiſſa tamen eſt in criminalibus gravioribus, ubi legitima adſunt indicia. v. *l. 3. D. de cuſtod. & exhib. reor.*

§. 39. Ut & caſibus quibusdam in civilibus; veluti ſi reus poſt trinam citationem contumax, *l. 8. C. quom. & quand.* vel de fuga ſuſpectus ſit. *l. 10. §. 16. D. quæ in fraud. cred.*

§. 40. *Verbalis* eſt, *qua fit vel voce, facta denunciatione in faciem vocati, vel ſcripto*, ſeu denunciatione literis conſignata, & reo cum libello oblata, ut reus intra XX. dierum ſpatium deliberare poſſit, utrum cedere an contendere velit. *Auth. Offeratur. C. de lit. cont.*

§. 41. Eaque eſt vel *Ordinaria*, vel *Extraordinaria*.

§. 42. *Ordinaria* eſt, *cum ipſe reus per nuntium ſeu apparitorem, viva voce, vel per literas citatur.* Qui ſi ſui copiam non faciat, ſufficit, ſi nuncius domeſticis

ſticis id notum faciat, vel citationem ſcriptam januæ affigat. *v. l. 1. §. 1. D. de agn. & al. lib.*

§. 43. *Extraordinaria* (quam alii *Publicam*, alii *Edictalem* vocant) eſt, *quæ fit publice per proclamationem*, v. *l. 17. D. de in int. reſt. l. 68. & ſeq. D. de jud. N. 112. c. 3.* vel *per Edictum* publicis locis affixum, v. *d. l. 1. §. 1. D. de agn. & al. lib. l. 4. §. 5. 6. D. de damn. inf. l. ult. §. 2. D. quod vi aut clam.* vel *per campanam, tubam, ſimilemve modum.* Cui non eſt locus, niſi ordinaria verbalis, vel etiam realis, commode fieri nequeat. *Clem. 1. de jud.*

§. 44. II. *In Jus vocatio* ſeu *Citatio* alia eſt *Generalis*, alia *Specialis*.

§. 45. III. Alia *Simplex* ſeu *Dilatoria*, alia *Peremtoria*. *l. 68. & ſeqq. D. de jud.*

§. 46. *Simplex* ſeu *Dilatoria* eſt, *cum quis ſimpliciter ad judicem vocatur, & ulterior dilatio non denegatur. d. l. 68. 69. 70. D. de jud.*

§. 47. *Peremtoria*, *cum quis ita vocatur, ut ulterior dilatio non concedatur.* Quæ inde hoc nomen ſumſit, quod *perimeret* diſceptationem, hoc eſt, ultra non pateretur adverſarium tergiverſari. *d. l. 70. 71. 72. D. de jud.*

§. 48. IV. Alia eſt *Mediata*, alia *Immediata*.

§. 49. *Immediata* eſt, quæ fit nullo alterius Judicis interveniente auxilio.

§. 50. *Mediata* vero, (quæ & *Subſidialis* dicitur) quæ fit mediante alterius Judicis officio & ſubſidio, in cujus ſcil. territorio citandus exiſtit. v. *l. 15. §. 2. D. de re jud. N. 134. c. 5.* junct. *l. ult. D. de jurisd.*

§. 51. Ut autem *in Jus vocatio* ſeu *Citatio* legitime fiat, requiritur I. Ut exprimatur nomen & cognomen judicis citantis. arg. *l. 80. D. de jud.*

II. Nomen & cognomen Actoris, ſeu citationem impetrantis. arg. *l. 68. D. de jud. l. 4. §. 8. D. de damn. inf. c. ult. X. de reſcr.*

III. Nomen & cognomen citandi. *c. cum in multis 2. de reſcr. in 6.*

IV. Cauſa, ob quam citatio conceditur; *c. præterea X. de dilat.* ſic ut ex una cauſa vocatus non teneatur reſpondere ad aliam. arg. *l. 2. §. 3. D. de jud.*

V. Locus. *l. 59. D. de jud.*

VI. Dies ſeu tempus, quo citatus in judicio comparere debet. arg. *l. pen. C. ubi in rem act. l. 5. §. 1. D. quod vi aut clam. c. 6. X. de dol.* Quod in citatione ſimplici fuit 10, in peremtoria 30. dierum *l. 68.* & *ll. ſeqq. D. de jud.*

§. 52. *Effectus* vero *in Jus vocationis* ſeu *Citationis* legitime factæ ſunt varii;

I. Inchoat enim judicium. *§. ult. I. de pœn. tem. lit.*

II. Obligat Reum ad comparendum. *l. 2. D. ſi quis in jus voc. l. 5. D. de jud.* Actorem vero ad judicium proſequendum, & ad finem perducendum; *l. 2. D. ſi quis in jus voc. l. 5. D. de jud. N. 112. c. 2. Auth. Generaliter. C. de Ep. & Cler.*

III. Locum facit præventioni. *l. 7. D. de jud. l. ult. C. h. t.*

IV. In-

IV. Interrumpit Præſcriptionem. *l. 2. 3. C. de ann. exc. l. 3. & 7. C. de præſcr. 30. vel 40. ann.*

Et V. in Actionibus realibus rem facit litigioſam, *Auth. Litigioſa. C. de Litigioſ.*

TITULUS V.

SI QUIS IN JUS VOCATUS NON IERIT; SIVE QUIS EUM VOCAVERIT, QUEM EX EDICTO NON DEBUERIT.

§. 1.

Quod ſi quis in jus vocatus ſit, ſequi, & ad eum, qui jurisdictioni præeſt, venire debet, niſi mulcta coërceri velit.

§. 2. Qua de re Prætor ita Edixiſſe videtur: *Ex quacunque cauſa, ad Prætorem, vel alios, qui jurisdictioni præſunt, in jus vocatus venire debet: Si quis in jus vocatus non ierit, ex cauſa, a competenti judice, mulcta, pro jurisdictione judicis, damnabitur. l. 2. pr. §. 1. D. h. t.*

§. 3. Idque procedit, licet reus Judicem incompetentem eſſe putaverit; Nam in jus vocatus *venire debet, ut hoc ipſum ſciatur, an jurisdictio ejus ſit. d. l. 2. pr. D. h. t.* Prætoris enim eſt æſtimare, an ſua ſit jurisdictio; Vocati autem non contemnere auctoritatem Prætoris. *l. 5. D. de jud.* Niſi forte notorium ſit, Judicem incompetentem eſſe, quo caſu jus dicenti impune non paretur. *l. ult. D. de jurisd.*

§. 4. *Ceſſat* tamen mulcta I. ſi vocatus ſine dolo ex ruſticitate non venerit. *l. 2. §. 1. D. h. t.*

II. Si nihil interſit Actoris, eo tempore in jus adverſarium veniſſe, puta, quia dies feriatus fuit. *d. l. 2. §. 1.*

III. Si quis vocatus ſit ad Judicem Pedaneum. arg. *d. l. 2. pr.*

IV. Si quis vocatus ſit ad Judicem notorie incompetentem. *d. l. ult. D. de jurisd.*

V. Si quis eum vocaverit, quem ex Edicto non debuerit. *h. t. l. 4. §. 1. D. de in jus voc.*

§. 5. Quod *alterum* hujus Tituli *caput* eſt, & ita a Prætore conceptum videtur: *Si quis eum vocaverit, quem ex Edicto non debuerit, qui vocatus erit, neque ſequatur, neque ducatur.* arg. *h. t.* & *Inſcr. l. 48. D. de V. S.* v. *l. 2. 4. pr. & §. 1. D. de in jus voc.*

TITU-

Digitized by Google

TITULUS VI.

In Jus Vocati Ut Eant, Aut Satis Vel Cautum Dent.

§. 1.

In jus vocati autem ſtatim ſequi debebant, vel ſatis aut cautum dare. *h. t.*

§. 2. Verba Prætoris forte talia fuerunt: *In jus vocati aut eant, aut ſatis vel cautum dent; Fidejuſſor judicio ſiſtendi cauſa pro rei qualitate locuples detur.* arg. *Inſcr.* & *l. 1. D. h. t.*

§. 3. Quem qui accipere recuſat, & reo & fidejuſſori injuriarum tenetur. *l. 5. §. 1. D. qui ſatisd. cog.*

§. 4. Eſt autem fidejuſſor *locuples*, qui talis eſt facultatibus & conveniendi facilitate. *l. 1. D. ſi quis in jus voc. non ier. l. 2. pr. D. qui ſatisd. cog.*

§. 5. Excipiuntur perſonæ neceſſariæ, quæ qualemcunque fidejuſſorem dare poſſunt; veluti Parentes & Patroni; *l. 1. 2. D. h. t.* Et in eum, qui non acceperit, cum ſciret eam neceſſitudinem perſonarum, quinquaginta aureorum judicium competit. *d. l. 2. 3. D. h. t.*

§. 6. Sed jure novo reus in jus vocatus e veſtigio ſequi non cogitur; & in jus vocato ſpatium 20. dierum conceditur, ut deliberare poſſit, an cedere, an contendere velit. *N. 53. c. 3. Auth. Offeratur. C. de lit. conteſt.*

TITULUS VII.

Ne Quis Eum, Qui In Jus Vocatur Vi Eximat.

§. 1.

Hoc Edictum Prætor propoſuit, ut metu pœnæ compeſceret eos, qui in jus vocatos vi eripiunt. *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 2. Quod his verbis conceptum videtur: *Ne quis eum, qui in jus vocabitur, vi eximat, neve faciat dolo malo quo magis eximeretur; Si quid adverſus ea factum fuerit, in factum judicium dabo,* v. *inſcr.* & *l. 3. §. 2. l. 4. §. 2. l. 5. §. 1. D. h. t.*

§. 3. Prohibet Prætor, *ne quis eum, qui in jus vocabitur, vi eximat. Eximendi* verbum generale eſt; *Eripere* enim eſt de manibus auferre per raptum: *eximere* quoquo modo auferre; utputa, ſi quis non rapuerit, ſed moram fecerit, quo minus in jus veniret, ut actionis dies exiret vel res tempore amitteretur, videbitur exemiſſe, quamvis corpus non exemerit: Sed & ſi eo loci retinuerit, non abduxit, his verbis tenetur. *l. 4. pr. D. h. t.*

§. 4. Requiritur autem ut *vi eximatur:* An & dolo malo? ſufficit vi, quamvis dolus malus ceſſet, *l. 3. §. 2. D. h. t.*

§. 5. Ad-

§. 5. Addit Prætor, *neve faciat dolo malo quo magis eximeretur :* Nam poteſt ſine dolo malo id fieri, veluti cum juſta cauſa eſt exemtionis. *l. 4. §. 2. h. t.* v. *l. 1. §. 2. l. 2. D. h. t.*

§. 6. Sive autem ipſe, ſive per alium quis exemerit, ſive præſens ſive abſens fuerit, nihil intereſt. *l. 5. pr. D. h. t.*

§. 7. Nihil etiam intereſt, ex qua cauſa quis exemtus ſit: ſi quis enim eum, qui per calumniam vocabatur, exemerit, conſtat eum hoc Edicto teneri. *l. 4. §. 1. D. h. t.*

§. 8. Subjicit Prætor, *ſi quid adverſus ea factum fuerit, in factum judicium dabo ;* quo non id continetur, quod in veritate eſt, ſed quanti ea res eſt ab actore æſtimata, de qua controverſia eſt : Hoc enim additum eſt, ut appareat, etiamſi calumniator quis ſit, tamen hanc pœnam eum perſequi. *l. 5. §. 1. D. h. t.*

§. 9. Si plures exemerint, in ſingulos actio dabitur, & nihilominus manet qui exemtus eſt obligatus. *l. 5. §. 3. D. h. t.*

§. 10. Heredibus datur, ſi eorum interſit; ſed contra heredem, & poſt annum locum non habet. *d. l. 5. §. 4.*

§. 11. *Ceſſat* autem hoc Edictum, I. ſi perſona, quæ in jus vocari non potuit, exemta ſit; *Si enim deliquit qui vocat, non deliquit qui exemit. l. 1. §. 2. l. 2. D. h. t.*

II. Si quis alio, quam quo debuerat, vel ubi conveniri non poterat, vocatus ſit. *d. l. 2. D. h. t.*

III. Si ſervus in jus vocatus ſit. *l. 3. pr. D. h. t.*

IV. Si quis ad Pedaneum Judicem vocatus ſit. *l. 3. §. 1. D. h. t.*

V. Si vocatus nihilominus productus ſit. Quoniam verba cum effectu accipienda ſunt. *l. 5. §. 2. D. h. t.* add. *l. 1. §. ult. D. quod quisque jur. in alt. ſtat.*

TITULUS VIII.

Qui Satisdare Cogantur, Vel Jurato Promittant, Vel Suæ Promiſſioni Committantur.

C. II. 57.

§. 1.

Cum vero in jus vocati ordinario ſtatim ſequi, vel ſatis vel cautum dare deberent. *t. D. in jus voc. ut eant, aut ſatis vel cautum dent.* nunc porro exponitur, quosdam *Satisdare*, quosdam *Jurato promittere*, quosdam vero *Nudæ promiſſioni committi.*

§. 2. Sunt enim quatuor cautionis ſpecies. I. *Satisdatio; d. l. 1. D. h. t.* II. *Cautio pignoratitia; l. 1. §. 9. D. de collat. bon.* (quæ *cautiones* dicuntur *idoneæ ; l. 59. §. f. D. mand. l. 4. §. 8. D. de fideic. lib.*) III. *Juratoria; h. t. l. 17.*

Digitized by Google

C. de dign. IV. *Promiſſoria* ſeu *Nuda repromiſſio. h. t. §. 2. I. de Satisd.* Quæ ſub voce *cautionis* ſimpliciter poſita intelligitur. *l. 3. C. de V. & R. S.*

§. 3. *Satisdatio* vel *in genere* accipitur, pro omni cautione, qua adverſarium ſecurum facimus; *l. 61. D. de V. S. l. 21. §. 2. D. de pec. conſt. l. 1. §. 9. D. de coll.* vel *in ſpecie*, pro ea, quæ fit datis fidejuſſoribus; *l. 1. D. h. t.* quæ ſignificatio hujus loci eſt.

§. 4. *Satisdant Rei* in jus vocati, ordinario omnes, *judicio ſiſti*, i. e. datis fidejuſſoribus idoneis cavent, quod tempore convento vel conſtituto, v. *l. 8. pr. D. h. t.* ſe velint in judicio ſiſtere. *Inſcr. & l. 1. D. in jus voc. ut eant, aut ſatis vel caut. dent.*

§. 5. Fidejuſſores debent eſſe *idonei*, i. e. tales, qui fidejubere poſſunt, (unde non admittuntur mulieres, milites, minores, neque ſervi; *l. 8. §. 1. 2. D. h. t.)* & *locupletes. l. 1. D. in jus voc. ut eant.* arg. *l. 1. D. h. t.*

§. 6. Sunt autem *Locupletes*, qui tales ſunt facultatibus & conveniendi facilitate. *l. 2. pr. D. h. t. l. 234. §. 1. D. de V. S.* v. *ſupr. ad t. in jus voc. ut eant. §. 4.*

§. 7. Non enim ſufficit, ſi quis facultatibus polleat, ſed & inſuper neceſſe eſt, ut fori privilegio non gaudeat; *l. 7. pr. D. h. t.* Qui tamen ſi privilegio ſpecialiter renunciet, admittendus eſt. *d. l. 7. pr. l. 1. D. ſi quis in jus voc. non ier.*

§. 8. Quod ſi dubitetur, an ſint locupletes, Arbiter in eam rem dandus eſt; a quo ſi probati ſint fidejuſſores, pro locupletibus habendi ſunt; Niſi alter appellaverit. *l. 9. 10. pr. D. h. t.*

§. 9. Qui vero locupletem non acceperit, injuriarum tenetur. *l. 5. §. 1. D. h. t.*

§. 10. Plane contingere poteſt, ut ſemel ſatisdediſſe non ſufficiat; Veluti ſi fidejuſſor ſtipulatoris heres fiat; *l. 8. §. 3. D. h. t.* junct. *l. 5. D. de fidej.* vel datus fidejuſſor facultatibus lapſus ſit. *l. 10. §. 1. D. h. t.*

§. 11. Sunt tamen, pro quibus qualescunque fidejuſſores admittendi ſunt, Parentes ſcil. Patroni, & Neceſſarii.

§. 12. De quibus prætor ita edixit: Si quis Parentem, Patronum, Patronam, Liberos, aut Parentes Patroni Patronæ, liberosve suos, eumque quem in potestate habebit, vel uxorem, vel nurum, in jus vocabit, qualiscunque fidejussor judicio sistendi causa accipiatur; *In eum, qui ſciens non acceperit, L. aureorum judicium dabo.* v. *l. 2. §. 2. 3. 4. D. h. t. l. 1. 2. D. in jus voc. ut eant.* v. ſupr. *ad t. D. in jus voc. ut eant. §. 5.*

§. 13. Tenetur autem fidejuſſor datus in id, quanti ea res eſt, i. e. in veram quantitatem; *l. 2. §. 5. l. 3. D. h. t.* De quo Prætor ſubjeciſſe videtur, *In Fidejuſſorem, qui aliquem judicio ſiſti promiſerit, quanti ea res erit, Actionem dabo.* arg. *d. l. 2. §. ult. D. h. t.*

§. 14.

Digitized by Google

§. 14. Niſi datus ſit ei, qui agere non poteſt; *l. 2. §. 1. D. h. t.* Vel deceſſerit, qui dedit. v. *l. 4. 5. D. h. t.*

§. 15. *Jurato promittunt* Viri illuſtres, *l. 17. C. de dign.* aliique probatæ vitæ, jurantes ſe idoneos fidejuſſores invenire non poſſe. *N. 112. c. 2. Auth. Generaliter C. de Ep. & Cler.*

§. 16. Qui vero jurato promiſit judicio ſiſti, non videtur pejeraſſe, ſi ex conceſſa cauſa hoc deſeruerit. *l. ult. D. h. t.*

§. 17. *Promiſſioni nudæ* committuntur I. *Immobilium poſſeſſores; l. 15. pr.* junct. *Inſcript. h. t.* ita quidem, ut inſuper jurare, vel bona ſua oppignorare non cogantur.

§. 18. Sunt autem *immobilium poſſeſſores*, & pro talibus habentur, qui in agro vel civitate rem ſoli poſſidet, aut ex aſſe, aut ex parte; *l. 15. §. 1. 6. D. h. t.* Qui agrum vectigalem i. e. emphyteuticarium poſſidet; *d. l. 15. §. 1.* Qui ſolam proprietatem habet; *d. §. 1.* Maritus & uxor ratione fundi dotalis; *d. l. 15. §. 3.* nec non Tutores, ſive ipſi ſive pupillus poſſideat, imo & ſi unus tutor poſſideat. *d. l. 15. §. 5.*

§. 19. Non etiam qui tantum uſumfructum habet; *d. l. 15. §. 1.* non creditor qui pignus accepit; *d. l. 15. §. 2.* Nec ille, qui fundi actionem perſonalem habet. *d. l. 15. §. 4.*

§. 20. An quis autem poſſeſſor ſit immobilium, an non ſit? tempus cautionis ſpectandum eſt. *d. l. 15. §. ult. D. h. t.*

§. 21. II. *Promiſſioni nudæ* etiam committuntur Fiſcus & Reſp. quia ſemper locupletes cenſentur. *l. 1. §. 18. l. 6. §. 1. D. ut legat. vel fideic. ſerv. cauſ. cav.*

§. 22. Non tantum autem *Reus* cavet *de judicio ſiſtendo*, de quo maxime *h. t.* agitur, ſed etiam *quod ad terminum litis in judicio manſurus* ſit. *§. 2. I. de ſatisd.*

§. 23. *Procurator* vero *Rei* abſentis cavet *judicatum ſolvi.* v. *§. 4. 5. I. eod.*

§. 24. Sed & *Actor cavet*, ſe ſub pœna dupli intra duos menſes a tempore exhibiti libelli litem conteſtaturum eſſe, eamque ad exitum perſecuturum, & ſi cauſa ceciderit, ſe, impenſarum nomine, decimam quantitatis libello comprehenſæ partem, reſtituturum. *N. 96. c. 1. N. 112. c. 2. Auth. Generaliter. C. de Ep. & Cler.*

§. 25. *Procurator Actoris* vero, ſi dubium ſit, an mandatum habeat? *l. 1. C. de proc.* vel conjuncta ſit perſona, *l. 35. 40. §. ult. D. de proc.* vel procurator omnium bonorum, *l. 5. §. 18. D. de O. N. N.* ſatisdat *dominum rem ratam habiturum. §. 3. I. de ſatisd.*

§. 26. Si enim mandatum habeat, vel dominus litis præſens eum conſtituat, non ſatisdat; *l. 1. C. de proc.* Si vero conſtet, eum mandatum non habere, ne quidem cum ſatisdatione admittitur. *d. l. 1. & 24. C. de proc.* v. *infr. ad tit. de proc. §. 13.*

Digitized by Google

TITULUS IX.

SI EX NOXALI CAUSA AGATUR, QUEMADMODUM CAVEATUR.

§. 1.

Qui promiſit aliquem in judicio ſiſti, in eadem cauſa ſiſtere debet; *l. 11. pr. D. ſi quis caut. jud. ſiſt. c. fact. non obt.* & quidem in ſpecie, qui eum, de quo noxalis actio eſt, judicio ſiſti promiſit, ſimiliter in eadem cauſa ſiſtere debet. *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 2. Prætor ait: „*Si quis eum, de quo noxalis actio eſt, judicio ſiſti pro-„miſerit, in eadem cauſa, in qua tunc eſt, cum exhiberi, donec judicium acci-„piatur, jubebo.*„ *d. l. 1. pr. D. h. t.*

§. 3. *In eadem cauſa autem ſiſtere videtur*, qui ad experiendum non facit jus actoris deterius, ſeu ita ſiſtit, ut actori perſecutio loco deteriori non ſit. *d. l. 1. §. 1. l. 2. pr. l. 5. 6. D. h. t. l. 11. pr. D. ſi quis caut. in jud. ſiſt. c. f.*

§. 4. Unde, qui ſervum in eadem cauſa ſiſtere promiſit, & liberum factum ſiſtit, ſi de ipſo controverſia eſt capitalium actionum, injuriarumque nomine, non recte ſiſtere dicitur, quia aliter de ſervo ſupplicium, aliter de libero vindicta ſumitur. *l. 5. D. h. t.* cui non eſt contraria *l. 1. §. 1. D. de pœn.* quæ de genere pœnæ accipienda eſt.

TITULUS X.

DE EO, PER QUEM FACTUM ERIT, QUO MINUS QUIS IN JUDICIO SISTAT.

§. 1.

Æquiſſimum putavit Prætor, dolum ejus coërcere, qui impedit aliquem judicio ſiſti. *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 2. Qua de re Prætor ita edixiſſe videtur: *Adverſus eum, qui dolo malo fecit, quominus in judicium vocatus ſiſtat, quanti actoris interfuit, judicium dabo. l. 1. pr. §. 1. 2. l. 3. D. h. t.*

§. 3. *Feciſſe dolo malo* non tantum is putatur, qui ſuis manibus, vel per ſuos retinuerit; Verum qui alios quoque rogavit, ut eum detinerent vel abducerent, ne judicio ſiſtat, ſive ſcientes ſive ignorantes, quid eſſet, quod committeretur. *l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 4. *Dolum malum* etiam accipimus, ut, ſi quis venienti ad judicium aliquid pronunciaverit triſte, propter quod is neceſſe habuerit ad judicium non venire, teneatur Edicto. *l. 1. §. 2. D. h. t.*

§. 5. Datur autem hoc Edicto *Actio in factum* non tantum in jus vocanti ſed

Digitized by Google

ſed & vocato; *l. 1. §. 3. l. 3. §. 2. D. h. t.* Quoniam ejus ratione pœnæ promiſſæ intereſt, ne impediatur, *l. 2. §. ult. D. ſi quis caut. jud. ſiſt. c. ſ. non obtemp.*

§. 6. Contra eum, qui vel per ſe, vel per alium fecit, quominus quis in judicium vocatus ſiſtat; ad id, quanti Actoris interfuit eum ſiſti. *l. 3. pr. D. h. t.*

§. 7. Si plures dolo fecerint, omnes tenentur, ſed ſi unus præſtiterit pœnam, cæteri liberantur, cum nihil interſit. *l. 1. §. 4. D. h. t.*

§. 8. Datur etiam hæc actio heredi; ſed non ultra annum; Adverſus heredem autem hactenus datur, ut ex dolo defuncti heres non lucretur. *l. 1. §. ult. D. h. t.*

§. 9. *Ceſſat* autem Edictum I. Si reus dolo actoris impeditus non ſteterit, cum contentus eſſe poſſit exceptione, ſi ex ſtipulatu conveniatur de pœna, quod in judicium non venerit. *l. 1. §. 3. D. h. t.*

Ut & II. Si ſtipulator dolo promiſſoris, & promiſſor dolo ſtipulatoris impeditus ſit, quo caſu dolus ab utraque parte compenſatur. *l. 3. §. 3. D. h. t.*

TITULUS XI.

Si Quis Cautionibus In Judicio Sistendi Cauſa Factis Non Obtemperaverit.

§. 1.

Quod ſi vero Reus, a nullo impeditus, tempore convento vel conſtituto, v. *l. 8. D. qui ſatiſd. cog. l. 1. D. h. t.* in judicio ſe non ſiſtat, neque cautionibus judicio ſiſtendi cauſa factis obtemperet, adeoque *Vadimonium deſerat*, v. Cic. *Orat. 2. in Catilin. c. 3.* Sen. *L. IV. de Beneſ. c. 39.* & ipſe, & fidejuſſor ejus tenetur, *l. ult. D. ſi quis in jus voc. non ier. l. 2. §. ult. D. qui ſatiſd. cog.* vel ad quantitatem promiſſam; *d. l. 2. §. ult. l. ult. D. de prætor. ſtip.* vel *ad veritatem* i. e. ad id quod intereſt, *d. l. 2. §. ult. l. ult. ſi quis in jus voc. non ier.* habita ratione temporis, quo reus ſiſti debuit. *l. 12. §. 1. D. h. t.*

§. 2. Quem in finem Prætor Actori miſſionem in bona Rei, quaſi latitantis, promittit, per Edictum, quod ita conceptum eſt; „*In bona ejus, qui judicio „ſiſtendi cauſa fidejuſſorem dedit, ſi neque poteſtatem ſui faciat, neque defendatur, iri jubebo. v. l. 2. D. quib. ex cauſ. in poſſ. eat. N. 53. c. 4. §. 1. v. infr. ad d. t. D. §. 4. & ſeqq.*

§. 3. *Ceſſat* tamen Vadimonii deſerti pœna, ſi quis ob cauſas ſonticas ſeſe non ſtiterit.

§. 4. De quo Prætor edixiſſe videtur: *Si valetudine, vel tempeſtate,*

vel vi fluminis, aut quo alio juſto impedimento prohibitus, ſine dolo malo ſe ſiſtere non potuerit, eo nomine cauſa cognita exceptionem dabo. l. 2. §. 3. & ſeqq. l. 4. D. h. t.

§. 5. Multæ enim cauſæ ſunt, ob quas, qui judicio ſeſe non ſtitit, excuſandus eſt. Puta I. Si transactum ſit; *l. 2. pr. D. h. t.* junct. *l. 2. D. de transact.* II. Si municipalis muneris cauſa non ſtetit; *l. 2. §. 1. h. t.* III Si ad teſtimonium deſideratus ſit; *d. l. 2. §. 2.* IV. Si valetudine, tempeſtate, vel vi fluminis prohibitus ſit; *l. 2. §. 3. 4. 5. 6. 7. 8. D. h. t.* Sen. *de Benef. L. IV. c. 39.* V. Si a Magiſtratu detentus; *l. 2. §. 9. l. 3. D. h. t.* VI. Si quis capitis damnatus; *l. 4. D. h. t.* VII. Si vinculis detineatur; *l. 4. §. 1. D h. t.* VIII. Si funere domeſtico impediatur; *l. 4. §. 2. D h. t.* IX. Si in hoſtium poteſtate fuerit; *l. 4. §. 3. D. h. t.* X. Si jus actoris non ſit factum deterius. *l. 8. D. h. t. l. 23. D. de O. & A.*

§. 6. Dummodo cauſæ iſtæ non ſint affectatæ, neque culpa Rei interceſſerit; *d. l. 2. §. 8. 9.* Vel impedimentis iſtis ſpecialiter renunciatum ſit. *l. 4. §. 4. D. h. t.*

§. 7. Generalis enim renunciatio hic non ſufficit; *d. l. 4. §. 4.* Quia nemo omnia impedimenta, quæ quandoque incidere poſſunt, mente ſua concipere poteſt.

§. 8. Quod ſi Actor tribus Edictis, ſingulis interpoſito XXX. dierum ſpatio, citatus ſe non ſtiterit, reus poſt annum ſententiam impetrare poteſt. *N. 112. c. 3. Auth. qui ſemel. C. quom. & quand.*

§. 9. Si vero vel Actor vel Reus *Eremodicium contrahat*, i. e. litem cœptam & conteſtatam deſerat, v. *l. 7. §. ult. D. de min. l. 13. D. jud. ſolv l. 13. §. 3. 4. C. de jud. Nov. 69. c. 3.* junct. *l. 31. §. 2. D. de neg geſt. l. 54. §. 1. D. de re jud. l. 11. D. jud. ſolv.* damno litis i. e. impenſarum coërcetur, & cauſa eo abſente peragitur. v. *l. 73. D. de jud. l. 13. §. 2. 3. 4. C. eod. Nov. 69. c. 3. N. 112. c. 3. §. ult.*

TITULUS. XII.

DE FERIIS, ET DILATIONIBUS, ET DIVERSIS TEMPORIBUS.

C. III. 11. 12.

DE FERIIS.

§. 1.

Excuſant etiam judicio non ſiſtentem *Feriæ & Dilationes. l. 1. 6. D. h. t. v. l. 2. §. 1. D. ſi quis in jus voc. non ier. l. 1. pr. l. 6. D. h. t.*

§. 2. Sunt autem *Feriæ* (a *feriendis* victimis ſic dictæ; Feſt. *in voc. Feriæ*) *dies*

Digitized by Google

dies a judicialibus actibus vacui; l. pen. D. h. t. Quibus nec jus dicitur, nec Magiſtratus ſui poteſtatem faciunt. *l. 5. D. h. t.*

§. 3. Eæque vel *Divinæ* ſunt; *l. ult. C. h. t.* vel *Humanæ.*

§. 4. Feriæ *Divinæ* ſunt, quæ Majeſtati altiſſimæ cultuique Divino dicatæ ſunt. *l. f. pr. C. h. t.*

§. 5. *Humanæ*, quæ hominis gratia, ob utilitatem & neceſſitatem, aliasve ob cauſas, conſtitutæ ſunt.

§. 6. Utræque ſunt vel *Solennes* ſeu *Ordinariæ*, vel *Repentinæ* ſeu *Extraordinariæ. l. 3. C. de dilat. l. 26. §. 7. D. ex quib. cauſ. maj.*

§. 7. Feriæ *Solennes*, ſeu *Ordinariæ* ſunt, quæ certo *ſtatoque* tempore obſervantur. *l. 26. §. 7. D. ex quib. cauſ. maj.*

§. 8. *Feriæ Repentinæ* ſeu *Extraordinariæ* vero, *quæ pro re nata indicuntur. d. l. 26. §. 7. D. ex quib. cauſ. maj.*

§. 9 *Feriæ Solennes* ſeu *Ordinariæ Divinæ* ſunt, Dies Solis ſeu Dominicus; *l. 2. 3. 7. & ult. §. 1. C. h. t.* add. Iſid. *L. VI. c. 18.* Dies Natalis & Epiphaniarum Chriſti; *d. l. 2. 7. C. h. t.* add. Iſid. *d. l.* nec non dies Paſchæ, *d. l. 2. 7. 8.* add. Iſid. *L. VI. c. 17.* & Pentecoſtes. v. Iſidor. *L. VI. c. 18.*

§. 10. Feriæ *Solennes* ſeu *Ordinariæ Humanæ* ſunt feriæ *Meſſium*, ab VIII. ſc. Cal. Jul. usque in Kal. Auguſti, & *Vindemiarum*, a X. ſc. Cal. Sept. usque ad Idus Octobris; *l. 1. pr. l. 4. D. l. 2. 7. C. h. t.* add. Sueton. *in Jul. Cæſ. c. 40.* Papin. Stat. IV. *Sylv. carm. IV. ad Marcell. verſ. 39. & ſeqq.* Nundinæ; *l. un. C. de nund.* Kalendæ Januariæ; *l. 7. C. h. t.* add. Ovid. *L. I. Faſt. verſ. 73. 74.* Dies Natalitii maximarum Urbium Romæ & Conſtantinopolis; Ut & Dies Natales Principum, quibusque imperium adepti ſunt. *d. l. 7. C. h. t.* Add. Dion Caſſ. *L. XLVIII. L. LIII. L. LIV.* Suet. in Aug. *c. 57.* in Tib. *c. 26.* Dion Caſſ. *L. LIX.* Plin. *L. X. Ep. 60. 61. 103. l. 2. C. Theod. de Spectac.*

§. 11. *Feriæ Repentinæ* ſeu *Extraordinariæ* certas non habent ſpecies, ſed ex variis cauſis varie & arbitratu indicentis conſtituuntur; Ob res puta proſpere geſtas, Principis adventum, nuptias, natam illi prolem, acceptam cladem, aliamve Publicam lætitiam vel triſtitiam. *l. 26. §. 7. D. ex quib. c. maj. l. 1. C. h. t.*

§. 12. Ferias olim conſtituebant Pontifices & Magiſtratus majores, veluti Conſules & Prætores. v. Macrob. *L. I. Saturn. c. 16. l. 26. §. 7. D. ex quib. c. maj.* Sed poſtea ſoli Principes; *l. 4. C. h. t.* ita tamen, ut Magiſtratus eas dirigant & moderentur. *l. 4. D. h. t. l. 7. pr. de Offic. Proconſ.*

§. 13. *Finis & effectus Feriarum Divinarum* eſt, ut homines, miſſa rerum profanarum cura, Deum O. M. eo tempore debito cultu venerentur. *l. 2. 3. 7. 8. & ult. C. h. t.*

§. 14. Hinc feriis Divinis nulli Actus judiciales exerceri poſſunt; Et ſi qui fiant, ſunt ipſo jure nulli; *l. 2. 7. 8. & f. §. 1. C. h. t.* ſive cauſæ ſint publicæ, ſive privatæ. *l. 7. in f. l. 8. C. h. t.*

§. 15.

§. 15. Idque non tantum ratione Judicum, ſed & Arbitrorum compromiſſariorum locum habet; *d. l. 7. C. h. t.* Quoniam Arbitria ad ſimilitudinem judiciorum redacta ſunt. *l. 1. D. de recept. & qui arb. rec.*

§. 16. Ceſſant etiam hiſce feriis cunctarum artium officia, *l. 3. C. h. t.* commercia, *c. 1. X. h. t.* nundinæ, Nehem. *c. XIII. verſ. 15. & ſeqq.* venationes, choreæ, aliaque voluptati inſervientia; Sive negotia illa ſervilia ſint, ſive liberalia. *l. ult. pr. & §. 1. C. h. t. d. c. 1. ſ. de Fer.* add. Tibull. *L. I. Eleg. 1.*

§. 17. Sunt tamen quædam, quæ ipſis etiam feriis Divinis licita ſunt atque permiſſa. Actus ſcil. voluntariæ juriſdictionis; *l. 2. 8. C. h. t.* Transactiones; *l. ult. §. 1. C. h. t.* Agricultura neceſſaria; *l. 3. C. h. t.* add. Virg. I. *Georg. verſ. 268. & ſqq.* Cura annonæ; arg. *l. 5. §. 1. C. h. t.* Diſciplina Militaris; *l. pen. D. h. t.* Inveſtigatio & captura latronum, ſimiliumque; nec non cauſarum criminalium cognitio; *l. pen. C. h. t. l. 3. C. de Ep. aud.* Defenſio ſui ipſius adverſus vim injuſtam; arg. *l. 3. D. de J. & J. l. 45. §. 4. D. ad L. Aquil.* v. Machab. *L. I. c. II, 34. & ſeqq. & L. II. c. XIV, 5.* Extractio bovis proximi ex lacuna; Luc. XIII, 15. XIV, 5. Omniaque, quæ exigit dilectio ſui ipſius & proximi, quæque differri neceſſitas & utilitas publica non patitur. v. Macrob. *L. I. Sat. c. 16.*

§. 18. *Finis & effectus Humanarum Feriarum* eſt, ut homines colligendis fructibus vacare poſſint, *l. 7. C. h. t.* aliasve ob cauſas juſtitium ſit. *l. 2. 7. C. h. t.* Plin. *L. VIII. Ep. 21.*

§. 19. Unde Meſſium Vindemiarumque tempore nemo (ſive circa rem ruſticam occupatus ſit, ſive non) cogitur ad judicium venire, & ſententia, non conſentientibus partibus prolata, nullius eſt momenti. *l. 1. pr. l. 6. D. h. t.*

§. 20. Sed excipiuntur & hic (præter ea, quæ ipſis feriis Divinis ſunt licita) certæ cauſæ, quæ tempore feriarum humanarum expediri poſſunt: Tutorum ſcil. Curatorumque datio; Alimentorum conſtitutio; Miſſio in poſſeſſionem; *l. 2. 3. D. h. t.* Novi Operis nunciatio; *l. 1. §. 4. D. de nov. op. nunc.* Appellatio; *l. 1. C. h. t.* Cauſæ fiſcales & publicæ; *l. 5. C. h. t.* & denique, ſi res tempore vel morte peritura ſit, *l. 1. §. 2. l. 3. D. h. t.*

§. 21. Nihil etiam impedit, quominus partes hiſce feriis renunciare, & ipſis ſponte litigantibus ſententia dici poſſit. *l. 1. §. 1. D. h. t.*

De Dilationibus.

§. 22. *Dilatio* eſt *diei prolatio*, Don. *ad Ter. Eun. Act. V. Sc. 8.* ſeu *rei, in judicio agendæ, in alind tempus rejectio.*

§. 23. Eaque triplex eſt, *Conventionalis, Legalis, & Judicialis.*

§. 24.

§. 24. *Dilatio Conventionalis* eſt, *quæ a parte parti pacto conceditur.*

§. 25. *Legalis, quæ a lege tribuitur*, veluti decem dierum in citatione dilatoria; *l. 68. ſqq. D. de jud.* XX. dierum ratione in jus vocati; *Auth. Offeratur. C. de lit. conteſt.* ut & quatuor menſium ratione judicati. *l. ult. C. de uſur. rei jud.*

§. 26. *Judicialis* vero, *quæ a judice cauſa cognita datur l. 4. C. de dilat. v. §. 2. 3. I. de offic. Jud.*

§. 27. In *Pecuniariis* autem cauſis dilatio ſingulis cauſis plus ſemel tribui non poteſt: In *Capitalibus reo* tres dilationes, *accuſatori* duæ dari poſſunt: ſed utrumque cauſa cognita, *l. 10. 7. D. h.* add. *l. 41. D. ad L. Jul. de adult.*

§. 28. *Effectus Dilationis* eſt, ut interim quieſcat judicis officium; *l. 3. in f. C. de dilat.* Unique conceſſa etiam alteri proſit, *d. l. 3. 6. in f. C. de temp. in int. reſt.*

§. 29. Tempora autem dilationum continua ſunt, ut & feriæ, ſive ſolennes, ſive repentinæ, iis connumerentur. *d. l. 3. C. de dil.*

De Diverſis Temporibus.

§. 30. Quænam *tempora* ſint *Feriarum & Dilationum*, ex dictis facile intelligitur.

§. 31. Sed ſunt, præter Ferias & Dilationes, etiam diverſa alia Tempora, minime negligenda.

§. 32. *Tempus* ſecundum Ariſt. *L. IV. Phyſ. c. 16.* eſt *numerus motus, ſecundum prius & poſterius:* Secundum Macrob. vero *L. I. Saturn. c. 8. certa dimenſio, quæ ex cœli converſione colligitur.*

§. 33. Eſtque I. *Præſens, v. l. 123. D. de V. S. l. 76. §. 1. D. de V. O. Præteritum* ſeu *tranſactum, d. l. 123. D. de V. S. l. 7. D. quib. mod. uſuſfr. am. l. 63. §. ult. D. de A. R. D. & Futurum. v. d. l. 123. de V. S. l. 76. §. 1. D. de V. O. l. 8. D. de V. S. l. 19. D. jud. ſolv. l. 29. de leg. 1.*

§. 34. II. Tempus eſt vel *Diurnum*, vel *Nocturnum. l. 124. D. de V. S.*

§. 35. III. *Continuum*, vel *Utile. l. ult. C. de temp. in int. reſt. l. 1. D. de div. temp. præſcr. §. 16. I. de excuſ. l. ult. C. de dol.*

§. 36. *Tempus Continuum* eſt, *quod continuo & ſine interruptione currit;* nulla habita ratione, an dies feriati ſint, an non ſint; an Judex ſui copiam faciat; an non faciat. *l. 7. D. quemadm. ſerv. amit. l. 4. §. 5. D. de ſtat. lib. l. ult. C. de temp. in int. reſt.* Idque in dubio intelligitur. v. *l. ult. C. de dol. d. l. ult. C. de temp. in int. reſt.*

§. 37. *Utile* eſt, *quo experiundi poteſtas eſt, & jus dicitur. l. 1. D. de div. temp. præſcr. l. 55. D. de Æd. Ed. l. 10. §. ult. D. ad SC. Turp.* Quod non intelligitur, niſi exprimatur; Exceptis Actionibus Prætoriis, in quibus *dies, menſis, an-*

nus ſimpliciter poſitus, plerumque intelligitur *Utilis. l. 38.* junct. *l. 19. §. ult. D. de Æd. Ed. l. 1.* junct. *l. 6. D. de calumn. l. 1. pr. §. 39. D. de vi & vi arm. l. 1. §. 13. D. de vi bon. rapt.*

§. 38. Potiſſimæ autem temporis partes ſunt *Dies*, *Menſis*, *& Annus.*

§. 39. Dies alius eſt *Naturalis*, alius *Civilis.*

§. 40. *Dies Naturalis* eſt *tempus decurrens ab ortu Solis, usque ad occaſum;* incrementum & decrementum recipiens, prout ipſa lux augetur & decreſcit. v. *l. 2. §. 1. l. 124. 154. D. de V. S.* add. Geneſ. I, 5. & ſeqq. Joan. XI, 9.

§. 41. *Dies Civilis* more Romano eſt XXIV. horarum, & a media nocte incipit, ſequentis autem noctis media parte finitur. *l. 8. D. h. t. l. 5. D. qui teſt. fac. poſſ. l. 6. 7. D. de uſurp. & uſuc.* Gell. *L. III. c. 2.*

§. 42. *Menſis*, ſeu ſpatium menſtruum varie ſumitur; Sed in jure noſtro fere pro ſpatio XXX. dierum accipitur. *l. 40. D. de reb. cred. l. 38. pr.* junct. *l. 28. D. de Æd. Ed. l. 3. §. ult. D. de ſuis & leg. her.* junct. *l. 12. D. de ſtat. hom. l. 30. §. 1. D. ad L. Jul. de adult. l. 101. D. de R. J. l. ult. §. 2. 11. C. de jur. delib. N. 115. c. 2.*

§. 43. *Annus* autem continet ſpatium dierum continuorum 365. *l. 4. §. 5. D. de ſtat. lib. l. 51. §. 2. D. ad L. Aquil. l. 134. D. de V. S.* junct. *l. 98. D. eod.*

TITULUS XIII.

De Edendo. C. II. 1.

§. 1.

Excuſatur etiam Reus, ſi Actor Actionem non ediderit, ſine quo Reus ſcire nequit, an cedere, an contendere debeat; v. *l. 1. pr. D. h. t. Auth. Offeratur. C. de lit. cont.* Qua occaſione de *Inſtrumentis, & Rationibus* ab *Argentariis edendis*, hic ſimul agitur.

§. 2. Et quidem de *Actione & Inſtrumentis edendis* Prætor ita edixiſſe videtur: *Actionem, qua quisque agere volet, itemque inſtrumenta, quibus in judicio uti oportebit, adverſario edere cogam ſine die & Conſule. l. 1. D. h. t. l. 8. D. de V. S. l. 3. C. h. t.*

§. 3. *Edere* eſt copiam deſcribendi facere, vel in libello complecti & dare, vel dictare: Eum quoque *edere* Labeo ait, qui producat adverſarium ſuum ad Album, & demonſtret, quid dictaturus ſit ex Edicto, vel id dicat quo uti velit. *l. 1. §. 1. D. h. t. l. 6. §. 7. D. h. t.*

§. 4. Fit itaque Actionis Editio maxime in *Libello*, qui nihil aliud eſt, quam

Digitized by Google

quam *Scriptura intentionem Actoris complectens. d. l. 1. §. 1. l. 6. §. 7. D. h. t. §. 24. I. de Act. l. 7. D. de inoff. teſt. l. 3. D. de accuſ. Auth. Offeratur. C. de lit. conteſt.*

§. 5. Cujus partes Principales ſunt, *Exordium, Propoſitio, & Concluſio.*

§. 6. In *Exordio* proponitur Nomen *Judicis, Actoris, & Rei.*

§. 7. In *Propoſitione*, congrua & perſpicua facti narratio. Quæ per modum Syllogiſmi fieri ſolet; Ita, ut loco majoris ponatur *Jus*, loco minoris vero *Factum*; v. Daniel. III, 9. & ſeqq. Expoſita ſimul cauſa petendi vel generali vel ſpeciali in Actionibus in rem; Speciali vero in Actionibus in perſonam; & nomine Actionis expreſſo; *l. 14. §. 2.* junct. *l. 11. §. 2. D. de except. rei jud. l. 33. D. de jud. l. 3. C. h. t. l. ult. C. de interd.* v. Diſſert. N. V. *de Cauſ. Oblig. C. 1. §. 9. 10.*

§. 8. Ex quibus formatur *Concluſio*, i. e. apta & naturæ negotii conveniens petitio. v. *§. 1. 14. I. de Act. l. 6. D. de R. V.* Licet in Criminalibus Generalis petitio ſufficiat. arg. *l. 1. §. 4. in f. D. ad SC. Turp. l. 15. pr. in f. D. ad munic.*

§. 9. Impenſarum petitio neceſſaria non eſt, ad quarum condemnationem judex ex officio tenetur. *l. 79. D. l. 13. §. 6. C. de jud*

§. 10. Debet autem Libellus eſſe clarus & certus, cæteroquin enim, reo petente, tanquam ineptus rejiciendus eſt. arg. *l. 1. pr. D. h. t. Auth. Offeratur. C. de lit. cont. §. 31. I. de Act.* junct. *l. 18. D. comm. div.*

§. 11. Niſi incertum ſit, quid Actor petere, v. *l. 76. §. 1. D. de R. V. l. 1. 3. D. ſi pars hered. pet.* vel qua actione experiri debeat? *l. 1. §. 4. D. quod legator.* Vel natura Actionis certam petitionem non admittat; veluti in debito alternativo, *l. 16. §. 3. D. de pign. l. 2. C. de reſc. vend.* petitione fructuum, *l. 25. §. 1. D. de R. V.* & ejus quod intereſt. *l. 24. D. de R. J. l. ult. D. de præt. ſtip.*

§. 12. Quod ſi vero quis in concipiendo Libello erraverit, poteſt Libellum & *emendare & mutare*, non tantum ante, ſed & poſt litem conteſtatam. v. Cic. *pro Cæcin. c. 3. l. 3. C. h. t. l. 4. §. ult. D. de noxal. act. §. 35. I. de Act.*

§. 13. Debet etiam Actor Reo edere *Inſtrumenta*, quibus in judicio uſurus eſt. *l. 1. §. 3. 5. l. 2. D. h. t.*

§. 14. Quæ editiones ſine die & Conſule fieri debent; ne quid excogitetur e die & Conſule, & prælato die fiat. *l. 1. §. 2. D. h. t. l. 2. §. 6. D. teſtam. quemadm. ap. l. 3. D. de fid. inſtr.*

§. 15. Diem autem & Conſulem excepit Prætor, quo inſtrumentum conſcriptum eſt, non in quem ſolutio concepta eſt: Nam dies ſolutionis, ſicuti ſumma, pars eſt ſtipulationis. *d. l. 1. §. 2. D. h. t.*

Digitized by Google

§. 16. Exempla etiam inſtrumentorum, ſine ſubſcriptione edentis, edi ſufficit. *l. 11. D. h. t.*

§. 17. Reus Actori inſtrumenta edere non cogitur; Quia neque ratio juris, neque æquitatis patitur, originem petitionis, ex inſtrumentis ejus, qui convenitur, fundari. *l. 4. l. ult. C. h. t. l. 7. C. de teſt.*

§. 18. Niſi I. Reus excipiendo Actor fiat; v. *l. 1. D. de except. l. 19. D. de prob.*

II. Inſtrumenta ſint communia; *l. 7. C. h. t. l. 5. D. fam erciſc.*

III. Cauſa ſit fiſcalis; *l. 3. D. h. t. l. 2. §. 1. D. de jur. fiſc.*

IV. Aliave juſta cauſa aliud ſuadeat. v. *l. 1. C. h. t. l. 95. §. ult. D. ad L. Falcid. l. 5. D. de jur. delib. l. 48. D. de act. emt.*

§. 19. Quod ſi vero inſtrumenta publica auctoritate facta ſint, omnibus edenda ſunt, quorum intereſt; *l. 2. C. h. t.* Quibus annumerari poſſunt *Rationes ab Argentariis confectæ.* arg. *l. 10. §. 1. D. h. t. l. 24. §. 2. de reb. auct. jud. poſſ.*

§. 20. De quibus Prætor edixit: „*Argentariæ menſæ exercitores, Rationem, „quæ ad ſe pertinet, edant, adjecto die & conſule.*„ *l. 4. pr. D. h. t.*

§. 21. Cujus Edicti ratio æquiſſima eſt; nam cum ſingulorum rationes argentarii conficiant, æquum fuit, id quod mei cauſa confecit, meum quodammodo inſtrumentum mihi edi. *l. 4. §. 1. D. h. t.* add. *l. 10. §. 1. D. h. t.*

§. 22. Jubet Prætor, ut „*Argentariæ menſæ exercitores rationes edant;*„ *Argentarii* ſunt, qui in foro tabernas, & menſas ſuas poſitas habebant, quibusque pecuniæ tum cuſtodiendæ, tum fœnori collocandæ dabantur. Unde & *Menſularii, v. l. 47. §. 1. D. de pact. l. 24. §. 2. D. de reb. auct. jud. poſſ.* Suet. *in Aug. c. 3. 4. & Argenti diſtractores* vocati ſunt. *l. ult. C. de pign. l. 2. §. ult. C. de pec. conſt. l. un. C. neg. ne mil.*

§. 23. Neque tantum mutuas pecunias dabant, fidejubebant pro aliis & conſtituebant, ſed & venditiones, & auctiones, aliaque ſimilia per eos fiebant. v. *l. 8. D. depoſ. Nov. 4. c. 3. §. 1. N. 136. c. 2. in f. c. 4. in f. l. 18. D. de pet. her. l. 88. D. de ſolut.* Cic. *pro Cæcin. c. 5. 6.* Quintil. *L. XI. c. 2.* Quo ipſo a *Nummulariis*, ad quos etiam hoc Edictum extenditur, maxime differebant. v. *l. 9. §. 2. D. h. t.*

§. 24. Quorum omnium *Rationem* conficiebant. *l. 4. §. 1. l. 9. §. 2. l. 10. §. 1. D. h. t. l. 23. de liberat. leg.* Gell. *L. XIV. c. 2.*

§. 25. Quæ nihil aliud eſt, quam *ultro citro dandi, accipiendi, credendi, obligandi, ſolvendi ſui cauſa negotiatio. l. 6. §. 3. D. h. t.*

§. 26. *Edi* autem *ratio* ita intelligitur, ſi a *capite* edatur (nam ratio, niſi a capite inſpiciatur, intelligi non poteſt;) ſcil. ut non totum cuique codicem rationum, totasque membranas inſpiciendi deſcribendique poteſtas fiat, ſed ut ea ſola pars

Digitized by Google

pars rationum, quæ ad inſtruendum aliquem pertinet, inſpiciatur & deſcribatur. *l. 10. §. 2. D. h. t.*

§. 27. Et quidem *Rationes edendæ* ſunt *adjecto die & Conſule;* quoniam accepta & data non alias poſſunt apparere, niſi dies & Conſul fuerit editus. *l. 1. §. 2. l. 6. §. 6. D. h. t.*

§. 28. Edendæ vero ſunt rationes ab Argentariis, eorumque heredibus; v. *l. 4. §. 2. & ſeqq. l. 6. §. 1. l. 9. §. 1. D. h. t.* omnibus, quorum intereſt; *l. 6. §. 4. 5. l. 9. §. 3. 4. D. h. t.* præſtito tamen prius jurejurando calumniæ, ne forte vel ſupervacuas rationes, vel quas habet, edi ſibi poſtulet, vexandi argentarii cauſa. *l. 6. §. 2. l. 9. §. 3. D. h. t.*

§. 29. Et quidem illo loco facienda editio, ubi quis argentariam exercuit. Quod ſi in alio loco argentariam exercet, alibi autem ad editionem compellitur, minime hoc facere cogitur; niſi deſcriptum velis ubi ea de re agitur eum tibi dare, tuis videlicet ſumtibus; *l. 4. §. ult.* ſpatiumque ad perferendas eas tribuatur. *l. 5. D. h. t.*

§. 30. Ad petendam autem editionem rationum, contra Argentarios competit *Actio in factum; l. 9. pr. D. h. t.* Ex ſola æquitate deſcendens. *l. 4. §. 1. l. 10. §. 1. D. h. t.* v. Diſſert. N. V. *de Cauſ. Obl. C. 4. §. 3. & ſeqq.*

§. 31. Qui ſi dolo malo vel lata culpa non edant, in id damnantur, quanti Actoris intereſt. *l. 6. §. 4. l. 8. pr. §. 1. D. h. t.*

§. 32. De quo Prætor ita ſubjeciſſe videtur: *Si quis dolo malo non ediderit, quanti Actoris interſit non edidiſſe, cauſa cognita, in eum actionem dabo. d. l. 6. §. 4. l. 8. pr. §. 1. l. 10. §. 3. D. h. t.*

§. 33. Ubi enim exigitur Argentarius rationes edere, tum demum punitur, cum dolo malo, vel lata culpa non exhibet. *d. l. 8. pr.*

§. 34. *Dolo malo* autem non edit, & qui malitioſe edidit, & qui in totum non edit. *d. l. 8. pr.*

§. 35. Qui vero incidit in hoc Edictum, id præſtat, quod interfuit mea rationes edi cum decerneretur a Prætore, non quod hodie intereſt. *l. 8. §. 1. D. h. t.*

§. 36. Quæ Actio heredi etiam datur; ſed neque in heredem, neque poſt annum competit. *l. ult. D. h. t.*

§. 37. Argentarius autem, ut ſibi edantur Rationes, petere nequit; Neque editio ab eo iterato petenda, niſi ex cauſa. De quo Prætor ita edixit: „*Argentario, eive, qui iterum edi poſtulabit, cauſa cognita edi jubebo.*„ *l. 10. §. 8. & ſeqq. l. 7. pr. §. 1. D. h. t.*

TITULUS XIV.

DE PACTIS. C. II. 2.

§. 1.

Excuſatur denique a pœna deſerti Vadimonii Reus, ſi Litigatores de re ſeu negotio *pacti fuerint*, vel *tranſegerint*. *l. 2. pr. D. ſi quis caut. jud. ſiſt. cauſ. fact. non obtemp. l. 22. §. 1. D. de in jus voc.*

§. 2. Et quidem, quantum ad *Pacta* attinet, Prætor ait; „*Pacta conventa, „quæ neque dolo malo, neque adverſus Leges, Plebiſcita, Senatusconſulta, Edicta „Principum, neque quo fraus cui eorum fiat, facta erunt, ſervabo.*„ *l. 7. §. 7. D. h. t.* Cic. *L. III. de Off. c. 24.*

§. 3. Cujus Edicti æquitas naturalis eſt; Quid enim tam congruum fidei humanæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt, ſervare? *l. 1. pr. D. h. t.* add. *l. 1. D. de pec. conſt. l. 84. §. 1. D. de R. J.*

§. 4. *Pactum* autem ſeu *Pactio*, v. *l. 1. §. 1. 2. l. 7. §. 4. & ſeqq. l. 27. §. 3. D. h. t.* vel *Conventio*, *l. 1. §. 3. 4. l. 2. pr. §. 1. l. 4. pr. §. 1.* & *ll. ſeqq. D. h. t.* eſt *duorum pluriumve in idem placitum conſenſus*, *l. 1. §. 2. D. h. t. de dando* &c. *faciendo, vel præſtando.*

§. 5. Quod generaliter acceptum ad omnia pertinet, de quibus negotii contrahendi tranſigendique cauſa conſentiunt, qui inter ſe agunt; adeoque etiam *Contractus*, tum Nominatos, tum Innominatos, continet. *l. 1. §. 3. D. h. t. l. 71. D. pro ſoc.*

§. 6. Sed variæ *Pactorum* ſunt *ſpecies*; Et quidem I. *Pactum Publicum* eſt, vel *Privatum. l. 5. D. h. t.*

§. 7. *Pactum publicum* eſt, *quod fit ex cauſa publica*; veluti quod fit per pacem, quoties inter ſe Duces belli quædam paciſcuntur. *l. 5. §. 1. D. h. t.*

§. 8. Quod, quin Jure Gentium ſubſiſtat, minime dubitandum eſt; Fides enim data ſervanda eſt, etiam hoſtibus; v. Cic. *de Off. L. I. c. 13. L. III. c. 24. 29.* imo piratis, prædonibus, nec non barbaris & hæreticis. *l. 1. D. h. t. l. 84. §. 1. de R. J. l. ult. D. de legation. l. 31. §. 1. D. depoſ. l. 17. §. 1. de pœn. l. 6. in f. D. de bon. damn.* v. Diſſert. N. I. *de Cauſ. Obl. C. 2. §. 32.*

§. 9. *Pactum Privatum* eſt, *quod fit ex cauſa & de re cujusque privata. d. l. 5. pr. D. h. t.*

§. 10. II. *Pactum*, maxime Privatum, eſt vel *Expreſſum*, vel *Tacitum. l. 2. pr. D. h. t.*

§. 11. *Pactum Expreſſum* eſt, *quod fit conſenſu expreſſo, viva voce, vel per epiſtolam, vel per nuncium declarato*, *d. l. 2. pr. D. h. t.*

§. 12. *Tacitum*, *quod fit conſenſu tacito*, qui ex re ipſa & facto colligitur. *d. l. 2. pr. D. h. t.*

Digitized by Google

§. 13. Sic I. Si debitori meo reddiderim cautionem, videtur inter nos conveniſſe, ne peterem. *l. 2. §. 1. D. h. t.* add. *l. 3. §. 1. de liberat. leg. l. 59. de leg. 3.* Mart. VIII. *Epigr. 37.*

§. 14. Quod tamen tum demum procedit, cum creditor unum tantum chirographum habet. Si enim quis duo vel plura, ejusdem debiti nomine, ejusdemque tenoris chirographa habeat, unumque debitori reſtituat, alterum vero retineat, aliud dicendum eſt. v. *l. ult. D. de his quæ in teſt. del. l. 59. D. de leg. 3. l. 25. D. de prob. l. 7. 22. D. de don.*

§. 15. Niſi, præter nudam redditionem unius chirographi, aliud quid accedat, ex quo donatio & remiſſio præſumi poſſit, v. *d. l. 59. D. de leg. 3.* junct. *l. 36. D. de leg. 2. §. 1. I. cod.*

§. 16. Sic II. reddito pignore, vel cautione, qua pignus conſtitutum eſt, non quidem ipſum debitum, *l. 3. D. h. t.* ſed pignus remiſſum cenſetur; arg. *l. 1. §. 1. D. de lib. leg. l. 9. C. de remiſſ. pign.* Niſi debitori petenti ad certum uſum, vel precario redditum ſit. arg. *l. 35. §. 1. D. de pign. act. l. 36. D. de acq. poſſ.*

§. 17. Sic III. in Urbanis habitationibus locandis invecta illata pignori ſunt locatori, etiamſi nihil nominatim convenit. *l. 4. pr. D. h. t. l. 2. 4. 6. D. in quib. c. pign. vel hyp. tac. contr. l. 5. 7. C. eod.* Non etiam in prædiis ruſticis; in quibus IV. Fructus (qui pro mercede locationis conductionis ſufficiunt) tacite pignori obligati ſunt. *d. l. 4. 7. D. in quib. cauſ. pign. vel hyp. tac. cont. l. 3. C. cod.* v. infr. *ad t. in quib. cauſ. pign. vel hyp. tac. contr. §. 7. 9.*

§. 18. III. *Pactum* aliud eſt *Nudum*, aliud *Non nudum. l. 7. §. 1. 2. 4. D. h. t. l. 10. C. h. t. l. 15. D. de praſcr. verb. l 27. C. de loc. cond.*

§. 19. *Pactum Nudum* eſt, *quod ſolum pactum eſt, nihil amplius; l. 23. C. de pign.* ſeu, *quod in nudis placiti & conventionis finibus ſubſiſtit, & nudum eſt a nomine & forma. l. 7. §. 1. 2. 4. D. h. t. l. 27. C. de locat.*

§. 20. Quod naturalem producit Obligationem, & Exceptionem, *l. 1. pr. D. h. t. l. 84 §. 1. de R. J. l. 7. §. 4. D. h. t. l. 10. D. de O. & A.* ſed jure noſtro non parit Actionem. *d. l. 7. §. 4. D. l. 10. 21. & 28. C. h. t. l. 1. C. de pact. conv.*

§. 21. Noluerunt enim Romani, ex omni nuda promiſſione actionem naſci; Sed certos contractus, & præprimis Stipulationem conſtituerunt, quibus, ſi quis ſibi ſerio aliquem obligare vellet, uti poſſet. v. Diſſert. *N. I. de Cauſ. Obl. C. 4. §. 28.*

§. 22. Niſi pactum nudum Jure Civili vel Prætorio confirmatum, vel contractibus bonæ fidei in continenti adjectum ſit.

§. 23. Pactum, quod Jure Civili, ſeu *Lege* aliqua *ſpeciali* confirmatur, *Legitimum* dicitur. *l. 6. D. h. t.*

§. 24. Idque duplex eſt, *Obligatorium* & *Liberatorium. d. l. 6.*

§. 25. *Obligatorium* eſt, *ex quo Obligatio non tantum naturalis*, ſed *& civilis, & Actio efficax naſcitur. d. l. 6.*

§. 26.

Digitized by Google

§. 26. Quale eſt I. Pactum de uſuris creditarum pecuniarum civitatibus ſolvendis; *l. 30. D. de uſur.*

II. Pactum quo promiſſum eſt fœnus nauticum; *l. 7. & 5. §. 1. D. de fœn. naut.*

III. Pactum, quo promiſſæ ſunt uſuræ frumenti mutui dati; *l. 12. C. de uſur.*

IV. Pactum, quo dos marito promittitur; *l. 6. C. de dot. prom.*

V. Pactum donationis in præſens conceptum; *l. 35. §. ult. C. de don. N. 162. c. 1. §. 1.*

VI. Pactum, quo uſuræ Argentariis promiſſæ ſunt. *N. 136. c. 4.* v. Diſſert. *N. IV. de Cauſ. Obl. C. 2. §. 2. & ſeqq.*

§. 27. *Pactum Legitimum Liberatorium* eſt, *quo Obligatio & Actio competens ipſo jure tollitur. d. l. 6. D. h. t.*

§. 28. Quale eſt Pactum injuriarum & furti. *l. 17. §. 1. l. 27. §. 2. 4. D. h. t. l. 11. §. 1. l. 17. §. 6. D. de injur.* nec non pactum, quo remittitur hypotheca, ſolo conſenſu conſtituta. *l. 1. 9. §. 3. D. de pign. act. l. 4. D.* junct. *l. 23. C. de pign. l. 2. C. de remiſſ. pign.*

§. 29. *Pactum jure Prætorio confirmatum* eſt Pactum hypothecæ, *l. 17. §. 2. D. h. t.* conſtituti *l. 1. D. de pec. conſtit.* v. Diſſert. *N. IV. de Cauſ. Obl. C. 2. §. 9.*

§. 30. *Pactum adjectum*, novam quidem actionem non parit, contractui tamen etiam ex parte Actoris ineſt, & Actionem ex contractu, cui adjicitur, deſcendentem format. *l. 7. §. 5. 6. D. h. t. l. 13. C. eod.*

§. 31. Dummodo adjectum ſit contractui bonæ fidei, in continenti, *d. l. 7. §. 5. D. l. 13. C. h. t.* & naturæ contractus non ſit contrarium. *l. 23. D. de R. J.*

§. 32. Pactum enim contractui *b. f.* ex intervallo, contractui ſtricti juris vero, ſive in continenti, ſive ex intervallo adjectum, a parte Actoris non ineſt, neque actionem format, ſed tantum ad exceptionem prodeſt. *d. l. 7. §. 5. 6. D. l. 13. C. h. t. l. 72. de contr. emt. vend. l. 3. C. de uſur. l. 11. §. 1. D. de reb. cred.*

§. 33. Pactum autem contra naturam contractus adjectum adeo non ineſt, ut nec Actionem formet, nec exceptionem producat; v. *l. 14. 70. 29. §. 2. D. pro ſoc. l. 12. D. de precar. l. 17. pr. D. h. t. l. 11. §. 1. D. de reb. cred. l. 1. §. 45. D. depoſ.*

§. 34. *Pactum Non nudum* (quod quidam *Veſtitum* vocant) uno nomine dicitur *Contractus. l. 15. D. de P. V. l. 10. C. h. t. l. 7. §. 1. 2. 4. D. h. t. l. ult. C. de rer. perm. l. 1. C. de pact. conv.*

§. 35. Eſt autem *Contractus* alius *Verus*, alius *Quaſi talis.*

§. 36. *Contractus Verus*, ſeu *proprie dictus*, eſt *conventio habens ſpeciale nomen, vel eo deficiente civilem obligandi cauſam. l. 7. §. 1. 2. D. h. t. l. 1. D. de æſtimator.* v. Diſſ. *N. II. de Cauſ. Obl. C. 2. §. 9. & ſeqq.*

§. 37.

§. 37. Ex qua deſcriptione principalis Contractuum diviſio ſimul manifeſta eſt, quod ſcil. *Contractus* alii ſint *Nominati*, alii *Innominati*.

§. 38. *Contractus Nominati* ſunt, *qui proprium & ſpeciale nomen habent*; *d. l. 7. §. 1.* tanquam ſignum certæ formæ & actionis.

§. 39. Neque enim hoc ita accipiendum, quaſi *Nomen* in iis Obligationem producat & Actionem. Sunt enim quædam conventiones, quæ propter frequentem uſum certum nomen eamque vim acceperunt, ut etiamſi nihil ſpecialiter dictum ſit, ex ſolo nomine natura earum ſatis intelligatur; Qualis eſt Emtio Venditio, Locatio Conductio, ſimilesque. *l. 7. §. 1. D. h. t.*

§. 40. *Contractus Nominati* perficiuntur vel *Re*, vel *Verbis*, vel *Literis*, vel *Conſenſu*. *§. ult. I. de oblig.*

§. 41. Licet enim in omni contractu conſenſus ſit neceſſarius, *l. 1. §. 3. D. h. t.* ſunt tamen quidam contractus, in quibus præter conſenſum vel *Rei* traditio intercedere debet, vel *Verba*, vel *Literæ*: Quidam, in quibus præter conſenſum nihil requiritur, qui *ſolo Conſenſu* perficiuntur. *t. t. I. de oblig. ex conſenſ.*

§. 42. Contractus, *qui Re perficiuntur*, ſunt IV. *Mutuum*, *Commodatum*, *Depoſitum*, & *Pignus*. *pr. & §§. ſeqq. I. quib. mod. re cont. obl.*

§. 43. Contractus, *qui Verbis perficitur*, alio nomine *Verborum Obligatio*, ſeu *Stipulatio* dicitur. *t. t. D. & I. de V. O. t. C. de cont. ſtip. l. 6. C. de transact.*

§. 44. Contractus, *qui Literis perficitur*, alio nomine *Literarum Obligatio* vocatur. *tit. I. de lit. obl.*

§. 45. Contractus, *qui Conſenſu perficiuntur*, ſunt v. gr. *Emtio Venditio*, *Locatio Conductio*, *Emphyteuſis*, *Societas*, & *Mandatum*. *t. I. de oblig. ex conſ. §. 3. I. de locat. cond.*

§. 46. Ex quibus Obligatio naſcitur, & Actio, naturæ & nomini ſingulorum contractuum conveniens.

§. 47. *Contractus Innominati* ſunt, *qui nomen certum non habent*, *ſed civilem obligandi cauſam*. *l. 7. §. 2. D. h. t. l. 1. §. 2. D. de rer. perm.*

§. 48. Poſſuntque iſti referri ad quatuor ſumma genera, *Do ut des*, *Do ut facias*, *Facio ut des*, *Facio ut facias*. *l. 5. D. de præſcr. verb.*

§. 49. In quibus *cauſa* non finalem ſeu impellentem, quæ in omnibus pactis intercedit, ſignificat, ſed dationem vel factum, i. e. implementum ab altera parte præſtitum, ea lege, ut alter ſimiliter det vel faciat. *d. l. 7. §. 2. D. h. t.*

§. 50. Ex quibus ſimiliter Obligatio oritur valida, & Actio; Quæ modo *In factum*, & *In factum civilis*, *l. 1. pr. §. 1. 2. l. 2. 3. & 22. D. de P. V.* modo *Præſcriptis verbis*, *l. 2. 17. §. ult. D. de præſcr. verb.* modo *Præſcriptis verbis in factum*, *l. 24. D. de præſcr. verb.* modo *Utilis*, *quæ præſcriptis verbis rem geſtam demonſtrat*, vocatur. *l. 6. C. de transact.* v. infr. *ad t. de P. V. §. 2. & ſeqq.*

§. 51. Porro II. Contractus ſunt vel *Juris Gentium*, quales ſunt plerique; vel

vel *Juris Civilis*, *Stipulatio* ſcil & *Literarum Obligatio*. *l. 5. D. de J. & J. §. 2. I. de J. N. G. & C.*

§. 52. III. Sunt vel *Bonæ fidei*, vel *Stricti juris l. 13. C. h. t. §. un. I. de obl. ex conſ. §. 28. I. de Act. l. 57. D. de O. & A.*

§. 53. IV. Sunt vel μονόπλευροι i. e. ab una parte obligatorii, ut *Mutuum* & *Stipulatio*; vel δίπλευροι i. e. ab utraque parte obligatorii, uti *Emtio Venditio*, *Locatio Conductio*, ſimileſque. *l. 1. §. 3. D. h. t. l. 1. D. de O. & A. §. un. I. de oblig. ex conſ. pr. I. de auct. tut.*

§. 54. *Quaſi contractus* eſt *factum non turpe, ex quo citra conventionem naſcitur Obligatio. l. 5. §. 1. D. de O. & A. pr. §. 1. I. de oblig. quæ quaſ. ex contr.* v. Diſſ. *N. II. de C. O. C. 3. §. 7. & ſeqq.*

§. 55. Nusquam quidem negotia illa, quæ *Quaſi contractus* dicuntur, *Quaſi contractus* appellantur, ſed *ex iis quaſi ex contractu Obligatio naſci* dicitur. *§. ult. I. de obl. t. I. de obl. quæ quaſ. ex contr.*

§. 56. Minime tamen hoc obſtat, quominus *Quaſi contractus* dicere liceat; cum & *Quaſi poſſeſſio*, *l. 10. D. ſi ſerv. vind. Quaſi Uſusfructus*, *§. 2. I. de Uſufr. Peculium Quaſi caſtrenſe*, *§. ult. I. de teſt. mil. l. ult. §. 1. C. de inoff. teſt. Actio quaſi Serviana*, *§. 7. I. de Act.* ſimiliaque in jure noſtro occurrant.

§. 57. Fundamentum autem Obligationis, quod quaſi ex contractu naſcitur, non in tacito conſenſu, ſed Æquitate & Utilitate communi, ponendum eſt. Tum quia per eos ignorantes etiam & inviti obligantur; *§. 1. I. de oblig. quæ quaſ. ex cont.* Tum quia, ſi in tacito conſenſu fundamentum Obligationis ponatur, *Quaſi contractus* in Verum aliquando mutabitur.

§. 58. Sic enim *Negotiorum geſtio* tacitum fieret mandatum, v. *l. 6. §. 2. l. 18. D. mand.* & *Rei communio* tacita Societas.

§. 59. Talia autem negotia, ex quibus quaſi ex contractu naſcitur Obligatio, ſeu *Quaſi contractus*, Imp. memorat quinque, *Negotiorum geſtionem*, *Tutelæ adminiſtrationem*, *Rei communionem*, *Hereditatis aditionem*, & *Indebiti ſolutionem. §. 1. & ſeqq. I. de oblig. quæ quaſ. ex contr.* Neque plures dari videntur. *d.* Diſſert. *N. II. de Cauſ. Obl. C. III. §. 19. & ſeqq.*

§. 60. IV. *Pactorum quædam In Rem ſunt, quædam In Perſonam. l. 7. §. 8. D. h. t.*

§. 61. *Pacta In Rem* ſeu *Realia* ſunt, quoties generaliter paciſcor ne petam. *d. l. 7. §. 8. D. h. t.*

§. 62. Eaque proſunt heredibus & fidejuſſoribus, omnibusque, quorum obligationem diſſolutam eſſe, ejus, qui paciſcitur, intereſt. *l. 21. §. ult. l. 40. & ult. D. h. t. l. 9. D. de prob.*

§. 63. *Pacta In Perſonam* ſeu *Perſonalia* ſunt, quoties paciſcor ne a perſona petam, i. e. ne a Lucio Titio petam. *d. l. 7. §. 8. D. h. t.*

§. 64. Eaque ad perſonas paciſcentium reſtringuntur, neque heredibus, neque

Digitized by Google

que fidejuſſoribus proſunt. *l. 17. §. 3. D. h. t. l. 21. pr. l. 25. §. 1. pr. D. h. t.* Quod tamen quoad fidejuſſores mutatum videtur per *N. 4. c. 1.*

§. 65. Utrum autem *in Rem*, an *in Perſonam* pactum factum ſit, non minus ex verbis, quam ex mente convenientium æſtimandum eſt: Plerumque enim perſona pacto inſeritur, non ut perſonale pactum fiat, ſed ut demonſtretur, cum quo pactum factum eſt. *d. l. 7. §. 8. D. h. t.* v. *l. 17. §. 5. in f. D. h. t.*

§. 66. Paciſci poſſunt, qui conſentire poſſunt, quique non prohibentur, neque impediuntur. arg. *l. 1. §. 3. D. h. t.* Maſculi & fœminæ; *l. 6. C. de revoc. don.* Paterfam. & filiusfam. *l. 39. D. de O. & A.* quin & mutus, ſurdus, *l. 4. §. 1. D. h. t. l. 48. 52. §. pen. D. de O. & A.* & cœcus. arg. *l. 9. D. de adopt.*

§. 67. *Impediuntur* Furioſi, mente capti; *§. 8. I. de inut. ſtip. l. 5. & 40. D. de R. J. l. 70. §. 4. de fidej. l. 2. C. de cont. emt. l. 1. §. 12. D. de obl. & act.* Infantes; *§. 9. I. de inut. ſtip. l. 14. de ſponſal. l. 18. C. de jur. delib.* Extreme ebrii; v. Prov. XXIII, 33. 34. Hoſ. IV, 11. Sen. *Ep. 83. c. ſane diſcimus. 7. c. 15. q. 1. c. 14. X. de vit. & honeſt. cler.* & dormientes. *l. 1. §. 3. D. de A. vel A. poſſ.*

§. 68 *Prohibentur* Prodigi, qui in adminiſtratione rerum ſuarum cum furioſis comparantur; *l. 1. D. de cur. fur. l. 12. §. 2. de tut. & curat. dat. l. 40. de R. J. l. 6. D. de V. O. l. 25. D. de fidej.* Infantiæ & pubertati proximi; qui, licet ſibi acquirere, & pubertati proximi naturaliter obligari poſſint, *§. 9. I. de inut. ſtip. l. 1. D. de novat. §. 3. I. quib. mod. toll. obl. l. 25. §. 1. D. quand. dies leg. ced. l. 111. D. de R. J.* ſine tutoris curatoriſve auctoritate tamen civiliter ſeſe obligare nequeunt; *d. l. 6. de V. O. l. 9. pr. D. de auct. tut. l. 8. D. de aeq. her.* Minores; qui ſimiliter, (niſi exceptis caſibus, v. *l. 9. §. 2. de min. l. 8. C. de nupt. l. 46. D. de O. & A. l. 101. D. de V. O.*) ſine curatoris conſenſu ſeſe civiliter obligare nequeunt. *l. 3. C. de in int. reſtit. minor.* Ut & ob ſtatum ſervi; qui quidem naturaliter etiam obligant & obligari poſſunt, *l. 14. D. de O. & A. l. 13. D. de cond. indeb.* ſed non civiliter; *l. 21. §. 1. D. h. t. l. 41. de pecul. l. 14. D. de O. & A.* quippe qui jure civili pro nullis habentur. *l. 32. D. de R. J.*

§. 69. Inter Patrem etiam & filiumfam. nulla poteſt eſſe civilis obligatio; *l. 7. D. de O. & A. l. 4. 11. D. de jud. §. 6. I. de inut. ſtip. l. 2. pr. D. de contr. emt. vend.* niſi ratione peculii caſtrenſis vel quaſi caſtrenſis, in quibus filiusfam. habetur pro patrefam. *l. 2. D. ad SC. Maced.* Ut nec inter duos fratres in ejusdem patris poteſtate conſtitutos. *l. 38. D. de cond. indeb.*

§. 70. Alter denique alteri paciſci, pactove ſuo prodeſſe vel nocere nequit. *l. 17. §. pen. l. 27. §. 4. in f. D. h. t. l. 73. §. ult. l. 74. D. de R. J.* add. *§. 18. I. de inut. ſtip. l. 11. D. de O. & A.*

§. 71. Hinc neque pactum fidejuſſoris Reo, vel confidejuſſori prodeſt; *l. 23. D. h. t. l. 39. D. de fidej.* Neque pactum debitoris creditori, *l. 25. C. h. t.* majoriſve partis creditorum cæteris nocet. *l. 39. D. de neg. geſt. t. t. C. int. al. act. vel*

jud. al. non noc. Licet Prætor, ex juſta cauſa, pactum majoris partis creditorum aliquando confirmare poſſit. v. *l. 7. §. ult. l. 9. 10. pr. D. h. t. l. 58. §. 1. D. mand.*

§. 72. Quod ſi tamen pactum *in Rem* conceptum ſit, & paciſcentis interſit, aliis etiam prodeſt. *l. 21. §. ult. D. h. t.* v. *ſupr. §. 62.*

§. 73. Qua ratione pactum debitoris non tantum heredibus & fidejuſſoribus, *d. l. 21. §. ult.* Sed & venditoris emtori, *l. 16. 17. §. 5. D. h. t.* & correi ſocii correo prodeſt. *l. 25. pr. l. 21. §. ult. D. h. t. l. 2. C. de duob. reis.*

§. 74. Ut autem Pacta effectum habeant, NEQUE DOLO MALO, NEQUE ADVERSUS LEGES, PLEBISCITA, SENATUSCONSULTA, EDICTA PRINCIPUM, FACTA ESSE DEBENT. *l. 7. §. 7. D. h. t.*

§. 75. Cum enim Pactum ſine conſenſu fieri nequeat; *l. 1. §. 2. 3. D. h. t.* *Dolus* autem, ut & *Metus* & *Error*, conſenſui ſint contraria; *l. 116. D. de R. J.* junct. *l. 2. §. 8. D. de vi bon. rapt. l. 15. D. de juriſd.* *Dolum malum*, nec non *Metum* & *Errorem* abeſſe debere, res ipſa loquitur. v. *l. 7. §. 9. 10. l. 51. D. h. t. l. 57. D. de O. & A. t. t. de dol. mal. & t. t. D. quod met. cauſ.*

§. 76. Sive autem ab initio *dolo malo* pactum factum ſit, ſive poſt pactum *dolo malo* aliquid factum ſit, *Exceptio doli* locum habet. *l. 7. §. 11. D. h. t.*

§. 77. Non etiam de omnibus rebus paciſci licet. Prohibitum enim eſt I. *Pactum de quota litis*, ſeu de conſequenda in eventum certa parte pecuniæ, in controverſiam deductæ, *l. 53. D. h. t. l. 5. 6. §. 2. C. de poſtul. l. 6. §. ult. l. 7. D. l. 20. C. mand.*

II. Pactum Medici cum ægrotante, de honorario modum excedente, *l. 9. C. de Profeſſor. & Med.*

III. Pactum de futura hereditate, certi alicujus viventis, & non conſentientis, ſive de acquirenda, *l. ult. C. h. t.* ſive de conſervanda, *l. 15. C. h. t. l. 52. §. 9. D. pro ſoc.* ſive repudianda hereditate factum ſit. *l. ult. D. de ſuis & leg. her. l. 3. C. de collat.*

IV. Pactum denique honeſtati & juri publico contrarium. v. *l. 7. §. 3. 14. 15. 16. l. 27. §. 4. l. 28. D. h. t. l. 1. §. 7. D. depoſ. l. 15. D. de cond. inſt. l. 38. D. h. t. l. 27. D. de R. J.*

§. 78. Quod ſi itaque Pactum neque dolo malo, neque contra Leges factum ſit, promittit Prætor, ſe PACTA CONVENTA SERVATURUM ESSE. *d. l. 7. §. 7. D. h. t.*

§. 79. *Servat* autem Prætor *Pacta conventa*, dando vel *Actionem*, vel *Exceptionem.* add. *l. 44. §. 1. D. fam. erciſc.*

§. 80. *Actionem* dat Prætor, ſi Pactum Jure Civili vel Prætorio ſit confirmatum, contractui *b. f.* in continenti adjectum, vel Pactum ſit non nudum ſeu contractus. v. *l. 6. D. h. t. l. 7. §. 5. 6. D. h. t. l. 7. §. 1. 2. D. h. t.* v. *ſupr. §. 22. & ſeqq.*

§. 81. *Exceptionem* vero, ſi Pactum ſit nudum, quod obligationem quidem natu-

Digitized by Google

naturalem etiam efficacem parit, *l. 1. D. h. t. l. 84. §. 1. de R. J.* ſed Actionem non producit. *l. 7. §. 4. D. h. t. l. 10. D. de O. & A. v. ſupr. §. 20.*

TITULUS XV.

De Transactionibus.

C. II. 4.

§. 1.

Tranſactio eſt *rei dubiæ, conventa & non gratuita deciſio. l. 1. D. h. t. l. 38. l. 2. C. h. t.*

§. 2. Dicitur *Deciſio:* quia rebus dubiis & controverſis, non ſecus ac res judicata, finem imponit. *l. 20. C. h. t. v. l. 3. §. 1. D. ad L. Falcid. l. 13. C. de furt. l. 7. 17. 33. C. h. t.*

§. 3. *Conventa Deciſio;* quia neque pactum, neque contractus, ſimpliciter dici poteſt; cum hæc rei dubiæ terminatio fieri poſſit vel nudo pacto, *l. 2. 9. §. ult. l. 15. D. l. 17. C. h. t. l. 122. §. 5. de V. O.* vel ſtipulatione, *l. 2. 4. 5. D. h. t.* vel contractu innominato. *l. 6. 33. C. h. t.*

§. 4. *Rei dubiæ;* i. e. de qua lis jam mota eſt, vel imminet, ſeu ſaltem moveri poteſt. *l. 1. D. h. t. l. 2. 11. 12. C. h. t.*

§. 5. Unde ſuper re certa, vel per ſententiam & jusjurandum deciſa, tranſigi nequit. *dd. ll. l. 23. §. 1. D. d. cond. indeb.*

§. 6. Niſi ſuperſit remedium Appellationis, vel Reſtitutionis in integrum, adeoque adhuc incertitudo quædam appareat. *l. 7. 11. D. l. 82. C. h. t. d. l. 23. §. 1. de cond. indeb.*

§. 7. *Non gratuita;* Tranſactio enim nullo dato, vel retento, ſeu promiſſo, minime procedit. *l 38. C. h. t.* In quo a nudo pacto maxime differt, quod etiam donationis cauſa & gratuito fieri poteſt. *l. 1. D. h. t.*

§. 8. Tranſactio eſt I. vel *Generalis*, quæ fit de omnibus rebus dubiis; *l. 12. D l. 29. C. h. t.* Vel *Specialis*, quæ fit de re aliqua certa Liteque Speciali, & ad alias non pertinet. *l. 9. 12. D. l. 31. C. h. t.*

II. *Pœnalis*, vel *non Pœnalis*. *l. 15. D. l. 37. C. h. t.*

III. *Jurata* vel *Injurata*. *l. 41. 42. C. h. t.*

IV. *Judicialis*, vel *Extrajudicialis*. *l. 28. C. h t.*

§. 9. Tranſigere poſſunt omnes, qui paciſci & res ſuas alienare poſſunt; v. *ſupr. ad t. de pact. §. 66. & ſeqq.* non tantum ſani, ſed & adverſa valetudine laborantes. *l. 27. C. h. t.*

§. 10. Procurator judicialis ſeu ad lites tranſigere nequit, licet generaliter ad omnes lites datus ſit; *l. 60. D. de proc.* niſi ſpeciale ad hoc mandatum habeat. arg. *l. 17. §. f. D. de jurej.*

Digitized by Google

§. 11. Procurator Extrajudicialis, ſeu ad negotia extrajudicialia datus, Specialis, ſine ſpeciali mandato ſimiliter tranſigere nequit; *d. l. 17. §. ult.* Generalis vero tranſigere poteſt, ſi quidem utilitas domini id exigat. arg. *d. l. 17. §. f. D. de jurej. l. 12. D. de pact. l. 58. D. de proc.*

§. 12. Idem juris eſt in Syndicis ſeu Procuratoribus Univerſitatum, (non etiam Cæſaris; *l. 13. D. h. t. l. 1. §. 1. de off. Proc. Caſ.*) & Civitatum Adminiſtratoribus. *l. 12. C. h. t.*

§. 13. Ut & Tutoribus, & Curatoribus; dummodo jus minorum ſit valde dubium; *l. 54. §. f. l. 56. §. 4. D. de furt. l. 46. §. f. D de adm. tut.* junct. *l. 35. D. de jurej.* & in immobilium alienatione intercedat decretum Prætoris. *l. 22. C. de adm. tut. l. 4. C. de præd. min.*

§. 14. Pater etiam de bonis Filiifam. adventitiis, ex juſta cauſa, tranſigere poteſt; adhibito tamen, ſiquidem filius ejus ætatis ſit, ut conſentire poſſit, conſenſu ſiliifam. arg. *l. ult. §. 3. 4. C. de bon. quæ lib.*

§. 15. Tranſigi poteſt de omnibus rebus dubiis, *l. 1. D. l. 2. 11. C. h. t.* non exceptis, neque prohibitis.

§. 16. De *Controverſiis* autem, *quæ ex teſtamento proficiſcuntur*, neque tranſigi, neque exquiri veritas aliter poteſt, quam inſpectis cognitisque verbis teſtamenti. *l. 6. D. h. t. l. 1. §. 1. l. 5. D. teſtam. quemad. aper. l. 16. D. de cond. & dem.* Adeo ut tranſactio, de fideicommiſſo dubio facta, reſcindatur, repertis codicillis, ex quibus de relicto fideicommiſſo conſtat, *l. 3. §. 1. l. 12. in f. D. h. t.*

§. 17. II. Cumque hi, quibus alimenta relicta erant, facile tranſigerent, contenti modico præſenti, Divus Marcus Oratione (i. e. SCto v. *l. 23. §. 2. D. de cond. ind.*) in Senatu recitata effecit, ne aliter *alimentorum* (futurorum ſcil. *l. 8. C. h. t.*) *tranſactio* rata eſſet, quam ſi auctore Prætore facta. *l. 8. pr. & §§. ſeqq. D. h. t.* Qui in primis de cauſa tranſactionis, dein de modo, tertio de perſona tranſigentium inquirere debet; l. *8. §. 8. & ſeqq. D. h. t.* Ut, ſi Prætor citra cauſæ cognitionem tranſigi permiſerit, tranſactio nullius ſit momenti. *l. 8. §. 17. 24. 25. D. h. t.*

§. 18. Quæ Oratio pertinet ad alimenta, non tantum quæ teſtamento, ſed & quæ codicillis, mortis cauſa donata, & conditionis implendæ gratia relicta ſunt. *l. 8. §. 2. D. h. t.*

§. 19. Eam autem tranſactionem Oratio improbat, quæ idcirco fit, ut quis repræſentatam pecuniam conſumat, quaque alimenta intercipiuntur: non etiam eam, qua alimentarius conditionem ſuam facit meliorem. *l. 8. §. 6. D. h. t.*

§. 20. Unde, ſi quis citra Prætoris auctoritatem tranſegerit, ut, quod per ſingulos annos erat relictum, conſequeretur per ſingulos menſes; quod per ſingulos menſes relictum erat, conſequeretur per ſingulos dies; vel quod anno con-

Digitized by Google

ſummato relictum erat, initio anni conſequatur; talis transactio valet. v. *l. 8. §. 6. 24. 25. D. h. t.*

§. 21. Si quis vero de alimentis transegerit ſine Prætoris auctoritate, id quod datum eſt, in præterita alimenta cedit: Nec intereſt, tantum in quantitate ſit debita, quantum datum eſt, an minus, an plus; nam & ſi minus ſit, adhuc tamen id, quod in ſolutum datum eſt, in præterita alimenta imputabitur. Sane ſi is, qui de alimentis transegit, locupletior factus ſit ea ſolutione, in id quod factus ſit locupletior, æquiſſimum erit in eum dari repetitionem, nec enim debet ex alieno damno eſſe locuples. *l. 8. §. 22. D. h. t. l. 14. D. de cond. indeb.*

§. 22. III. *De Delictis* denique *futuris* transactio eſt prohibita. *l. 27. §. 3. 4. D. de pact.*

§. 23. Quantum ad *Delicta commiſſa* ſeu *præterita* attinet, diſtinguendum inter *Publica, & Privata*; & in *Publicis* inter *Capitalia, & Non Capitalia.*

§. 24. *De Delictis ſeu Criminibus Publicis Capitalibus*, i. e. *ſanguinis pœnam* ſeu ultimum ſupplicium *ingerentibus*, v. *l. 1. D. de bon. eor. qui ant. ſent. l. f. §. f. C. de Judæis.* tranſigere vel paciſci prohibitum non eſt; *l. 18. C. h. t. l. ult. D. de prævar.* Quia ignoſcendum eſt ei, qui ſanguinem ſuum qualiter qualiter redemtum voluit. *d. l. 1. D. de bon. eor. qui ant. ſent.*

§. 25. *Excepto adulterio: d. l. 18. C. h. t.* de quo non modo tranſigere, ſed & dato pretio paciſci prohibitum eſt; *l. 10. C. ad L. Jul. de adult.* quoniam de eo tranſigens in crimen incidit lenocinii. *l. 14. D. ad L. Jul. de adult.*

§. 26. *De Delictis Publicis Non Capitalibus*, ſeu *ſanguinis pœnam non ingerentibus*, tranſigere non licet, *citra falſi accuſationem. d. l. 18. C. h. t.* i. e. ſine periculo pœnæ legis Corneliæ de falſis, ſeu quin Accuſator in falſi accuſationem & pœnam incidat. v. *l. 1. §. 1. 2. D. ad L. Corn. de falſis l. ult. D. de prævar.* junct. *l. ult D. de publ. jud. l. 31. D pro ſoc. l. 10. 24. C. de R. V. l. 29. C. de proc. l. 6. C. ſi cert. pet.*. Reus autem tranſigens pro confeſſo habetur. *l. ult. D de prævar.*

§. 27. *De Delictis Privatis, ſi civiliter agatur*, tranſigere licet; ad id, ut Actio civilis extinguatur. *l. 54. §. f. l. 56. §. 4. D. de furt. l. 13. C. eod.* Reus tamen, tanquam confeſſus & condemnatus, in famoſis infamia notatur; *l. 4. §. f. & ll. ſeqq. D. de his qui not. infam.* Si vero *criminaliter* agatur, transactio ſimiliter locum non habet. *l. 1. §. 7. D. ad SC. Turpill. l. ult. D. de prævar.*

§. 28. *Effectus Transactionis* eſt, quod rebus dubiis & controverſis, non minus ac res judicata & jusjurandum, finem imponat. *l. 20. C. h. t. l. 2. 31. D. de jurej.*

§. 29. Adeo ut neque locus ſit pœnitentiæ; *l. 10. 39. C. h. t.*, neque transactio

actio Imperiali reſcripto, *l. 15. C. h. t.* neque ob inſtrumenta noviter reperta, *l. 19. C. h. t.* neque eo colore, quaſi nulla litis cauſa fuerit, reſcindi poſſit. *l. 23. 25. C. h. t. l. 65. §. 1. D. de cond. indeb. l. 6. C. de jur. & fact. ign.*

§. 30. Et ſi quidem *nudo Pacto* transactio facta ſit, *Exceptioni* locus eſt; *l. 19. C. h. t.* Si *Stipulatione*, *Actioni ex ſtipulatu*; *l. 6. 33. 37. 40. C. h. t.* Si vero *Contractu innominato*, *Actioni præſcriptis verbis. l. 6. 33. C. h. t.*

§. 31. Quod ſi vero Transactio jurata ſit, & qui transactioni non ſtat XXV. annis major ſit, inſuper infamia notatur. *l. 41. C. h. t.*

§. 32. Effectum autem hunc habet transactio, ratione earum cauſarum, de quibus actum eſt, non etiam earum, de quibus cogitatum non eſt. *l. 5. 9. §. 1. 3. D. l. 3. 29. 31. C. h. t. l. 35. D. de pact.*

§. 33. Transactio enim ſtrictæ eſt interpretationis; Unde, qui transegit de relictis *teſtamento*, non cenſetur transegiſſe de relictis in *codicillis*; *l. 12. 3 §. 1. D. h. t.* nec qui transegit de *alimentis*, de *habitatione* vel *veſtiario* transegiſſe videtur. *l. 8. §. 12. D. h. t.*

§. 34. Transactio etiam inter alios inita, aliis neque nocet, neque prodeſt. *l. 3. D. h. t.* junct. *l. 29. §. 2. D de inoff. teſt. l. 1. 25. 26. C. h. t. l. 63. D. de re jud. l. 2. C. int. al. act.* Cui *l. 3. D. h. t.* non adverſatur *l. 14. D. h. t.* quæ de alio & diverſo caſu loquitur. v. *l. 3. pr. D. de pign. & hyp.* Diſſert. *N. III. ad Conſt. Marci. Imp. C. 2. §. 12. & ſeqq.*

§. 35. Reſcinditur autem transactio ob Metum; *l. 13. C. h. t.* Dolum; *l. 4. 13 19. C. h. t.* Errorem; *l. 29. C. h t. l. un. C. de error. calc.* Falſa inſtrumenta, ex quibus transactio inita eſt; *l. 42. C. h. t. l. 1. C. ſi ex falſ. inſtrum.* & mutuum diſſenſum. *l. 14. C. h. t.* arg. *l. 35. D. de R. J.*

§. 36. Non etiam ob enormem læſionem ex *l. 2. C. de reſcind. vend.* tum, quia transactio ſit ſuper rebus dubiis, in quibus læſio ultra dimidium locum non habet; tum per apertos textus in *l. 78. §. ſ. D. ad SCt. Trebel. l. 65. §. 1. D. de cond. indeb.* add. *infr. ad t. de reſc. vend. §. 14.*

* *

LIBER III. TITULUS I.

DE POSTULANDO. C. II. 6.

§. 1.

Si Lis neque pacto neque transactione ſublata ſit, procedit judicium, & *Poſtulationes* fiunt.

§. 2. *Poſtulare* autem *eſt, deſiderium ſuum, vel amici ſui, in jure apud eum, qui juriſdictioni præeſt, exponere, vel alterius deſiderio contradicere. l. 1. §. 2. D. h. t.*

§. 3.

Digitized by Google

§. 3. Poſtulare poſſunt omnes, qui non prohibentur. *l. 1. pr. §. 3. & ſeqq. D. h. t. l. 9. §. 2. D. de off. Proc. l. 4. D. de pop. act.*

§. 4. Prohibentur quidam *Edicto Prætoris*, quidam *Legibus & Conſtitutionibus Principum*, quidam *Sententia Judicis.*

§. 5. Et quidem Prætor de iis Edictum propoſuit habendæ rationis cauſa, & decoris ſui cauſa, ne ſine delectu paſſim apud ſe poſtuletur. *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 6. Quorum tres *fecit Ordines.* Nam quosdam *in totum* prohibuit poſtulare: Quibusdam *pro ſe* permiſit: Quibusdam *& pro certis* duntaxat *perſonis*, & *pro ſe* permiſit. *l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 7. Initium fecit Prætor ab his, *qui in totum prohibentur poſtulare. l. 1. §. 3. D. h. t.* De quibus ita edixiſſe videtur: *Minorem annis decem & ſeptem, qui eos non in totum complevit; Surdum quoque, qui prorſus non audit, in totum poſtulare veto.* „*Si non habebunt Advocatum, ego dabo.*„ arg. *l. 1. §. 3. 4. D. h. t.*

§. 8. Quo Edicto aut *Pueritiam*, aut *Caſum* excuſavit. *l. 1. §. 3. D. h. t.*

§. 9. *Pueritiam*, dum minorem annis decem & ſeptem, qui eos non in totum complevit, prohibet poſtulare; quia moderatam hanc ætatem ratus eſt, ad procedendum in publicum; qua ætate, aut paulo majore, fertur Nerva filius & publice de jure reſponſitaſſe. *d. l. 1. §. 3.*

§. 10. *Propter Caſum*, ſurdum, qui prorſus non audit, prohibet apud ſe poſtulare; nec enim erat permittendum ei poſtulare, qui decretum Prætoris exaudire non poterat, quod etiam ipſi erat periculoſum futurum; nam non exaudito Decreto Prætoris, quaſi non obtemperaſſet, pœna ut contumax plecteretur. *d. l. 1. §. 3. D. h. t.*

§. 11. Ne tamen hi haberent, quod quererentur, ſubjicit Prætor, „*Si non habebunt Advocatum, ego dabo.*„ Nec ſolum his perſonis hanc humanitatem Prætor ſolet exhibere, verum & ſi quis alius ſit, qui certis ex cauſis, vel ambitione adverſarii, vel metu patronum non invenit. *l. 1. §. 4. D. h. t.* add. *l. 9. §. 5. D. de offic. Proconſ.*

§. 12. *Secundo loco Edictum proponitur in eos, qui pro aliis ne poſtulent. l. 1. §. 5. D. h. t.* Quod his verbis conceptum videtur: *Mulier, cæcus, corpore ſuo muliebria paſſus, capitali crimine damnatus, is etiam qui operas ſuas, ut cum beſtiis depugnaret, locavit, pro aliis in jure apud me ne poſtulent.* arg. *l. 1. §. 5. & ſeqq. D. h. t.*

§. 13. Quo Edicto excepit Prætor *Sexum, & Caſum, item perſonas turpitudine notabiles. d. l. 1. §. 5. D. h. t.*

§. 14. *Sexum;* dum fœminas prohibet pro aliis poſtulare: & ratio quidem prohibendi, ne contra pudicitiam ſexui congruentem alienis cauſis ſe immi-

ſceant, ne virilibus officiis fungantur mulieres. *d. l. 1. §. 5. D. h. t.* add. *l. ult. C. de rec. arb. l. 2. D. de R. J.*

§. 15. Origo vero introducta eſt a *C. Afrania* (ſic legendum, non *Carfania*) Licinii Buccionis Senatoris uxore, improbiſſima fœmina, quæ inverecunde poſtulans, & Magiſtratum inquietans, cauſam dedit Edicto. *d. l. 1. §. 5.* v. Valer. Max. *L. VIII. c. 3. n. 2.*

§. 16. Caſum; dum cæcum utrisque luminibus orbatum, Prætor repellit: videlicet quod inſignia Magiſtratus videre & revereri non poſſit, *d. l. 1. §. 5.* latum clavum ſc., ſellam curulem, faſces, & ſimilia. v. Flor. *L. I. c. 5.* Prudent. *in Rom.*

§. 17. Perſonas turpitudine notabiles; dum non patitur poſtulare muliebria paſſos, capitali crimine damnatos, eosque, qui operas ſuas, ut cum beſtiis depugnarent, locaverint. v. *l. 1. §. 6. D. h. t.*

§. 18. Tertius Ordo eorum, eſt, *quibus non in totum denegat poſtulandi facultatem, ſed ne pro omnibus poſtularent;* quaſi minus deliquerint, quam hi, qui ſuperioribus capitibus notantur. *l. 1. §. 7. D. h. t.*

§. 19. Quod Edictum ita habet: „*Qui Lege, Plebiſcito, Senatusconſulto,* „*Edicto, Decreto Principum, niſi pro certis perſonis prohibentur, hi pro alio,* „*quam pro quo licebit, in jure apud me ne poſtulent. Qui ex his omnibus, qui ſu-*„*pra ſcripti ſunt, in integrum reſtitutus non erit, pro alio ne poſtulet, præterquam* „*pro parente, patrono patrona, liberis parentibusque patroni patronæ, liberisve* „*ſuis, fratre ſorore, uxore, ſocero, ſocru, genero, nuru, vitrico, noverca, privigno,* „*privigna, pupillo pupilla, furioſo furioſa, fatuo fatua, cui eorum a parente, aut de* „*majoris partis tutorum ſententia, aut ab eo cujus de ea re jurisdictio fuit, ea tu-*„*tela curatiove data erit. l. 1. §. 8. 9. 11. l. 2. 3. pr D. h. t.*

§. 20. Ait *Prætor:* „*Qui Lege, Plebiſcito, SCto, Edicto, Decreto Principum,* „*niſi pro certis perſonis prohibentur, hi pro alio, quam pro quo licebit, in jure apud* „*me ne poſtulent;*„ Hoc Edicto continentur etiam alii omnes, qui Edicto Prætoris ut infames notantur, qui omnes niſi pro ſe & certis perſonis ne poſtulent. *l. 1. §. 8. in f. D. h. t.*

§. 21. „*Qui ex his omnibus, qui ſupra ſcripti ſunt,*„ (tertio ſc. hoc Edicto, v. *l. 1. §. 9. D. h. t.*) „*in integrum reſtitutus non erit, pro alio ne poſtulet;* ſcil. *Reſtitutus* per Principem vel Senatum; *l. 1. §. 10. D. h. t.* Prætor enim reſtitutionem *gratiæ* facere nequit, ſed tantum *juſtitiæ. l. 1. §. 10. D. h. t.*

§. 22. „*Præterquam pro Parente, Patrono &c.*„ Ubi affinitates accipiendæ, non quæ quondam fuere, ſed præſentes: *l. 3. §. 1. D. h. t.* Sub nomine *Soceri* autem, & *Generi* appellatione, etiam *Proſocer & Progener*, ſimilesque intelligendi ſunt. *l. 3. §. 2. D. h. t.* add. *l. 4. §. 6. de grad. & affin.*

§. 23. Id etiam quod de *Furioſo & fatuo* dicitur, de cæteris omnibus accipiendum, quibus curatores dari ſolent; i. e. ſurdo, prodigo, adoleſcente, iisque, qui

qui propter infirmitatem, vel morbum, negotiis ſuis ſupereſſe non poſſunt. *l. 3. §. 3. l. 4. 5. D. h. t.*

§. 24. Quos autem prohibet Prætor apud ſe poſtulare, omnimodo prohibet, etiam ſi adverſarius eos patiatur poſtulare. *l. 7. D. h. t.*

§. 25. Qui vero adverſus ea feciſſe dicetur, & ab interdicta poſtulatione repellitur, & pro æſtimatione judicis extra ordinem pecuniaria pœna multabitur. *l. 1. §. 6. in f. D. h. t.*

§. 26. *Legibus & Conſtitutionibus Principum* poſtulare prohibentur:

I. Patroni Fiſci contra fiſcum; excepta cauſa propria, nec non filiorum, parentum, & pupillorum ſuorum. *l. 10. pr. D. h. t.*

II. Decuriones contra patriam; dictis tamen cauſis ſimiliter exceptis. *l. 10. §. 1. D. h. t.*

III. Qui immenſa & illicita honorariorum nomine, ſeu de quota litis, pacti ſunt. *l. 5. C. h. t.*

IV. Qui in eadem cauſa ſunt Judices. *l. 6. pr C. h. t.*

V. Qui dati a Judice ſine cauſa patrocinium denegarunt. *l. pen. C. h. t.*

VI. Qui Sacroſanctis Catholicæ Religionis myſteriis non ſunt imbuti. *l. ult. C. h. t.*

VII. Potentiores; *t. t. C. ne lic. potent. litig. patroc. præſt.* Adeoque & Fiſcus & Reſp. arg. *t. t. C. ne fiſc. vel Reſp. procurat. alic. patrocin. cauſ. in lit. præſt.*

VIII. Omnes denique qui perſonam ſtandi in judicio non habent. *t. t. C. qui legit. perſ. ſtand. in jud. hab. vel non.*

§. 27. *Sententia Judicis* poſtulare prohibentur, quibus, ob delictum, foro & poſtulationibus interdicitur. *l. 8. D. h. t.*

§. 28. Quod vel in perpetuum ſit, vel ad tempus. Quo elapſo interdictus ad poſtulandum iterum admittitur. *d. l. 8. pr. §. 1. D. h. t.*

§. 29. Nec adhibetur diſtinctio, quo crimine ſilentium ſit irrogatum; ne ſcilicet pœna tempore determinata, contra ſententiæ fidem, ulterius porrigatur. *d. l. 8. §. 1. D. h. t.*

§. 30. Quod ſi quis a Magiſtratu prohibitus ſit *apud ſe* poſtulare, apud ſucceſſorem ejus adeſſe poteſt. *l. 6. §. 1. D. h. t.*

§. 31. Sed & in perpetuum prohibitus poſtulare, in eadem tantum Provincia pro aliis non recte poſtulat, in qua Præſes fuit, qui ſententiam dixit: in alia vero non prohibetur, licet ejusdem nominis ſit; dummodo ex ea cauſa prohibitus ſit, quæ infamiam non irrogat. *l. 9. D. h. t.*

§. 32. Qui vero pro aliis poſtulant, dicuntur *Advocati, l. 1. §. 4. D. h. t. l. 1. §. 11. D. de extr. cognit.* Plin. *L. VII Ep. 6.* nec non *Cauſidici, l. 6. pr. C. h. t. Cauſarum patroni, l. 1. §. 4. D. h. t. l. 1. 5. 14. C. de Advoc. div. judicior. & Togati. l. 3. 5. 15. C. eod.*

Digitized by Google

§. 33. Quorum laudabile, vitæque hominum neceſſarium eſt officium. *l. 4. C. de adv. div. judic.*

§. 34. *Advocati* enim, *qui dirimunt ambigua fata cauſarum, ſuæque defenſionis viribus, in rebus ſæpe publicis ac privatis lapſa erigunt, fatigata reparant, non minus provident humano generi, quam ſi præliis atque vulneribus patriam parentesque ſalvarent. Non enim* ſoli *militare* creduntur illi, *qui gladiis, clypeis, & thoracibus nituntur, ſed etiam Advocati: Militant namque cauſarum patroni, qui, glorioſæ vocis confiſi munimine, laborantium ſpem, vitam, & poſteros defendunt. l. 14. C. de Advoc. diverſor. judicior.*

§. 35. Ut autem dignus quis exiſtat Advocatus, in primis in eo requiritur Jurisprudentia; *l. 2. C. h. t.* Non enim aliter conſortio Advocatorum quis ſociandus, niſi legitimo examine probatus, a Jurisperitis peritia juris inſtructus renuncietur, *l. 11. §. 1. C. de Adv. div. judicior.* add. *l. 2. §. 43. D. de O. J.*

§. 36. Officium vero Advocati in tribus maxime conſiſtit, ut ſcil. *Integre, Modeſte, & Prudenter* cauſam clientis agat.

§. 37. *Integritas* intercedere debet in cauſa tum ſuſcipienda, tum defendenda.

§. 38. Hinc neque cauſam malam ſuſcipere, neque, ubi eam improbam eſſe cognoverit, defendere debet: Quam in rem & jusjurandum calumniæ ab eo præſtandum eſt. *l. 14. §. 1. C. de jud. §. 1. I. de pœn. tem. lit. l. 2. pr. §. 4. C. de jurej. propt. calumn.*

§. 39. Hinc a fallaciis & fraudibus, etiam in bona cauſa, abſtinendum eſt. arg. Matth. V, 37. Ep. Jacob. V, 12. Ut nec adverſario malis technis utenti, iisdem occurrere liceat.

§. 40. Hinc denique neque cauſam clientis prodere, v. *l. 1. §. 6. D. ad SCt. Turpill. l. 1. §. 1. D. de prævar. l. 8. D. de extraord. crim.* neque ſuſcepto patrocinio unius, in caſtra alterius tranſire licet. arg. *l. 1. §. 6. D. ad L. Corn. de falſ.*

§. 41. *Modeſtia* in eo conſiſtit, ut Advocati ita præbeant patrocinia jurgantibus, ne in conviciandi licentiam, & maledicendi temeritatem prorumpant: agant quod cauſa deſiderat, temperent ſe ab injuria; nam ſi quis adeo procax fuerit, ut non ratione, ſed probris putet eſſe certandum, opinionis ſuæ imminutionem patietur. *l. 6. §. 1. C. h. t.*

§. 42. *Prudentiæ* vero ſumma fere hæc eſt, ut ad fundamentale meritum cauſæ animum probe advertat, eoque omnes juris & facti probationes, oratione brevi ac clara, dirigat.

§. 43. Error tamen Advocati clienti non nocet, niſi præſens fuerit, & intra triduum non contradixerit, vel a ſententia appellaverit. *l. f. & t. t. C. de error. Advoc.*

§. 44.

Digitized by Google

§. 44. Non tantum autem volentes funguntur hoc officio Advocati, ſed & quandoque inviti; ſi ſcil. pauperibus, aliisve, qui quovis modo Patronum non inveniunt, petentibus a Magiſtratu dati ſint. *l. 9. §. 5. D. de offic. Proconſ. l. 1. §. 4. D. h. t.*

§. 45. Plane non gratis officium præſtant Advocati; licet enim Lege Cincia, lata A. V. C. DLIX. primum cautum fuerit, ne quis ob cauſam orandam, pecuniam donumve acciperet, Tacit. *Ann. L. XI. c. 5.* Claudius Imp. tamen poſtmodum Advocatis certum honorarii accipiendi modum præſcripſit, ad dena ſcil. ſeſtertia, ſeu centum aureos: Tacit. *Ann. L. XI. c. 7. in f.* Plin. *L. V. Ep. 4.* quam licitam in ſingulis cauſis quantitatem dicit Ulp. in *l. 1. §. 12. D. de extr. cogn.*

§. 46. Ad quod honorarium petendum vel *Actio* competit *ex ſtipulatu*, ſi ſtipulatio interceſſerit; arg. *pr. I. de V. O.* vel *Extraordinaria perſecutio*, quæ ex æquitate naſcitur, & locum habet, etiamſi nihil promiſſum ſit. *l. 1. §. 10. 12. D. de extraord. cogn. l. 13. §. 9. C. de jud.* v. Differt. *N. IX. de Cauſ. Oblig. c. 7. §. 7. 10.*

§. 47. Adeo ut, ſi ſalarium annuum promiſſum ſit, & Advocatus intra annum mortuus ſit, Salarium jam ſolutum non tantum repeti non poſſit, *l. fin. C. de condict. ob cauſ. dat. l. 1. §. 13. D. de extraord. cogn. l. 38. §. 1. D. locat.* ſed & totius anni ſalarium exigi poſſit. *d. l. 1. §. 13. D. de extraord. cogn. l. 15. §. 1. C. de Advoc. diverſor. judicior. l. 3. §. ult. l. 5. §. ult. C. de Advoc. diverſ. judic.* Plin. *L. IV. Epiſt. 12.*

§. 48. Quin & varia Advocatorum ſunt Privilegia. v. *l. 4. pr. C. de Advoc. diverſ. judic.*

§. 49. Et quidem I. In genere eadem ipſis conceſſa videntur beneficia, quæ militibus. arg. *l. 4. C. de Adv. diverſ. jud.*

II. Excuſantur a muneribus & functionibus ſordidis. *l. 3. 6. C. de Advoc. diverſ. judicior.*

III. Quæ occaſione Advocationis acquirunt filiifam. ſibi acquirunt, tanquam peculium caſtrenſe. *l. 4. 8. C. de Advoc. diverſ. judic.*

IV. Liberi eorum extraneis, ad idem officium adſpirantibus, gratis anteponuntur. *l. 3. §. 5. l. 5. §. 5. C. de Advoc. div. jud. l. 11. §. 1. C. de Adv. div. judic.*

TITULUS II.

De His Qui Notantur Infamia.

C. II. 12.

§. 1.

Cum vero *Infames* pro aliis poſtulare nequeant, *l. 1. §. 5. 6. 7. 8. D. de poſtul.* de iis hic ſimul ſubjicitur.

§. 2. *Infamia* eſt *privatio exiſtimationis, & inde dependentium jurium, propter*

pter violatam turpibus factis vitæ honeſtatem. l. 8. 17. C. h. t. l. 3. C. de re mil. l. 3. pr. D. de teſtib.

§. 3. Eaque duplex eſt, *Juris* ſcil. & *Facti.* arg. *l. 13. C. h. t. l. 2. D. de obſeq. par. & patr. præſt. l. 39. D. de furt. l. 27. C. de inoff. l. 4. C. de ſpectac.* junct. *l. 4. D. h. t.*

§. 4. *Infamia juris* eſt *privatio exiſtimationis, propter turpe factum jure notatum. l. 5. §. 1. D. de extr. cogn. l. 1. §. 5. 8. D. de poſtul.*

§. 5. Quæ vel *Ipſo jure* irrogatur, vel per *Sententiam Judicis. l. 1. D. h. t.*

§. 6. Et quidem *Ipſo Jure:* vel *Edicto Prætoris,* vel *Jure Civili.*

§. 7. Prætoris verba dicunt: „*Infamia notatur, qui ab exercitu ignominiæ „cauſa, ab Imperatore, eove, cui ea de re ſtatuendi poteſtas fuerit, dimiſſus erit: „Qui artis ludicræ, pronunciandive cauſa, in ſcenam prodierit: Qui lenocinium „fecerit: Qui in Judicio publico, calumniæ, prævaricationiſve cauſa, quid fe„ciſſe judicatus erit: Qui furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, de dolo malo „& fraude, ſuo nomine damnatus pactusve erit: Qui pro ſocio, tutelæ, mandati, „depoſiti, ſuo nomine, non contrario judicio, damnatus erit: Qui eam, quæ in „poteſtate ejus eſſet, genero mortuo, cum eum mortuum eſſe ſciret, intra id tem„pus, quo elugere virum moris eſt, antequam virum elugeret, in matrimonium „collocaverit; eamve ſciens quis uxorem duxerit, non juſſu ejus, in cujus poteſta„te eſt: Et qui eum, quem in poteſtate haberet, eam, de qua ſupra comprehen„ſum eſt, uxorem ducere paſſus fuerit: Quive ſuo nomine; non juſſu ejus, in „cujus poteſtate eſſet, ejusve nomine, quem quamve in poteſtate haberet, bina ſpon„ſalia, binasve nuptias eodem tempore conſtitutas habuerit.,, l. 1. D. h. t.*

§. 8. Quo Edicto Prætor & eos, qui *ipſo jure,* & eos, qui *damnati* notantur, complectitur.

§. 9. Inter eos, qui *ipſo jure* notantur, primo loco nominatur, „*Qui artis „ludicræ pronunciandive cauſa in ſcenam prodierit.„ d. l. 1. pr.* Summa enim apud *Romanos* Scenæ vilitas erat, & infamia, ut & militibus in Scenam prodiiſſe capitale eſſet. *l. 14. D. de pœn.*

§. 10. Eſt autem *Scena, quæ ludorum faciendorum cauſa, quolibet loco, ubi quis conſiſtat, moveaturque, ſpectaculum ſui præbiturus, poſita ſit, in publico, privatove, vel in vico; quo tamen loco paſſim homines, ſpectaculi cauſa, admittantur. l. 2. §. ult. D. h. t.* add. Quintil. *L. III. Inſt. c. 6.*

§. 11. Qui vero operas ſuas locavit, ut prodiret artis ludicræ cauſa, neque prodit, non notatur; quia non eſt ea res adeo turpis, ut etiam conſilium puniri debeat. *l. 3. D. h. t.*

§. 12. Sed neque *Athleta,* v. *l. 2. §. 1. D. de aleat.* neque *Thymelici,* neque *Xyſtici,* (ſic leg. v. Sueton. *in Aug. c. 45.*) neque *Agitatores,* nec *qui aquam equis ſpargunt,* neque *Deſignatores,* quos Græci βραβευτὰς appellant, artem ludicram facere cenſentur, neque ignominioſi habentur. *l. 4. pr. §. 1. D. h. t.*

§. 13.

Digitized by Google

§. 13. Pergit Prætor: Qui Lenocinium fecerit: *Lenocinium facit*, qui quæſtuaria mancipia habuerit; ſed & qui in liberis hunc quæſtum exercet, in eadem cauſa eſt. v. *l. 4. §. 2. 3. D. h. t.*

§. 14. „*Qui eam, quæ in poteſtate ejus eſſet, genero mortuo, cum eum mor*„*tuum eſſe ſciret, intra id tempus, quo elugere virum moris eſt* &c.„ ſcil. Vidua maritum primum per decem menſes lugebat, quibus annus deſcriptus erat a Romulo; v. Ovid. *L. I. Faſtor. verſ. 35. 36.* Sed aucto poſtmodum anno, jure novo per integri anni ſpatium eum lugere debet: *l. 2. C. de ſec. nupt.* v. Diſſ. *N. IV. ad Conſt. Marc. §. 9.* Tum propter ſanguinis turbationem, *l. 11. §. 1. D. h. t.* tum propter reverentiam marito debitam. *l. 1. 2. C. de ſec. nupt. l. 4. C. ad SCt. Tertull. l. 14. §. 1. in f. D. ſol. matr.*

§. 15. Si vidua contra fecerit, & intra annum luctus alii nupſerit, ſi quidem ſui juris fuerit, ipſa infamia notatur. *d. l. 2. C. de ſec. nupt.*

§. 16. Si vero in patris poteſtate fuerit, pater notatur, ſi ſciens generum mortuum eſſe, intra id tempus, eam in matrimonium collocaverit. *l. 1. 8. D. h. t.*

§. 17. Notatur etiam, qui, cum ſui juris eſſet, eam ſciens duxerit; *d. l. 1. D. h. t.* Ignorantia enim excuſatur, non juris, ſed facti. *l. 11. §. 4. D. h. t. l. 9. D. de jur. & fact. ign.*

§. 18. Si vero in poteſtate ſit, & juſſu patris duxerit, pater notatur. *d. l. 1. 11. §. 4. l. 12. 13. pr. D. h. t.*

§. 19. Quod ſi tamen a Principe impetratum ſit, ut intra legitimum tempus mulieri nubere liceat, aliud dicendum eſt. *l. 10. pr. D. h. t.*

§. 20. Sed nec intra annum luctus ſponſum fuiſſe, viduæ nocet. *l. 10. §. 1. D. h. t.*

§. 21. Uxores autem viri lugere non compelluntur, *l. 9. pr. D. h. t.* Sen. *Ep. 63.* neque ſponſi ullus luctus eſt. *d. l. 9. §. 1.*

§. 22. Liberorum etiam & parentum luctus impedimento nuptiis non eſt; *l. 11. pr. D. h. t.* Parentes enim & liberi utriusque ſexus, nec non & cæteri agnati & cognati, ſecundum pietatis rationem, & animi ſui patientiam, prout quisque voluerit, lugendi ſunt: Qui autem eos non eluxit, non notatur infamia. *l. 23. D. h. t.*

§. 23. „*Quive ſuo nomine, non juſſu ejus, in cujus poteſtate eſſet, ejusve no*„*mine, quem quamve in poteſtate haberet, bina ſponſalia, binasve nuptias eodem* „*tempore conſtitutas habuerit.*„ Si quis alieno nomine bina ſponſalia conſtituerit, non notatur, niſi ejus nomine conſtituat, quem quamve in poteſtate haberet. *l. 13. §. 1. D. h. t.*

§. 24. Quod autem ait Prætor, eodem tempore, non initium ſponſaliorum, eodem tempore factorum, accipiendum eſt, ſed ſi in idem tempus concurrant. *l. 13. §. 2. D. h. t.*

§. 25. *Jure Civili* ipſo jure infamia notantur:

I. Mu-

I. Mulier libera corpore quæſtum faciens. *l. pen. D. h. t. l. 41. 43. §. 4. D. de R. N.*

II. In adulterio deprehenſi. *d. l. 43. §. pen. D. de R. N.*

III. Improbum fœnus manifeſte exercentes. *l. 20. C. h. t.*

IV. A jurata transactione recedentes. *l. 41. C. de transact.*

V. Advocati de quota litis paciſcentes, & in convitia prorumpentes. *v. l. 5. 6. §. 1. C. de poſtul. l. 2. C. de pœn. jud. qui mal. jud.*

VI. Milites aliena prædia conducentes. *l. f. C. locat.*

VII. Tutores & Curatores, qui pupillam vel adultam, ante rationes redditas, ſibi vel filio in matrimonium collocant. *l. 7. C. de interd. matr. int. pup. & tut.*

VIII. Liberi eorum, qui perduellionis damnati ſunt; *l. 5. §. 1. C. ad Leg. Jul. Maj.* ſimileſque.

§. 26. Quinam *per Sententiam Judicis* infamia notentur, docet porro Prætor in Edicto, dum ait: „*Infamia notatur, qui ab exercitu ignominiæ cauſa, ab* „*Imperatore, eove, cui de ea re ſtatuendi poteſtas fuerit, dimiſſus erit.*„ *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 27. *Dimiſſum* accipere debemus, non tantum militem caligatum, ſed & Centurionem, Præfectum cohortis, alæ, vel legionis, imo & ipſum Ducem, qui exercitui præeſt. *l. 2. pr. D. h. t.*

§. 28. *Exercitum* autem non unam cohortem, neque unam alam dicimus, ſed numeros multos militum. *l. 2. §. 1. D. h. t.*

§. 29. Additur IGNOMINIÆ CAUSA; quoniam multa genera ſunt miſſionum. *l. 2. §. 1. D. h. t.*

§. 30. Eſt enim *Honeſta*, quæ emeritis ſtipendiis, vel ante, ab Imperatore indulgetur: Eſt *Cauſaria*, quæ propter valetudinem, aliamve cauſam, laboribus militiæ ſolvit; Eſt denique *Ignominioſa*. *d. l. 2. §. 2. l. 13. §. 3. D. de re mil.*

§. 31. *Ignominioſa* autem miſſio totiens eſt, quotiens is, qui mittit, nominatim addit, *ignominiæ cauſa* ſe mittere; *d. l. 2. §. 2.* vel ſaltem cauſam ignominioſam exprimit, ex qua mittatur. *l. 13. §. 3. D. de re mil. d. l. 2. §. 2. D. h. t.*

§. 32. Sed & ſi eum exauctoraverit, i. e. inſignia militaria detraxerit, inter infames efficit, licet non addidiſſet, ignominiæ cauſa ſe eum exauctoraſſe. *d. l. 2. §. 2. in f. D. h. t. v. l. 29. pr. D. de lib. cauſ.*

§. 33. „*Qui in judicio publico, calumniæ prævaricationiſve cauſa, quid fe*„*ciſſe judicatus erit.*„ *d. l. 1. D. h. t. Calumniator, v. l. 233. pr. D. de V. S.* ita demum notatur, ſi fuerit calumniæ cauſa damnatus; neque enim ſufficit calumniatum: Item *Prævaricator*; *Prævaricator* autem eſt quaſi varicator, qui diverſam partem adjuvat prodita cauſa ſua. *l. 4. §. 4. D. h. t. l. 1. D. de prævar.*

§ 34. „*Qui furti, vi bonorum raptorum, injuriarum, de dolo malo & frau*„*de, ſuo nomine damnatus pactuſve erit,*„ *l. 1. D. h. t. §. 2. I. de pœn. tem. lit.*

Furti

Digitized by Google

Furti accipe, ſive manifeſti, ſive non manifeſti. *l. 6. pr. h. t.* Sed ſi furti vel aliis famoſis actionibus quis condemnatus provocavit, pendente judicio nondum inter famoſos habetur: Si autem omnia tempora provocationis lapſa ſunt, retro infamis eſt; quamvis, ſi injuſta appellatio ejus viſa ſit, hodie, non retro, notetur. *l. 6. §. 1. D. h. t.*

§. 35. Si quis alieno nomine condemnatus fuerit, non laborat infamia; & ideo nec procurator, vel defenſor, vel tutor, vel curator, vel heres furti, vel alia ſimili ſpecie condemnatus, infamia notabuntur. *l. 6. §. 2. l. 14. D. h. t.*

§. 36. Non tantum autem ex iſtis delictis condemnatus infamia notatur, ſed & Pactus. Quoniam intelligitur confiteri crimen, qui paciſcitur. *l. 4. §. ult. l. 5. D. h. t. §. 2. I. de pœn. tem. lit.*

§. 37. *Pactus* autem intelligitur, ſi cum pretio quantocunque pactus eſt. Alioqui & qui precibus impetravit, ne ſecum ageretur, erit notatus, nec erit veniæ ulla ratio, quod inhumanum eſt. *l. 6. §. 3. D. h. t.*

§. 38. Plane qui juſſu Prætoris pretio dato pactus eſt, non notatur: Sed & ſi jurejurando delato juraverit quis, non deliquiſſe, non erit notatus; nam quodammodo innocentiam ſuam jurejurando approbavit. *l. 6. §. 3. in f. §. 4. D. h. t.*

§. 39. „*Qui pro ſocio, tutelæ, mandati, depoſiti, ſuo nomine, non contrario judicio damnatus erit.*„ *d. l. 1. D. h. t. §. 2. I. de pœn. tem. lit.* Quibus verbis notatur non ſolum qui mandatum ſuſcepit, ſed & is, qui fidem, quam adverſarius ſecutus eſt, non præſtat; utpote fidejuſſi pro te & ſolvi, mandati te ſi condemnavero, famoſum facio. *l. 6. §. 5. D. h. t.*

§. 40. Damnati autem ex his cauſis tum demum famoſi ſunt, ſi damnati ſint ob dolum, vel latam culpam, quæ dolo proxima eſt, & pro dolo habetur. *d. l. 1. h. t. §. 6. I. de ſuſp. tut. l. 7. §. 1. D. eod. l. 226. l. 42. D. de V. S. l. 1. §. 1. D. ſi menſ. falſ. mod. dix. l. 1. §. 5. D. de O. & A. l. 32. D. depoſ. l. 11. §. ult. D. h. t.* Cic. *pro Roſc. Amer. c. 38.*

§. 41. Et quidem *directo, non contrario judicio. d. l. 1. h. t. §. 2. I. de pœn. tem. lit.* Nam in contrariis non de perfidia agitur, ſed de calculo, qui fere *judicio* ſolet dirimi. *l. 6. §. ult. D. h. t.*

§. 42. In Actionibus autem iſtis, quæ ex contractu proficiſcuntur, licet famoſæ ſint, & damnati notentur, attamen pactus non notatur; quoniam ex his cauſis non tam turpis eſt pactio, quam ſuperioribus. *l. 7. D. h. t.*

§. 43. Sunt tamen, præter jam dicta, multa alia delicta, ex quibus damnatos ſequitur infamia.

§. 44. Omnes enim publico judicio damnati famoſi ſunt. *l. 7. D. de publ. jud. §. 2. I. eod.* Idem eſt in cauſa Expilatæ hereditatis, *l. 12. C. h. t.* Sepulchri violati, *l. 1. D. de ſep. viol.* ſimilibuſque.

§. 45. Crimen *Stellionatus* etiam famoſum eſt, ſi cum alia Actione æque famoſa, veluti doli, concurrat. *l. 13. §. ult. D. h. t.* Si vero cum Actione non

famoſa, veluti pignoratitia contraria, non item. *l. 2. D. Stellion. l. 16. §. 1. D. de pign. act.*

§. 46. *Ictus fuſtium* infamiam non importat, ſed cauſa, propter quam id pati meruit, ſi ea fuit, quæ infamiam damnato irrogat. In cæteris quoque generibus pœnarum eadem forma ſtatuta eſt. *l. 22. D. h. t. l. 14. C. h. t.*

§. 47. ***Infamia Facti*** eſt, ***quæ oritur ex turpi facto, quod quidem jure non eſt notatum, exiſtimationem tamen alicujus apud graves & honeſtos viros onerat & ſugillat.*** Veluti, ſi in ſententia dicatur, *callido commento videris accuſationis inſtigator fuiſſe. l. 20. D. h. t.* add. *l. 17. 19. C. h. t.* Si quis ob cauſam non famoſam fuſtibus ictus ſit; *l. 22. D. h. t.* ut & ſi filius aliquid commiſerit, ob quod pater eum in teſtamento increpuit. *l. 13. C. h. t.* add. *l. 2. D. de obſeq. parent. & patr. præſt. l. 25 C. ad L. Jul. de adult.*

§. 48. Qua tamen non laborant, qui bonis cedunt, v. *l. 11. C. h. t.* ſpurii, v. *l. 26. D. de pœn. l. 3. §. 2. D. de decur.* aliique illegitimi, carnifices, lictores, quique cum iis comedunt.

§. 49. Eſt etiam præter Infamiam *Levis notæ macula; l. 27. C. de inoffic. teſt.* quæ ex ſordido vitæ genere, vel alia cauſa oritur.

§. 50. Qua laborant bonis cedentes, *d. l. 11. C. h. t.* junct. *N. 135. in f. pr. & c. 1.* ſpurii, *l. 3. §. 2. D. de decur.* arg. *l. 5. C. ad SCt. Orph.* add. Deut. XXII, 2. Diſſert. *N. II. de Port. Legit. C. 4. §. 5.* carnifices, excoriatores, ſimileſque.

§. 51. *Effectus Infamiæ Juris* eſt, quod repellat a poſtulando. *l. 1. §. 5. 6. 7. 8. D. de poſtul.* v. *ſupr. ad d. tit. §. 13. 17. 19. 20.*

§. 52. *Utriusque Infamiæ*, ſcil. tum *Juris*, tum *Facti effectus* eſt: I. quod minuat exiſtimationem. *l. 5. §. 2. D. de extraord. cogn.*

II. Excludat a dignitatibus. *l. 2. 12. C. de dignit. l. 3. C. de re mil. l. 8. 38. C. de decur.*

III. Elevet teſtimonii fidem. *l. 3. 13. 21. D. de teſtib.*

IV. Excludat a Querela inofficioſi eos, quibus cæteroquin competeret. v. *l. 11. 19. C. de inoff. teſtam.*

V. Querelæ inofficioſi locum faciat, ſi turpes perſonæ heredes inſtituti ſint, v. *l. 27. C. eod.*

§. 53. *Effectus Levis maculæ* eſt: I. quod illa aſperſi, aliis honeſtioribus exſtantibus, non admittantur ad honores. v. *l. 3. §. 2. l. 6. D. de decur.*

II. Quod non ſint teſtes omni exceptione majores. arg. *l. 3. pr. l. 13. D. de teſtib.*

III. Si heredes ſcripti ſint, locus ſit Querelæ teſtamenti inofficioſi. *l. 27. C. de inoff. teſt.*

§. 54. *Evitari* poteſt *Infamia Juris:* I. Si quis per procuratorem defendatur. *l. 1. 4. §. ult. l. 6. §. 1. 2. D. h. t.* v. *l. 22. 23. C. de proc.* v. *ſupr. §. 35.*

II. Si

Digitized by Google

II. Si ante ſententiam debitum offeratur; arg. *l. 73. D. de prec.* in contractibus ſcil. non etiam in delictis, arg. *l. 4. §. ult. l. 5. 7. D. h. t.*

III. Si quis majori pœna afficiatur, quam legibus ſtatuta eſt. *l. 13. §. pen. D. h. t. l. 10. §. 2. D. de pœn.*

§. 55. *Extinguitur* autem & aboletur, ſi jam irrogata ſit: I. Per ſpecialem reſtitutionem in integrum Principis; *l. 7. C. de ſent. paſſ. & reſt. l. ult. C. de gen. abolit. l. 1. §. 9. 10. D. de poſtuland.* non etiam Prætoris, qui reſtitutionem gratiæ facere nequit. *d. l. 1. §. 10. D. de poſtul.* v. *ſupr. ad t. de poſtul. §. 21. & infr. ad t. de in int. reſt. §. 4.*

II. Lapſu temporis, *l. 3. C. h. t. l. 3. §. 1. D. de decur. l. 13. §. 1. D. ad L. Corn. de falſ. l. 1. 2. C. de his qui in exil.*

§. 56. Dummodo quis ex cauſa non famoſa, ad tempus damnatus ſit; ſi enim cauſa natura ſua infamet, infamia eſt perpetua. *l. 6. C. h. t. l. 5. D. de decur. l. 4. §. 4. D. de re mil. l. 63. D. de furt. l. 43. §. pen. D. de R. N.*

§. 57. Niſi Advocatione alicui ad tempus interdictum ſit, quo caſu non diſtinguitur, quo crimine ſilentium irrogatum ſit, ne ſcil. pœna tempore determinata, contra ſententiæ fidem ulterius porrigatur. *l. 8. D. de poſtul.* v. *ſupr. ad t. de poſtul. §. 28. 29.*

Vel II. Damnatus duriori pœna affectus ſit; qui velut tranſacto negotio, lapſo tempore ignominia liberatur. *l. 15. D. ad munic. l. 4. C. h. t.*

TITULUS. III.

De Procuratoribus, et Defensoribus.

C. II, 13.

De Procuratoribus.

§. 1.

Præter Advocatos ſunt & aliæ perſonæ, quæ liti peragendæ ſuperſunt & accedunt, puta *Procuratores & Defenſores:* De quibus adeo *h. t.* agitur.

§. 2. *Procurator* eſt, *qui aliena negotia mandatu Domini adminiſtrat. l. 1. pr. D. h. t.*

§. 3. Cujus uſus perquam neceſſarius eſt, ut, qui rebus ſuis ipſi ſupereſſe vel nolunt, vel non poſſunt, per alios poſſint vel agere, vel conveniri. *l. 1. §. 2. D. h. t. pr. I. de iis per quos ag. poſſ.* v. Cic. *ad Her. L. II. c. 13.*

§. 4. Procurator autem vel omnium rerum ſeu univerſorum bonorum eſt, qui *Univerſalis* & *Generalis;* Vel unius rei, qui *Singularis* & *Specialis* dici ſolet. *l. 1. §. 1. l. 58. D. h. t. l. 17. §. ult. D. de jurejur.*

§. 5. *Procuratorem Generalem* multi ſubdividunt, ut alius ſit *Cum Libera,* ſcil. adminiſtratione; Alius *Simplex* ſeu *Sine Libera.*

§. 6. *Procuratorem Cum Libera* ſcil. adminiſtratione eum dicunt, qui omnia fere poteſt, quæ ipſe dominus: Ut non modo urgente neceſſitate, ſed & ſuadente utilitate, res domini alienare, & dominium in accipientem transferre poſſit. *l. 58. D. h. t. l. 9. §. 4. D. de A. R. D. §. 42. I. de R. D.* ſola excepta cauſa donationis; eo quod donare potius ſit perdere, quam adminiſtrare. *l. 28. §. ult. D. de pact. l. 7. pr. D. de don.*

§. 7. *Procuratorem* vero *Sine Libera* eum vocant, qui alienare nequit, exceptis fructibus, iisque, quæ facile corrumpi poſſunt. *l. 63. D. h. t.*

§. 8. Sed ſine idonea auctoritate; *Procurator* enim *Generalis Sine Libera* eadem facere poteſt, quæ *Procurator Cum Libera:* v. *l. 12. D. de pact. l. 17. §. f. D. de jurejur. l. 12. D. de pign. act. l. 20. §. 1. D. de novat. l. 87. de ſol. l. 59. D. h. t.* Alienare autem neuter poteſt; *l. 63. D. h. t. l. 54. D. de R. J.* niſi ratio adminiſtrationis id efflagitet: veluti, ſi res tales ſint, quæ ſervando ſervari non poſſint; *d. l. 63.* vel ſpeciale mandatum ad hoc habeat. *d. l. 63. & 60. §. 4. D. mand.* Ita accip. *l. 58. D. h. t. l. 9. §. 4. D. de A. R. D. §. 42. I. de R. D.*

§. 9. II. *Procurator* eſt vel *Judicialis*, qui negotia judicialia, ſeu lites, adminiſtrat; de quo maxime *h. t.* v. *l. 33. pr. §. 1. l. 35. §. 3. l. 43. pr. D. h. t.* vel *Extrajudicialis*, qui negotia extrajudicialia adminiſtrat; de quo *infr. tit. mand.*

§. 10. III. *Procurator* eſt vel *In rem alienam*, qui aliena negotia adminiſtrat, in utilitatem mandantis: Vel *In rem ſuam*, qui aliena quidem negotia, & nomine mandantis, adminiſtrat, ſed in utilitatem propriam; *l. 4. D. de re jud. l. 4. C. h. t. l. 17. §. ult. D. de jurej.* Qualis eſt is, cui actio ceſſa eſt. *d. l. 4. 9. C. h. t. l. 33. §. f. l. 34. 55. D. h. t. l. 8. §. f. mand. l. 8. C. de hered. vel act. vend.*

§. 11. Conſtituitur Procurator *Mandato*, *l. 1. pr. D. h. t.* eoque vel *expreſſo*, ſive inter præſentes, ſive per epiſtolam vel nuncium inter abſentes. *l. 1. §. 1. ult. D. h. t.* Vel *tacito*, veluti ſi quis præſens & ſciens ſua negotia adminiſtrari non contradicat, *l. 18. D. mand.* vel geſta rata habeat. *l. 66. D. h. t. l. 12. §. ult. D. de ſolut. l. 60. D. de R. J. l. ult. pr. C. ad SCt. Maced.*

§. 12. Procurator autem expreſſe conſentire debet, cujus taciturnitas pro conſenſu non habetur. *l. 8. §. 1. D. h. t.*

§. 13. Qui mandato caret, ceu falſus procurator, ne quidem cum cautione de rato admittitur. *l. 24.* arg. *l. 1. C. h. t.* Niſi ſit conjuncta perſona, *l. 35. pr. D. h. t.* vel conſors litis, *l. 2. C. de conſort. ejusd. lit.* vel dubium ſit, an mandatum habeat. *l. 1. C. h. t.* v. *ſupr. ad t. qui ſatisd. cog. §. 25. 26.*

§. 14. Adeo, ut quæ per falſum Procuratorem geſta ſunt, ipſo jure nulla ſint: *l. 27. pr. D. l. 24. C. h. t.* Niſi dominus ante ſententiam geſta probet; *l. 56. D. de jud. l. 60. D. de R. J.* Vel ſententiam, in præjudicium ſuum latam, ratam habeat. arg. *l. 3. §. 1. D. rem rat. hab.*

§. 15. Conſtituunt Procuratores Domini negotiorum, *l. 1. pr. D. h. t.* qui neque impediuntur, (quales ſunt furioſi, mente capti; arg. *l. 5. 40. D. de R. J.* infan-

infantes; arg. *§. 9. I. de inut. ſtip.* ut & ſurdi & muti; arg. *l. 43. pr. D. h. t. l. 10. C. qui teſtam. fac. poſſ.*) neque prohibentur: *l. 43. §. 1. D. h. t.* Quales ſunt prodigi, arg. *l. 6. D. de V. O. l. 40, D. de R. J.* Pupilli infantia majores, & XXV. annis minores, Procuratores ſine tutorum curatorumque auctoritate conſtituentes. *l. 11. C. h. t.* arg. *d. §. 9. I. de inut. ſtip. l. 3. C. de in int. reſt. min.*

§. 16. Conſtitui poſſunt ſimiliter quicunque non impediuntur: ut furioſi; *l. 2. §. 1. D. h. t.* mente capti, infantes, ſurdi & muti; arg. *dd. ll.* cœci; arg. *l. 1. §. 5. D. de poſt.* neque prohibentur: *l. 43. §. 1. D. h. t.* Quales ſunt fœminæ, *l. 54. D. h. t. l. 18. 21. C. h. t. l. 2. D. de R. J.* niſi conſtituantur in rem ſuam, *l. 4. C. h. t.* vel agant pro parentibus; *l. 41. D. h. t.* Milites, *l. 8. §. 2. d. l. 54. D. h. t. l. 7. 13. C. eod.* niſi conſtituantur in rem ſuam, & ad communem cauſam numeri ſui perſequendam; *d. l. 8. §. 2. D. l. 9. C. h. t.* Qui Reip. cauſa abfuturi ſunt, aut perpetuo morbo tenentur, aut Magiſtratum inituri ſunt; *d. l. 54. D. h. t.* Minores annis XVII. *§. 5. I. qui & ex quib. cauſ. man. non poſſ. l. 13. D. de man. vind.* arg. *l. 1. §. 5. D. de poſtul.* (non etiam Minores annis XXV. dummodo XVII. annis majores ſint. *d. §. 5.* junct. *l. 7. §. 12. l. 8. D. de inſtit. act.*) Potentiores, *l. 2. C. ne lic. potent.* Fiſcus & Reſp. *t. t. C. ne Fiſc. vel Reſp.* Decuriones, *l. 30. C. locat. l. 34. C. de decur.* Rei criminum, *l. 6. C. h. t.* & Infames. Paul. I. *Sent. T. II. §. 1.* arg. *l. 1. § 5. D. de poſtul. c. 1. 2. Cauſ. 2. Q. 7.* Dummodo infamia ſit notoria; ita accip. *§. ult. I. de except.*

§. 17. Et olim quidem non niſi in paucis cauſis per Procuratores agere licebat, pro populo ſcil. pro libertate, pro tutela, nec non furti eorum nomine, qui apud hoſtes eſſent, aut Reip. cauſa abeſſent, quive in eorum cujus tutela eſſent. *pr. I. de iis per quos ag. poſſ.*

§ 18. Sed jure novo Procuratores in omnibus cauſis, *d. pr. I. de iis per quos ag. poſſ. l. 1. §. pen. D. h. t. l. 26. C. h. t.* etiam famoſis, conſtitui poſſunt. *l. 6. §. 2. D. de his qui not. inf. l. 1. D. an per al. cauſ. app. redd. poſſ. l. 42. §. 1. D. h. t.*

§. 19. Exceptis cauſis criminalibus gravioribus: In quibus neque pro Actore, neque Reo, Procuratores admittuntur. *l. pen. §. 1. D. de publ. jud. l. 1. D. an per al. cauſ. app.*

§. 20. Niſi allegentur excuſationes abſentium; *l. 71. D. h. t. d. l. pen. §. 1. D. de publ. jud. l. 3. C. de accuſ.* Vel II. reus abſens condemnari poſſit; *l. 33. §. 3. D. h. t.* Veluti ſi pœna ſit relegatio aut relegatione minor; *l. 5. D. de pœn.* junct. *l. 33. §. 2. D. h. t.* aut lis cum reo præſente conteſtata ſit. *l. 10. D. de publ. jud. l. 3. C. de accuſ. l. 13. 15. C. ad L. Jul. de adult.*

§. 21. In Popularibus Actionibus Reus, non Actor, ante litis conteſtationem Procuratorem dare poteſt: *l. 42. pr. D. h. t.* Niſi cauſa ad Actorem principaliter ſpectet. *d. l. 42. pr. l. 45. §. 1. D. h. t.*

Digitized by Google

§. 22. Officium Procuratoris eſt, ſuſceptum negotium ſecundum mandatum fideliter exequi; v. *l. 5. D. mandat.* Et ſi quidem ab Actore datus eſt, rem in judicium deducere, dominumque boni viri arbitratu defendere.

§. 23. Qua de re Prætor ita edixit: „*Cujus nomine quis Actionem dari ſibi* „*poſtulaverit, is eum boni viri arbitratu defendat; & ex quo nomine aget, id* „*ratum habere eum, ad quem ea res pertinet, boni viri arbitratu ſatisdet.*„ *l. 33. §. 3. D. h. t. l. 5. C. h. t.*

§. 24. Æquum enim Prætori viſum eſt, eum qui alicujus nomine Procurator experitur, *eundem etiam defenſionem ſuſcipere. l. 33. §. 4. D. h. t.*

§. 25. *Defendere* autem eſt id facere, quod dominus in litem faceret, & cavere idonee. *l. 35. §. 3. & ll. ſeqq. D. h. t.*

§. 26. Idque non tantum in conventione, ſed & reconventione locum habet; *d. l. 33. §. 3. 4. l. 35. D. l. 5. C. h. t.* Niſi quis titulo oneroſo & bona fide, vel ex neceſſitate, Procurator in rem ſuam factus ſit. *d. l. 33. §. ult. l. 34. 70. D. h. t.*

§. 27. Si vero Procurator a Reo datus ſit, judicium ſuſcipere cogitur.

§. 28. De quo Prætor ait; „*Procuratorem ad litem ſuſcipiendam datum, pro* „*quo conſentiente dominus judicatum ſolvi expoſuit, judicium accipere cogam.*„ *l. 8. §. 3. l. 9. & ſeqq. D. h. t.*

§. 29. Uterque poſt litis conteſtationem litis fit dominus; *l. 22. 23. C. h. t.* Adeoque totus Proceſſus in eos dirigitur, & ipſa quoque Sententia in eos pronunciatur. *l. 1. C. de ſent. & interloc.* Licet *Actio rei judicatæ* mandanti, & in mandantem, competat. *l. 28. 61. D. h. t. l. 4. D. de re jud.*

§. 30. Uterque etiam a Sententia iniqua appellare, & appellationis cauſam proſequi tenetur. *l. 17. C. h. t. l. 2. D. an per al. cauſ. appell. l. 31. §. 2. D. de neg. geſt. l. 8. §. 1. D. mandat.*

§. 31. Quod ſi Procurator officio ſuo minus recte functus fit, negligentia ejus domino nocet. *l. 10. C. h. t.*

§. 32. Qui tamen contra Procuratorem regreſſum habet, & ſi Procurator ſolvendo non ſit, in integrum reſtitui poteſt. *l. 8. §. 1. D. mand. l. 13. §. ult. C. de jud.*

§. 33. Niſi juſtæ intercedant cauſæ, ob quas Procurator excuſandus ſit: Veluti, ſi inimicitiæ capitales intervenerint inter Procuratorem & dominum; Si dignitas acceſſerit Procuratori; vel Reip. cauſa abfuturus ſit; vel valetudo, vel neceſſaria peregrinatio impedimento ſit. v. *l. 8. §. ult. l. 9. & ſeqq. D. h. t.* add. *l. 22. §. ult. & ll. ſeqq. D. mand.*

§. 34. Cum vero Procurator conſtituatur *Mandato*, ex eo *Mandati Actionem* naſci, *Directam & Contrariam*, nemo non intelligit.

§. 35. *Actio Mandati Directa* competit Domino, contra Procuratorem, ad mandatum ſuſceptum perficiendum, rationes adminiſtrationis reddendas, & præſtandum

ſtandum non tantum dolum, ſed etiam culpam leviſſimam. *l. 42. §. 2. D. l. 10. C. h. t. l. 13. 21. C. mand.*

§. 36. *Actio Mandati Contraria* datur Procuratori, contra dominum, ad reſtituendas impenſas, & id quod intereſt. *l. 46. §. 5. 6. D. l. 4. C. h. t.*

§. 37. Similiter Poteſtas & Officium Procuratoris iisdem modis finitur, quibus mandatum. I. Scil Mutuo diſſenſu. *§. ult. I. quib. mod. re contr. obl. l. 58. D. de pact.*

II. Revocatione mandantis, *§. 9. I. de mand.* ante litem conteſtatam facta, *l. 16. D. h. t.* Poſt litem conteſtatam enim id demum conceditur cauſa cognita, v. *l. 17. & ll. ſeqq. D. h. t.*

III. Renunciatione mandatarii tempeſtive facta. *§. 11. I. de mand.*

IV. Morte tum mandantis, ante litem conteſtatam, v. *l. 23. C. h. t:* tum mandatarii. *§. 10. I. de mand.*

§. 38. Ex dictis Differentiæ inter *Advocatos & Procuratores* ultro patent.

§. 39. I. *Advocati* enim precibus adeuntur; *Procuratores* mandato conſtituuntur.

II. *Advocati* habent Clientes; *Procuratores* Dominos & Principales.

III. *Advocati* jurant de calumnia; *Procuratores* non item. *§. 1. I. de pæn. tem. lit.*

IV. *Advocati* non ſatisdant; *Procuratores* quibusdam caſibus ſatisdare debent. *§. 3. 4. I. de ſatisd. v. ſupr. ad t. qui ſatisd. cog. §. 23. 25.*

V. *Advocati* non ſunt litis domini; *Procuratores* contra. *l. 22. C. h. t.*

VI. *Advocatorum* munus dignius eſt quam *Procuratorum. v. l. 14. C. de Advoc. diverſ. judicior.*

De Defensoribus.

§. 40 *Defenſor latiori ſenſu* & in genere eſt, quicunque aliquem defendit in judicio, non tantum Procurator Rei, ſed & Actoris. *l. 18. §. 13. D. de mun. & hon.*

§. 41. *Strictiori* ſenſu *Defenſor* eſt Procurator Rei, eoque modo *Procuratori* non ſemel opponitur. *l. 51. §. 1. D. h. t. l. 11. §. 7. D. de exc. rei jud. l. 9. §. 6. l. 34. §. 3. D. de jurej. l. 6. §. 2. D. de his qui not. infam.*

§. 42. *Strictiſſima* autem ſignificatione *Defenſor* dicitur, qui Reum in judicio defendit ſine mandato. *l. 46. §. 2. l. 76. D. h. t. l. un. C. de ſatisdand.*

§. 43. Qui ſine cautione *Judicatum ſolvi* non admittitur; nemo enim alienæ litis idoneus defenſor ſine ſatisdatione intelligitur. *d. l. 46. §. 2. D. h. t. §. 5. I. de ſatisd. l. un. C. eod.*

TITUL.

TITULUS IV.

QUOD CUJUSCUNQUE UNIVERSITATIS NOMINE, VEL CONTRA EAM AGATUR.

§. I.

Procuratori ſimilis eſt *Actor* ſeu *Syndicus*, qui negotia Univerſitatis ejusdem mandato in judicio adminiſtrat. *l. 1. §. 1. l. 6. §. 1. 3. D. h. t. l. 18. §. 13. D. de mun. & hon.*

§. 2. De quo Prætor, nec non Proconſul, his ſimilibusve verbis edixiſſe videtur; *Quod cujusque Univerſitatis nomine, vel contra eam agatur, Actori & in Actorem Univerſitatis judicium dabo* arg. *Inſcr. l. 1. §. 1. l. 3. 6. §. 1. & ſeqq. D. h. t.*

§. 3. *Univerſitas* eſt *Societas*, vel *Collegium*, ſeu *Corpus hominum*, *quod neque Reſp. eſt*, *neque familia.*

§. 4. Ad quod conſtituendum ad minimum tres requiruntur; *l. 85. D. de V. S.* ſed conſervandum unus ſufficit. *l. 7. §. 2. D. h. t. v. l. 76. D. de jud.*

§. 5. Idque vel *Licitum* eſt, veluti Pontificum, Publicanorum, Piſtorum, Naviculariorum, Fabricenſium, & ſimilium; *l. 2. §. 6. D. de O. J. l. 1. pr. D. h. t. t. t. C. de Fabricenſ.* Vel *Illicitum*, de quo *infr. ad t. de colleg. & corp.*

§. 6. Quibus autem permiſſum eſt, corpus habere collegii, ſocietatis, ſive cujusque alterius eorum nomine, proprium eſt, ad exemplum Reip. habere res communes, arcam communem, & *Actorem* ſive *Syndicum*, per quem, tanquam in Rep. quod communiter agi fierique oporteat, agatur, fiat. *l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 7. Cum enim Univerſitas perſonæ vice fungatur, *l. 22. D. de fidej.* adeoque & alios ſibi obligare, & aliis non tantum ex contractu, *l. 7. §. 1. D. h. t.* Sed & ex delicto obligari poſſit, *l. 9. §. 1 D. quod met. c. Auth. Item nulla communitas. Auth. Item quæcunque communitas. C. de Ep. & Cler.* ipſa tamen in judicio ſatis commode comparere nequeat, eam per *Actorem* vel *Syndicum* agere & defendi æquum eſt.

§. 8. Conſtituitur autem *Actor* vel *Syndicus* vel *Lege*, vel *Suffragiis*, dummodo duæ partes legitime convocatæ adſint, vel amplius quam duæ. *l. 3. 6. §. 1. D. h. t. l. 46. C. de decur. l. 2. 3. D. de decret. ab ord. fac.*

§. 9. Plane ut duæ partes adſuiſſe dicantur, is quoque qui eligitur numerari poteſt. *l. 4. D. h. t.* Imo & Patris ſuffragium filio proderit, & filii patri. *l. 5. D. h. t.*

§. 10. Ipſe autem Syndicus ſuo ſe ſuffragio eligere nequit. arg. *l. ult. D. de off. Præt. l. 5. de off. Præſ. l. 4. D. de tut. dat.*

§. 11. Officium *Actoris Univerſitatis* ſeu *Syndici* idem eſt, quod Procuratoris, *l. 6. §. 3. D. h. t. l. 5. §. 10. D. quod vi aut clam.*

Digitized by Google

§. 12. De Rato tamen cavere non cogitur, niſi de decreto Univerſitatis, & officio Syndici dubitetur. *d. l. 6. §. 3. D. h. t.*

§. 13. Præter *Actorem* autem ſeu *Syndicum*, Univerſitatis nomine experiri nulli permittitur. *l 3. D. h. t. Defendere* vero Univerſitatem cuilibet, etiam extraneo, licet, ſicut in privatorum defenſionibus obſervatur: Quia eo modo melior conditio Univerſitatis redditur. *l. 1. §. ult. D. h. t.*

TITULUS V.
De Negotiis Gestis,
C, II. 19.

§. 1.

Sunt etiam, qui aliorum negotia judicialia ſine mandato adminiſtrant, *Negotiorum* ſcil. *geſtores*, qui *Procuratores* ſunt *voluntarii*. Cic. *in Brut. c. 4. 15.* Paul. I. *Sent. T. III. §. 3. l. 58. D de ſol.*

§. 2. Prætor ait: „*Si quis negotia alterius, ſive quis negotia, quæ cujusque* „*cum is moritur fuerint, geſſerit, judicium eo nomine dabo.*„ *l. 3. pr. D. h. t.*

§. 3. Quod Edictum neceſſarium Prætori viſum eſt; quoniam magna utilitas abſentium verſatur, ne indefenſi rerum poſſeſſionem aut venditionem patiantur, vel pignoris diſtractionem, vel pœnæ committendæ actionem, vel injuria rem ſuam amittant, *l. 1. D. h. t. §. 1. I. de obl. quæ quaſ. ex contr.*

§. 4. Verba autem „*ſi quis,*„ ſic ſunt accipienda, *ſive quæ;* nam & mulieres negotiorum geſtorum agere poſſe, & conveniri non dubitatur. *l. 3. §. 1. D. h. t.* add. *l. 1. D. de V. S.*

§. 5. „*Negotia,*„ ſic accipe, ſive unum ſive plura; *l. 3. §. 2. D. h. t.* maxime tamen judicialia.

§. 6. „*Alterius,*„ inquit, & hoc ad utrumque ſexum refertur. *l. 3. §. 3. D. h. t.*

§. 7. Hæc verba: „*ſive quis negotia, quæ cujusque cum is moritur fuerint, geſſerit;*„ ſignificant id tempus, quo quis poſt mortem alicujus negotia geſſit: De quo fuit neceſſarium edicere, quoniam neque teſtatoris jam defuncti, neque heredis, qui nondum adiit, negotium geſſiſſe videtur. *l. 3. §. 6. D. h. t.*

§. 8. Cum vero „*judicium eo nomine ſe daturum,*„ Prætor promittit, *Actio* intelligenda *Negotiorum geſtorum. l. 2. D. h. t. §. 1. I. de obl. quæ quaſ. ex contr. naſc.*

§. 9. Naſcitur autem *Actio Negotiorum geſtorum* ex *Negotiorum geſtione;* quæ nihil aliud eſt, quam *quaſi contractus, cum quis alterius abſentis, vel præſentis, ſed ignorantis negotia, ſine mandato gerit utiliter. §. 1. I. de obl. quæ quaſ. ex contr.*

Digitized by Google

§. 10. Eaque duplex eſt: *Directa, & Contraria. d. §. 1. I. de obl. quæ quaſ. ex contr.* Sicut enim æquum eſt, Negotiorum geſtorem actus ſui rationem reddere; & eo nomine condemnari, quicquid vel non ut oportuit geſſit, vel ex his negotiis retinet: Ita ex diverſo juſtum eſt, ſi utiliter geſſit, præſtari ei, quicquid eo nomine vel abeſt ei, vel abſuturum eſt. *l. 2. D. h. t.*

§. 11. *Actio* itaque *Negotiorum geſtorum Directa* eſt *perſonalis, l. 23. C. h. t. Civilis, quæ datur Domino negotiorum, ejusque heredi, nec non ei, cujus intereſt; l. 2. 3. 7. 47. D. h. t. Adverſus geſtorem, ejusque heredem; Ad rationes reddendas, & reliqua præſtanda; d. l. 2. 23. D. h. t. §. 1. I. de oblig. quæ quaſ. ex cont. nec non præſtandum dolum, omnemque culpam, etiam leviſſimam. d. §. 1. l. 23. D. de R. J. l. 24. C. de uſur.* Quia ſimilis eſt Depoſitario, qui depoſito ſe obtulit. v. *l. 1. §. 35. D. depoſ. add. l. 21. C. mand. l. 36. D. de R. J.*

§. 12. Niſi quis a Prætore datus ſit; vel affectione coactus, ne bona alterius diſtrahantur, negotiis ejus ſe obtulit, adeoque acceſſerit ad negotia cæteroquin peritura: quo caſu æquiſſimum eſt, eum dolum tantum & latam culpam præſtare *l. 3. §. 8. 9. D. h. t.*

§. 13. Quemadmodum & contra aliquando contingit, ut & caſus fortuitus præſtandus ſit; veluti, ſi novum negotium, quod non ſit ſolitus abſens facere, geſſerit: quo caſu tamen lucrum cum damno compenſandum eſt. *l. 11. D. h. t.*

§. 14. Datur etiam ad uſuras, *l. 24. C. de uſur.* & quidem maximas, i. e. *centeſimas (v. infr. ad t. de uſur. §. 23. 24.)* præſtandas, ſi negotiorum geſtor pecuniam domini in ſuos uſus convertit. *l. 38. D. h. t.*

§. 15. Et non tantum de iis competit, quæ geſſit negotiorum geſtor, ſed & de non geſtis, quæ gerere debuit; veluti, ſi inchoata dereliquerit, *l. 21. §. 2. l. 13. junct. l. 35. §. 1. D. h. t.*

§. 16. Ita tamen, ut Negotiorum geſtor non teneatur de negotiis plane diverſis omiſſis, vel non ſuſceptis; *l. 16. D. l. 20. C. h. t.* Satis enim abundeque ſufficit, ſi vel in paucis negotiis amici labore conſulatur, *l. 20. C. h. t. l. 39. §. 2. D. de admin. tut.* Niſi forte alius, contemplatione ejus quod geſtum eſt, ad alia negotia non acceſſerit. *l. 6. §. ult. D h. t.*

§. 17. *Actio Negotiorum geſtorum Contraria* eſt, *quæ datur Negotiorum geſtori, contra dominum, ut ſervetur indemnis. l. 2. 27. D. h. t. §. 1. I. de obl. quæ quaſ. ex cont.*

§. 18. Datur enim ad conſequendas impenſas neceſſarias & utiles, omneque id, quod geſtori ratione geſtionis abeſt, vel abſuturum eſt. *l. 2. 27. 31. 45. D. h. t. l. 10 C. h. t.*

§. 19. Adeo, ut ſufficiat utiliter geſſiſſe, licet effectum non habuerit negotium, vel eventus non ſit ſecutus; & ideo ſi inſulam fulſit, vel ſervum ægrum curavit, etiamſi inſula poſtea exuſta eſt, vel ſervus obiit, *Actio Negotiorum*

tiorum geſtorum Contraria nihilominus locum habet. *l. 10. §. 1. l. 12. §. ult. l. 22. D. h. t.*

§. 20. Datur etiam ad impenſarum uſuras, quas geſtor vel ipſe ſolvit, vel ex propria pecunia percipere potuit. *l. 19. §. 4. D. l. 18. C. h. t.*

§. 21. *Ceſſat* autem I. Si geſtor non utiliter geſſerit; *l. 10. §. 1. D. h. t.* vel voluptuarias impenſas fecerit. *l. 27. 25. D. h. t.*

II. Si quis ex pietate & donandi animo, vel ex officio aliquid præſtiterit. *l. 27. §. 1. l. 34. 44. D. l. 1. 11. 13. 15. C. h. t.*

III. Si quis invito & prohibente domino geſſerit. *l. 8. §. ult. D. l. ult. C. h. t.*

IV. Si quis alterius negotia, non contemplatione domini, ſed ſui lucri cauſa geſſit; quo caſu dominus negotiorum non ultra tenetur, niſi in quantum locupletior factus eſt. *l. 6. §. 3. D. h. t.*

§. 22. Quæ Actiones etiam tum locum habent, cum Dominus geſta per ratihabitionem probavit. *l. 6. §. 9. 10. l. 9. D. l. 9. C. h. t.* Licet eventu, & effectu inſpecto, etiam *Actio Mandati* competat. *l. 60. D. de R. J. l. ult. pr. C. ad SCt. Maced.* add. *l. 38. §. 1. D. pro ſoc.*

TITULUS VI.

De Calumniatoribus.

C. IX. 46.

§. 1.

Cum vero, qui in judicio agunt, non raro *calumnientur*, & aliquando pecuniam accipiant, ut alicui calumniæ cauſa negotium faciant, & iniquam litem moveant, Prætor contra tales ſingulare Edictum proponendum cenſuit.

§. 2. Quod his verbis conceptum videtur: *In eum, qui, ut calumniæ cauſa negotium faceret, vel non faceret, pecuniam accepiſſe, depectusve eſſe dicetur, intra annum in quadruplum ejus pecuniæ, quam accepiſſe depectusve eſſe dicetur, poſt annum ſimpli in factum actionem dabo.* arg. *l. 1. pr. l. 3. §. 2. l. pen. D. h. t.*

§. 3 Eſt itaque *Calumniator* hoc loco, qui, ut calumniæ cauſa negotium faceret, vel non faceret, i. e. vexandi cauſa iniquam litem moveret, vel non moveret, pecuniam accepit. *d. l. 1. d. l. pen. D. h. t.*

§. 4. *Pecuniam* autem *accepiſſe* dicemus, etiamſi aliquid pro pecunia acceptum ſit. *l. 1. §. ult. D. h. t.*

§. 5. Quin etiam, ſi quis obligatione liberatus ſit, poteſt videri cepiſſe: Idemque, ſi gratuita pecunia utenda data ſit, aut minoris locata venditave res ſit. Nec refert, ipſe pecuniam acceperit, an alii dari juſſerit, vel acceptum ſuo nomine ratum habuerit. *l. 2. D. h. t.*

Digitized by Google

§. 6. Et generaliter idem erit, ſi quid omnino compendii ſenſit propter hoc; ſive ab adverſario, ſive ab alio quocunque. *l. 3. pr. D. h. t.*

§. 7. Quin & Edicto hoc tenetur, qui *depectus eſt. Depectus* autem dicitur, qui turpiter pactus eſt. *l. 3. §. 2. D. h. t.*

§. 8. Sive cauſa ſit pecuniaria, ob quam pecunia datur, ſive criminalis; *l. 1. §. 1. D. h. t.* ſive ante, ſive poſt judicium acceptum pecunia accipiatur, nihil intereſt. *l. 1. §. 1. 2. D. h. t.*

§. 9. Quod ſi itaque quis ob dictam cauſam pecuniam accepit, Prætor promittit *Actionem in factum. l. 1. pr. D. h. t.*

§. 10. Quæ actio naſcitur ex Delicto, eique competit, qui dedit, ne ſibi negotium fieret; nec non ei, propter quem datum eſt. *l. 3. §. ult. l. 6. D. h. t.* Non etiam heredi, *l. 4. D. h. t.* nec ei, qui dedit pecuniam, ut quis negotium pateretur, cum turpiter fecerit. *d. l. 3. §. ult. D. h. t.*

§. 11. Contra eum, qui pecuniam accepit, ut *calumniæ cauſa negotium faceret, vel non faceret*, i. e. iniquam litem alicui moveret, vel non moveret; *l. 1. pr. D. h. t.* licet non fecerit: *l. 3. §. 1. D. eod.* ut & eum, qui depectus eſt. *d. l. 3. §. 1. D. h. t.* Non etiam contra heredem, niſi in id, quod ad eum pervenit. Turpia enim lucra heredibus quoque extorquenda ſunt. *l. 5. pr. D. h. t. l. 16. §. ult. D. quod met. cauſ.* add. *l. un. C. ex delict. def. in quant. ten. her.*

§. 12. Et quidem intra annum in quadruplum, poſt annum vero in ſimplum. *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 13. *Annus* autem in perſona ejus, qui dedit pecuniam, ne ſecum ageretur, ex eo tempore cedit, ex quo dedit, ſi modo poteſtas ei fuerit experiendi. In illius vero perſona, cum quo ut agatur alius pecuniam dedit, ex quo cognovit, *l. 6. D. h. t.*

§. 14. Præter quam Actionem *Condictio etiam ob turpem cauſam* competit; ſi ſola turpitudo accipientis verſetur. *l. 5. §. 1. D. h. t. l. 1. §. ult. l. 2. pr. §. 1. l. 4. §. 2. D. de cond. ob turp. cauſ.*

§. 15. Quæ, ſi quis dederit *ne ſibi* lis iniqua moveretur, quadruplo ineſt, & per *Actionem in quadruplum* tollitur. *d. l. 5. §. 1. Si* vero *tertius dederit, ne alteri* lis iniqua moveatur, & is, qui dedit, habet *Condictionem dati*, & is, propter quem datum eſt, *Actionem in quadruplum. l. 7. pr. D. h. t.*

§. 16. Quin & *L. Julia repetundarum* tenetur, qui ob negotium faciendum, aut non faciendum, per calumniam pecuniam accepit; *l. 1. §. 1. D. h. t.* aliaque pœna arbitraria, præter pecuniæ reſtitutionem, affici poteſt. *v. l. pen. D. h. t. l. 8. l. ult. C. h. t.*

Digitized by Google

LIBER IV. TITULUS I.

De in Integrum Restitutionibus.

§. 1.

Ordinarium Judicium ſæpe per *In Integrum Reſtitutionem* prævenitur, reſciſſa cauſa, ſuper quam litigandum erat; de qua proinde ante *Judicia* tractatur.

§. 2. Eſt autem *In Integrum Reſtitutio in genere* nihil aliud, quam *in priſtinum ſtatum repoſitio*, vel *reductio*.

§. 3. Eaque vel *Gratiæ* eſt, vel *Juſtitiæ*. *l. 1. §. 10. D. de poſtuland.*

§. 4. *Reſtitutio Gratiæ* (quam aliqui *Perſonalem* vocant) dicitur, qua ob delictum aliquod damnati, ex indulgentia Principis, ejusve, qui ſummam in Rep. poteſtatem habet, in priſtinum ſtatum reſtituuntur. *d. l. 1. §. 10. l. 27. D. de pœn. l. 1. 6. 7. & ult. C. de ſent. paſſ.* de qua *infr. ad t. de ſent. paſſ. §. 5. & ſeqq.*

§. 5. *Juſtitiæ* vero, (quam alii *Realem* dicunt) quæ ob læſionem bonorum, ex cauſa juſtitiæ & æquitatis, à Judice tribuitur.

§. 6. Quæ recte ſubdividitur in *Civilem*, quæ ex Jure Civili deſcendit; v. *l. 33. D. de re jud. l. 31. D. de jurej. l. 2. C. de reſc. vend.* & *Prætoriam*, quæ Jure Prætorio competit, ad reſciſſionem Actus ſummo jure ſubſiſtentis; de qua ſolà hic agitur.

§. 7. Eſt autem hæc *In integrum Reſtitutio Prætoria*, vel *amiſſæ cauſæ redintegratio*; *l. 3. D. h. t. l. 2. C. in quib. c. in int. reſt. nec. non eſt. l. 6. C. de reſt. mil.* Vel *Redintegrandæ rei vel cauſæ Actio*; Paul. *I. Sent. T. VII. §. 1.* v. *l. 6. C. de in integr. reſt. min.* prout ſcil. accipitur, vel ratione Prætoris reſtituentis, vel ratione læſi reſtitutionem petentis. v. Diſſert. *N. VII. de Cauſ. Obl. C. I.*

§. 8. Reſtituit in integrum Prætor, *l. 1. D. h. t.* omnesque Magiſtratus majores, eorumque Mandatarii; *l. ult. C. ubi & ap. quem cogn. in int. reſt.* Non etiam Magiſtratus Municipales, nec Arbitri, nec Judices Pedanei. *l. 26. D. ad munic. d. l. ult. C. ubi & apud quem cogn. in int. reſt.*

§. 9. Contra ſuam, vel deceſſorum, vel Magiſtratuum inferiorum, *l. 16. §. f. & ll. ſeqq. l. 42. D. de min.* non etiam ſuperiorum, ſententiam. *l. 18. D. eod. l. 1. C. ubi & apud quem.*

§. 10. Ex juſta cauſa: Prætor enim hominibus vel lapſis, vel circumſcriptis ſubvenit, ſive *Metu*, ſive *Calliditate*, ſive *Ætate*, ſive *Abſentia* inciderint in captionem, ſive per *Status mutationem*, ſive per *Juſtum errorem*, *l. 1. 2. D. h. t.* ſive per *Alienationem judicii mutandi cauſa factam. t. t. D. & C. de alien. jud. mut. cauſ. fact.*

Digitized by Google

§. 11. Adeoque præmiſſa cauſæ cognitione, ſcil. ut juſtitiam earum cauſarum examinet, an veræ ſint, quarum nomine ſingulis ſubvenit. *l. 3. 7. pr. §. 1. D. h. t.*

§. 12. Ubi & illud examinandum, quanta ſit læſio? Propter minimam enim rem vel ſummam non auditur, qui in integrum reſtitui poſtulat. *l. 4. D. h. t.* Ut &, an negotium forte ſit ipſo jure nullum? *v. l. 16. D. de min. l. 2. C. de filioſ. min.* aliudve adſit remedium ordinarium? *d. l. 16.* ut reſtitutione opus non ſit.

§. 13. Reſtituit autem Prætor, vel I. Id, quod geſtum eſt, ſimpliciter reſcindendo; *v. l. 21. §. 5. D. quod met. cauſ. l. 24. §. 4. D. de min.* vel II. Simul rem amiſſam, *v. l. 13. §. ult. l. 24. §. 4. D. de min. l. 9. §. 3. l. 14. §. 1. l. 1. D. de dol.* jusve agendi amiſſum reſtituendo. *l. 9. §. 3. 4. 7. D. quod met. c.*

§. 14. Adeoque non duplex, uti multi volunt, hic intercedit judicium, *Reſcindens* & *Reſciſſorium*; ſed uno eodemque judicio res omnis explicatur. *v. §. 5. I. de Act. l. 9. §. 7. D. quod m. c. l. 18. pr. D. de dol. l. 1. §. 1. l. 26. §. 7. D. ex q. c. maj.*

§. 15. Reſtitutionem petere poſſunt læſi, *l. 1. D. h. t.* vel per ſe, vel per procuratorem, ſpeciale mandatum habentem; *t. t. C. etiam per Proc. cauſ. in int. reſt. ag. poſſ.* junct. *l. 25. §. 1. in f. l. 26. D. de min.* eorumque ſucceſſores. *l. 6. D. h. t. l. 14. §. 2. D. quod m. c. l. 18. §. ult. de min. l. 24. D. eod.*

§. 16. Contra lædentes; ut & quandoque contra tertios rerum poſſeſſores. *l. 14. §. 3. quod m. c. l. 13. §. 1. l. 14. & 5. D. de min.* Non tamen contra Parentes & Patronos. *l. 2. C. qui & adv. quos.*

§. 17. Petenda autem eſt in loco domicilii, *l. 2. C. ubi & apud quem.* vel rei ſitæ; arg. *l. f. C. ubi in rem act.* non etiam in loco contractus.

§. 18. Et quidem intra tempus legitimum; quod primum erat annus; *§. 5. I. de Act. l. 14. §. 2. D. quod m. c. l. 19. & 38. D. de min. l. 1. §. 1. D. ex quib. c. maj. l. 35. D. de O. & A.* poſtea ratione doli biennium; *l. ult. C. de dol.* jure novo autem in omnibus cauſis eſt quadriennium continuum, *l. ult. C. de temp. in int. reſt.* a die remoti impedimenti numerandum. *d. l. ult.*

§. 19. *Effectus petitæ Reſtitutionis* eſt, quod, usque dum res finiatur, omnia in ſtatu ſuo manere debeant; *l. un. C. in int. reſt. poſt. ne quid nov. fiat.* neque executio, neque quicquam novi fieri poſſit. *l. 42. D. de min. l. 32. C. de transact. d. t. C. in int. reſt. poſt.* &c.

§. 20. *Impetratæ* vero, quod omnia in priſtinum ſtatum reducantur, ut reſtitutus nec damnum neque lucrum faciat. *l. 24. §. 4. D. de min. l. 2. C. de quib. cauſ. in int. reſt. l. un. C. de reput. quæ fiunt in jud. in int. reſt. l. 22. §. 1. D. ex quib. c. maj. l. 1. C. ſi adv. transact.*

TITU-

Digitized by Google

TITULUS II.

QUOD METUS CAUSA GESTUM ERIT.

C. II. 20.

§. 1.

Prima cauſa Reſtitutionis in integrum* eſt *Juſtus Metus. l. 1. D. de in int. reſt. l. 1. D. h. t.*

§. 2. Ait Prætor: „*Quod Metus cauſa geſtum erit, ratum non habebo.*„ *d. l. 1. D. h. t.*

§. 3. Olim ita edicebatur, *quod vi metusve cauſa. Vis* enim fiebat mentio, propter neceſſitatem impoſitam contrariam voluntati. *Metus*, propter inſtantis vel futuri periculi cauſa mentis trepidationem. Sed poſtea detracta eſt *vis* mentio, quia, quodcunque vi atroci fit, id metu quoque fieri videatur. *d. l. 1. D. h. t.*

§. 4. Eſt autem *Vis, majoris rei impetus, qui repelli non poteſt. l. 2. D. h. t.*

§. 5. *Metus* vero, *inſtantis vel futuri periculi cauſa mentis trepidatio; l. 1. D. h. t.* vel *timor majoris malitatis. l. 5. D. h. t.*

§. 6. Continet igitur hæc clauſula & *vim* & *metum*, & ſi quis *vi* compulſus aliquid fecit, per hoc Edictum reſtituitur. *l. 3. pr. D. h. t.*

§. 7. Sed *vim* accipimus *atrocem*, & eam, quæ adverſus bonos mores fiat, non eam, quam Magiſtratus aliusve jure licito intulit. *l. 3. §. 1. D. h. t. l. 29. §. pen. ad L. Aquil. l. 21. D. h. t. l. 13. §. 2. D. de injur.*

§. 8. *Metus* etiam non qualiscunque intelligendus, ſed *juſtus*, i. e. talis, qui in hominem conſtantem cadit; *l. 6. D. h. t. l. 2. §. 1. l. 3. 9. D. ex quib. c. maj. l. 13. C. de transact.* qualis eſt mortis, ſive naturalis, ſive civilis; *l. 3. §. 1. l. 4. 7. 8. §. 1. D. l. 7. C. h. t.* verberum; *d. l. 3. §. 1.* cruciatus corporis; *l. 4. 7. C. eod.* ſtupri; *l. 8. §. 2. D. h. t.* nec non vinculorum & carceris. *l. 7. §. 1. l. 22. & ult. §. 1. D. l. 7. C. h. t.*

§. 9. Non etiam vanus timor; *d. l. 5. 6. D. h. t. l. 184. D. de R. J.* qualis eſt metus infamiæ, alicujus vexationis, aliusve minis illatus; *l. 7. 9. D. l. 9. C. h. t.* (Niſi minæ Capitales ſint, *l. 7. C. h. t.* & minitans minas exequi ſoleat.) nec non dignitatis, & reverentialis. *l. 6. C. h. t.* arg. *l. 22. de R. N.*

§. 10. Debet denique Metus eſſe præſens & re ipſa illatus; *l. 9. pr. D. h. t.* ſuſpicio non ſufficit: Veluti ſi quis fundum dereliquerit, audito tantum, quod quis cum armis veniret; *d. l. 9. pr. D. h. t.* arg. *l. 13. §. 2. 6. D. de injur.* ſimilisve. v. *l. 21. D. h. t.*

§. 11. Ait autem Prætor: „*Quod metus cauſa geſtum eſt.*„ Scil. generaliter & in rem loquitur, ut non interſit, a quo metus illatus ſit, & ſufficiat metum illatum eſſe; v. *l. 9. §. 1. & ſ. D. h. t.* dummodo per metum damnum datum ſit. *l. 12. §. ult. D. h. t.*

§. 12.

Digitized by Google

§. 12. Unde, qui vim adhibuit debitori ſuo, ut ſolveret, hoc Edicto non tenetur. *d. l. 12. §. ult.* Licet talis incidat in conſtitutionem D. Marci, quæ eſt in *l. 13. D. h. t.* & jus crediti amittat, nec non Legem Juliam de Vi, ſive publica, ſive privata. *l. ult. D. ad L. Jul. de vi priv.*

§. 13. „*Ratum non habebo:*„ add. *l. 21. §. 1. D. l. 7. C. h. t.* Quo ipſo Prætor, ſe, id quod metu geſtum eſt, reſciſſurum, ſeu infirmaturum promittit. *l. ult. C. h. t.*

§. 14. Id enim quod metu geſtum eſt, ſive negotium ſit *b. f.* ſive ſtricti juris, non eſt ipſo jure nullum, ſed ab initio ſubſiſtit, & per Prætorem reſcindendum eſt: quia qui coactus aliquid egit, licet libere non egerit, tamen id ipſum voluit. *l. 21. §. 5. D. h. t.* junct. *l. 85. D. de acq. her. l. ult. §. 1. D. h. t. l. 3. 7. & ult. C. h. t.* Licet ratione *effectus* id ipſum quandoque *nullum* vocetur. v. *l. 22. D. h. t. l. 1. C. de reſc. vend.*

§. 15. Excipiuntur tamen I. Promiſſio dotis; *l. 21. §. 3. D. h. t.*

II. Matrimonium; *l. 21. D. de R. N. l. 14. C. de nupt. l. 134. D. de V. O.*

III. Auctoritas tutorum; *l. 1. §. 1. D. de auct. tut.*

IV. Teſtamentum; *l. 20. §. 10. D. qui teſt. fac. poſſ. arg. l. 1. C. de SS. Eccleſ. l. 32. D. de hered. inſt.*

V. Nec non Manumiſſio per ipſum ſervum, vel populum extorta. *l. 9. 17. D. qui & a quib. man. lib. non fiunt.* Quæ, ſi metus intercedat, ipſo jure nulla ſunt. *dd. ll.*

§. 16. Reſcindit autem Prætor id quod geſtum eſt, dando *Actionem Quod metus cauſa,* in negotiis ſcil. perfectis; *Exceptionem* vero in negotiis imperfectis, *l. 9. §. 3. D. h. t.*

§. 17. *Actio Quod metus cauſa* eſt *Prætoria, Perſonalis, in rem ſcripta, arbitraria, competens per juſtum metum læſo, ejusque heredibus; contra metum inferentem, omnemque rei metu amiſſæ poſſeſſorem; Ad rem illam cum omni cauſa reſtituendam, & ſi arbitrio judicis non reſtituatur in quadruplum.*

§. 18. Eſt hæc Actio *Prætoria;* quippe quæ a Prætore introducta eſt. *l. 1. D. h. t.*

§. 19. *Perſonalis; §. 31. I. de act.* quia ex illato metu, adeoque ex delicto naſcitur. *§. 1. I. de act.*

§. 20. *In rem ſcripta;* quia non tantum perſonam vim facientis metumque inferentis coërcet, ſed adverſus omnes reſtitui vult, quod metus cauſa factum eſt: *l. 9. §. ult. D. h. t.* adeoque contra omnes poſſeſſores locum habet. *d. l. 9. §. ult. l. 14. §. 3. D. h. t.*

§. 21. *Arbitraria; l. 14. §. 4. D. h. t. §. 31. I. de act.* niſi enim reus arbitrio judicis pareat, & rem reſtituat, ſequitur condemnatio in quadruplum. *d. l. 14. §. 4. d. §. 31. & 25. 27. I. de act.*

§. 22. *Competens per metum læſo, ejusque heredibus; l. 16. §. 2. l. 14. §. 2. D. h. t.*

Digitized by Google

D. h. t. iisque quorum intereſt, & proinde etiam fidejuſſoribus. *d. l. 14. §. 6. 8. D. h. t. l. 7. §. 1. D. de exc.*

§. 23. *Adverſus metum inferentem*; *l. 9. §. 8. D. h. t.* licet tertius rem poſſideat, *l. 14. §. 5. D. h. t.* vel res perierit. *l. 1. C. h. t. l. 18. §. 1. D de dol.* arg. *l. 8. §. 1. D. de cond. furt.* v. *l. 14. §. 1. D. h. t.* Et ſi plures ſint, contra ſingulos in ſolidum: ita tamen, ut unius præſtatio cæteros liberet. *l. 14. §. f. & ll. ſeqq. D. h. t.*

§. 24. *Omnemque rei amiſſæ poſſeſſorem*; non tantum eum, qui metum intulit, vel mala fide poſſidet, ſed & contra *b. f.* poſſeſſorem. *l. 9. §. ult. l. 14. §. 3. & 5. D h. t.*

§. 25. Non etiam contra heredes; niſi quatenus ad eos pervenit. *l. 16. §. ult. l. 17. 19. 20. D. h. t.*

§. 26. *Ad rem illam una cum omni cauſa reſtituendam*; cum fructibus ſcil. & acceſſionibus, non tantum perceptis, ſed & percipiendis, ſiquidem *m. f.* poſſeſſor ſit. *l. 9. §. 7. l. 12. pr. l. 14. §. 7. D. h. t.*

§. 27. *Et ſi arbitrio judicis non reſtituatur in quadruplum.* De quo Prætor ita ſubjeciſſe videtur: *Si per metum aliquid ablatum eſſe dicatur,* NEQUE EA RES ARBITRIO JUDICIS RESTITUATUR, *intra annum, quo primum de ea re experiendi poteſtas erit,* IN QUADRUPLUM, *poſt annum vero in ſimplum* JUDICIUM DABO. arg. *l. 14. §. 1. 2. 3. 11. D. h. t. §. 25. 27. I. de act.*

§. 28. Plane *Annus* jure novo mutatus eſt in quadriennium continuum. *l. ult. C. de temp. in int. reſt.*

§. 29. Quadruplatur autem omne, quod reſtitui oportuit; *l. 14. §. 1. 7. 14. l. 21. §. 2. D. h. t.* ita tamen, ut *Quadruplum* non totum pœna ſit, ſed in quadruplo ſimplum contineatur, pœna vero ſit tripli. *l. 14. §. 9. 10. D. h. t.*

§. 30. Si res metu extorta caſu perierit apud eum, qui metum intulit, aliumve malæ fidei poſſeſſorem, ante condemnationem, ipſius periculo perit: ſive res eodem modo apud dominum peritura fuiſſet, ſive non. *l. 14. §. 5. 11. D h. t. l. 1. C. h. t. l. 18. §. 1. D. de dol.*

§. 31. Si vero poſt condemnationem intra IV. menſes, ſeu tempus judicati, & res apud dominum æque peritura fuiſſet, *m. f.* poſſeſſor tantum a præſtatione rei, non etiam a pœna tripli liberatur; *d. l. 14. §. 11.* ſin poſt tempus judicati, in rem ſimul & pœnam tenetur. *d. l.*

§. 32. Quod ſi bonæ fidei poſſeſſor fuerit, apud quem res caſu periit, damnum non tantum uſque ad litem conteſtatam, ſed & uſque ad ſententiam eſt domini; *l. 40. D. de hered. pet.* nec enim debet *b. f.* poſſeſſor aut mortalitatem præſtare, aut propter metum hujus periculi, temere indefenſum jus ſuum relinquere. *d. l. 40. pr. D. de her. pet.* Poſt ſententiam autem & tempus judicati ſimiter eſt poſſeſſoris. *l. 14. §. 5. 11. D. h. t.*

§. 33. *Exceptio Metus* eſt *Prætoria*, *l. 9. §. 3. D. h. t. in rem ſcripta, l. 9.*

§. ſ. l. 4. §. 33. D. de dol. mal. & m. exc. competens metu coactis, eorumque heredibus, nec non iis, quorum intereſt; l. 14. §. 6. D. h. t. l. 7. §. 1. de exc. l. 4. §. 33. D. de dol. & met. exc. contra omnes, qui ex negotio metu geſto agere conantur. De qua ſub *t. D. de dol. mal. & met. except. §. 6. 7.*

TITULUS III.

DE DOLO MALO. C. II. 21.

§. 1.

S*ecunda cauſa In Integrum Reſtitutionis* eſt *Calliditas* ſeu *Dolus malus. l. 1. D. de in int. reſt. l. 1. D. h. t.*

§. 2. Verba Edicti talia ſunt: „*Quæ dolo malo facta eſſe dicentur, ſi de* „*his rebus alia actio non erit, & juſta cauſa eſſe videbitur, judicium dabo.*„ *l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 3. Quo Edicto Prætor adverſus varios & doloſos, qui aliis offuerunt calliditate quadam, ſubvenit: ne vel illis malitia ſua ſit lucroſa, vel iſtis ſimplicitas damnoſa. *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 4. Ait Prætor: „*Quæ dolo malo facta eſſe dicentur;*„ *l. 1. §. 3. D. h. t.* quia *dolus* alius *Bonus* eſt, alius *Malus. d. l. 1. §. 3.*

§. 5. Dolus bonus nihil aliud eſt, quam *ſolertia* ſibi ſuiſque conſulendi, maxime ſi adverſus hoſtem latronemque quis machinetur. *d. l. 1. §. 3. D. h. t.*

Dolus enim *an virtus, quis in hoſte requirat?*

Virg. *L. II. Æn. verſ. 390.* add. Flor. *L. I. c. 3. 7.* Joſ. VIII, 2. *& ſeqq.* Jud. VII, 16. *& ſeqq. l. 16. §. 4. de min. l. 19. §. 3. D. de neg. geſt. l. 77. §. 31. D. de legat. 2. l. 37. D. h. t.*

§. 6. *Dolus malus*, de quo ſolo hic agitur, eſt vel *Generalis*; vel *Specialis*.

§. 7. Generalis eſt *omne malum propoſitum, ſeu quælibet improbitas & malitia, ad alium lædendum adhibita:* qui omnibus delictis ineſt. *l. 2. pr. §. 8. D. de vi bon. rapt. l. 14. §. 13. D. quod met. c. l. 7. 10. D. ad L. Corn. de ſic.*

§. 8. *Dolus* vero *Specialis* eſt *omnis calliditas, fallacia, machinatio, ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum, adhibita. l. 1. §. 2. l. 7. §. 9. 10. D. de pact. l. 43. §. ult. D. de cont. emt.* Cic. *L. III. de Off. c. 14.*

§. 9. II. *Dolus* alius eſt *Dans cauſam contractui*, alius *Incidens.* v. *l. 7. pr. D. h. t. l. 36. D. de V. O.*

§. 10. *Dolus dans cauſam contractui* dicitur, *cum quis dolo ad contrahendum inducitur*, qui cæteroquin contracturus non fuiſſet. v. *l. 7. pr. D. h. t. l. 16. §. 1. D. de min. l. 3. §. ult. D. pro ſoc.*

§. 11. Qui contractus *bonæ fidei* reddit ipſo jure nullos: *d. l. 7. pr. D. h. t. l. 16. §. 1. D. de minor.* junct. *l. 5. §. 2. D. de auct. tut. d. l. 3. §. 1. pro ſoc.* Non etiam contractus *ſtricti juris*, in quibus *Actioni* vel *Exceptioni Doli* locum facit.

d. l. 7.

Digitized by Google

d. l. 7. pr. l. ult. D. h. t. l. 22. 36. D. de V. O. l. 5. C. de inut. ſtip. v. Cic. *de Off. L. III. c. 14.*

§. 12. *Dolus Incidens* eſt, *cum quis ſponte contrahens in ipſo contractu decipitur.* v. *l. 11. §. 5. D. de act. emt. l. 22. 36. D. de V. O.*

§. 13. Qui negotium non reddit ipſo jure nullum, ſed in contractibus *bonæ fidei* purgatur, vel *Actione ex ipſo contractu deſcendente. l. 7. pr. §. 3. l. 4. pr. l. 9. D. h. t. l. 13. §. 5. D. de act. emt.* v. *l. 2. C. eod.* vel *Exceptione Doli*, quæ *b. f.* judiciis ineſt: *l. 21. D. ſol. matr. l. 84. §. 5. de leg. 1.* in contractibus *ſtricti juris* vero *Actione* vel *Exceptione Doli. l. 22. 36. D. de V. O. l. 7. §. 3. l. ult. D. h. t. l. 5. C. de inut. ſtip.*

§. 14. Dividi etiam ſolet *Dolus* in *Perſonalem* ſeu ex *propoſito*, & *Realem* ſeu *ex re;* v. *l. 36. D. de V. O.* nec non in *Verum*, & *Præſumtum:* v. *l. 226. de V. S. l. 41. D. ad L. Falcid.* ſed minus accurate; ut diviſionibus iſtis ſuperſedere liceat.

§. 15. Ait porro Prætor: „*Si de his rebus alia Actio non erit.*„ Merito Prætor ita demum hanc actionem pollicetur, ſi alia non ſit; quoniam famoſa actio non temere debuit a Prætore decerni, ſi ſit civilis vel honoraria, qua poſſit experiri. Uſque adeo ut, etiamſi Interdictum ſit, quo quis experiri, vel Exceptio, qua quis ſe tueri, remque ſuam ſalvam habere poſſit, hoc Edictum ceſſet, *l. 1. §. 4. & ſeqq. l. 2. & ll. ſeqq. l. 7. pr. §. 1. & ſeqq D. l. 2. C. h. t.*

§. 16. Sive autem alia Actio non ſit, ſive dubitetur an alia ſit? nihil intereſt; cum & hoc caſu *Actio de Dolo* locum habeat. *l. 7. §. 3. D. h. t.*

§. 17. „*Et juſta cauſa eſſe videbitur:*„ merito etiam cauſæ cognitionem Prætor inſeruit; non tantum enim, ut *Actioni de Dolo* locus ſit, requiritur, ut alia Actio non ſit; *d. l. 1. §. 4.* ſed &, ut ex magna & evidenti calliditate quis læſus ſit; *l. 7. §. ult. D. l. 6. C. h. t.* & læſio non ſit modica, i. e. duos aureos excedens. *l. 9. §. ult. l. 10. 11. pr. D. h. t.*

§. 18. „*Judicium dabo.*„ Non tantum enim Prætor dolo circumſcriptis *Exceptionem Doli* concedit, ſed & *Actionem de Dolo* tribuit. *l. 1. §. 4. 5. l. 7. pr. §. 1. & ſeqq. D. h. t.*

§. 19. Quæ eſt *Actio Prætoria Perſonalis, arbitraria, famoſa, & ſubſidiaria, competens dolo deceptis & læſis, eorumque heredibus; Adverſus decipientes, ad rem dolo amiſſam cum omni cauſa reſtituendam, & niſi reſtituatur, ad id quanti ea res eſt.*

§. 20. Eſt hæc Actio *Prætoria;* quia Prætor eam Edicto introduxit. *l. 1. §. 1. l. 3. §. 4. D. h. t.*

§. 21. *Perſonalis;* quia ex delicto, circumventione ſcil. doloſa, naſcitur. *§. 1. 31. I. de Act.*

§. 22. *Arbitraria;* quia arbitrio judicis in hac quoque actione reſtitutio com-

Digitized by Google

prehenditur, & niſi fiat reſtitutio, ſequitur condemnatio *quanti ea res eſt*, ſeu quanti Actor in litem juraverit. *l. 18. pr. D. h. t. §. 31. I. de act.*

§. 23. *Famoſa; l. 1. §. 4. D. h. t.* quia de dolo malo damnatus notatur infamia. *l. 1. D. de his qui not. infam.*

§. 24. Et *ſubſidiaria;* quamdiu enim alia Actio eſt, *Actio de Dolo* ceſſat. *l. 1. §. 1. 4. & ſeqq. l. 7. pr. §. 1. & ſeqq. D. h. t.* v. *ſupr. §. 15.* Niſi dubium ſit, qua Actione agendum ſit; *l. 7. §. 3. l. 19. D. h. t.* v. *ſupr. §. 16.* vel concurrat cum Actione æque famoſa. arg. *l. 1. §. 4. D. h. t. l. 1. C. h. t.* junct. *l. 59. §. 1. D. mand. & l. 1. 6. §. 5. D. de his qui not. inf. l. 9. §. 2. D. h. t. l. 14. §. 2. D. de relig.* junct. *l. 1. §. f. D. mand.*

§. 25. *Competens dolo deceptis & læſis, eorumque heredibus; l. 1. pr. l. 13. D. h. t.* Non tamen liberis & libertis, adverſus Parentes Patronosve; neque humili, adverſus eum, qui dignitate excellit; vel luxurioſo, atque prodigo, aut alias vili, adverſus hominem vitæ emendatioris. *l. 11. §. 1. D. h. t.*

§. 26. *Contra decipientes;* etiam pupillos pubertati proximos; *l. 13. §. 1. D. h. t. l. 111. D. de R. J.* non etiam contra Parentes, Patronos, *l. 11. §. 1. D. h. t. l. 4. §. 16. de dol. exc. l. 5. §. 1. de obſ. par. & patr. præſt.* vel digniores; *l. 11. §. 1. D. h. t.* (contra quos *Actione in factum* agendum eſt. *d. l. 11. §. 1.*) nec contra Municipes, *l. 15. §. 1. D. h. t.* neque tertios poſſeſſores. arg. *l. 15. §. ult. l. 4. §. 33. D. de dol. mal. & met. exc.*

§. 27. Non tantum enim hic dolus, *l. 6. C. h. t.* & quid dolo malo factum, probandum eſt, *l. 16. D. h. t.* ſed & deſignari oportet, cujus dolo factum ſit: quamvis id in metu non ſit neceſſe. *l. 15. §. ult. D. h. t.* junct. *l. 9. §. 1. D. quod met. c.* De quo Prætor porro edixiſſe videtur: *Qui de dolo aget, certum dicat, quid, & cujus dolo factum ſit.* arg. *l. 15. §. ult. l. 16. D. h. t.*

§. 28. Si plures dolo fecerint, contra ſingulos datur in ſolidum; ſed ſi unus reſtituerit, vel quanti ea res eſt præſtiterit, reliqui liberantur. *l. 17. pr. D. h. t.*

§. 29. In heredem autem, & cæteros ſucceſſores, datur duntaxat de eo, quod ad eos pervenit. *l. 17. §. 1. l. 26. 27. 28. 29. D. h. t.*

§. 30. *Ad rem dolo amiſſam cum omni cauſa reſtituendam;* v. *l. 35. D. de V. S. & niſi reſtituatur, ad id quanti ea res eſt,* i. e. quanti Actor in litem juraverit. *l. 18. pr. D. h. t.* v. *ſupr. §. 22.*

§. 31. De quo Prætor ſubjeciſſe videtur: *Quæ dolo malo oblata eſſe dicentur; ea niſi arbitrio judicis reſtituantur, quanti unaquæque res erit, in eum, qui abſtuliſſe dicetur, intra annum, quo de ea re experiundi poteſtas erit, actionem dabo.* arg. *l. 18. D. l. 3. 8. C. l. 26. D. h. t.*

§. 32. Qui tamen *annus* poſtmodum in *biennium, l. ult. C. h. t.* & jure noviſſimo in *quadriennium* mutatus eſt. *l. ult. C. de temp. in int. reſt.* v. *ſupr. ad t. de in int. reſt. §. 18.*

§. 33.

§. 33. Quod ſi res caſu perierit, reus ſtatim ad id quod actoris intereſt condemnandus eſt. *l. 18. §. 1.* D. *h. t.*

§. 34. *Exceptio Doli* vero datur *dolo deceptis, nec non eorum heredibus & fidejuſſoribus, omnibusque quorum intereſt; l. 2. §. 2.* D. *de dol. mal. & m. exc. l. 7. §. 1.* D. *de exc. contra decipientes, ſi ex iis, quæ dolo malo facta ſunt, conveniantur. l. ult.* D. *h. t. l. 36.* D. *de V. O. l. 5. C. de inut. ſtip.* De qua *infr. ad t.* D. *de dol. mal. & met. exc. §. 2. & ſeqq.*

TITULUS IV.

De Minoribus Viginti Quinque Annis.

C. II. 22.

§. 1.

Tertia Cauſa In Integrum Reſtitutionis eſt *Minor ætas. l. 1.* D. *de in int. reſt. l. 1. pr. §. 1. 2.* D. *h. t.*

§. 2. Prætor edicit: „*Quod cum minore quam viginti quinque annis natu* „*geſtum eſſe dicetur, uti quæque res erit, animadvertam.*„ *l. 1. §. 1.* D. *h. t.*

§. 3. Hoc Edictum Prætor, naturalem æquitatem ſecutus, propoſuit, quo tutelam Minorum ſuſcepit. Nam cum inter omnes conſtet, fragile eſſe & infirmum hujusmodi ætatum conſilium, & multis captionibus ſuppoſitum, multorum inſidiis expoſitum, (v. Cic. *pro M. Cælio c. 4.*) auxilium eis Prætor hoc Edicto pollicitus eſt, & adverſus captiones opitulationem. *l. 1. pr.* D. *h. t.*

§. 4. Ait Prætor; „*Quod cum minore quam XXV. annis natu;*„ *Minorem* hic accipimus, qui annos XXV. nondum implevit. *l. 1. §. 1. l. 3. §. 3.* D. *h. t.*

§. 5. Annum enim XXV. attigiſſe hic non ſufficit: Adeo quidem, ut *minor XXV. annis* etiam die natalis ſui adhuc dicatur, ante horam qua natus, ut ſi captus ſit reſtituatur. Quia de momento in momentum tempus ſpectatur. *l. 3. §. 3.* D. *h. t.*

§. 6. Proinde & ſi biſſexto natus eſt, ſive priore, ſive poſteriore die, nihil refert. Nam id biduum pro uno die habetur, & poſterior dies calendarum intercalatur. *d. l. 3. §. 3. l. 98. pr.* D. *de V. S.*

§. 7. Sive natus ſit, ſive in utero conſtitutus; *l. 45.* D. *h. t.* ſive pubes, ſive impubes; *l. pen.* D. *h. t.* ſive filiusfam. ſive paterfam. nihil intereſt. *l. 3. §. 4.* D *h. t. t. t. C. de filiof. min.*

§. 8. Adeo ut, licet minor Doctor Juris creatus ſit, per ætatem læſus nihilominus reſtitui poſſit; arg. *l. 1. §. ult.* D. *h. t. l. 1. C. qui & adv. quos. l. 41.* D. *de recept.* ſi quidem in iis, quæ facti ſunt, (quæ etiam prudentiſſimos fallunt, *l. 2.* D. *de jur. & fact. ign.*) lapſus ſit.

§. 9. „*Geſtum eſſe dicetur;*„ *Geſtum* ſic accipimus qualiter qualiter, ſive contractus ſit, ſive quid aliter contigit. *l. 7. §. 1. & ſeqq. h. t.* add. *l. 19.* D. *de V. S.*

Digitized by Google

§. 10. Proinde ſi emit aliquid, ſi vendidit, ſi ſocietatem coiit, ſi mutuam pecuniam accepit, & captus eſt, ei ſuccurretur. *d. l. 7. §. 1. & ſeqq.* Ut reſtitui poſſit contra Venditionem; *t. t. C. ſi adv. vend.* Diſtractionem pignorum; *t. C. ſi adv. vend. pign.* Donationem; *t. t. C. ſi adv. don.* Transactionem; *t. C. ſi adv. transact.* Solutionem; *t. C. ſi adv. ſolut.* Dotem; *l. 9. §. 1. l. 48. §. 2.* D. *h. t. t. C. ſi adv. dot.* Uſucapionem; *l. 45. pr.* D. *h. t. t. C. ſi adv. uſucap.* nec non Aditionem hereditatis, ejusque repudiationem. *l. 7. §. 5.* D. *h. t. t. C. ſi min. her. ſe abſt. t. C. ſi ut omiſſ. her. vel bon. poſſ. vel quid al. acquiſ.*

§. 11. Neque tantum contra extrajudicialia, ſed & contra judicialia, ipſamque adeo Rem Judicatam reſtitui poteſt. *l. 7. §. 4 11. 12. l. 8. 9. 16. §. f. l. 36. & 29. §. 1. l. 45. §. 1.* D. *h. t. l. 4 & t. t. C. ſi adv. rem jud.*

§. 12. Adeo ut adhuc idem dicendum ſit, licet Tutoris Curatorisve auctoritas intervenerit; *t. C. ſi tut. vel cur. interv. l. ult. C. ſi adv. rem jud.* vel Decretum Magiſtratus interpoſitum ſit. *l. 11. C. de præd. & al. reb. min. ſin. decr. non alien.*

§. 13. Et in genere *Minoribus* XXV. annis ſubvenitur per in integrum reſtitutionem, non ſolum cum de bonis eorum aliquid minuitur, ſed etiam cum interſit eorum litibus & ſumtibus non vexari. *l. 6.* D. *h. t.*

§. 14. „ *Uti quæque res erit;* „ non ſemper enim, quæ cum minoribus geruntur, reſcindenda, ſed ad bonum & æquum redigenda ſunt, ne magno incommodo hujus ætatis afficiantur homines, nemine cum his contrahente, & quodammodo commercio eis interdicatur: *l. 24. §. 1.* D. *h. t.* Adeoque non niſi cauſa cognita Prætor ſeſe interponere, minoresque reſtituere debet. *l. 11. §. 3. l. 44.* D. *h. t. l. 3. C. h. t.*

§. 15. Ut enim huic Reſtitutioni locus ſit, I. Probanda *Ætas minor XXV. annis; l. 43. D. l. 4. C. h. t. l. 9. C. de prob.* vel per Profeſſiones parentum, v. *l. 16. 29. D. de prob.* Capit. *in Marc. c. 9.* Diſſ. *N. VII. ad Conſt. Marci §. 12. & ſeqq.* vel Teſtes, vel Libros nativitatis, ſimiliave Acta publica. *l. 15. C. de lib. cauſ. l. 2. §. 1. D. de exc. tut.* v. Suet. in *Tib. c. 5.* in *Cal. c. 8.* Juv. *Sat. IX. verſ. 84. & ſeq.* d. *Diſſ. VII. §. 15.*

II. *Læſio; l. 2. §. 3. D. h. t. l. 5. C. h. t. l. 9. §. 4. D. de jurej.* ſive quod habuerunt amiſerunt, aut quod acquirere emolumentum potuerunt omiſerunt, aut ſe oneri, quod non ſuſcipere licuit, obligaverunt. *l. 44. & 6. 7. §. 6. 7. 8. l. 45. & pen. D. h. t.*

III. *Manifeſta Circumſcriptio; l. 24. §. 1. D. h. t.* i. e. Læſionem lubrico ætatis, non fato ſeu caſu contigiſſe; *l. 11. §. 4. 5. D. h. t.* nec enim eventus damni reſtitutionem indulget, ſed inconſulta facilitas, & quod fato contingit, cuivis patrifamilias quamvis diligentiſſimo contingere poteſt. *d. l. 11. §. 4. 5. D. h. t.*

§. 16. Illud etiam in cauſæ cognitione verſabitur, num forte alia Actio poſſit competere, circa in integrum reſtitutionem; nam ſi communi auxilio & mero jure

Digitized by Google

jure munitus ſit, non debet ei tribui extraordinarium auxilium. *l. 16. pr. §. 1. & ſeqq. D. h. t.*

§. 17. Animadvertam; concedendo ſcil. in integrum reſtitutionem; vel negando, prout cauſa cognita æquum videbitur. De quo hiſce ſimilibusve verbis Prætor ſubjeciſſe videtur: *Et ſi juſta cauſa eſſe videbitur, intra annum, quo primum experiundi poteſtas erit, poſtquam is major factus eſſe dicetur, in integrum reſtituam.* arg. *l. 11. §. 3. l. 13. 16. 19. D. h. t.*

§. 18. Nulla enim ex hoc Edicto propria Actio vel cautio proficiſcitur; totum enim hoc pendet ex Prætoris cognitione, *l. 24. §. f. D. h. t.* ejusve, qui in integrum reſtituere poteſt. v. *l. 16. §. f. l. 17. 18. 42. D. h. t.*

§. 19. Quod tamen de *Actione* aliqua *ordinaria* accipiendum; quin enim ad Reſtitutionem impetrandam *Extraordinaria* quædam *perſecutio*, ſecundum hoc Edictum quidem intra annum, v. *l. 19. D. h. t.* nunc vero intra quadriennium inſtituenda, *l. ult. C. de temp. in int. reſt.* competat, minime dubitandum eſt. v. Diſſert. *N. VII. de Cauſ. Obl. C. I. §. 12. 13.*

§. 20. Quæ non ſolum minori, ſed & heredibus ejus, *l. 18. §. f. l. 19. D. h. t. l. un. C. ſi adv. dot.* eaque ratione & Patri conceditur. *l. 3. §. 9. l. 27. pr. D. h. t.*

§. 21. Ubi igitur juſta cauſa adeſt, Prætor Minorem læſum reſtituit, contra eos, cum quibus negotium geſtum eſt, *l. 13. §. ult. l. 11. §. ult. l. 12. & 27. §. 1. l. 28. 29. pr. D. h. t.* eorumque heredes; *l. 6. 7. C. h. t. l. 14. D. h. t.* etiam contra Fiſcum: *t. t. C. ſi adv. fiſcum.* Non vero contra parentes & patronos; *l. f. C. qui & adv. quor.* neque tertios poſſeſſores: *l. 13. §. 1. l. 14. D. h. t.* Niſi mala fide poſſideant; *d. l. 13. §. 1. l. 14.* aut, ſi bona fide poſſident, minor alio modo tutus eſſe non poſſit; *d. l. 13. §. 1. l. 14.* aut alias ejus interſit, rem potius quam pretium habere. *l. 9. pr.* v. *l. 35. D. h. t.* Quibus caſibus reſtitutio in rem facienda eſt.

§. 22. Reſtitutio autem ita facienda eſt, ut unusquisque in integrum jus ſuum recipiat, *l. 24. §. 4. D. h. t.* i. e. ut minor omnia recipiat; *l. 27. §. 2. D. h. t.* &, quatenus locupletior factus eſt, alteri reſtituat. *l. 7. §. 5. l. 24. §. 4. l. 40. §. 1. l. 47. §. 1. D. h. t. l. un. C. de reput. quæ fiunt in jud. in int. reſt.*

§. 23. Reſtitutio impetrata prodeſt ſoli Minori, non aliis majoribus; licet minor cum iis rem communem habeat. *l. un. C. ſi in comm. ead. cauſ.* (niſi cauſa ſit individua. *l. 10. D. quemadm. ſerv. am.*) Adeoque nec mandatoribus; *l. 13. 23. D. h. t.* nec fidejuſſoribus. *d. l. 13. D. h. t. l. 1. 2. de fidej. min.*

§. 24. Niſi I. minor dolo adverſarii læſus ſit. *l. 7. §. 1. D. de exc. l. 2. C. de fidej. min.*

II. Niſi ſalva ſit creditori obligatio & actio contra alium, vel per reſtitutionem ceſſet illa ſingularis qualitas, ratione cujus fidejuſſor interceſſit: veluti ſi quis fidejuſſerit pro minore ut herede, vel defenſore. *l. 2. §. 1. de adm. tut. l. 89. de acq. her. l. 51. D. de proc.*

III. Niſi

Digitized by Google

III. Niſi fidejuſſor minori heres exiſtat. *l. 95. §. 3. D. de ſolut.*

Vel IV. Fidejuſſor ignoraverit debitorem eſſe minorem. arg. *l. 48. §. 1. D. de fidej. l. 3. D. ad SCt. Maced. l. 13. pr. D. h. t.*

§. 25. Plane ex dictis facile intelligitur, multos caſus eſſe, quibus huic reſtitutioni locus non eſt. *Ceſſat* enim I. Si minor Major factus id, quod geſtum eſt, ratum habuerit. *l. 3. §. 1. 2. D. h. t. t. C. ſi maj. fact.*

II. In delictis; *l. 9. §. 2. l. 37. §. 1. D. h. t. l. 7. C. de pœn. l. 6. C. ad L. Corn. de fic. l. un. D. de R. J. t. C. ſi adv. delict.* licet miſeratio ætatis judicem ad mediocrem pœnam producere ſoleat. *d. l. 37. §. 1. D. h. t.* v. *l. 6. C. de his quib. ut ind. l. 1. §. 32. D. ad SCt. Silan. l. 1. 2. C. ſi adv. del. l. 38. §. 4. 7. D. ad L. Jul. de adult.*

III. In cauſa libertatis. *l. 9. §. ult. l. 10. & 31. D. h. t. l. 9. D. de app. t. C. ſi adv. lib.*

IV. Si damnum caſu, vel ex ratione juris communis, contigerit. *l. 11. §. 4. 5. D. l. ult. C. h. t.*

V. Si cauſa reſtitutionis vertatur inter duos minores. *l. 11. §. pen. l. 34. D. h. t.*

VI. Si alia Actio ordinaria locum habeat; *l. 16. pr. D. h. t.* vel negotium a minore geſtum, ſit ipſo jure nullum. *d. l. 16. §. 1. D. l. 3. C. h. t. l. 2. C. ſi adv. don.*

VII. Si pœnæ perſecutio remiſſa ſit. *l. 37. pr. D. h. t.*

VIII. Si ſolutio ex decreto Judicis facta ſit. *§. ult. I. quib. alien. lic. l. 25. C. de adm. tut.*

IX. Si dolo majorem ſe dixerit. *t. t. C. ſi min. ſe maj.*

X. Si minor juraverit, ſe contractum ſervaturum eſſe. Auth. *Sacramenta puberum. C. ſi adv. vend.*

XI. Si minor veniam ætatis impetraverit. *l. 1. C. de his qui ven. æt. impetr.*

XII. In Præſcriptionibus *l. ult. C. in quib. cauſ. in integr. reſt.*

XIII. Si quadriennium, a primo die anni XXVI. computandum, præterlapſum ſit. *l. ult. C. de temp. in int. reſt.*

XIV. Si reſtitutio ſemel petita, & negata ſit. *l. 1. 2. 3. C. ſi ſæp. reſt. pet.*

§. 26. Cæterum Minoribus in hac cauſa reſtitutionis æquiparantur Reſpublicæ, Civitates, & Eccleſiæ. *l. 3. C. de jur. Reip. l. 4. C. ex quib. c. maj. l. 1. C. de off. ejus qui vice alt. c. 1. 2. 3. 4. 7. X. de reſt. in int.*

TITULUS V.

DE CAPITE MINUTIS.

§. 1.

Q*uarta cauſa In Integrum Reſtitutionis* eſt *Capitis minutio*, ſeu *Status mutatio. l. 2. D. de in int. reſt.*

§. 2. Ait

§. 2. Ait Prætor: „*Qui queve, poſteaquam quid cum his actum contractum-* „*ve ſit, capite deminuti deminutæ eſſe dicentur, in eos earve, perinde quaſi id* „*factum non ſit, judicium dabo.*„ *l. 2. §. 1. D. h. t.*

§. 3. *Capitis Minutio* eſt prioris *ſtatus* in deterius *permutatio; l. 1. D. h. t. pr. I. h. t.* per *Caput* enim hoc loco *Statum* intelligendum eſſe, manifeſtum eſt. *l. ult. & 3. in f. D. h. t. §. 5. I. h. t.*

§. 4. *Status* autem triplex eſt, *Libertatis, Civitatis,* & *Familiæ:* & proinde tria Capitis deminutionis ſunt genera, *Maxima, Media* & *Minima. l. ult. D. h. t.*

§. 5. *Maxima capitis deminutio eſt, cum omnia,* i. e. *Libertatem, Civitatem, & Familiam amittimus; d. l. ult.* quod accidit his, qui quoquo modo ſervi fiunt. *§. 1. I. h. t.*

§. 6. *Media, cum Civitatem amittimus, Libertatem vero retinemus; d. l. ult.* quod iis accidit, quibus aqua & igni interdictum erat, ſeu deportatis; *l. 5. pr. D. §. 2. I. h. t.* v. *l. 3. D. ad L. Jul. pec. l. 2. §. 1. D. de pœn. l. 1. C. de hered. inſt.* nec non iis, qui deficiunt, & in hoſtium numerum ſeſe conferunt, hoſtesve judicati ſunt. *l. 5. §. 1. D. h. t.*

§. 7. *Minima* vero, *cum Libertas & Civitas retinetur,* & *Familia tantum mutatur; d. l. ult. D. h. t.* quod accidit arrogatis, ut & jure antiquo emancipatis. *§. 3. I. h. t. l. 3. pr. & §. 1. D. h. t.*

§. 8. Pertinet autem hoc Edictum ad eas *Capitis Deminutiones*, quæ ſalva civitate contingunt. *l. 2. pr. D. h. t.*

§. 9. Qui enim minimam capitis deminutionem patiebantur, olim in imaginariam ſervilem cauſam deducebantur, *l. 3. §. 1. D. h. t.* v. *l. ult. C. de adopt. l. ult. C. de emanc.* adeoque jura & actiones, ipſis & in eos competentes, exſtinguebantur: Quod cum iniquum eſſet, Prætor jura & Actiones iis, & contra eos, & quidem in perpetuum, reſtituendas cenſuit. *l. 2. §. ult. D. h. t.*

§. 10. Pertinet etiam tantum ad obligationes, ex contractu ante capitis deminutionem celebrato, deſcendentes, *l. 2. §. 2. D. h. t.*

§. 11. Non vero pertinet ad *Maximam* & *Mediam capitis deminutionem;* quia, qui illam paſſi ſunt, penitus conveniri nequeunt: *l. 2 pr. l. 7. §. 2. D. h. t.* Quo caſu *Utilis actio* datur contra eos, ad quos bona pervenerunt. *l. 2. pr. l. 7. §. 2. D. h. t.*

§. 12. Non etiam pertinet ad eas obligationes, quæ ex contractu poſtea celebrato naſcuntur; habet enim quod ſibi imputet, cur poſtea contraxerit; *l. 2. §. 2. D. h. t.* Neque eas, quæ naturalem præſtationem habere intelliguntur, & in facto potius, quam in jure conſiſtunt: *l. 8. 9. 10. D. h. t.* Neque ad Obligationes criminales, quia nemo delictis exuitur, quamvis capite minutus ſit, *l. 2. §. 3. D. h. t.* & obligationes ex delicto venientes cum capite ambulant: *l. 7. §. 1. D. h. t.*

Digitized by Google

Neque ad Jura & Officia publica, adeoque nec Tutelas, quæ per capitis deminutionem minimam non amittuntur. *l. 5. §. 2. l. 6. 7. pr. D. h. t.*

§. 13. *Ceſſat* denique Edictum, ſi quis debitorem ſuum arrogaverit. *l. 2. §. 4. D. h. t.*

§. 14. Cum vero jure novo in adoptione & emancipatione nulla amplius imaginaria ſervitus intercedat, adeoque per minimam capitis deminutionem Obligationes non exſtinguantur, v. *l. ult. C. de adopt. l. ult. C. de emanc.* Reſtitutio ex hoc Edicto Jure novo minime neceſſaria eſt.

TITULUS VI.

Ex Quibus Causis Majores Vigintiquinque Annis In Integrum Restituuntur.

C. II. 54.

§. 1.

Quinta *cauſa In Integrum Reſtitutionis*, ex qua etiam reſtituuntur Majores annis XXV. eſt *Abſentia. l. 1. D. de in int. reſt. l. 1. D. h. t.*

§. 2. Verba Edicti talia ſunt: „*Si cujus quid de bonis* erit deminutum, (ſic „leg. vid.) *cum is metu, aut ſine dolo malo Reip. cauſa abeſſet, inve vinculis, „ſervitute, hoſtiumque poteſtate eſſet*, poſteave (ſic leg. v. *l. 15. §. ult. D. h. t.*) „*cujus actionis eorum cui dies exiſſe dicetur. Item ſi quis quid uſu ſuum feciſſet; „aut quod non utendo* ſit amiſſum (ſic leg. v. *l. 21. pr. D. h. t.*) *conſecutus: Actio„neve qua ſolutus ob id, quod dies ejus exierit, cum abſens non defenderetur, in„ve vinculis eſſet, ſecumve agendi poteſtatem non faceret; aut cum eum invitum „in jus vocare* (ſic leg. v. *l. 26. §. 2.*) *non liceret, neque defenderetur: cumve „Magiſtratus de ea re appellatus eſſet, ſive cui* per Magiſtratum (ſic leg. v. *l. 26. „§. 4. D. h. t.*) *ſine dolo ipſius Actio exempta eſſe dicetur: earum rerum actionem „intra annum, quo primum de ea re experiundi poteſtas erit. Item ſi qua alia „mihi juſta cauſa eſſe videbitur, in integrum reſtituam; Quod ejus per Leges, „Plebiſcita, Senatusconſulta, Edicta, Decreta Principum, licebit.*„ *l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 3. Cujus Edicti cauſam nemo non juſtiſſimam eſſe confitebitur; læſum enim jus, per id tempus, quo quis Reip. operam dabat, vel adverſo caſu laborabat, corrigitur: nec non & adverſus eos ſuccurritur, ne vel obſit, vel proſit, quod evenit. *l. 1. pr. l. 21. pr. D. h. t.*

§. 4. Ait Prætor, Si cujus; ſcil. *abſentis*, ut ſubjicit: primo enim conſulit abſentibus, poſt adverſus eos præſentibus.

§. 5. De bonis *erit deminutum;* i. e. uſucaptum, præſcriptum, amiſſum. *l. 21. D. de her. pet.*

§. 6. Cum is metu; *Metus cauſa abfuiſſe videtur*, qui juſto timore, mor-

mortis, vel cruciatus corporis, conterritus abeſt. Non etiam ſi quolibet terrore abductus timuiſſet: cujus rei diſquiſitio judicis eſt. *l. 2. §. 1. l. 3. D. h. t.* v. *ſupr. ad t. quod. met. c. §. 8. 9.*

§. 7. Aut sine dolo malo Reip. causa abesset; *Dolum malum* eo pertinere accipimus, ut, qui reverti poteſt, neque reverteretur, in eo, quod per id tempus adverſus eum factum eſt, non adjuvetur: veluti ſi alterius grandis commodi captandi gratia id egerit, ut Reip. cauſa abeſſet. *l. 4. D. h. t.*

§. 8. Sed & revocatur ab iſto privilegio, qui data opera & ſine lucro hoc affectaverit, vel qui maturius profectus eſt, vel dicis gratia cœpit Reip. cauſa abeſſe. *l. 5. D. h. t.*

§ 9. *Reip.* enim *cauſa* eos *abeſſe* intelligimus, qui auctoritate publica, & publici commodi cauſa, coacti abſunt; *l. 36. D. h. t.* quales ſunt Proconſules, aliique, qui Provincias regunt, eorumque comites, & miniſtri, milites, omnesque, qui ad negotium Reip. expediendum amandantur; *l. 16. D. de off. Præſ. l. 7. 8. 32. 33. 34. 35. 36. & 38. D. h. t.* Non etiam eos, qui ſui commodi, *l. 4. 5. §. 1. l. 6. d. l. 36. D. h. t.* aut privati negotii cauſa, *l. 42. D. h. t.* aut finito officio abſunt. *l. 37. 38. §. 1. D. h. t.*

§. 10. Inve vinculis; Quod non ſolum ad eum pertinet, qui publica cuſtodia coërcetur, ſed ad eum quoque, qui a latronibus, aut prædonibus, vel potentiore vi oppreſſus, vinculis coërcetur. *l. 9. D. h. t.*

§. 11. *Vinculorum* enim appellatio latius accipitur; nam etiam incluſos veluti latumiis *vinctorum* numero haberi placet, quia nihil intereſt parietibus an compedibus teneatur. *d. l. 9. D. h. t.*

§. 12. In eadem cauſa ſunt, & qui a militibus ſtatoribusque, vel a municipalibus miniſteriis aſſervantur, ſi probentur rei ſuæ ſupereſſe non potuiſſe. *l. 10. D. h. t.*

§. 13. Imo *in vinculis* etiam accipimus, qui ita alligati ſunt, ut ſine dedecore in publico parere non poſſint. *d. l. 10. D. h. t.*

§. 14. Servitute; Sive bona fide ſerviat homo liber, ſive detentus ſit. *l. 11. D. h. t.* De Liberis hominibus enim Prætor loquitur: *l. 13. D. h. t.* Unde & is, qui de ſtatu ſuo litigat, ex quo lis inchoata eſt, hoc Edicto non continetur. *l. 12. D. h. t.*

§. 15. Hostiumve potestate esset, i. e. ab hoſtibus captus, vel ibi natus; *l. 14. 15. pr. §. 1. D. h. t.* nam transfugis nullum credendum eſt beneficium tribui, quibus negatum eſt poſtliminium. *l. 14. D. h. t.*

§. 16. *Poſteave* cujus actione eorum cui dies exisse dicetur; Verbum *poſteave* ita accipiendum eſt: Ut, ſi inchoata ſit bonæ fidei poſſeſſoris detentatio ante abſentiam, finita autem reverſo, reſtitutionis auxilium locum habeat, non quandoque, ſed ita demum, ſi intra modicum tempus, quam rediit, hoc contigit: id eſt, dum hoſpitium quis conducit, ſarcinulas componit, quærit.

quærit advocatum; nam ille, qui differt reſtitutionem, audiendus non eſt. *l. 15. §. 3. D. h. t.*.

§. 17. Non enim negligentibus ſubvenitur, ſed neceſſitate rerum impeditis. Totumque id arbitrio Prætoris temperabitur, id eſt, ut ita demum reſtituat, ſi non negligentia, ſed temporis anguſtia, non potuerunt litem conteſtari. *l. 16. D. h. t.*

§. 18. Sive autem Abſens procuratorem reliquerit, ſive non, in hoc capite nihil intereſt; abſens enim indiſtincte reſtituitur: v. *l. 15. pr. l. 26. §. ult. D. h. t. l. 1. C. h. t.* Niſi a Procuratore, quem forte reliquit, rem ſalvam habere poſſit. *l. 28. 39. D. h. t. l. ult. D. de in int. reſt.*

§. 19. Plane in his caſibus reſtitutionis auxilium majoribus damus, in quibus rei duntaxat perſequendæ gratia queruntur: Non cum & lucri faciendi, ex alterius pœna, vel damno, auxilium ſibi impertiri deſiderant. *l. 18. D. h. t.*

§. 20. Non tantum autem Prætor *Abſentibus* occaſione abſentiæ læſis, contra Præſentes, ne capiantur, ſuccurrit; ſed & *Præſentibus* contra Abſentes, ne capiant. *l. 21. pr. D. h. t.*

§. 21. Qua in parte plus Prætor expreſſit, quam cum Abſentibus ſubvenit. Neque enim hic certas perſonas enumeravit, adverſus quas ſubvenit, ut ſupra, ſed adjecit clauſulam, qua omnes, qui abſentes non defenduntur, complexus eſt. *l. 21. §. 1. D. h. t.*

§. 22. Pergit enim Prætor, ITEM SI QUIS; Abſens videlicet, QUID USU SUUM FECISSET; AUT QUOD NON UTENDO SIT AMISSUM CONSECUTUS; Sive per ſe, ſive per ſubjectas ſibi perſonas. *l. 21. §. 2. D. h. t. l. 1. §. 5. l. 4. & 44. §. 1. D. de acq. poſſ.*

§. 23. ACTIONEVE QUA SOLUTUS, OB ID, QUOD DIES EJUS EXIERIT, CUM ABSENS NON DEFENDERETUR. Non aliter enim hoc Edictum locum habet, quam ſi nemo ejus defenſor extiterit. Nam ſi fuit Procurator, cum habueris, quem convenias, non debet inquietari. *l. 21. §. 2. l. 22. D. h. t.*

§. 24. *Defendi* autem non tantum is videtur, cujus ſe defenſor ingerit, ſed & qui requiſitus ab actore non eſt defenſioni defuturus. *Plenaque defenſio* accipietur, ſi & judicium non detrectetur, & judicatum ſolvi ſatisdetur. *l. 21. §. 3. D. h. t.*

§. 25. Et contra abſens *defendi non videtur*, ſi Actor ultro interpellet, neque quiſquam defenſioni ſe offerat, eaque teſtatione complexus ſit *l. 22. D. h. t.*

§. 26 INVE VINCULIS ESSET; Hæc particula merito adjecta eſt; Fieri enim poteſt, ut quis non abſens, de quo ſuperiora loquuntur, ſed etiam præſens in vinculis ſit, vel in publica, vel privata vincula ductus, quem uſucapere poſſe conſtat, *l. 23. pr. D. h. t.*

§. 27. Eorum, qui ſervitutem, vel bona fide, vel apud hoſtes captivi ſerviunt, Prætor hic non meminit; quia nihil ſibi per uſum acquirere, nec etiam cœptam uſucapionem implere poſſunt. v. *d. l. 23. §. 1. 3. D. h. t.*

§. 28.

Digitized by Google

§. 28. Secumve agendi potestatem non faceret; Quod ad eos pertinet, qui conventi fruſtrantur, & qualibet tergiverſatione & ſolertia efficiunt; ne cum ipſis agi poſſit. *l. 23. §. ult. l. 24. D. h. t.*

§. 29. Idque ſimili modo ad eum quoque pertinere dicemus, qui non fruſtrandi gratia id facit, ſed quod multitudine rerum diſtringitur. *l. 25. D. h. t.*

§. 30. Aut cum eum invitum in jus vocare non liceret; Hæc clauſula ad eos pertinet, quos more majorum ſine fraude in jus vocare non licet, ut Conſulem, Prætorem, cæteroſque, qui imperium poteſtatemve aliquam habent. *l. 26. §. 2. D. h. t. l. 2. D. de in jus voc.*

§. 31. Non autem ad eos, quos Prætor prohibet ſine permiſſu ſuo vocari, quoniam aditus potuit permittere, Patronos puta & Parentes. *d. l. 26. §. 2. D. h. t.*

§. 32. Neque defenderetur; Quod ad omnes ſupra ſcriptos pertinet, præterquam ad eum, qui abſens uſucepit; quoniam plene ſupra de eo cautum eſt. *l. 26. §. 3. D. h. t.* add. *l. 16. D. h. t.*

§. 33. Sive cui per Magistratum sine dolo malo ipsius actio exempta esse dicetur; Vel quia per dilationes Judicis (feriæ enim ſolennes & ordinariæ, quæ prævideri poſſunt, non excuſant. *l. 26. §. 7. D. h. t.*) effectum, ut actio eximatur, i. e. præſcribatur, ne amplius agi poſſit; vel quia Magiſtratus copiam ſui non facit, neque jus dicit. *l. 26. §. 4. 5. D. h. t.*

§. 34. Adjicitur autem *ſine dolo malo ipſius.* Videlicet, ut ſi dolus ejus intervenit, ne ei ſuccurratur; ipſis enim delinquentibus Prætor non ſubvenit. Proinde ſi, dum vult apud ſequentem Prætorem agere, tempus fruſtratus eſt, non ei ſubvenietur. Sed &, ſi, dum decreto Prætoris non obtemperat, jurisdictionem ei denegaverit, vel ex alia juſta cauſa ab eo non fuerit auditus, non reſtituetur. *l. 26. §. 6. D. h. t.*

§. 35. Earum rerum Actionem intra annum, quo primum de ea re experiundi potestas erit; ſcil. pollicetur Prætor Actionem, quæ *Reſciſſoria* dici ſolet, *l. 28. §. pen. & ult. D. h. t. l. 24. C. de R. V.* eo quod per eam reſcinditur, quod jure civili ratum eſt. *l. 35. D. de O. & A.* add. *§. 5. I. de act.*

§. 36. Quæ eſt *Actio Prætoria, realis, competens abſenti, cujus res uſucapta eſt per præſentem, nec non præſenti, cujus res uſucapta eſt per abſentem, ejuſque heredi; Contra eum, qui uſucepit, ejuſque heredem; Ad rem uſucaptam, reſciſſa uſucapione, cum omni cauſa reſtituendam.*

§. 37. Eſt hæc *Actio Prætoria;* eſt enim a Prætore, *l. 1. D. h. t. Publicio* ſcil. introducta: Unde & *Publiciana* nonnunquam dicitur. *l. 35. D. de O. & A. l. 57. D. mand.*

§. 38. *Realis;* quia ex dominio Prætorio ficto deſcendit: Fingitur enim hic res non eſſe uſucapta, quæ revera eſt uſucapta, adeoque in dominio permanſiſſe. *§. 5. I. de act.*

Digitized by Google

§. 39. *Competens abſenti, cujus res uſucapta eſt per præſentem;* ſi ſcil. abſens fuerit ex juſta cauſa. *l. 1. §. 1. l. 3. & ſeqq. l. 26. §. pen. & ult. & ll. ſeqq. D. h. t.*

§. 40. *Nec non Præſenti, cujus res uſucapta eſt per abſentem;* ſive ex juſta cauſa abfuit, ſive ex alia quacunque, *l. 21. §. 1. D. h. t.*

§. 41. *Ejusque heredi.* v. *l. 35. §. 6. D. h. t.*

§. 42. *Contra eum, qui uſucepit, ejusque heredem. l. 30. D. h. t.*

§. 43. *Ad rem uſucaptam, reſciſſa uſucapione, cum omni cauſa reſtituendam; l. 23. §. 2. l. 27. 28. §. f. D. h. t.* permittitur enim hic domino reſciſſa uſucapione eam rem petere, i. e. ita petere, ut dicat, poſſeſſorem uſu non cepiſſe, & ob id ſuam rem eſſe. *§. 5. I. de act. l. ult. C. h. t.*

§. 44. Uno eodemque ſcil. judicio; neque enim hoc ita accipiendum, quaſi duplex hic judicium intercedat, *Reſcindens* ſcil. & *Reſciſſorium.* Nam Prætor, dum hanc actionem concedit, vi ipſa uſucapionem reſcindit: quoniam permittit veteri domino ſic agere, ut rem petat ſibi a poſſeſſore reſtitui, perinde ac ſi nulla uſucapio interveniſſet. *l. 1. §. 1. l. 26. §. 7. l. 28. §. pen. D. l. ult. C. h. t. l. 24. C. de R. V.*

§. 45. Concedit autem Prætor hanc Actionem tantum intra *annum utilem*, *d. l. 1. §. 1. D. h. t.* licet ſit rei perſecutoria; quia per eam reſcinditur, quod jure civili ratum eſt. *l. 35. D. de O. & A.*

§. 46 Sed Jure novo & hic *Annus* in *Quadriennium* mutatus eſt. *l. ult. C. de temp. in int. reſt.*

§. 47. Introductum etiam eſt Jure novo *Remedium Proteſtationis*, quo præſens, cujus res per abſentem poſſidetur, compellato Magiſtratu uſucapionem interrumpere poteſt. *l. 2. C. de ann. exc.*

§. 48. Quo ipſo tamen *Actio Reſciſſoria*, præſenti contra abſentem competens, minime abrogata eſt.

§. 49. Non tantum autem *Actio Reſciſſoria* hoc caſu conceditur, ſed & exemplo ejus *Exceptio* ei, qui Reip. cauſa abfuit, competit, forte ſi res ab eo poſſeſſionem nacto vindicentur. *l. 28. §. 5. D. h. t.* Nam cui damus actionem, multo magis competere exceptionem certum eſt. *l. 1. §. 4. D. de ſuperfic. l. 156. §. 1. D. de R. J.*

§. 50. Quin imo ita ejus poſſeſſionem tuetur Prætor, ut, ſi is, cujus rem uſucepit Reip. cauſa abſens, poſſeſſionem ſuæ rei ab illo uſucaptæ nactus ſit, & ſi poſtea amiſerit, non temporalem, ſed perpetuam actionem habeat. *l. 31. D. h. t.*

§. 51. ITEM SI QUA ALIA MIHI JUSTA CAUSA ESSE VIDEBITUR, IN INTEGRUM RESTITUAM; Hæc clauſula Edicto inſerta eſt neceſſario; multi enim caſus evenire potuerunt; qui deferrent reſtitutionis auxilium, nec ſingulatim enumerari potuerunt, ut, quoties æquitas Reſtitutionem ſuggerit, ad hanc clauſulam ſit deſcendendum. *l. 26. §. ult. D. h. t.* junct. *l. 12. D. de ll.*

§. 52.

Digitized by Google

§. 52. Utputa legatione quis pro civitate functus eſt, æquiſſimum eſt, eum reſtitui, *l. 8. D. h. t.* licet proprie Reip. cauſa non abſit; Idem dicendum, & ſi teſtimonii cauſa ſit evocatus; v. *l. 2. §. 3. D. de jud.* Vel cognitionis gratia, v. *l. ult. §. 1. D. quod met. c.* vel appellationis peregrinatus; v. *l. 1. D. eum qui app.* Et generaliter, quotiescunque quis ex neceſſaria, *l. 10. C. quom. & quand.* vel probabili cauſa, v. gr. ſtudiorum abfuit, dici oportet ei ſubveniendum. *d. l. 26. §. ult. l. 28. pr. D. h. t. v. Auth. Habita. C. ne fil. pro patr.*

§. 53. Imo ubicunque æquitas id ſuadet, vi hujus clauſulæ reſtitutio facienda: Veluti, ſi quis ob inundationem ſimilemve caſum, itinere vel actu uſus non ſit; *l. 1. §. 9. D. de itin. act. priv. l. 35. D. de S. P. R.* vel per juſtum *Errorem* & ignorantiam læſus ſit. *l. 2. D. de in int. reſt. l. 1. §. f. D. quod falſ. tut. §. 33. I. de act. l. 15. §. 5. D. quod vi aut clam.*

§. 54. Quod tamen ad præſcriptionem longi & longiſſimi temporis non pertinet, contra quam ob ſolam ignorantiam in integrum reſtitutio locum non habet. arg. *l. f. C. de præſcr. long. temp. l. 3. in f. l. 4. C. de præſcr. XXX. vel XL. ann.* junct. *l. 1. C. ſi adv. vend.*

§. 55. Ait denique Prætor, Quod ejus per Leges, Plebiscita, SCta, Edicta, decreta Principum, licebit; Quæ clauſula non illud pollicetur, reſtituturum, ſi leges permittant, (omnes enim reſtitutiones non permittente lege, contra juris civilis rigorem fiunt) ſed ſi leges non prohibeant. *l. 28. §. 2. D. h. t.* Quemadmodum aliquando reſtitutionem fieri vetant: v. *l. 37. D. de min. t. t. C. ſi adv. del.* add. *l. 9. §. f. de min. l. 6. C. ne de ſtat. def.* Quibus caſibus Prætor, qui juris civilis cuſtos & Legum miniſter eſt, auctoritatem ſuam interponere nequit, ſed omnia ſolius Principis arbitrio relinquenda ſunt. *l. 10. de min.*

TITULUS VII.

De Alienatione Judicii mutandi Cauſa Facta. C. II. 55.

§. 1.

Sexta & ultima *In Integrum Reſtitutionis cauſa* eſt *Alienatio judicii mutandi cauſa facta. l. 3. §. 4. D. h. t.*

§. 2. Cum enim intelligeret tum Prætor, tum Proconſul, Judiciorum exitum interdum duriorem nobis conſtitui, oppoſito nobis alio adverſario; iniquum autem eſſe, ex alieno facto cauſam noſtram fieri deteriorem, *l. 2. D. quod vi aut clam. l. 74. D. de R. J.* in eam quoque rem proſpexit: Ut ſi quis alienando rem, cujus *vindicatio* timeretur, alium nobis adverſarium ſuo loco ſubſtituerit, idque data opera in fraudem noſtram fecerit, tanti nobis in factum

ctum actione teneatur, quanti noſtra interſit, alium nos adverſarium non habuiſſe. *l. 1. D. h. t.*

§. 3. Qua de re tale Edictum propoſitum videtur: *Ne qua alienatio judicii mutandi cauſa fiat. Si dolo malo lis in alium tranſlata, quæve alienatio judicii mutandi cauſa facta erit, neque arbitrio Judicis priſtina judicii cauſa reſtituatur, intra annum, quo primum experiundi poteſtas erit, in integrum reſtituam; ut tantum officio Judicis conſequatur Actor, quanti ejus interſit alium adverſarium non habuiſſe.* arg. *l 1. pr. l. ult. in f. D. l. un. C. h. t. l. 4. §. 1. 3. l. 8. §. 1. l. 6. 3. §. 4. l. 4. §. 5. D. h. t.*

§. 4. *Alienat judicii mutandi cauſa,* qui alienando alium nobis adverſarium ſuo loco ſubſtituit. *l. 1. pr. §. 1. l. 2. 3. pr. D. h. t.*

§. 5. Neque ſolum ad dominii tranſlationem hoc Edictum pertinet, verum ad poſſeſſionis quoque; alioquin is, cum quo in rem agitur, non tenebitur. *l. 4. §. 2. D. h. t.*

§. 6. Sed & *Alienare* intelligitur, qui rem alienam vendidit. *l. 8. §. 2. D. h. t.*

§. 7. Debet autem alienatio hæc fieri *inter vivos;* heredem enim inſtituendo, vel legando, ſi quis alienet, huic Edicto locus non erit: *l. 8. §. 3. D. h. t.* Niſi forte quis litis cauſa Principem heredem reliquerit. *§. ult. l. quib. mod. teſt. inf.*

§. 8. Et quidem *futuri judicii cauſa, l. 8. §. 1. D. h. t.* ante litem conteſtatam. arg. *l. 2. & Auth. Litigioſa. C. de litigioſ. Dolo malo; l 1. 4. §. 1. D. h. t.* ut ſcil. alium nobis adverſarium, in fraudem noſtram ſubſtituat: Sive ille potentior ſit, cui pares eſſe non poſſumus; ſive talis, qui quoquo modo nos vexaturus ſit. *l. 1. pr. §. 1. l. 2. 3. pr. D. h. t. l. 4. §. 1. in f. D. h. t.*

§. 9. Si quis enim poſſidere deſierit ſine dolo malo, hoc Edicto non tenetur; neque enim alienat, qui tantum omittit poſſeſſionem; ejusque factum non improbat Prætor, qui tanti habuit re carere, ne propter eam ſæpius litigaret. Hæc enim verecunda cogitatio ejus, qui lites execratur, non eſt vituperanda, ſed ejus duntaxat, qui, cum rem habere vult, litem ad alium transfert, ut moleſtum adverſarium pro ſe ſubſtituat. *d. l. 4. §. 1. D. h. t.*

§. 10. Idemque dicendum, ſi quis ob valetudinem, aut ætatem, aut occupationes neceſſarias, litem in alium tranſtulerit. *l. 4. §. 3. D. h. t.*

§. 11. Quod ſi vero quis alienationem judicii mutandi cauſa dolo malo fecerit, contra eum hoc Edicto conceditur *Actio in factum. l. 1. D. h. t.*

§. 12. Quæ eſt *Prætoria, perſonalis, l. 7. D. h. t. rei perſecutoria, l. 4 §. f. l. 7. D. h. t, competens illi, qui per eam alienationem læſus eſt, l. 1. D. h. t. ejusque heredi; d. l. 4. §. f. Contra alienantem,* (non etiam heredem; *l. 4. §. f. l. 7. D. h. t.*) *Ad id quod intereſt cum alium adverſarium non habuiſſe. l. 3. §. 4. l. 4. §. 5. D. h. t.*

§. 13.

§. 13. Unde, ſi Actoris nihil interſit, hæc Actio ceſſat: Veluti, ſi alienans paratus ſit utile judicium pati, perinde ac ſi poſſideret; *l. 3. §. f. D. h. t.* add. *l. un. C. h. t. l. 27. D. de R. V. l. 131. 150. D. de R. J.* vel res non fuerit petitoris; vel is, qui alienatus eſt, ſine culpa alienantis deceſſerit; *l. 4. §. 5. D. h. t.* vel denique alienans rem alienatam receperit. *l. 8. §. 4. D. h. t.*

§. 14. Plane is, cujus intereſt, electionem habet, an hac *Actione in factum* contra alienantem, an vero *Actione in rem* contra poſſeſſorem agere velit. *l. un. C. h. t.* Ubi nihil mutandum videtur.

TITULUS VIII.

De Receptis, Qui Arbitrium Receperunt, Ut Sententiam Dicant.

C. II. 56.

§. 1.

Priusquam partes judiciali diſceptationi ſe committunt, periculum ſæpe faciunt, an boni viri arbitrio controverſiam finire poſſint. Unde de *Arbitris*, ante tractatum de *Judiciis*, agendum viſum eſt.

§. 2. Cum enim Prætor ſtudeat lites finiri, neque decipiendi ſint, qui quaſi virum bonum inter ſe elegerunt, æquiſſimum Prætori viſum eſt, & hic ſe interponere, ut officium, quod *Arbiter* in ſe recepit, impleat. *l. 3. §. 1. D. h. t.*

§. 3. Qua de re ita edixiſſe videtur: Qui arbitrium, pecunia compromiſſa, receperit, sententiam dicere cogam; *Et niſi arbitrio pareatur, qua de re recte compromiſſum erit, pecuniam compromiſſam ſolvi jubebo. l. 3. §. 2. l. 15. 11. §. 2. D. h. t.*

§. 4. *Arbitrorum duo maxime* ſunt *genera: Unum* ejusmodi, ut, ſive, æquum, ſive iniquum dixerint, parere debeamus; quod obſervatur, cum ex compromiſſo ad arbitrium itum eſt, de quo genere hic agitur. *Alterum* ejusmodi, ut ad boni viri arbitratum pronunciatum redigi debeat, ad quod hoc Edictum non pertinet. v. *l. 76. §. 1. D. pro ſoc. l. 13. §. 2. D. h. t.*

§. 5. Sunt itaque hoc loco *Arbitri, Judices, qui libero partium conſenſu ſeu compromiſſo electi, ad controverſias, ſervato judiciorum ordine, cognoſcendas, & definiendas, officium illud in ſe receperunt. l. 1. 13. §. 2. D. l. pen. C. h. t. l. 14. pr. C. de judic.*

§. 6. Conſtituuntur *Compromiſſo*; *l. 11. §. 1. D. h. t.* quod nihil aliud eſt, quam partium conventio, qua litigaturi arbitrum eligunt, ejusque ſententiæ ſtaturos ſe promittunt. *l. 11. §. 1. 4. l. 17. §. 3. l. 19. 27. §. ult. D. h. t. l. 1. l. pen. C. h. t.*

§. 7. Quod fit ſtipulatione, vel pacto: *l. 11. §. 3. l. 13. §. 1. D. l. 5. C. h. t. l. 19. §. 2.*

Digitized by Google

19. §. 2. D. de Æd. Ed. Et olim quidem intercedente juramento, *v. l. 4. C. h. t. N. 82. c. 11. §. 1. Auth. Decernit. C. h. t.* nunc autem fere pœna adjecta, ab eo, qui arbitrio non ſtetit, ſolvenda. *l. 11. §. 2. l. 27. §. ult. D. l. 5. C. h. t.*

§. 8. Compromittere ſeu arbitrum eligere poſſunt, qui & tranſigere. *v. ſupr. ad t. de tranſact. §. 9. & ſeqq.*

§. 9. Prohibentur furioſi, & mente capti; *l. 47. §. 1. D. h. t.* pupilli & minores; *l. 3. 35. D. h. t. l. 3. C. de in int. reſt.* ſervi; *l. 32. §. 8. D. h. t. l. 3. §. 8. de pecul.* nec non mulieres in cauſa interceſſionis. *l. 32. §. 2. D. h. t.*

§. 10. Compromiſſo eligi & Arbitri officio fungi poſſunt, quicunque neque impediuntur, neque prohibentur. arg. *l. 43. §. 1. 2 D. de proc.* Non tantum patresfam. ſed & filiifam. etiam in re patris: *l. 5. 6. D. h. t.* junct. *l. 77. 78. D. de jud.* Neque ii tantum, qui integræ famæ ſunt, ſed & ignominioſi. *l. 7. pr. D. h. t.*

§. 11. Quin & XXV. annis minores arbitri eſſe poſſunt, dummodo XX. annis majores ſint. *l. 41. D. h. t. v. l. 57. D. de re jud.*

§. 12. *Impediuntur*, furioſi, mente capti, pupilli, ſurdi & muti. *l. 9. §. 1. l. 47. §. 1. D. h. t.*

§. 13. *Prohibentur* ſervi; *l. 7. pr. §. 1. D. h. t. l. 68. D. de V. S.* fœminæ; *l. ult. C. h. t.* minores XX. annis; *l. 41. D. h. t* judicesque, ad quorum cognitionem cauſa jure ordinario pertinet. *l. 9. §. 2. D. h. t.*

§. 14. Eligi poteſt vel unus, vel plures, numero pares, vel impares, prout partibus viſum fuerit. *l. 17. §. 2. 5. & ſeqq. D. h. t.*

§. 15. Rectius tamen faciunt partes, ſi in imparem arbitrorum numerum compromittant, ut orta diſſenſione in impari numero inveniatur major pars, cujus ſententia prævalere poſſit. *l. 17. §. 6. l. 27. §. 3. D. h. t.*

§. 16. Si tamen in duos compromiſſum ſit, & in dicenda ſententia non conſentiant, poteſt eos Prætor cogere, tertiam certam eligere perſonam, cujus auctoritati pareatur. *l. 17. §. 6. D. h. t.*

§. 17. Quin & ipſi litigatores duos eligentes arbitros, adjicere poſſunt, ut in caſum diſcordiæ *Sempronium* aliamve certam perſonam aſſumant, quoniam hoc caſu in aſſumendo diſſentire nequeunt. *l. 17. §. 5. D. h. t.*

§. 18. Compromitti poteſt de omnibus cauſis non prohibitis, non tantum una, ſed & pluribus, imo de omnibus controverſiis, quod *Compromiſſum plenum* dici ſolet. *l. 13. §. 1. l. 21. §. 6. l. 43. D. h. t.*

§. 19. Excepta ſunt publica judicia, & alia delicta famoſa; *l. 32. §. 6. D. h. t.* actiones populares, cauſa ſtatus, de libertate & ingenuitate; *l. 32. §. 7. D. h. t.* reſtitutionis in integrum; *l. ult. C. ubi & apud quem.* ſimileſque, quæ non ſunt privati arbitrii. *c. 5. X. h. t.*

§. 20.

§. 20. *Plane* ut compromiſſum effectum habeat, Arbiter arbitrium *Recipere* debet.

§. 21. *Recepiſſe* autem arbitrium videtur, qui Judicis partes ſuſcepit, finemque ſe ſua ſententia controverſiis impoſiturum pollicetur. Quod ſi enim hactenus intervenit, ut experiretur, an conſilio ſuo vel auctoritate diſcuti litem paterentur, non videtur arbitrium recepiſſe. *l. 13. §. 2. D h. t.*

§. 22. *Effectus Compromiſſi & Arbitrii ſuſcepti* eſt, quod Arbiter ſententiam dicere debeat, vel ad hoc a Prætore cogi poſſit. *l. 15. D. h. t.*

§. 23. Tametſi enim neminem Prætor cogat arbitrium recipere, quoniam hæc res libera & ſoluta eſt, & extra neceſſitatem jurisdictionis poſita, attamen, ubi ſemel quis in ſe receperit arbitrium, ad curam & ſollicitudinem ſuam hanc rem pertinere Prætor putavit; non tantum quod ſtuderet lites finiri, verum quoniam non deberent decipi, qui eum quaſi virum bonum diſceptatorem inter ſe elegerunt. *l. 3. §. 1. D. h. t.*

§. 24. Cogi autem poteſt vel mulctæ dictione, *l. 32. §. 12. D. h. t.* vel aliis modis, quibus contumaces, ad oneris ſuſcepti implementum, conſtringuntur. arg. *l. 3. C. de ſuſp. tut.*

§. 25. Niſi Arbiter juſtam arbitrii denegandi cauſam habeat.

§. 26. Non enim cogitur Arbiter dicere ſententiam, ſi litigatores eum infamarint; *l. 9. §. 4. l. 15. D. h. t.* vel ſpreta auctoritate ejus ad judicium, vel ad alium arbitrum ierint, moxque ad eundem arbitrum redierint. *l. 9. §. 5. l. 11. pr. D. h. t.* add. *l. 17. §. 1. D. h. t.*

§. 27. Similiter non cogitur Arbiter ſententiam dicere, ſi alter pœnam promiſerit, alter non, vel ſub conditione pœna promiſſa ſit. *l. 11. §. 4. 5. l. 12, 13. pr. D. h. t.*

§. 28. Idem dicendum, ſi inimicitiæ capitales inter eum & litigatores, aut alterum ex litigatoribus, interceſſerint; aut ſi ætas, aut valetudo, quæ poſtea contigit, id ei munus remittat, aut munus aliquod Reip. & ſi qua alia incommoditas ei poſt arbitrium ſuſceptum incidat. *l. 15. 16. pr. §. 1. D. h. t.*

§. 29. Item ſi unus ex litigatoribus bonis ſuis cedat, non eſt cogendus arbiter ſententiam dicere, cum neque agere, neque conveniri poſſit; *l. 17. pr. D. h. t.* Si pœna commiſſa ſit: *l. 32. §. 1. D. h. t.* quia ſemel commiſſa pœna compromiſſum ſolvitur; *l. 34. §. 1. D. h. t.* Si de negotio transactum ſit, vel homo mortuus, de quo compromiſſum eſt; *l. 32. §. 5. D. h. t.* Ut & ſi alter ex compromittentibus deceſſerit, vel furere cœperit. *l. 47. pr. §. 1. l. 48. 49 pr. D. h. t.*

§. 30. Quin & ſi plures ſunt, qui arbitrium receperunt, nemo unus cogendus eſt ſententiam dicere. *l. 17. §. 2. D. h. t.* Niſi in plures ea conditione compromiſſum ſit, ut, ſi quilibet, vel unus ſententiam dixiſſet, ei ſtaretur. *l. 32. §. 13. D. h. t.*

§. 31. *Officium Arbitri* eſt, ſecundum compromiſſum, ſervato ordine judicii, ſententiam dicere.

§. 32. In primis enim Arbiter ad compromiſſum attendere debet; neque aliud illi licebit, quam quod ibi, ut efficere poſſit, cautum eſt; Adeoque non quod libet ſtatuere arbiter poterit, nec in qua re libet, niſi de qua re compromiſſum & quatenus compromiſſum eſt. *l. 32. §. 15. 17. 21. l. 21.* §. *4. 5. l. 25. pr. D. h. t.*

§. 33. Dummodo in compromiſſo non fuerit præſcriptum, qualem ſententiam Arbiter dicere debeat. Quo caſu Arbitrium nullum eſt. *l. 19. pr. D. h. t.* Licet in Judice ſecus ſit. *l. 26. D. de re jud. v. infr. ad t. de re jud.* §. *25.*

§. 34. Fruſtra enim itur ad arbitrum, cum inter litigantes convenit, qualem Arbiter ſententiam ferre debeat, quia ſententia Arbitri non parit actionem judicati. *l. 1. C. h. t.* Ad Judicem autem non itur fruſtra tali conventione interpoſita, quia ſententia Judicis producit actionem judicati. *l. 8. C. de reb. cred.*

§. 35. In reliquis Arbiter ſervat ordinem judiciarium, quandoquidem compromiſſum ad ſimilitudinem judiciorum redactum eſt. *l. 1. D. h. t. l. 14. pr. C. de jud.*

§. 36. Partes itaque per epiſtolam vel nuncium adeſſe jubentur; *l. 32. §. 18. l. 49. §. 1. D. h. t.* abſentium contumacia punitur; *l. 39. pr. D. h. t.* præſtatur juramentum calumniæ; *l. 2. §. 4. C. de jurej. propt. cal.* teſtes & inſtrumenta producuntur; *l. 39. pr. D. h. t. l. fin. C. de teſtib.* merita cauſæ examinantur; *l. 3. §. 1. D. h. t.* iisque præmiſſis, Arbiter ſententiam dicit. *l. 15. D. h. t.*

§. 37. *Dicere* autem *ſententiam* videtur, qui ea mente quid pronunciat, ut ſecundum id diſcedere eos a tota controverſia velit. *l. 19. §. 1. D. h. t.*

§. 38. Debet vero ſententia conveniens eſſe compromiſſo; *l. 32. §. 15. ult. D. h. t.* certa, ita ut toti controverſiæ finem imponat; *l. 19. §. 1. l. 32. §. 16. D. h. t.* (quod ſi incerta ſit, inutiliter dicitur: *l. 21. §. 3. D. h. t.*) nec non ſecundum leges & conſuetudines prolata. arg. *pr. I. de off. jud. l. 13. C. de ſent. & interloc.*

§. 39. Et quidem quantum ad modum pronunciati attinet, dicenda eſt ſententia I. *Coram*, i. e. coram partibus præſentibus, & ſapientibus ſeu intelligentibus; non etiam coram furioſo, demente, neque pupillo, niſi tutor præſens fuerit. *l. 27. §. 4. 5. l. 42. 47. D. h. t.*

§. 40. II. *Debito loco*, in compromiſſo ſcil. nominato: vel ſi de eo nihil convenit, ubi compromiſſum factum eſt. *l. 21. §. 10. D. h. t. l. 19. D. de jud.*

§. 41. Nec non III. *Tempore convento:* Niſi Arbiter juret, ſibi de cauſa nondum liquere; *l. 13. §. ult. D. h. t.* vel ei prorogandi diei poteſtas data ſit. *l. 27. pr. l. 32. §. 11. l. 33. 12. 21. §. 5. l. 50. D. h. t.*

§. 42. Quod ſi dies non ſit adjectus, Arbitri eſt, partibus conſentientibus diem præſtituere: Alioquin omni tempore ſententiam dicere cogitur. *l. 14. D. h. t.*

§. 43.

Digitized by Google

§. 43. Quin & *tempus legitimum* eſſe debet; die Dominico enim, aliove tempore feriato, *l. 2. 7. C. de fer. l. 6. D. de fer.* vel noctu ſententiam pronunciare non licet. arg. *l. 2. §. 31. D. de O. J.* Gell. *L. XVII. c. 2.*

§. 44. *Effectus Sententiæ* legitime pronunciatæ eſt, quod partes arbitrio *ſtare* debeant. *l. 27. §. 2. D. h. t.*

§. 45. *Stare* autem *Sententiæ* nihil aliud eſt, quam id agere, quantum in ipſo ſit, ut arbitri ſententiæ pareatur. *l. 23. §. 2. D. h. t.*

§. 46. Quod ita procedit, ſi quidem unus ſit arbiter: Ut & ſi plures ſint, omnesque conſenſerint,

§. 47. Si vero plures ſint, & diſſenſerint, quod major pars judicaverit, ratum eſt. *l. 17. §. ult. l. 18. 27. §. 3. D. h. t.*

§. 48. Si omnes & ſinguli in quantitate diſſentiant, ſequendum id, quod minus eſt: Veluti ſi ex tribus arbitris, unus quindecim, alter decem, tertius quinque condemnent, quinque præſtari debent, quia in hanc ſummam omnes conſenſerunt. *l. 27. §. 3. D. h. t.* add. *l. 1. §. 4. D. de V. O.*

§. 49. Si vero aliter, quam in ſumma diſſentiant, ut omnes opiniones diverſæ ſint, partes ſententiæ ſtare non coguntur. *d. l. 27. §. 3. D. h. t.*

§. 50. Non etiam obtemperare coguntur litigatores, ſi arbiter aliquid inhoneſtum juſſerit, *l. 21. §. 7. D. h. t.* vel ex gratia vel inimicitia male judicaverit; quo caſu *Actioni* vel *Exceptioni Doli* locus eſt. *l. 31. 32. §. 14. D. l. 3. C. h. t.*

§. 51. Extra quos caſus ſententia Arbitri valida eſt, ſive æqua ſit, ſive iniqua. *l. 27. §. 2. D. h. t.* Adeo, ut neque arbiter ſententiam ſemel dictam mutare, *l. 19. §. 2. & ll. ſeqq. D. h. t.* neque partes ab ea appellare poſſint. *d. l. 27. §. 2. l. 32. §. 14. D. l. 1. C. h. t.*

§. 52. Quod ſi alteruter ſententiæ ſtare, & arbitrio parere recuſet, contra contumacem competit *Actio*, vel ad pœnam promiſſam, *l. 2. 21. §. 4. D. l. 1. 2. C. h. t.* vel ſi pœna non ſit adjecta, ad id quod intereſt. *l. 27. §. ult. D. h. t.*

§. 53. Datur etiam ex ſententia Arbitri *Actio in factum*, ex mera æquitate deſcendens; v. Diſſert. *N. V. de Cauſ. Oblig. C. 3. §. 17.* nec non *Exceptio*, ſi ſententia a partibus ſubſcripta, vel decendii ſilentio confirmata ſit. *l. 5. C. h. t.* Quod *Laudum Homologatum* vocari ſolet.

§. 54. Finitur autem Arbitrium I. Morte alterutrius ex litigantibus; *l. 27. §. 1. l. 32. §. 2. in f. l. 49. §. 2. D. h. t.* Niſi utrimque heredum quoque facta ſit mentio. *l. 49. §. 2. l. 32. §. 19. D. h. t.*

II. Lapſu diei præſcripti. *l. 21. §. 8. l. 32. §. 3. in f. D. h. t.*

III. Pacto & ſtipulatione, qua pœna, vel id quod intereſt, remittitur. *l. 13. pr. l. 32. §. 3. D h. t.*

IV. Pœna ſemel commiſſa. *l. 32. §. 1. l. 34. §. 1. D. h. t.*

V. Tranſactione, & rei controverſæ interitu *l. 32. §. 5. D. h. t.*

VI. Electis aliis arbitris. *l. 9. §. f. & ll. ſeqq. D. h. t.*

 VII. Ac-

VII. Accepto judicio. *d. l. 9. §. f. l. 30. D. h. t.*
VIII. Sententia ab arbitro ſemel dicta. *l. 19. §. f. D. h. t.*

TITULUS. IX.

NAUTÆ, CAUPONES, STABULARII, UT RECEPTA RESTITUANT.

§. 1.

Quemadmodum autem Arbitri, qui arbitrium receperunt, officio ſuſcepto fungi debent: Ita *Nautæ, Caupones, Stabularii*, ſi quid ſalvum fore receperunt, *Receptum* reſtituere debent.

§. 2. Prætor ait: „*Nautæ, Caupones, Stabularii, quod cujusque ſalvum fore receperint, niſi reſtituent, in eos Judicium dabo.*„ *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 3. Cujus Edicti maxima eſt utilitas; quia neceſſe eſt, plerumque eorum fidem ſequi, & res cuſtodiæ eorum committere. *l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 4. Nec quisquam putet graviter adverſus eos conſtitutum; nam eſt in ipſorum arbitrio, ne quem recipiant; Et niſi hoc eſſet ſtatutum, materia daretur, cum furibus adverſus eos, quos recipiunt, coeundi. *l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 5. Ait Prætor, NAUTÆ; *Nautam* accipere debemus eum, qui navem exercet: Quamvis *Nautæ* appellentur omnes, qui navis navigandæ cauſa in navi ſunt. Sed de Exercitore ſolummodo Prætor ſenſit; nec enim debet per remigem, aut meſonautam obligari, ſed per ſe, vel per navis Magiſtrum: Quanquam ſi ipſe alicui e nautis committi juſſit, ſine dubio debeat obligari. *l. 1. §. 2. D. h. t.*

§. 6. De *Exercitoribus ratium*, item *Lyntrariis* nihil cavetur, ſed idem conſtitui oportet. *l. 1. §. 4. D. h. t. l. 1. §. 6. D. de exerc. act.*

§. 7. CAUPONES, STABULARII; *Caupones* & *Stabularios* eos accipiemus, qui cauponam vel ſtabulum exercent, inſtitoresve eorum. *l. 1. §. 5. D. h. t.*

§. 8. QUOD CUJUSQUE SALVUM FORE RECEPERINT; hoc eſt, quamcunque rem ſive mercem receperint: ſive ea res noſtra ſit, ſive aliena, dummodo noſtra interſit eam ſalvam eſſe. *l. 1. §. 6. 7. D. h. t.*

§. 9. Sive etiam res in navem miſſæ ei adſignatæ ſint, ſive non ſint, nihil intereſt. Hoc ipſo enim, quod in navem miſſæ ſunt, receptæ videntur. *l. 1. §. 8. D. h. t.* Omnium enim recipit cuſtodiam, quæ in navem illatæ ſunt, & factum non ſolum nautarum præſtare debet, ſed & vectorum, ſicut & caupo viatorum. *l. 1. §. 8. l. 2. D. h. t.*

§. 10. Imo licet res in navem nondum receptæ ſint, ſed in litore perierint, quas ſemel recepit, periculum ad eum pertinet. *l. 3. pr. D. h. t.*

§. 11. NISI RESTITUENT, IN EOS JUDICIUM DABO. Scil. ex hoc Edicto *Actio in factum* proficiſcitur, quæ *de Recepto* dici ſolet. *l. 3. §. 1. 5. l. 1. §. 3. D. h. t.*

§. 12.

Digitized by Google

§. 12. Quæ eſt *Actio Prætoria*, *l. 3. §. 1. 5. D. h. t.* *perſonalis*, *ex contractu*, *d. l. 3. §. 1.* *rei perſecutoria*, *d. l. 3. §. 1. 4.* *competens vectoribus & viatoribus, res ſuas in navem, cauponam, vel ſtabulum inferentibus, l. 1. pr. §. 6. 7. D. h. t.* *eorumque heredibus; Contra exercitores, l. 1. §. 2. 5. D. h. t.* *eorumque heredes, l. 3. §. 4. D. h. t.* *Ad res receptas reſtituendas, vel damnum, a quovis, etiam ab ipſis viatoribus datum, reſarciendum. l. 1. pr. §. ult. l. 3. §. 1. l. 5. §. 1. D. h. t.*

§. 13. Eaque Actio locum habet, non tantum ſi merces intercedat, ſed & ſi quis gratis navigaverit, vel in caupona gratis diverterit. *l. 6. pr. D. h. t.*

§. 14. De caſu tamen fortuito, ſi quidem probari poſſit, *l. 2. C. de naufr.* Exercitores non tenentur. *l. 3. §. 1. in f. D. h. t.*

§. 15. Sed præter hanc Actionem rei perſecutoriam, competit etiam *Actio in factum pœnalis*, ſi damnum dolo datum, aut furtum, in navi, caupona, aut ſtabulo, per eos, quorum opera exercitor utitur, factum ſit. *§. ult. I. de obl. quæ quaſ. ex del. l. 5. §. ult. D. de O. & A. l. un. D. furt. adv. naut. l. 6. & ult. §. 1. D. h. t.*

§. 16. De quo Prætor ita ſubjeciſſe videtur: *Si damnum injuria datum, furtumve factum ab iis, quorum opera & miniſterio nautæ, caupones & ſtabularii, in nave, caupona & ſtabulo utuntur, eſſe dicetur, in factum in exercitores, caupones & ſtabularios in duplum judicium dabo.* arg. *d. l. 5. §. ult. D. de O. & A. d. §. ult. I. de oblig. quæ quaſi ex delict. l. un. D. furt. adv. naut.*

§. 17. Quæ *Actio in factum in duplum* naſcitur ex quaſi maleficio; quia exercitor aliquatenus culpæ reus eſt, quod opera malorum hominum utitur. *d. l. 5. §. ult. D. de O. & A. §. ult. I. de obl. quæ quaſ. ex del. l. ult. pr. §. 4. D. h. t.*

§. 18. Datur vectoribus & viatoribus, quibus damnum dolo datum vel furtum factum eſt; *dd. ll.* contra exercitores, (non etiam heredes, *l. ult. §. ult. D. h. t.*) quorum miniſtri damnum dederunt, vel furtum fecerunt, *l. 6. §. 3. ult. l. 7. pr. D. h. t.* in duplum. *l. ult. §. 1. D. h. t. l. un. §. 2. D. furt. adv. naut. caup. ſtab.*

§. 19. Si vectores vel viatores aliive damnum dederint, vel furtum fecerint, exercitor non tenetur, neque eorum factum præſtare cogitur. Quandoquidem vectorem vel viatorem ſibi eligere caupo vel ſtabularius non videtur, neque iter agentes repellere poteſt. *l. un. §. ult. D. furt. adv. naut. caup. ſtab.*

§. 20. Plane in poteſtate eſt ejus, cui damnum datum, vel res furto ſurrepta eſt, an malit cum exercitore hac *Actione in duplum*, an vero *Actione L. Aquiliæ*, vel *furti*, contra damnum dantem, vel furtum facientem, experiri. *l. un. §. 3. D. furt. adv. naut. caup. ſtab.* Ita tamen, ut una electa altera tollatur. *l. 3. §. ult. l. 6. §. ult. D. h. t.*

§. 21. *Ceſſat* autem utraque Actio, ſi exercitor navis, cauponæ, vel ſtabuli prædixerit, ut unusquisque vectorum vel viatorum res ſuas ſervet, neque damnum ſe præſtiturum, adeoque de cuſtodia non præſtanda proteſtatus ſit, & vectores vel viatores conſenſerint. *l. ult. pr. D. h. t.*

PARS

Digitized by Google

PARS SECUNDA.

LIBER V. TITULUS I.

DE JUDICIIS, ET UBI QUISQUE AGERE, VEL CONVENIRI DEBEAT.

C. III. 1.

DE JUDICIIS.

§. 1.

ACtum eſt de Præparatoriis judiciorum, ſequitur nunc porro de ipſis *Judiciis*.

§. 2. Quæ non tantum omni jure licita, ſed & in Republ. maxime ſunt neceſſaria. v. Exod. XVIII, 13. *& ſeqq.* 1. Reg. III. 16. *& ſeqq.* Ep ad Rom. XIII, 4. *& ſeqq. l. 13. D. quod met. cauſ. l. 176. de R. J.* Quint. *Decl. 13.* Caſſiod. IV. *Var. 10.*

§. 3. Eſt autem *Judicium* (quod varie accipitur, v. *l. 12. §. 2.* D. *h. t. l. 32. §. 1. C. de inoff. teſt. l 13.* D. *h. t. §. 1. 4. I. de off. jud. l. 2. D. ſi quis caut. in jud. ſiſt. c. fact. non obtemp.*) hoc loco *legitima cauſæ controverſæ tractatio, inter actorem & reum, coram Judice competente, litis finiendæ gratia inſtituta.*

§. 4. Dividitur *Judicium*, quod aliud ſit *Criminale*, *quod ex crimine naſcitur; l. 5. §. 1. C. de juriſd.* aliud *Civile*, *quod ex civili cauſa oritur*, & *Pecuniarium* dici ſolet. *l. 15. D. de quæſt. l. 13. C. h. t.*

§. 5. *Criminale* eſt vel *Publicum*, *quod ex lege quadam publicorum judiciorum venit, in quo accuſatio competit cuivis ex populo; l. 1. D. de publ. jud. l. 3. §. f. D. de prævar.* vel *Privatum*, *quod ex legibus publicorum judiciorum non deſcendit, quoque actoris partibus maxime fungitur, ad quem ea res pertinet. l. 3. D. de extr. crim. l. 1. D. de publ. jud. l. 1. §. ult. D. de pœn.*

§. 6. Privatum eſt vel *Ordinarium*, vel *Extraordinarium*, cui & annumerare licet *Populare. l. 1. §. 3. D. de pœn. l. 3. D. de extr. crim. l. 2. D. de concuſſ.* arg. *l. 3. §. 1. D. de pop. act.*

§. 7. *Judicium* autem *Civile* eſt I. Vel *Reale*, *quo de Jure in re, ſeu Actione reali contenditur;* vel *Perſonale*, *quo de jure ad rem, ſeu Actione perſonali agitur. §. 1. I. de act. l. 25. D. de O. & A.*

§. 8. II. *Petitorium, quo de proprietate vel alio jure extra poſſeſſionem diſceptatur.*

Digitized by Google

ptatur. Vel *Poſſeſſorium*, *quo de poſſeſſione vel adipiſcenda*, *vel retinenda*, *vel recuperanda agitur. l. 14. §. ult. D. de exc. rei jud.*

§. 9. III. *Univerſale, quo de univerſitate juris*, v. c. de hereditate, *agitur; l. 1. D. de R. V. l. 18. §. ult. l. 19. D. de pet. her. Generale*, *quo de genere pluribusque rebus*, v. c. ſocietate, negotiis geſtis, tutela, *contenditur; l. 38. pr. D. pro ſoc.* vel *Singulare*, ſeu *Speciale*, *quo res ſingularis petitur. d. l. 1. pr. §. 1. D. de R. V. l. 38. pr. D. pro ſoc.*

§. 10. IV. *Conventionale, quo Actor Reum convenit*, vel *Reconventionale, quo Reus Actorem coram eodem Judice reconvenit.* v. *l. 22. D. h. t. l. 14. & Auth. Conſequenter. C. de ſent. & interloc.*

§. 11. V. Vel *Ordinarium*, vel *Extraordinarium*.

§. 12. Et olim quidem Judicia *Ordinaria* erant, quæ conſueto ordine, dato Judice Pedaneo, peragebantur. *Extraordinaria*, in quibus ipſe Prætor, aliusve Magiſtratus, ſine Judicis datione, de cauſis cognoſcebat, & ſententiam ferebat. *l. 178. §. 2. D. de V. S.* Quæ *Extraordinariæ cognitiones*, nec non *κατ' ἐξοχὴν Cognitiones* dici ſolebant. *t. D. de extr. cogn.* v. Suet. *in Claud. c. 15. in Ner. c. 15.*

§. 13. Sed mos ille dandorum Judicum Pedaneorum deinceps abrogatus eſt: *l. 2. C. de ped. jud.* Ut hoc ſenſu jure novo omnia Judicia ſint *Extraordinaria. §. ult. I. de interd. l. 47. D. de neg. geſt.*

§. 14. Aſt alio ſenſu *Judicium Ordinarium* eſt, in quo adhibita plena cauſæ cognitione ſolennis judicii ordo obſervatur; *Extraordinarium* ſeu *ſummarium* vero, in quo Judex ſummatim cognoſcit, nec ſolennis cauſæ cognitio adhibetur: qualia ſunt Judicia Poſſeſſoria; *l. un. C. ſi de mom. poſſ.* ſuper cauſis Alimentorum; *l. 5. §. 8. D. de agn. & al. lib. l. 9. D. de jur. delib.* Sepulturæ; arg. *l. 43. D. de relig.* Studioſorum; arg. *l. 18. §. 1. D. h. t.* & Honorariorum. *l. 1. D. de extraord. cogn.*

§. 15. *Perſonæ Principales* Judicium conſtituentes ſunt *Actor*, *Reus*, & *Judex*. *l. 62. D. h. t. l. 13. §. 2. D. ad SCt. Treb.*

§. 16. *Actor* eſt, *qui actionem inſtituit, & ab altero aliquid petit. l. 62. & 13. 14. D. h. t. §. 7. I. de interd.*

§. 17. Agere poſſunt, qui nec impediuntur, nec prohibentur.

§. 18. *Impediuntur* mente capti, furioſi, infantes. arg. *l. 5. D. de R. J. l. 1. §. 2. D. de adm. tut. §. 9. I. de inut. ſtip.*

§. 19. *Prohibentur* prodigi, pupilli & minores, ſine tutorum curatorumque auctoritate; *l. 1. D. de curat. fur. l. 1. C. eod. l. 1. 2. C. qui legit. perſon. ſtand. in jud. l. 4. C. de auct. praeſt.* Niſi cauſa ſit momentaneæ poſſeſſionis; *l. ult. C. qui legit. perſon. ſtand. in jud.* vel minor veniam ætatis impetraverit. *l. 10. C. de appell. l. 1. 3. C. de his qui ven. æt.*

II. Filiusfam. contra Patrem, & contra. *l. 4. 11. D. h. t. l. 3. C. de in jus voc. l. 16. D. de furt.* Contra extraneum ratione peculii *Profectitii* filius regulariter

Digitized by Google

non agit; *l. 9. D. de O. & A.* niſi propter utilitatem, ſi ſcil. pater abſens ſit: quo caſu *utiles* actiones conceduntur. *l. 18. §. 1. D. h. t. l. 9. 13. D. de O. & A.* Ratione peculii *Adventitii regularis* pater agit conſenſu filii, ſi præſens & ſuæ ætatis ſit; *l. f. §. 3. C. de bon. quæ lib.* Ratione *Adventitii irregularis* filius agit conſentiente patre; *l. f. in f. pr. & §. 1. C. de bon. quæ lib.* Ratione vero peculii *Caſtrenſis* & *Quaſi caſtrenſis* ſolus filius, invito patre, imo contra eum agere poteſt. *l. 4. D. h. t. l. 4. §. 1. D. de caſt. pec.*

III. Magiſtratus, qui cum imperio ſunt, durante officio. *l. 48. D. h. t.*

IV. Nec non ſervi; *l. 44. §. 1. l. 53. D. h. t. l. 6. C. h. t. l. ult. C. de noxal. act. l. 32. D. de R. J.* niſi ſit cauſa ſtatus, aut publicam utilitatem concernens. *l. 53. & 67. D. h. t. l. 20. C. de his qui acc. poſſ.*

§. 20. Invitus agere nemo cogitur; *l. un. C. ut nem. invit. ag. cog. l. 5. §. 6. D. de dol. mal. & met. exc. l. f. C. de uſur. pup.* tum quia quilibet favori pro ſe introducto renunciare poteſt, *l. pen. C. de pact.* tum quia laudanda eſt verecunda cogitatio ejus, qui lites execratur. *l. 4. §. 1. D. de alien. jud. m. c.*

§. 21. Niſi ad agendum contra tertium tacite obligatus ſit. v. *l. 13. §. pen. D. de act. emt. l. 75. §. f. D. de leg. 1. l. 8. §. 3. D. de opt. leg. l. 2. §. 7. & pr. in f. D. ad L. Rhod. de jact. l. 60. §. 5. D. de loc. cond.*

§. 22. *Reus* (qui & *Fugiens* ſæpe dicitur, *l. 13. §. 2. 3. C. h. t. l. 2. pr. C. de jurej. propt. cal. l. 5. C. de rec. arb. l. f. in f. pr. & §. 3. C. de bon. quæ lib.*) eſt, *qui convenitur*, ſeu *cum quo agitur*; *§. 1. I. de exc. §. 7. I. de interd. l. 3. D. de jurej. l. 5. 6. C. de edend.*

§. 23. Conveniri poſſunt, quicunque non impediuntur, neque prohibentur.

§. 24. *Impediuntur* mente capti, furioſi, infantes, quorum nomine cum tutoribus vel curatoribus agitur. *l. 4. pr. D. de in jus voc. l. 1. §. 2. D. de admin. tut.*

§. 25. *Prohibentur* prodigi, pupilli, & minores, ſine tutorum curatorumque auctoritate. *l. 1. 2. C. qui legit. perſon. ſtand. in jud. l. 54. D. de re jud. l. 6. C. quom. & quand. jud. l. 4. C. de auct. præſt.* Filiifam. ratione *peculii profectitii*, & *adventitii regularis*, de quibus ſolus convenitur pater; arg. *§. 1. I. per quas perſ. cuique acq. l. f. §. 3. C. de bon. quæ lib.* ex aliis enim cauſis quin conveniri poſſint, minime dubitandum eſt. v. *l. 39. D. de O. & A. l. 4. §. 1. D. de caſt. pec. l. 8. in f. pr. C. de bon. quæ lib.* Magiſtratus, qui cum imperio ſunt, durante officio. *l. 48. D. h. t.* Nec non ſervi, niſi criminaliter ad pœnam corporalem agatur. *l. 1. §. f. D. de accuſ.*

§. 26. Sed nec alius pro alio conveniri poteſt: Non uxor pro marito; *t. C. ne ux. pro marit.* non filius pro patre, neque pater pro filio; *t. C. ne fil. pro patr.* non vicaneus pro vicaneo; *t. C. ut null. ex vican. pro al. vican.* neque civis pro patria. *Auth. Habita. C. ne fil. pro patr.*

§. 27. Unde & *Repreſſaliæ* jure noſtro ſunt incognitæ: *dd. tt.* v. *N. 52. c. 1. N. 134.*

Digitized by Google

N. 134. *c.* 4. *l.* 4. *C. de execut.* *l.* 32. §. *pen. D. de uſur.* *l.* 173. §. *pen. D. de R. J.* *l.* 26. *D.* *l.* 22. *C. de pœn.* licet poſterioribus temporibus certis conditionibus receptæ ſint. v. *d. Auth. Habita. C. ne fil. pro patr.*

§. 28. *Judex*, vel ſecundum antiquum procedendi modum, accipitur pro *Judice Pedaneo*, qui a Prætore ſimilive Magiſtratu datus nudam tantum notionem habebat; *l.* 12. §. 1. 2. *D. h. t.* *t. C. de ped. jud.* *l.* 5. *D. de re jud.* *l. ult. C. ubi & ap. quem.* & ſic vocatus videtur, quia non pro tribunali, ſed in pedaneis & minoribus ſubſelliis ſedebat, ut pedibus humum calcaret: unde & Græcis χαμαιδικαστὴς dicitur. *Nov.* 60. *c.* 2. *pr.* Theoph. *ad t. I. de Interd. pr.* Vel ſecundum jus novum, pro ipſo *Magiſtratu.* *l.* 1. & *pen. D. h. t.* *l.* 11. §. 1. D. *de juriſd.* *t. t. D. de reb. auct. jud. poſſ.* *l.* 32. §. 7. *D. de rec. arb.* *l.* 2. §. 1. *D. ſi quis in jus voc. non ierit*, *l.* 14. §. 1. *D. de relig.* *l.* 137. *D. de R. J.*

§. 29. Quo ſenſu *Judex* eſt *Vir bonus*, *Juris peritus*, *Juriſdictioni publica auctoritate præpoſitus.* *l.* 137. §. 2. D. *de V. O.* *l.* 4. §. 1. *D. fam. erc.* Horat. *L. I. Ep. XVI. verſ.* 40. & *ſeqq.* *N.* 82. *pr. c.* 1. *l.* 3. *C. de juriſd. omn. jud.*

§. 30. Judices ſimiliter eſſe poſſunt, quicunque neque impediuntur, neque prohibentur. Etiam cœci, ſi cœcitas ſupervenerit. *l.* 6. *D. h. t.* *l.* 1. §. 5. D. *de poſtuland.* Nec non filius in cauſa patris, & contra. *l.* 77. *D. h. t.* Ut & minor annis XX. dummodo major ſit annis XVIII. & Magiſtratum gerat; *l.* 57. *D. de re jud.* vel a ſcientibus & volentibus electus, *d. l.* 57. hoc officium ſponte ſuſceperit. *l.* 41. *D. de recept. arb.*

§. 31. *Impediuntur* mente capti, perpetuo furioſi, impuberes, ſurdi & muti. *l.* 12. §. 2. *D. h. t.* junct. *l.* 39. *D. h. t.*

§. 32. *Prohibentur* ſenatu moti; *l.* 12. §. 2. *D. h. t.* mulieres, ſervi; *d. l.* 12. §. 2. minores annis XVIII. *l.* 57. §. 1. *D. de re jud.* hæretici; *Auth. Credentes. C. de hæret.* ut & Juris & legum imperiti. *Nov.* 82. *pr.* & *c.* 1.

§. 33. Judices etiam non debent eſſe *ſuſpecti*: cæteroquin eos tanquam ſuſpectos recuſare licet. *l.* 16. & *Auth. ſeq. C. h. t.* arg. *l.* 9. *D. de lib. cauſ.* junct. *l.* 32. §. 14. *D. de recept.*

§. 34. Sunt autem *ſuſpecti*, ſi v. c. commodum vel incommodum ex controverſia ſentiant; *l.* 17. *D. h. t.* *l. un. C. ne quis in ſua cauſ.* junct. *l.* 1. §. 11. *D. quand. appell.* ſi alicujus ex litigantibus amici ſint, vel inimici: *l.* 10. *D. de juriſd.* quo pertinet, ſi ejuſdem cauſæ Advocati, Procuratores, vel teſtes fuerint; *l.* 6. *pr. C. de poſtul.* *l. ult. C. de adſeſſ.* vel aliæ juſtæ ſuſpicionis cauſæ adſint, quæ certa regula comprehendi nequeunt, & proinde judicis arbitrio relinquendæ ſunt. arg. *l.* 1. §. *f. D. de jur. delib.*

§. 35. Recuſari autem poſſunt Judices ſuſpecti, non tantum Minores, ſed & Majores; non tantum Delegati, ſed & Ordinarii. *l.* 16. & *Auth. ſeq. C. h. t.* arg. *l.* 9. *de lib. cauſ.* junct. *l.* 32. §. 2. *D. de recept.*

§. 36. Dummodo *Exceptio Judicis ſuſpecti* ante litem conteſtatam opponatur,

tur, *d. l. 16.* & cauſa ſuſpicionis probetur. *l. 9. pr. de lib. cauſ.* arg. *l. 7. D. de injur. l. 16. de dol.* Niſi cauſa ſuſpicionis poſt litem conteſtatam demum emerſerit; *l. 17. D. h. t.* vel ad litigantis cognitionem pervenerit. *c. 4. X. de except.*

§. 37. *Officium Judicis* (quod quaſi *Efficium* ab *efficiendo*, quod unicuique perſonæ congruit, dictum cenſet Donat. *in Ter. Adelph. Act. I. ſc. 1.* add. Sen. *L. II. Contr. 13.*) eſt *facere, quod judicem facere & obſervare Leges præcipiunt.* v. *l. 25. §. 8.* D. *de Æd. Ed.*

§. 38. Et olim quidem aliud erat officium *Jus dicentis*, aliud officium *Judicis*, quemadmodum & aliud erat, *jus dicere*, aliud *judicare*. *Rubr. & l. un. C. ne quis in ſua cauſ. jud. vel jus dic.*

§. 39. *Officium Jus dicentis* in jure dicundo conſiſtebat, & iis quæ jurisdictionis ſunt: Quo pertinet, minores facilitate ſua læſos in integrum reſtituere, *l. 1. §. 1.* D. *de min.* bonorum poſſeſſionem dare, in poſſeſſionem mittere, pupillis & minoribus tutores curatoresve non habentibus conſtituere, Judices litigantibus dare, jubere cavere prætoria ſtipulatione, *l. 1. & 4.* D. *de jurisd.* ſententiam judicum a ſe datorum exequi, *l. 15.* D. *de re jud.* ut & mulctam dicere, & pignora capere. *l. un.* D. *ſi quis jus dic. non obtemp. l. 4. §. 2.* D. *de damn. inf.*

§. 40. *Officium Judicis* vero in nuda fere notione conſiſtebat: eoque pertinebat dare & moderari dilationes, *l. 7. D. de fer.* jubere cavere ſtipulatione judiciali; *§. 1. I. de diviſ. ſtip.* cauſam cognoſcere, & ſententiam pronunciare; *l. 9. C. h. t.* qua dicta finitum erat Judicis officium. *l. 55. D. de re jud.*

§. 41. Quæ exprimere voluiſſe videntur DD. dum *Officium Judicis* duplex conſtituunt, *Nobile* ſcil. & *Mercenarium.*

§. 42. *Nobile* enim vocant, quod imperio mixtum eſt, ſeu quod Judex ſponte & propria auctoritate exercet, etiamſi nulla petitio vel actio inſtituatur. arg. *l. 1. D. de jurisd.*

§. 43. *Mercenarium* vero, quod actioni propoſitæ inhæret, eique inſervit: arg. *l. 4. §. 1. D. de eo quod cert. loc. l. 25. §. 8. D. de Ædil. Ed.* Eoque contineri volunt omnia, quæ in ordine judiciorum, ad ſententiam usque definitivam, obſervari ſolent.

§. 44. Sed antiquus ille procedendi modus poſtea mutatus, mosque dandorum Judicum Pedaneorum abrogatus eſt. *l. 2. C. de pedan. jud. v. ſupr. §. 13.* Ut adeo inter officium *Jus dicentis & Judicis* jure novo nihil interſit.

§. 45. Unde & Diviſio illa *Officii Judicis* in *Nobile & Mercenarium*, minus accurata, potiusque *Officium Judicis*, tum quale ſit *extra*, tum quale ſit *in Judicio*, conſiderandum videtur.

§. 46. *Latiſſimum* enim nunc eſt officium Judicis, variaque ſunt, quæ etiam *extra Judicium* ab eo peragi poſſunt: Nam & in bonorum poſſeſſionem mittere, pupillis non habentibus tutores conſtituere; *l. 1. 3. D. de jurisd.* quin & Advocatos non tantum petentibus, ſed & fœminis, pupillis, debilibus, & qui ſuæ mentis

non

non ſunt, licet non petant, dare debet; ut & ſi quis propter adverſarii potentiam invenire nequeat. *l. 9. §. 5. D. de off. Proc.*

§. 47. In genere autem obſervandum eſt jus reddenti, ut in adeundo facilem ſe præbeat, ita tamen, ut contemni ſe non patiatur. *l. 19. pr. D. de off. Præſ.*

§. 48. Sed *ratione Judicii* Judicis Officium frequentius ſeſe exſerit, maximeque conſiſtit in *cognoſcendo, judicando, & exequendo.*

§. 49. Et quidem ſtatim, ut Judicium cœptum eſt, omnium rerum ei officium incumbit, quæcunque in Judicio geruntur; *l. 25. §. 8. D. de Æd. Ed.* in primis vero boni & innocentis viri officio fungi debet, & curare, ut, quantum poſſibile eſt, lites ſine calumnia procedant. *l. 4. §. 1. D. fam. erciſc.*

§. 50. Quantum ad ipſum Proceſſum attinet, ſolitum Judiciorum ordinem & ſtylum curiæ obſervare debet, ne cæteroquin ſententia ſit ipſo jure nulla. *l. 4. C. de ſent. & interl. §. ult. I. de ſatisdat. l. 12. §. 5. C. de reb. cred.*

§. 51. In *cognoſcendo* neque excandeſcere adverſus eos, quos malos putat, neque precibus calamitoſorum illachrymari oportet; id enim non eſt conſtantis & recti Judicis, cujus animi motum vultus detegit. *l. 19. §. 1. D. de off. Præſ.* add. *N. 17. c. 5. §. 3. N. 24. c. 2.*

§. 52. Cauſam vero litigantium, ubi a partibus in cauſa concluſum eſt, neque ulterius allegare aliquid deſiderant, v. *l. 9. C. h. t.* priusquam ſententiam ferat, diligenter examinare, & ſingula accurate rimari & expendere debet. *l. 2. C. de ſent. ex peric. recit.*

§. 53. Præmiſſa cauſæ cognitione ad Officium Judicis pertinet, *ſententia* ſua liti finem imponere, adeoque, quantum poſſibile eſt, *Certam Sententiam pronunciare*, *§. 32. I. de act. l. 59. §. 2.* D. *de re jud.* & Reum, ſi Actor intentionem ſuam probaverit, condemnare; ſi non probaverit, abſolvere. *l. 1. D. de re. jud. l. 4. C. de edend.*

§. 54. Debet autem Judex id ſequi, quod convenit eum ex fide eorum, quæ probabuntur; *l. 6. §. 1. D. de off. Præſ.* adeoque ſecundum Acta & Probata judicare. v. *infr. ad t. de re jud. §. 23.*

§. 55. Non tamen contra conſcientiam; ſed ſimul ſecundum conſcientiam, ex Actis ſcil. & Probatis inſtructam. *d. l. 6. §. 1. l. 79. §. 1. D. de jud. l. 3. §. 2. in f. l. 13. D. de teſtib. N. 125. c. 1.* Cic. *Orat. pro Cluent. c. 58.*

§. 56. Ut adeo in adminiſtratione juſtitiæ *Caſui pro amico* locus eſſe nequeat, neque lucri, vel paſſionis alicujus ratio habenda ſit. *N. 17. c. 2. in f.* Cic. *de Off. L. III. c. 10.*

§. 57. Quod ſi conſcientia Actis & Probatis ſit contraria, recte faciet Judex, ſi deponat officium Judicis, & induat perſonam teſtis.

§. 58. Porro Judex obſervare debet, ne aliter judicet, quam legibus, aut

conſtitutionibus, aut moribus proditum eſt. *pr. I. de off. jud. l. 13. C. de ſent. & interloc. Auth. Jubemus. C. h. t. N. 124. c. 2. N. 126. c. 1.*

§. 59. Si expreſſe contra Leges judicaverit, ſententia eſt ipſo jure nulla, adeo ut ne quidem appellatione opus ſit: *l. 1. §. 2. D. quæ ſent. ſin. app. reſc. l. 19.* D. *de appell. l. 2. C. quand. prov. non eſt nec. l. 5. C. de LL.* ſin ſecundum Leges quidem, ſed contra jus partium, ſententia ſubſiſtit, & ab ea appellandum eſt. *d. l. 1. §. 2. D. quæ ſent. ſin. app. reſc.*

§. 60. Sententia ubi dicta eſt, ſi quidem Reus condemnatus intra decem dies neque appellet, v. *Nov. 23. c. 1.* aliove modo ſententiam ſuſpendat, neque intra ſtatutum tempus Actori ſatisfaciat, Judex rem judicatam denique *exequi* debet. *l. 2. 4. l. ult. C. de exec. rei jud.*

§. 61. Et ſi quidem res certa petita extat, executio in ipſum corpus facienda, eaque manu militari auferenda; *l. 68. D. de R. V.* vel Actor in poſſeſſionem mittendus eſt. *l. 1. D. quib. ex cauſ. in poſſ. eatur.*

§. 62. Sin debiti ſolutio, æſtimatio, aut intereſſe præſtandum, executio captis pignoribus facienda eſt. *l. 4. 15. §. 2. D. de re jud. l. ult. C. de exec. rei jud.* add. *infr. ad t. de re jud. §. 51. & ſeqq.*

§. 63. *Perſonæ minus principales* in judicio ſunt Adſeſſores, *t. de off. Aſſ.* Advocati, Procuratores, de quibus actum ad *t.* D. *de poſtul. & t. de Procur.* Scribæ & Apparitores.

§. 64. *Partes Judicii principaliores* ſunt. I. *In jus vocatio* ſeu *Citatio;* de qua ad *t. de in jus voc.* Cui jure novo jungendus eſt *Libellus;* de quo ad *t. D. de edend. §. 4. & ſeqq.*

§. 65. II. *Litis conteſtatio;* quæ eſt *judicii ſuſcepti utrimque facta profeſſio, ſeu negotii hinc inde apud Judicem facta narratio, continens petitionem actoris, & ad eam rei conventi reſponſionem per contradictionem. l. un. C. de lit. cont.* junct. *l. 14. §. 1. C. de jud. l. 2. pr. C. de jurej. propt. cal.*

§. 66. Ex quo ſequitur, omnem litis conteſtationem reſpectu Rei negativam eſſe. add. *l. 25. D. ad L. Aquil. l. 6. D. de confeſſ. l. 112. D. de R. J.* Contra quam ſtatuunt DD. comm. qui *Litis Conteſtationem* aliam dicunt *Negativam*, quæ directo Actoris intentionem negat: aliam *Affirmativam*, qua reus fatetur quidem Actoris poſitiones, ſed opponit exceptionem peremtoriam.

§. 67. *Effectus* autem *Litis Conteſtationis* ſunt varii; nam I. Inducit Litis pendentiam. *l. 30. D. h. t. t. t. C. ut lit. pend.*

II. Excludit Exceptiones Declinatorias, & Dilatorias. *l. pen. & ult. C. de exc. l. 13. C. de proc.*

III. Procuratorem, Tutorem, & Curatorem, facit dominos litis. *l. 11. 23. de procur.*

IV. Interrumpit uſucapionem. *l. 2. 3. C. de ann. exc. l. 10. C. de acq. & ret. poſſ.*

V. In actionibus perſonalibus rem facit litigioſam. *l. 2. C. de litig.*

VI. Poſſeſſorem conſtituit in mala fide. *l. 25. §. 7. de pet. her. l. 4. §. 2. D. fin. reg. l. 22. C. de R. V. l. 10. C. de acq. & ret. poſſ.*

VII. Actiones morte Actoris perituras transmittit ad heredes. *l. 87. 139. D. de R. J. l. 29. de novat. l. 26. 58. de O. & A.*

VIII. Actiones temporales facit perpetuas. *l. 139. D. de R. J. l. 1. §. 1. C. de ann. exc.*

Adeoque plerumque melior fit conditio ejus, qui litem conteſtatus eſt. *l. 86. D. de R. J. l. 29. D. de nov.*

§. 68. III. *Cauſæ Concluſio;* quæ nihil aliud eſt, quam ulteriorum allegationum renunciatio, ſeu cauſæ controverſæ ad deciſionem ſubmiſſio. *l. 9. C. h. t. c. 9. X. de fid. inſtr. c. 5. X. de cauſ. poſſ. & propr.*

§. 69. IV. *Sententia;* de qua ad *t. D. de re jud.* & V. *Executio.* De qua v. *ſupr. §. 60. & ſeqq. t. t. C. de exec. rei jud.*

§. 70. *Cauſæ*, quæ in judicium deducuntur, ſunt omnis generis controverſiæ, ſive Civiles ſint, ſive Criminales. Modo præſentes ſint, & tempore litis conteſtatæ exiſtant. *l. 35.* junct. *l. 23. D. h. t. l. 14. D. de aq. & aq. pluv. arc. l. 7. §. 14. D. quib. ex cauſ. in poſſ. eatur.*

§. 71. Quod ſi plures cauſæ concurrant, illud in primis cavendum, ne minor cauſa majori præjudicium faciat; *l. 54. D. h. t.* & porro hic ordo ſervandus eſt, ut de cauſis Præjudicialibus agatur ante Principales, *l. 2. C. de ord. jud. l. 2. C. de ord. cognit. l. 26. C. ad L. Jul. de adult.* de Criminalibus ante Civiles: *l. ſ. C. de ord. jud.* Niſi civili diſceptationi principaliter motæ quæſtio criminis incidat; *l. 3. C. de ord. jud.* vel cauſa civilis ſit præjudicialis; *l. 26. C. ad L. Jul. de adult. l. 8. C. ad L. Fab. de plag.* vel in cauſæ civilis dilatione plus ſit periculi, quam criminalis; v. *l. 7. C. ad L. Jul de vi publ. l. 1. C. de appell.* (per quas abrogantur. *l. 37. D. h. t. l. 5. §. 1. D. ad L. Jul. de vi publ.*) & denique de Poſſeſſoriis ante Petitorias. *l. 3. C. de interd. l. 13. C. de R. V.*

Ubi Quisque Agere, Vel Conveniri Debeat.

§. 72. In omni Judicio autem ratio habenda *Judicis & Fori Competentis.*

§. 73. *Judex Competens* dicitur ille, qui congruus eſt, ſeu cujus eſt jurisdictio. *l. 1. C. de jurisd. l. 2. §. 1. D. ſi quis in jus voc. l. 19 pr. D. de jurisd. l. 28. D. de re jud.* Quemadmodum & *Forum*, (quod hic exercendarum litium locus eſt. v. Varr. *de LL. L. IV.* Feſt. in voc. *Forum.* Iſid. *L. XVIII. c. 15. c. 10. X. de V. S.*) *competens* dicitur, quod eſt conveniens & congruum, ſeu in quo Reus conveniri poteſt. *t. C. Theod. de jurisd. & ubi quis conven. deb.* junct. *t. C. de jurisd. & for. compet.* nec non *h. t. l. 35. §. 2. D. de procurat.* add. Suet. *in Aug. c. 31.* Gell. *L. I. c. 1.*

§. 74.

§. 74. Eſt itaque *Judex Competens*, coram quo Reus conveniri poteſt; *arg. dd. ll.* Actor enim ſequitur forum rei. *l. 2. C. de Jurisd. omn. jud. l. ult. C. ubi in rem act.*

§. 75. Sortitur autem forum Reus, vel ex *Jure communi*, vel *ex Privilegio*.

§. 76. *Ex Jure Communi* I. Ratione *Domicilii;* II. *Contractus;* III. *Delicti;* IV. *Rei ſitæ;* V. *Continentiæ cauſæ;* & VI. ratione *Prorogatæ Jurisdictionis.*

§. 77. *Domicilium* eſt vel *Commune*, vel *Proprium.*

§. 78. *Commune* eſt Urbs Roma, quæ communis patria eſt omnibus Imperio Romano ſubjectis. *l. 33. D. ad Municip. l. ult. D. de interd. & releg. l. 6. §. 11. D. de excuſ.*

§. 79. Licet enim primis temporibus omnes, qui extra Urbem erant, pro peregrinis haberentur, ſenſim tamen quibusdam municipibus, poſt Lege Julia omnibus Italis, tandem vero conſtitutione Antonini Caracallæ, omnibus Imperio ſubditis ingenuis, jus civitatis Romanæ datum eſt. *l. 17.* D. *de ſtat. hom.*

§. 80, Unde quilibet Romæ repertus, (non etiam abſens, arg. *l. 19. pr.* D. *h. t.*) quamvis alibi domicilium habeat, ex quacunque cauſa ibidem conveniri potuit, *l. 2. §. 3.* D. *h. t.*

§. 81. Excipiuntur Legati, nec non qui teſtimonii cauſa evocati, vel judicandi cauſa arceſſiti, vel in Provinciam deſtinati ſunt; item qui appellandi, tutelæ reddendæ, petendæve reſtitutionis cauſa Romam venerunt: quibus omnibus jus revocandi domum datum eſt. *l. 2. §. 3. & ſeqq. l. 8. 24. 25. 26. 27.* D. *h. t.*

§. 82. Niſi forte Romæ contraxerint; quo caſu jure ordinario, tanquam in loco contractus ibidem conveniri poſſunt. *d. l. 2. §. 4. l. 24.* D. *h. t.*

§. 83. *Domicilium Proprium* ſeu *Peculiare*, eſt vel *Originis*, vel *Voluntarium* vel *Neceſſarium.*

§. 84. *Domicilium Originis* (ſic enim vocare nihil prohibet, arg. *l. 11.* D. *de Senat. l. 203.* D. *de V. S.*) eſt, quod liberi, etiam alibi nati, *l. 3. C. de municip.* & liberti, habent in eo loco, ubi parentes & patroni legitimi ſunt cives. *l. 1. §. 1. 2. l. 6. pr. §. 1. & ſeqq. l. 22. 23. 27.* D. *ad munic. l. 3. C. de municip. l. 7. C. de incol.*

§. 85. Niſi forte privilegio aliquo materna origo cenſeatur: quale Ilienſibus, Delphis, & Ponticis conceſſum fuit: vel liberi vulgo concepti ſint. *l. 1. §. 2.* D. *ad municip.*

§. 86. Quod Jus Originis eſt immutabile; adeo, ut, licet migraverit Originarius, conſtituto alibi lare, in loco tamen Originis, ſi ibi reperiatur, conveniri poſſit.

poſſit. *l. 6 pr. l. 29. D. ad munic. l. 4. & ult. C. eod. l. un. C. ubi per tut. vel curat. l. pen. D. de Senat.*

§. 87. *Domicilium Voluntarium*, ſeu *Habitationis* (uti multis dicitur) eſt, quod quisque ex libera voluntate conſtituit: & in eo loco quis habere cenſetur, ubi quis larem rerumque ac fortunarum ſuarum ſummam conſtituit, unde non ſit diſceſſurus, ſi nihil avocet: *l. 7. C. de incol.* ſeu ubi quisque ſedes & tabulas (Accepti ſcil. & Expenſi, ſeu Rationes, v. Aſcon. Ped. *in Verr. p. m. 86.*) habet, ſuarumque rerum conſtitutionem fecit. *l. 203. D. de V. S.*

§. 88. Conſtituitur autem domicilium animo, & ipſo facto habitationis: non ſola animi conteſtatione; *l. 20. D. ad munic.* non etiam ſola habitatione, quantumvis focum & ignem alicubi quis habeat. *l. 17. §. 13. l. 27. §. 2. D. ad munic.*

§. 89. Ipſa habitatio ſemper certa eſt; animus autem & voluntas domicilium conſtituendi colligitur vel ex expreſſa conteſtatione, *l. 20. D. ad munic.* vel ex circumſtantiis.

§. 90. Quarum præcipuæ ſunt, ſi quis jus Civitatis alicubi impetraverit, vel majorem bonorum partem in eo loco, quo habitat, habuerit; *l. 2. C. ubi Sen. vel Clariſſ.* vel plenariam rerum ſuarum adminiſtrationem inſtituerit; *l. 27. §. 1. D. ad municip.* vel longo tempore (quod tamen judicis arbitrio relinquendum) in aliquo loco habitaverit. *l. 2. C. ubi Sen. vel Clariſſ.*

§. 91. *Domicilium Neceſſarium* eſt, quod quis ex neceſſitate habet.

§. 92. Sic relegati, in eo loco, in quem relegati ſunt, interim neceſſarium domicilium habent; *l. 22. §. 3. D. ad municip.* licet & eo loco retinere poſſint, unde arcentur *l. 27. §. ult. D. eod.* Sic & II. Uxor, amiſſo jure Originis, *l. ult. §. 3. D. ad municip. l. un. C. de mul. in quo loc.* neceſſario domicilium ſequitur mariti: *l. 5. in f. D. de R. N. l. fin. §. 3. D. ad municip. l. ult. C. de incol. l. un. de mul. in quo loc.* adeo, ut, licet uxor a marito diſceſſerit, & ſeorſum habitaverit, nihilominus ex domicilio mariti forum ſortiatur; quia non potuit ſibi ipſi conditionem matrimonii mutare. *l. 65. in f. D. h. t.* Sic denique III. domicilium dignitatis, quod Romæ Senatores habebant, domicilium fuit neceſſarium. *l. 8. C. de incol. l. 11. D. de Senat.*

§. 93. Forum *Domicilii* autem omnibus cauſis commune eſt, ut Reus in loco *Domicilii* omnibus actionibus, ſive realibus ſive perſonalibus, ſpecialiter non exceptis, conveniri poſſit. *l. 19. §. f. D. h. t. l. 2. C. de juriſd. l. un. C. ubi de hered.*

§. 94. Plane ſunt etiam quidam ſine domicilio: quales ſunt, qui relicto domicilio navigant, vel iter faciunt; *l. 27. §. 2. D. ad munic.* nec non Vagabundi, qui conveniri poſſunt, ubicunque reperiuntur. arg. *l. 1. C. ubi quis de curial. vel cohortal. l. 27. §. 2. D. ad municip.*

§. 95. *Secundo* ſortitur Reus forum in loco *Contractus. c. f. X. de for. comp.*

§. 96. *Contraxiſſe* autem unusquisque in eo loco intelligitur, in quo, ut ſolveret,

veret, daret, vel præſtaret, ſe obligavit. *l. 21. D. de O. & A. l. 3. D. de reb. auct. jud. poſſ. l. 19. §. f. D. h. t. l. un. C. ubi conven. qui cert. loc. dar. prom. l. 5. §. 1. D. de conſt. pec.* Qui ſi non fuerit expreſſus, tum Reus conveniri poteſt, ubi conventio perfecte celebrata eſt. *l. 19. §. 2. l. 45. pr. D. h. t.*

§. 97. Quo loco Reus conveniri poteſt, ſive ibi reperiatur, ſive non reperiatur, arg. *d. l. 19. §. 1. D. h. t.* junct. *l. 2. D. quib. ex cauſ. in poſſ. eatur. l. 21. §. 2. D. ex quib. cauſ. maj. N. 66. c. 1. §. 1.* Niſi aliud convenerit, *l. 19. §. 2. D. h. t.* vel quis cum eo contraxerit, qui nec ſtationem, nec officinam eo in loco habet, & ſtatim diſceſſurus eſt. *d. l. 19. §. 2. D. h. t.*

§. 98. *Tertio* ſortitur Reus forum ratione *Delicti*, ut in loco criminis commiſſi, vel inchoati, conveniri poſſit. *l. 1. C. ubi de crim. l. 7. §. 4. l. f. D. de accuſ. l. 11. D. de cuſtod. reor.*

§. 99. Non tantum autem delinquens in loco *Delicti* commiſſi conveniri poteſt, ſed & in loco domicilii; *l. 2. C. ubi de crim. l. 2. C. de juriſd.* & ubicunque reperitur; *l. 1. C. ubi de crim. l. 3. & 13. D. de offic. Præſ.* quod & *Forum Deprehenſionis* dici ſolet.

§. 100. *Quarto* ſortitur Reus forum in loco *Rei ſitæ*; in quo inſtitui poſſunt omnes Actiones in rem: *l. f. C. ubi in rem act. l. un. C. ubi de hered. l. un. C. ubi de poſſ.* neque intereſt, an res, de qua agitur, corporalis ſit, an incorporalis, mobilis, an immobilis. *dd. ll.*

§. 101. *Quinto* ſortitur Reus forum ratione *Continentiæ cauſæ*; ſi ſcil. cauſæ ita ſint connexæ, ut commode ſeparari nequeant. v. *l. 10. C. h. t.*

§. 102. Hinc Judex, qui cognovit de cauſa poſſeſſionis, etiam cognoſcere debet de cauſa proprietatis, *d. l. 10. C. de jud.* Hinc etiam, ſi inter plures familiæ erciſcundæ, communi dividundo, aut finium regundorum agatur, idem Judex adeundus eſt; nec non ſi plures ſint tutores, & judicio tutelæ agatur. *l. 1. 2. D. de quib. reb. ad eund. jud. eatur.* v. infr. *ad d. t. §. 2. & ſeqq.*

§. 103. *Sexto* denique ſortitur Reus forum, ratione *Prorogatæ juriſdictionis*, *l. 1. C. de juriſd.*

§. 104. Quæ fit vel expreſſa conventione; v. *l. 18. D. de juriſd. l. 1. 2. pr. D. h. t. d. l. 1. C. de juriſd.* vel re ipſa & facto, cum quis v. gr. ad judicem incompetentem vocatus audientiam ejus elegit, id eſt litem ſimpliciter conteſtatus eſt, neque fori præſcriptionem (quæ ante litem conteſtatam opponenda, *l. ult. C. de except.*) propoſuit. *l. 4. C. de juriſd. l. 52. pr. D. h. t.* v. ſupr. *ad t. de juriſd. §. 44. & ſeqq.*

§. 105. *Ex Privilegio* ſortitur forum Reus, vel ratione *Cauſæ*, vel ratione *Perſonæ*.

§. 106. *Cauſæ Privilegiatæ* ſunt: I. *Eccleſiaſticæ*; quæ coram Judice Eccleſiaſtico expediendæ ſunt. *c. 11. §. 1. X. de for. comp. c. 2. 3. X. de jud.*

II. *Cauſæ*

Digitized by Google

II. *Cauſæ Status;* quæ diſceptandæ ſunt coram Judice majori, in loco domicilii Rei. *l. 3. 4. & ult. C. ubi cauſ. ſtat.*

III. *Cauſæ Fiſcales;* quæ ventilandæ ſunt apud Procuratorem Cæſaris ſeu Rationalem. *l. 2. & 5. C. ubi cauſ. fiſc.*

IV. *Cauſæ Feudales;* de quibus coram domino & paribus Curiæ agendum eſt. *L. I. Feud. t. 18. II. F. t. 55. §. 2. verſ. Præterea.*

§. 107. Ratione *Perſonæ* forum privilegiatum eſt:

I. Reſpectu *Actoris;* ſi ſcil. Actores ſint *Pupilli, Viduæ,* (quo nomine & *Virgines* contineri verius eſt, *l. 242. D. de V. S.*) *diuturno morbo defatigati & debiles, aliique fortunæ injuria miſerabiles.* Quibus conceſſum eſt, ut adverſarios ſtatim ad conſiſtorium Principis evocare poſſint, *l. un. C. quand. Imp. int. pup. vid. vel al. miſ. perſ. cogn.*

§. 108. II. Reſpectu *Rei;* ſic I. *Clerici* coram judice Eccleſiaſtico conveniendi ſunt. *l. 33. & Auth. ſeq. C. de Epiſc. & Cler. Nov. 83. & 123. c. 21.*

II. *Milites* coram Magiſtro militum & Magiſtratu militari; *l. pen. C. de jurisd.* ſi ſcil. crimen, de quo agitur, ſit militare, e. gr. ſtationis deſertio, fuga, armorumve abjectio: *l. 2. 3. & 13. §. 5. & ſeqq. D. de re mil.* vel commune, v. c. furtum, homicidium, in caſtris commiſſum. *l. 1. C. de off. mag. mil. d. l. pen. C. de jurisd. l. 2. C. ubi quis de cur. vel cohort. l. 9. D. de cuſtod. reor. l. 1. C. de exhib. reis.* add. *infr. ad t. de re mil. §. 8.*

III. *Senatores* vel *Clariſſimi* & *Illuſtres;* vel coram Præfecto Prætorio, vel Urbi, vel Magiſtro officiorum, vel ipſo Principe, *t. t. C. ubi Sen. vel Clariſſ.*

IV. *Studioſi,* coram Epiſcopo, vel ſuo Magiſtro. *Auth. Habita. C. ne fil. pro patr.*

TITULUS II.

De Inofficioso Testamento.

C. III. 28.

§. 1.

Præmiſſis *Judiciis* & *Foro competenti*, ſequuntur *Actiones* in Judiciis inſtituendæ, maxime *Civiles;* quæ vel *In Rem* ſunt, vel *In Perſonam: §. 1. I. de act. l. 25. D. de O. & A.* Et *In Rem* quidem vel *Univerſales*, vel *Singulares*.

§. 2. Actio *In Rem Univerſalis* eſt *Hereditatis petitio*, quæ vel ex *cauſa Inofficioſi*, vel ex aliis cauſis datur; unde de *Inofficioſo teſtamento* priori loco agitur.

§. 3. De quo Prætor ita edixiſſe videtur: *Si quis Teſtamentum Inofficioſum dicere velit, eo quod injuſte ſe exheredatum aut præteritum eſſe queratur, neque ei quarta pars debitæ portionis ab inteſtato relicta fuerit, Inofficioſi Teſtamenti intra quinquennium Actionem dabo.* arg. *l. 3. & 5. §. 1. l. 8. §. 8. 9. 17. l. 9. D. h. t.*

§. 4. Eſt itaque *Teſtamentum Inofficioſum*, quod recte quidem, ſed non ex officio pietatis factum eſt; *l. 2. 3. D. h. t.* Paul. *L. IV. T. V. §. 1.* Iſid. *L. V. c. 24.* cum exheredati vel præteriti ſunt, qui non debuerant, puta Liberi, Parentes, Fratres & Sorores. *dd. ll. l. 1. D. h. t. pr. §. 1. I. h. t.*

§. 5. Ad quod reſcindendum, intra quinquennium conceditur *Actio* ſeu *Querela Teſtamenti Inofficioſi*: quæ eſt *Petitio hereditatis ex cauſa teſtamenti inofficioſi*; *l. pen. pr. in f. D. de bon. poſſ. contr. tab. l. 34. C. h. t.* qua is, qui rite quidem, ſed tamen inique exheredatus vel præteritus eſt, petit, ut teſtamentum tanquam inofficioſum reſcindatur, & ipſe heres ab inteſtato declaretur.

§. 6. Eſt enim *Querela ipſa Petitio hereditatis*, non vero *Remedium* aliquod *præparatorium*, ab hereditatis petitione diſtinctum, uti multi volunt Interpretes, dum contendunt, hoc Remedio teſtamentum tantum reſcindi, eoque reſciſſo ſequi petitionem hereditatis. Quorum error perſpicue refutatur per *l. 8. §. 8. l. 15. §. 2. l. 19. in f. l. 20. 21. §. 2. l. 27. §. 3. l. 28. D. l. 34. C. h. t. l. pen. in f. pr. D. de bon. poſſ. contr. tab. l. 3. C. de pet. hered.*

§. 7. Introducta eſt *Querela Inofficioſi*, non Lege aliqua, ſed moribus & conſuetudine. *pr. I. h. t.*

§. 8. Cum enim Teſtatores, latiſſima de rebus ſuis diſponendi poteſtate, L. XII. Tab. conceſſa, v. *l. 120. D. de V. S. pr. I. de L. Falcid.* abutentes, liberos ſuos ſine ulla juſta ratione aliquando exheredarent; neque ſecundum L. XII. Tab. ratio eſſet teſtamentum rite factum impugnandi, cœperunt primum homines, ſine jure certo, eo colore, quaſi non ſanæ mentis fuiſſet teſtator, apud Centumviros (apud quos de hiſce aliisque ſimilibus cauſis agi ſolebat, v. Cic. *L. I. de Orat. c. 38.* Val. Max. *L. VII. c. 7. 8.* Plin. *L. VI. Ep. 33.* junct. *L. IV. Ep. 24.* Quintil. *L. V. c. 2.* Phædr. *L. III. Fab. 10. l. 13. & 17. D. l. ult. C. de pet. her.* Diſſert. N. I. *de Port. Legit. C. IV. §. 9. & ſeqq.*) de inofficioſo queri, *l. 2. D. h. t. pr. I. h. t.* Querelaque admiſſa, teſtamenta eorum, qui liberos, nec non parentes, ſine cauſa ab hereditate excluſerant, ut ut ſummo jure ſubſiſterent, ceu inhumana, improba & ingrata, v. Cic. I. *in Verr. c. 42.* Suet. *Cal. c. 38. Ner. c. 32.* non ſemel antiquiſſimis jam temporibus reſciſſa ſunt. Val. Max. *L. VII. c. 7.*

§. 9. Cumque ea ratione primum moribus eſſet receptum, ut de *Inofficioſo* agere liceret, *Querela* poſtmodum Jure Scripto, tum Civili, tum Prætorio, confirmata eſt.

§. 10. Datur *Querela* iis, quibus debetur Portio Legitima, Liberis ſcil., Parentibus, Fratribus & Sororibus. *l. 1. D. §. 1. I. h. t. l. 30. §. ult. C. eod.*

§. 11. Et primum quidem *Liberis*; *d. l. 1. & 14. 15. D. §. 1. I. h. t.* naturalis enim ratio, tanquam Lex quædam tacita parentum hereditatem addicit liberis, veluti ad debitam eos ſucceſſionem vocando. *l. 7. pr. D. de bon. damn. l. 7. §. 1. D. ſi tab. teſt. null. ext. und. lib. l. 15. pr. D. h. t.*

§. 12. Da-

§. 12. Datur autem Liberis legitimis; (non Naturalibus, & Spuriis, niſi ratione matris; *l. 29. §. 1. D. h. t. l. 8. D. und. cogn.*) cujuscunque ſint ſexus aut gradus; *§. 1. 2. I. l. 1. 2. 3.* D. *h. t. l. 220. D. de V. S.* ſuis, & emancipatis; *l. 7. & 23.* D. *h. t. l. 8.* D. *de bon. poſſ. contr. tab.* natis, & poſthumis; *l. 6. pr.* D. *§. 2. I. h. t. Exheredatis* a quovis parente, *Præteritis* vero a matre avove materno. v. *§. 5. ult. I. de exher. lib.*

§. 13. Poſt liberos ſecundo loco *Querela* datur *Parentibus;* quos ratio miſerationis & pietatis ad bona liberorum admittit. *l. 7. §. 1. D. und. lib.* Nam etſi Parentibus non debeatur liberorum hereditas, propter votum parentum, & naturalem erga liberos charitatem, turbato tamen ordine mortalitatis, non minus parentibus, quam liberis, pie relinqui debet; uti recte & pie Papinianus in *l. 15. D. h. t.*

§. 14. Datur autem *Parentibus* omnibus utriusque ſexus, *l. 1. 30. D. l. 17. 28. C. h. t. exheredatis,* aut quod idem eſt ſilentio *præteritis; l. 14. D. h. t.* hæc enim in linea Aſcendentium & Collateralium nihil differunt.

§. 15. Poſt Parentes *Querela* tertio loco datur *Fratribus & Sororibus; l. 1. D. §. 1. I. h. t.* Charitatem enim Parentum proximus fraternæ benevolentiæ gradus excipit.

§. 16. Et quidem tantum Germanis datur, aut Conſanguineis, non Uterinis, ſecundum *l. 27. C. h. t.* Sed cum Imp. *N. 118. c. 4.* omnino velit in omnibus ſucceſſionibus, agnatorum cognatorumque differentiam vacare, Jure novo Uterinis Querela etiam concedenda videtur.

§. 17. Non vero Fratribus & Sororibus ſimpliciter defertur, ſed ita demum, ſi ſcripti heredes, infamiæ, vel turpitudinis, vel levis notæ macula aſpergantur. *d. l. 27. C. h. t.*

§. 18. Quorum numero & ſpurii habendi ſunt; licet enim nec infamiam meriti, nec lege notati ſint, quin tamen labes aliqua & macula, ex vitio & defectu natalium, iis adhæreat, negari nequit. v. *l. 3. §. 2. D. de decur.* Deut. XXIII, 2.

§. 19. Et his quidem *Querela* ita defertur, ut ſi is, qui prior admittitur ad accuſandum, nolit aut non poſſit agere, ſequens admittatur, adeoque ſucceſſioni, & *Succeſſorio Edicto* (de quo v. *l. 1. pr. §. 10. 11. D. de ſucceſſ. Ed.*) hic locus ſit. *l. pen. D. h. t.* Sive ſequens in diverſo ſit ordine & linea, v. c. pater; *l. 14. D. h. t.* ſive diverſo gradu in eadem linea, puta nepos. *d. l. pen. D. h. t.* arg. *l. 3. §. 5. in f. D. de bon. poſſ. contr. tab. l. 15. D. h. t. l. 7. §. 1. D. und. lib.* v. Diſſert. N. II. *de Port. leg. C. 2. §. 15.*

§. 20. Heredibus *Querela* non datur, niſi præparata ſit, quo caſu ad heredes tranſmittitur. *l. 6. §. f. D. l. 5. C. h. t.*

§. 21. Cognatis etiam ultra fratres & ſorores *Querela* non competit, *§. 1, I.*

 h. t.

h. t. l. 21. C. h. t. Qui melius facerent, ſi ſe ſumtibus inanibus non vexarent, cum obtinere ſpem non habeant. *l. 1. D. h. t.*

§. 22. Datur *Querela* contra Heredes, qui in teſtamento inofficioſo inſtituti ſunt, & hereditatem adierunt: *l. 8. §. 10. D. h. t.* Cujuscunque ſint conditionis aut dignitatis; *l. 8. §. 2. l. pen. §. 1. D. h. t.* ut & contra Fideicommiſſarium Univerſalem, cui reſtituta eſt hereditas: *l. 1. C. h. t.* nec non adverſus eum, qui heredi ſucceſſit, aut loco heredis eſt, adeoque & contra Fiſcum, bona ut vacantia occupantem. *l. 10. C. h. t.*

§. 23. *Effectus Querelæ* eſt, quod Actore vincente teſtamentum reſcindatur, Actor *Heres* declaretur, *l. 8. §. pen. l. 28. D. h. t. N. 115. c. 3. §. ult.* & Res ad cauſam inteſtati reducatur. *l. 6. §. 1. l. 21. §. ult. D. h. t. l. 13. C. h. t.*

§. 24. Et Jure quidem antiquo totum teſtamentum corruebat, ut nec Legata, nec Fideicommiſſa deberentur, nec quicquam ex eo valeret: *d. l. 8. §. pen. l. 28. in f. D. d. l. 13. C. h. t.* Jure novo vero per *Querelam* ſola evertitur heredis inſtitutio, legata autem aliaque teſtamenti capita ſalva manent. *Nov. 115. c. 3. §. ult. c. 4. §. ult.*

§. 25. Unde, quemadmodum in hereditate legitima, ſic & in *Querela*, ſi alter agere nolit, vel non poſſit, Juri accreſcendi locus eſt: ſi modo uterque injuſte exheredatus ſit, & utrique querela competat. *l. 23. §. ult. l. 16. 17. D. h. t.*

§. 26. Si vero v. c. Pater alteri filio Portionem legitimam relinquit, alteri nihil, tunc etiamſi is, qui nihil accepit, repudiet Querelam, tamen partem facit, & pars ejus alteri non accreſcit. *l. 8. §. 8. D. h. t.*

§. 27. Victoria tamen vincentis ſoli prodeſt Actori, cui *Querela* competit, non aliis, adeoque neque Victoria Patris prodeſt fratribus, neque Fratris fratrum filiis; quia res inter alios acta aliis neque præjudicat, neque prodeſt. *l. 2. quib. res jud. non noc. l. 63. D. de re jud.*

§. 28. Non ſemper autem Liberis, Parentibus, & Fratribus, *Querela* competit.

§. 29. *Ceſſat* enim I. Si aliud æque pingue ac certum remedium adſit, quo ad hereditatem defuncti pervenire poſſint. *§. 2. I. h. t.* arg. *l. 16. D. de min. Querela* enim remedium eſt extraordinarium & ſubſidiarium, ut & *ultimum* dicatur *adjutorium. l. ult. verſ. Nam cum. C. de lib. præter.*

§. 30. Proinde non datur *Querela* ſuis præteritis, quia teſtamentum nullum dicere poſſunt: *l. 1. pr. D. de injuſt. rupt. irr.* non arrogatis impuberibus, quia quartam habent ex Conſtitutione D. Pii. *l. 8. §. 15. D. h. t.* non poſthumis a patre præteritis, quia teſtamentum agnaſcendo rumpunt: *l. 3. pr. D. de lib. & poſt. §. 2. I. de exher. lib. §. 2. I. h. t.* neque emancipatis præteritis, quia habent bonorum poſſeſſionem contra tabulas. *l. 23. D. h. t.*

§. 31. II. Ceſſat in teſtamento militis; *l. 8. §. 4. D. l. 9. C. h. t.* actu ſcil. mili-

Digitized by Google

militantis. v. *infr. ad t. de teſt. mil. §. 7. n. 6.* Quod privilegium etiam conceſſum erat filiofam. diſponenti de peculio Quaſi caſtrenſi; *l. ult. §. 1. C. h. t.* ſed id poſtea ſublatum eſt per *N. 115. c. 4. pr.*

§. 32. III. In teſtamento pupillari, quod pater facit filio: *l. 8. §. 5. D. h. t.* contra quod neque matri, neque fratri querela competit; *d. §. 5.* ſive ſubſtitutio pupillaris expreſſa ſit, ſive tacita. arg. *l. 2. 4. C. de imp. & al. ſubſt. l. 4. pr. D. de vulg. & pup. ſubſt. v. infr. ad t. de vulg. & pup. ſubſt. §. 39. 40.* & Diſſert. N. II. *de Port. Leg. C. III. §. 6. & ſeqq.*

§. 33. IV. Si transactione ſublata ſit. *l. 6. C. de transact.*

§. 34. V. Si remiſſa ſit vel *expreſſe, l. 17. pr. l. pen. §. ult. D. h. t.* (viventi tamen patri ſe exheredanti conſentiens ſibi non præjudicat; *l. 35. §. 1. C. h. t.)* vel *tacite*, agnoſcendo ſcil. voluntatem defuncti. *l. 10. §. 1. l. 12. pr. l. 23. §. 1. l. pen. §. pen. D. h. t.* Niſi forte cogente officio agnitio facta ſit. §. *4. 5. I. h. t. l. 10. §. 1. D. h. t.* arg. *l. 22. D. de his quæ ut indign.*

§. 35. VI. Si quinquennium, ab adita hereditate computandum, prætérlapſum ſit; *l. 8. §. ult. D. l. 34. in f. l. 36. §. 2. C. h. t.* niſi juſta & magna cauſa ſubſit, cur non egerit. *d. l. 8. §. ult.*

§. 36. VII. Si mortuus ſit exheredatus, nec *Querela* præparata ſit. *l. 6. §. ult. D. h. t.*

§. 37. VIII. Si exheredatio ex juſta cauſa facta ſit. *l. 7. pr. D. de bon. damn. v. l. 132. D. de V. O.*

§. 38. Cauſæ exheredationis autem jure antiquo certis legibus non erant definitæ, ſed etiam pendebant ab arbitrio Centumvirorum, qui de inofficioſo cognoſcebant, quorum erat merita exheredati perpendere. *l. 3. §. 5. D. de bon. poſſ. contr. tab. l. 19. C. h. t. l. 7. pr. D. de bon. damn.*

§. 39. Sed Juſtinianus Imp. ex arbitrariis cauſas certas fecit, easque enumeravit in *N. 115. c. 3. & 4.* XIV. ſcil. ratione liberorum, VIII. ratione parentum. & in *N. 22. c. 47.* III. ratione fratrum. Ita tamen, ut ſimiles vel graviores ejusdem generis non excludantur. arg. *l. 10. & ſeqq. D. de ll.*

§. 40. Cumque olim filius probare deberet, ſe immerentem excluſum eſſe, *l. 5. §. 1. D. l. 28. C. h. t.* juſſit noviſſime Imp. ut ipſas nominatim ingratitudinis cauſas parentes ſuo teſtamento infererent, easque ſcriptus heres probaret. *d. N. 115. c. 3. pr.*

§. 41. Quod ſi tamen teſtamentum ſine elogio factum ſit, non erit ipſo jure nullum, ſed reſcindendum, per *Querelam* ſcil. *teſtamenti inofficioſi. d. N. 115. c. 3. §. ult. c. 4. §. ult.*

§. 42. IX. Si exheredatio bona mente facta ſit, addita cauſa neceſſitateque judicii ſui. *l. 18. D. de lib. & poſt. l. 12. §. 2. l. 47. pr. D. de bon. libert. l. 16. §. 2. D. de curat. fur.* Quod per *Nov. 115. c. 3.* quæ de exheredatione loquitur, quæ mala mente fit, non eſt correctum.

§. 43.

§. 43. X. Si (quod & Prætor excepit, arg. *l. 8. §. 8. D. h. t.*) relicta ſit *Quarta*, ſeu *Portio Legitima. §. 3. ult. I. h. t.*

§. 44. Quæ eſt *Portio hereditatis, ſeu bonorum*, §. *3. I. l. 8.* §. *9. D. l. 6. C. h. t.* junct. *l. 39. §. 1. D. de V. S. ex præſcripto Legum, Liberis, Parentibus, nec non caſu quodam Fratribus & Sororibus, in teſtamento, adſubmovendam Querelam inofficioſi teſtamenti, relinquenda. v. N. 1. præf. §. 2. N. 18. præf. c. 1. 3. l. 8. §. 8. l. 29. C. h. t. l. 5. C. de inoff. don.* v. Diſſert. N. II. *de Port. Leg. C. I.*

§. 45. Introducta eſt *Portio Legitima* eodem jure, quo *Querela Teſtamenti Inofficioſi*, ſcil. non certa aliqua Lege, ſed moribus & conſuetudine. v. Diſſert. N. I. *de Port. Legit. C. II. III. IV.*

§. 46. Debetur *Portio Legitima* iiſdem, quibus competit *Querela Inofficioſi*. Liberis ſcil., Parentibus, nec non caſu aliquo fratribus & ſororibus. *N. 18. c. 1. in f.* v. Diſſert. N. II. *de Port. Legit. C. II. III. IV.*

§. 47. Cujus quantitas ſimiliter primum incerta, & in arbitrio Centumvirorum poſita fuit.

§. 48. Cum vero poſtmodum lata eſſet Lex Falcidia, qua cautum, ut ſupra dodrantem teſtator legatis erogare non poſſet, quarta vero pars apud heredem ſalva maneret, *pr. I. de Leg. Falcid.* ad exemplum *Quartæ Legis Falcidiæ*, per interpretationem JCtorum receptum videtur, ut, ad excludendam *Querelam*, ſufficeret *pars quarta portionis ab inteſtato debitæ*. v. Paul. *L. IV. T. V. §. 5. 6. l. 8. §. 8. 9. D. h. t. l. 21. C. fam. erc.* junct. *l. 8. C. h. t.*

§. 49. Quæ quantitas poſtmodum Jure Scripto confirmata eſt, manſitque *Quarta*, usque dum Juſtinianus Imp. eam mutavit. v. Plin. V. *Ep. I. l. 8. §. 8. D. h. t. §. 3. ult. I. eod. l. 6. §. 31. C. h. t. l. 2. C. de inoff. don. l. pen. C. de coll. l. 4. verſ. Quid ſi C. de lib. præter. Nov. 18. c. 1. N. 115. c. 3.* v. Diſſert. N I. *de Port. Leg. C. IV. §. 12. & ſeqq.* Diſſert. N. III. *C. I. II.*

§. 50. Qui Quantitatem auxit pro numero liberorum. Ut, *ſi liberi ſint quatuor vel pauciores, Portio Legitima* ſit *Triens; ſi* vero *quinque vel plures, Semis* ſeu dimidia pars bonorum. *Nov. 18. c. 1. N. 39. N. 92. Auth. Noviſſima. C. h. t.* v. Diſſert. N. III. *de Port. Leg. C II.*

§. 51. In qua quantitate computanda, etiam liberi jure exheredati connumerandi ſunt. arg. *l. 8. §. 8. D. h. t. N. 18. c. 1. N. 39. c. 1.* v. Diſſert. N. III. *de Port. Legit. C III. §. 4. & ſeqq.*

§. 52. Pertinetque id augmentum non tantum ad Liberos, ſed & Parentes, & Fratres, omnes ſcil. eos, quibus querela competit, & olim *Quarta* debebatur. *N. 18. c. 1. in f. v. d.* Diſſert. III. *C. III. §. 12. & ſeqq.*

§. 53. Quo titulo autem relinquatur, ſive Inſtitutionis, ſive Legati, ſive alio, nihil intereſt. *l. 8. §. 6. D. §. ult. I. h. t. N. 18. c. 1. Auth. Noviſſima. C. h. t.* Dummodo Liberi & Parentes heredes inſtituantur, *Nov. 115. c. 3. pr.* & ex ſub-

ſtantia

ſtantia ſeu bonis defuncti relinquatur, ſine ullo onere. *l. 6. 32. 36. pr. & §. 1. C. h. t. v. d.* Diſſert. III. *C. V. & IV. C. II.*

§. 54. Totam etiam relinqui neceſſe non eſt, adeo ut ſufficiat, vel minimam ejus partem relictam eſſe; reliquum enim ſeu ſupplementum peti poteſt per *Condictionem ex Lege. §. 3. l. l. 30. C. h. t. N. 115. c. 5.*

§. 55. Inter quam & *Querelam Inofficioſi* multum intereſt.

§. 56. *Querela* enim extinguitur quinquennio; *l. 8. §. ult. l. 9. D. l. 16. 34. in f. l. pen. §. 2. C. eod. Condictio* autem *ex Lege*, uti aliæ Actiones perſonales, durat annos XXX. *l. 3. C. de præſc. 30. ann. l. 1. §. 1. C. de ann. exc.*

II. *Querelam* excludit agnitio relicti; *l. 10. §. 1. l. 12. pr. D. h. t. Condictionem* non item. *l. 35. §. 2. C. eod.*

III. *Querela* non tranſmittitur ad heredes, niſi præparata; *l. 34. C. eod. Condictio* vero etiam non præparata tranſit.

IV. *Querela* agitur, ut teſtamentum reſcindatur; *Condictione*, ut teſtamentum ſalvum maneat, ſed ſuppleatur id, quod deeſt Portioni Legitimæ. v. Diſſert. *N. IV. de Port. Leg. C. IV. §. 9. & ſeqq.*

§. 57. Plane non tantum *Querela teſtamenti inofficioſi*, ſed & *Exceptio inofficioſi teſtamenti* locum habet, ſi ſcil. filius v. c. exheredatus, in poſſeſſione ſit hereditatis. *l. 8. §. 13. D. h. t.*

TITULUS III.

De Hereditatis Petitione.

C. III. 31.

§. 1.

Poſt *Petitionem hereditatis ex cauſa Inofficioſi Teſtamenti*, *Generalis* proponitur *Hereditatis Petitio*; quæ ex aliis cauſis locum habet.

§. 2. Eſt autem *Hæc Petitio Hereditatis:* I. vel *Civilis*, de qua *h. t.* vel *Prætoria*, de qua *t. de poſſ. her. pet.* II. *Directa*, de qua *h. t.* vel *Fideicommiſſaria*, de qua *t. de fideic. her. pet.*

§. 3. De *Civili Hereditatis Petitione*, Prætor hiſce ſimilibusve verbis Edictum monitorium propoſuiſſe videtur: *Si hereditas petatur, ei, qui ad ſe hereditatem pertinere contendit, adverſus eum, qui jus vel rem hereditariam pro herede, vel pro poſſeſſore poſſidet, judicium dabo.* arg. *l. 1. pr. D. ſi pars hered. pet. l. 4. 9. & ſeqq. D. h. t.* Scil. *Hereditatis Petitionis;* v. *l. 5. §. 1. 2. D. h. t.*

§. 4. Quæ eſt *Actio Univerſalis, in rem, bonæ fidei, competens Heredi, adverſus eum, qui pro herede vel poſſeſſore poſſidet, ad id, ut heres declaretur, & poſſeſſor ad reſtituendas res hereditarias cum omni cauſa condemnetur.*

§. 5. Dicitur hæc Actio *Univerſalis;* quia ad petendam hereditatem, ſeu univerſitatem bonorum, competit. *l. 1. D. de R. V. l. 178. §. 1. D. de V. S.*

Digitized by Google

§. 6. *In rem;* v. *l. 25. §. 18. l. 49. D. h. t. l. 27. §. 3. D. de R. V.* quia naſcitur ex *Jure hereditatis*, arg. *l. 1. 3. & 10. §. 1. D. h. t.* quod jus eſt in re. *l. 9. 19. D. h. t. l. 1. §. f. D. ſi quadr. paup. fec. dic. l. 6. D. de relig.*

§. 7. Adeoque non eſt *mixta*, niſi ratione objecti, quatenus per eam non tantum res petuntur hereditariæ, ſed & præſtationes perſonales. *l. 25. §. 18. D. h. t.* Ita acc. *l. 7. C. h. t.*

§. 8. *Bonæ fidei;* quamvis enim incertum erat, inter bonæ fidei judicia connumeranda *Hereditatis Petitio* eſſet, an non? Imp. tamen Juſtinianus, ob intercedentes præſtationes perſonales, aperte eam eſſe bonæ fidei diſpoſuit. *l. ult. §. 3. C. h. t. §. 28. I. de act.*

§. 9. *Competens heredi;* v. *l. 1. 3. & 10. §. 1. D. h. t.* neque intereſt, an hereditas ad eum pertineat *Jure Veteri* e Lege XII. Tab. vel ex teſtamento, vel ab inteſtato: an *Jure Novo* ex SCtis aut Conſtitutionibus ad hereditatem vocetur. *l. 1. 3. D. h. t.*

§. 10. Non etiam intereſt, an quis ſuo nomine ſive per ſe, an per alium heres effectus ſit; veluti ſi quis eam perſonam, quæ in ſua poteſtate eſt, inſtitutam juſſerit adire hereditatem. *l. 2. 3. D. h. t.*

§. 11. Sed & ſi Titio, qui Sejo heres extitit, nos heredes facti ſumus, ſicuti Titii hereditatem noſtram eſſe intendere poſſumus, ita & Seji. *d. l. 3. D. h. t. l. 194. D. de R. J. l. 65. 70. D. de V. S.*

§. 12. Idque procedit, ſive ex aſſe, ſive ex ſemiſſe, imo licet ex re certa, quis ſolus heres inſtitutus ſit. *l. 1. §. 4. D. §. 5. I. de hered. inſt.*

§. 13. Quin & Emtori hereditatis, ad univerſa bona perſequenda, *Petitio hereditatis (Utilis* ſcil.) conceditur. *l. 54. D. h. t.*

§. 14. *Adverſus eum, qui pro herede, vel pro poſſeſſore poſſidet;* is enim demum tenetur *Petitione hereditatis*, qui hereditatem, vel jus, vel rem hereditariam, pro herede, vel pro poſſeſſore poſſidet. *l. 9. 10. D. l. 7. C. h. t.*

§. 15. *Pro herede poſſidet*, qui putat ſe heredem eſſe. *l. 11. pr. D. h. t. l. 11. C. h. t. §. 3. I. de interd.* ſeu qui, cum non eſt heres, hereditatem vel rem hereditariam, tanquam heres, vel fideicommiſſarius, vel bonorum poſſeſſor poſſidet.

§. 16. Sive bona, ſive mala fide poſſideat, ſive in facto, ſive in jure erret, nihil intereſt. *l. 13. §. 8. l. 20. §. 13. l. 25. §. 6. D. h. t. l. 126. D. de R. J.*

§. 17. Pro *poſſeſſore* vero poſſidet prædo, qui interrogatus, cur poſſideat, reſponſurus ſit, *quia poſſideo*, nec contendat ſe heredem vel per mendacium, nec ullam cauſam poſſeſſionis poſſit dicere; *l. 11. §. 1. l. 12. 13. pr. l. 46. & 16. §. 4. D. h. t.* vel qui nullo jure rem hereditariam, vel etiam totam hereditatem, ſciens ad ſe non pertinere, poſſidet. *§. 3. I. de interd.*

§. 18. Pro *Poſſeſſore* autem interpretatione juris etiam is habetur, qui dolo poſſidere deſiit; *l. 13. §. 2. & 14. l. 25. §. 8. D. h. t. l. 27. §. 3. D. de R. V. l. 131. D. de*

Digitized by Google

D. de R. J. Niſi alius poſſeſſionem nactus paratus ſit judicium pati, vel æſtimationem præſtare. *l. 13. §. 14. D. h. t.*

§. 19. Quanquam poſſeſſor nihilominus tenetur, etiamſi is, qui dolo poſſidere deſiit, æſtimationem præſtiterit. *d. l. 13. §. 14. l. 95. §. 9. D. de ſolut. l. 7. D. de R. V.* Quod in *Actione quod metus cauſa* ſecus eſt, *l. 16. pr.* junct. *l. 14. §. ult. D. quod met. cauſ.*

§. 20. Datur etiam contra heredes eorum, qui pro herede vel poſſeſſore poſſederunt. *l. 13. §. 3. 11. D. h. t.* Ut & eos, qui liti ſe offerunt, licet nihil poſſideant. *d. l. 13. §. 13.*

§. 21. Sed & Emtor hereditatis *Petitione hereditatis Utili* conveniri poteſt. *l. 13. §. 4. 8. 9. D. h. t.* Et ſi quidem *malæ fidei poſſeſſor* eſt, indiſtincte; *d. l. 13. §. 8. 9.* ſi vero *bonæ fidei poſſeſſor* eſt, tum demum, ſi res aliter ſalva eſſe non poſſit, vel contra alienantem agere non expediat. *d. l. 13. §. 4. D. h. t.*

§. 22. Contra alios titulo ſingulari poſſidentes hæc actio non competit, ſed res ab illis ſingularibus actionibus vindicandæ ſunt. *l. 7. C. h. t. l. 4. C. in quib. cauſſ. ceſſ. long. temp. præſcr.*

§. 23. Unde, ut conſtet, quo jure quis poſſideat, Reus in hoc judicio poſſeſſionis titulum edere debet. *l. 11. C. h. t. l. 12. D. h. t.*

§. 24. *Ad id, ut heres declaretur, & poſſeſſor ad reſtituendas res hereditarias cum omni cauſa condemnetur.* v. *l. 10. §. 1. l. 1. §. 1. D. ſi pars her. pet.*

§. 25. In *Hereditatis petitionem* enim veniunt hereditas & præſtationes perſonales: *l. 10. §. 1. D. h. t l. 25. §. 18. D. h. t.* adeoque univerſæ res hereditariæ, non tantum corpora, ſed & jura; *l. 18. §. ult. & ll. ſeqq. D. h. t.* (exceptis ſervitutibus, quarum nomine nihil reſtitui poteſt, *l. 19. §. 3. D. h. t.*) non tantum tota hereditas, ſed & res ſingulæ, licet ſit minima. *l. 9. 10. pr. D. h. t.*

§. 26. Nec enim metitur actor intentionem ſuam ex eo quod poſſidetur, ſed ex jure quod habet. *l. 1. §. 1. D. ſi pars her. pet.*

§. 27. Nec tantum reſtituenda veniunt corpora hereditaria, ſed ea quoque, quorum periculum ad heredem pertinet: quales ſunt res pignori datæ, commodatæ, & depoſitæ. *l. 19. pr. D. h. t.*

§. 28. Præſtanda etiam ſunt pretia rerum diſtractarum, eorumque uſuræ, *ſi m. f. poſſeſſor* ſit; *l. 16. §. 1. l. 20. §. 2. 6. 12. 16. 21. D. h. t.* lucrum ex hereditate perceptum; *l. 27. §. 1. l. 52. & 56. D. h. t.* augmenta, quæ hereditati acceſſerunt, aut accedere potuerunt; *l. 20. pr. §. 3.* nec non fructus, qui etiam hereditatem augent; *d. l. 20. §. 3. l. 25. §. f. l. 27. D. h. t. l. 2. C. eod.* & fructuum ante litem conteſtatam perceptorum & diſtractorum uſuræ. *l. 20. §. 16. l. 51. in f. D. h. t. l. 15. D. de uſur.*

§. 29. Et *malæ* quidem *fidei poſſeſſor* reſtituit omnes omnino fructus, quos vel percepit, vel honeſte percipere potuit. *l. 25. §. 4. l. 40. §. 1. D. h. t. l. 33. & 62. §. 1. D. de R. V. Bonæ fidei poſſeſſor* vero in hoc Judicio reſtituit fructus ex-

 tantes,

Digitized by Google

tantes, ut & conſumtos, in quantum locupletior factus eſt: *l. 22 & 25. §. 11. 15. l. 36. §. 4. l. 40. §. 1. D. h. t.* qua in re ſpectandum tempus litis conteſtatæ, *l. 25. §. 7. l. 40. D. h. t.* usque ad tempus rei judicatæ. *l. 36. §. 4. D. h. t.*

§. 30. *Malæ fidei poſſeſſor* etiam *culpam* præſtat; *l. 25 §. 2. D. h. t.* ſed *b. f. poſſeſſor* de ea non tenetur. *l. 25. §. 11. l. 18. 30. 31. §. 3. D. h. t.*

§. 31. *Caſum fortuitum* vero neque *bonæ*, neque *malæ fidei poſſeſſor* præſtat; *l. 25. §. 2. in f. l. 40. pr. D. h. t. l. 16. pr. l. 62. D. de R. V.* niſi apud *m. f. poſſeſſorem* res pereat poſt litem conteſtatam; *d. l. 40. pr. D. h. t. l. 17. §. 1. D. de R. V.* vel *m. f. poſſeſſor* ſit raptor vel prædo. *l. 7. §. ult. l. 8. pr. §. 1. l. ult. D. de cond. furt. l. 1. §. 34. l. pen. D. de vi & vi arm.*

§. 32. De quibus cum forma SCto ſit data, optimum eſt ipſius SCti interpretationem facere, verbis ejus relatis, quæ hæc ſunt: „*Pridie idus Martias, „Quintus Julius Balbus & Publius Juventius Celſus, Titius Aufidius, Oenus Se-„verianus, Conſules verba fecerunt de his, quæ (Imperator) Cæſar, Trajani Par-„thici filius, Divi Nervæ nepos, Hadrianus Auguſtus (Imperator) maximusque „Princeps propoſuit quinto nonas martias, quæ proximæ fuerunt, libello complexus „(eſſet,) quid fieri placeat. De qua re ita cenſuerunt: Cum antequam partes „caducæ, ex bonis Ruſtici, fiſco peterentur, Hi, qui ſe heredes eſſe exiſtimant, „hereditatem diſtraxerint: placere, redactæ ex pretio rerum venditarum pecuniæ „uſuras non eſſe exigendas: idemque in ſimilibus cauſis ſervandum. Item place-„re; a quibus hereditas petita fuiſſet, ſi adverſus eos judicatum eſſet; Pretia, „quæ ad eos rerum ex hereditate venditarum perveniſſent, etſi eæ ante petitam „hereditatem deperiſſent, deminutæve fuiſſent, reſtituere debere. Item eos, qui „bona invaſiſſent, cum ſcirent ad ſe non pertinere, etiam ſi ante litem conteſta-„tam fecerint, quominus poſſiderent, perinde condemnandos, quaſi poſſiderent. „Eos autem, qui juſtas cauſas habuiſſent, quare bona ad ſe pertinere exiſtimaſ-„ſent, usque eo duntaxat, quo locupletiores ex ea re facti eſſent. Petitam autem „fiſco hereditatem ex eo tempore exiſtimandum eſſe, quo primum ſcierit quisque „eam a ſe peti: id eſt, cum primum aut denunciatum eſſet ei, aut literis, vel „Edicto evocatus eſſet, cenſuerunt.*„ *d. l. 20. §. 6. D. h. t.*

§. 33. Latum eſt hoc SCtum, uti ex prioribus verbis apparet, temporibus Hadriani, *Q. Julio Balbo* & *Publio Juventio Celſo Coſſ. ordinariis*, qui Cal. Jan. Conſulatum inierant bimeſtrem, & *T. Aufidio* & *Oeno Severiano Coſſ. ſuffectis*, qui Cal. Mart. Conſulatum inierant. A. U. C. 882. poſt N. C. 129. v. Diſſert. *N. II. ad Conſtit. Marc. C. II. §. 8.*

§. 34. Ait Senatus, „*Cum antequam partes caducæ ex bonis Ruſtici Fiſco pe-„terentur;*„ ſcil. hoc evenerat, ut partes caducæ Fiſco peterentur, quæ, deficientibus ſcriptis heredibus aut legatariis, jure antiquo, ex Conſtitutione Auguſti, ad Fiſcum devolvebantur. v. Dion Caſſ. *L. LIII. l. un. pr. C. de caduc. toll.*

§. 35.

§. 35. „*Hi, qui ſe heredes eſſe exiſtimant, hereditatem diſtraxerunt;*„ atque ita bonæ fidei exiſtunt poſſeſſores. *l. 20. §. 12. 13. l. 25. §. 6. D. h. t.*

§. 36. „*Placere redacta ex pretio rerum venditarum pecuniæ;*„ *Redactam* ſic accipiemus, non ſolum jam exactam, verum & ſi exigi potuit, nec exacta eſt. *l. 20. §. 15. D. h. t.*

§. 37. „*Uſuras non eſſe exigendas;*„ etſi enim pretium & pecunia merito petitur, velut res hereditaria, quippe redacta ex hereditate, *l. 20. §. 15. & ſeqq. D. h. t.* in qua utpote jure univerſali pretium ſuccedit loco rei: *l. 22. D. h. t. l. 2. §. 1. D. de hered. vel. act. vend.* uſuras tamen in hoc *b. f.* judicio ab eo exigi, qui neque in mala fide eſſet, neque ullam moram in reſtituenda re faceret, periniquum eſſet. *l. 32. §. 2. D. de uſur.*

§. 38. „*Idemque in ſimilibus cauſis ſervandum;*„ ut in bonis vacantibus, vel aliunde Fiſco acquiſitis; *l. 20. §. 7. D. h. t. l. 1. D. de jur. fiſc.* item in privatorum, quibus hereditates obvenerunt, petitionibus: ut, quamvis SCtum de bonis duntaxat Fiſco acquiſitis loquatur, tamen eodem quoque jure privati hereditatem petentes uti debeant. *d. l. 20. §. 8. 9.*

§. 39. „*Item placere, a quibus hereditas petita fuiſſet, ſi adverſus eos Judi-*„*catum eſſet, pretia quæ ad eos rerum ex hereditate venditarum;*„ ſcil ante petitionem inſtitutam, nam ea facta nihil amplius alienari poteſt: *l. 5. D. h. t.* niſi cauſa cognita, & præſtita cautione. De quo & Prætor edixit. *d. l. 5.*

§. 40. „*Perveniſſent;*„ verbum *perveniſſe* ambiguum eſt, neque ſolum hoc continet, quod prima ratione fuerit, ſed & quod durat: & hic ita intelligendum, ſi poſſeſſor factus ſit locupletior. *l. 23. D. h. t.*

§. 41. „*Et ſi ea ante petitam Hereditatem deperiſſent, deminutave eſſent;*„ *D perditum* intelligitur, quod in rerum natura eſſe deſiit; *Deminutum* vero, quod uſucaptum eſſet & ob id de hereditate exiit. *l. 21. D. h. t.*

§. 42. „*Reſtituere debere;*„ ſive exegit pretium, ſive non; *l. 20. §. 17. D. h. t.* ſive pretium adhuc habet, ſive ex pretio aliam rem comparavit, *l. 25. §. 1. D. h. t.* aliave ratione locupletior factus eſt. *l. 23. D. h. t.* Nam omne lucrum, & quicquid quacunque ratione ex hereditate obvenit, auferendum eſt, non etiam aliquid amplius; *l. 23. §. 1. l. 24. 25. pr. §. ult. l. 27. 28. D. h. t.* iniquum enim eſſet, *b. f.* poſſeſſores, de quibus hac parte agitur, damno affici, & ſupra quam accepiſſent exigi. v. *d. l. 25. §. 1. l. 24. pr.*

§. 43. „*Item eos, qui bona invaſiſſent, cum ſcirent ad ſe non pertinere;*„ loquitur de *Prædonibus*, i. e. de his, qui, cum ſcirent ad ſe non pertinere hereditatem, invaſerunt bona, ſcil. cum nullam cauſam haberent poſſidendi. *l. 25. §. 3. D. h. t.*

§. 44. De eo autem loquitur Senatus, qui ab initio mente Prædonis res hereditarias apprehendit. Quod ſi ab initio quidem juſtam cauſam habuit adipiſcendæ poſſeſſionis, poſtea vero, conſcius ad ſe nihil hereditatem pertinere, prædonio

Digitized by Google

donio more verſari cœpit, licet de eo expreſſe Senatus non loquatur, mens tamen SCti ad eum quoque pertinet. Parvi etenim refert, ab initio quis doloſe in hereditate ſit verſatus, an poſtea hoc facere cœperit. *l. 25. §. 5. D. h. t.*

§. 45. *Scire* vero *ad ſe non pertinere* is tantum videtur, qui factum ſcit, non etiam, qui in jure erravit; non enim eſt prædo, qui dolo caret, quamvis in jure erret. *l. 25. §. 6. D. h. t.*

§. 46. „*Etiamſi ante litem conteſtatam fecerint, quominus poſſiderent;*„ hoc ideo adjectum, quoniam poſt litem conteſtatam incipiunt omnes m. fidei poſſeſſores eſſe. Quinimo poſt controverſiam motam; quanquam enim *litis conteſtatæ* mentio fiat in SCto, tamen & poſt motam controverſiam omnes poſſeſſores pares fiunt, & quaſi Prædones tenentur. *l. 25. §. 7. D. h. t.*

§. 47. „*Perinde condemnandos quaſi poſſiderent;*„ merito, nam is, qui dolo fecit, quo minus poſſideret, ut poſſeſſor condemnatur. Sive dolo deſierit poſſidere, ſive dolo poſſeſſionem noluerit admittere. *l. 25. §. 8. 2. D. h. t. l. 27. §. 3. D. de R. V. l. 131. D. de R. J.*

§. 48. *Dolo* autem *deſinit poſſidere*, qui, ſciens ſibi jus in rebus nullum eſſe, eas tamen alienat atque diſtrahit. Qui ita tenetur, ut, ſi res extent, quamvis ſint diſtractæ, redimere ac præſtare debeat; ſin recipere nequeat, tanti damnetur, quanti in litem ab actore juratum ſit. *l. 20. §. ult. l. 25. §. 10. D. h. t.*

§. 49. „*Eos autem qui juſtas cauſas habuiſſent, quare bona ad ſe pertinere* „*exiſtimaſſent, usque eo duntaxat, quo locupletiores ex ea re facti eſſent;*„ bonæ fidei enim Poſſeſſor non ulterius tenetur, niſi in quantum locupletior factus eſt. v. *l. 23. 25. §. 11. D. h. t.* v. *ſupr. §. 42.*

§. 50. „*Petitam autem fiſco hereditatem ex eo tempore exiſtimandum eſſe, quo* „*primum ſcierit quisque eam a ſe peti;*„ nam ubi ſcit, incipit eſſe malæ fidei poſſeſſor. *l. 20. §. 11. D. h. t.*

§. 51. „*Id eſt cum primum aut denunciatum eſſet ei, aut literis aut Edicto evocatus eſſet, cenſuerunt.*„ Quod ſi tamen ſcit quidem, nemo autem ei denunciavit, pecuniæ redactæ nihilominus uſuras debet; incipit enim malæ fidei poſſeſſor eſſe. *d. l. 20. §. 11.*

§. 52. Sed ſi denunciatum ſit, non tamen ſciat, quia non ipſi, ſed procuratori ejus denunciatum eſt, non nocet; quia Senatus ipſi denunciari exegit: niſi forte is, cui denunciatum eſt, eum certioraverit. *d. l. 20. §. 11.*

§. 53. A quo autem denunciatum ſit, Senatus non exigit, quicunque ergo denunciavit, nocebit. *l. 20. §. 11. D. h. t.*

§. 54. Cum vero conſuluerit Senatus *b. f. poſſeſſoribus*, ne in totum damno afficiantur, ſed in id duntaxat teneantur, in quo locupletiores facti ſunt: ſi quem ſum-

Digitized by Google

ſumtum fecerunt ex hereditate, ſi quid dilapidaverunt, perdiderunt, dum re ſua ſe abuti putant, non præſtabunt. *l. 25. §. 11. D. h. t.*

§. 55. Sed &, ſi quid hereditatis nomine ſolverint, vel erogaverint, deducere poſſunt; *l. 17. 31. 50. §. 1. l. 53. D. l. 5. C. h. t.* & ſi pro hereditate ſe obſtrinxerint, vel caverint, indemnes ſervandi ſunt. *l. 20. §. pen. l. 40. §. pen. D. h. t.*

§. 56. Imo & *impenſas* deducere poſſunt. Et quidem *impenſas, quæ ſiunt in fructus præſentis anni* quærendos vel conſervandos, v. *l. 36. §. f. D. h. t. l. 3. §. 1. l. f. D. de impenſ. in rem dot. fact.* tam *m.* quam *b. f.* poſſeſſor de fructibus deducit. *d. l. 36. §. f. l. 37. D. h. t. l. 1. C. de fruct. & lit. exp.*

§. 57. *Impenſas* autem *in res hereditarias factas*, v. *l. 79. pr. §. 1. & ſeqq. D. de V. S. l. 1. §. 1. l. 5. §. 3. l. 7. D de imp. in res dot. fact.* ſive *Neceſſariæ* ſint, ſive *Utiles*, ſive *Voluptuariæ*, *b. f.* poſſeſſor indiſtincte deducit, ſive res extet, ſive non. *l. 38. 39. pr. §. 1. D. h. t.*

§. 58. *Malæ fidei* vero *poſſeſſor impenſas Neceſſarias* etiam quidem deducit, ut & *Utiles*, ſi res meliorata exiſtat; *l. 38. D. h. t.* ſed *Voluptuarias* tantum tollit, in quantum ſine detrimento rei tolli poſſunt. *l. 39. §. 1. D. h. t.*

§. 59. Licet autem hæc Actio ſit realis, propter præſtationes tamen perſonales placuit, ut ei non niſi XXX. annis præſcribatur. *l. 7. C. h. t.*

TITULUS. IV.

Si Pars Hereditatis Petatur.

§. 1.

Poſt Actionem, quam propoſuit Prætor ei, qui ad ſe ſolum hereditatem pertinere contendit, conſequens fuit, & ei proponere, qui partem hereditatis petit. *l. 1. pr. D. h. t.* add. *l. 10. §. 1. D. de hered. pet.*

§. 2. Quod Edicti caput ita conceptum videtur: *Si pars hereditatis petatur, ei, qui partem ad ſe pertinere contendit, adverſus eum, qui aliquid ex ea hereditate poſſidebit, dolove malo fecerit, quominus poſſideat, judicium dabo; ſi vero incertus ſit, quam partem vindicet, ſi mihi juſta cauſa eſſe videbitur, incertæ partis petitionem dabo.* arg. *l. 1. pr. §. ult. D. h. t.*

§. 3. Qui vero hereditatem vel partem hereditatis petit, id non ex eo metitur, quod poſſeſſor occupavit, ſed ex ſuo jure. Et ideo ſive ex aſſe heres ſit, totam hereditatem vindicabit, licet tu unam rem poſſideas: ſive ex parte, partem, licet tu totam hereditatem poſſideas. *l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 4. Quinimo ſi duo poſſideant hereditatem, & duo ſint, qui ad ſe partes pertinere dicant, non ſinguli a ſingulis petere contenti eſſe debent, puta primus a primo, ſecundus a ſecundo; neque enim alter primi, alter ſecundi partem poſſidet, ſed ambo utriusque pro herede. *l. 1. §. 2. D. h. t.*

§. 5. Pe-

§. 5. Petitur autem *Pars hereditatis* vel *Certa*, de qua conſtat, quæ & quanta ſit, cum ſcil. appareat, quot ſint heredes, quo caſu ſinguli ſuas partes petunt, licet, quibusdam deliberantibus, omnes hereditatem nondum adierint. *l. 2. D. h. t.* Vel *Incerta*, ſi ſcil. Petitor extraneus, & coheres adhuc ſit in utero. *l. 1. §. ult. D. h. t.*

§. 6. Si enim pater, relicto uno filio, & uxore prægnante, mortuus ſit, placuit filium interim quartam partem petere poſſe; quia fieri poteſt, ut tergemini naſcantur. *l. 3. D. h. t. l. 28. in f. D. de jud. l. 7. D. de reb. dub.* In qua *l. 3. verſ. Sed & tregeminos.* nihil mutandum videtur.

§. 7. Quæ ipſi officio judicis pro indiviſo præſtatur: *l. 7. D. h. t.* & ſi plures naſcantur, pro rata decreſcet; ſi vero pauciores, augetur. *d. l. 3. 4. D. h. t.*

TITULUS V.

DE POSSESSORIA HEREDITATIS PETITIONE.

§. 1.

Ordinarium fuit poſt civiles actiones heredibus propoſitas, rationem habere Prætorem etiam eorum, quos ipſe velut heredes facit, hoc eſt eorum, quibus Bonorum poſſeſſio data eſt. *l. 1. D. h. t. l. 2. D. de bon. poſſ.*

§. 2. De quo Prætor ita edixiſſe videtur: *Quibus ex Edicto Bonorum Poſſeſſio data eſt, ſi hereditatem partemve ejus petant, non minus atque ipſis heredibus eo nomine judicium dabo.* arg. *d. l. 1. D. h. t.*

§. 3. Eſt itaque *Poſſeſſoria Hereditatis Petitio, Actio in rem Prætoria, competens Bonorum Poſſeſſori, contra eum, qui pro herede vel pro poſſeſſore poſſidet, ad eundem finem, ad quem competit Petitio civilis.*

§. 4. Per hanc *Poſſeſſoriam* enim *Hereditatis Petitionem*, tantundem conſequitur *Bonorum Poſſeſſor*, quantum ſuperioribus civilibus Actionibus heres conſequi poteſt. *l. 2. D. h. t.*

TITULUS VI.

DE FIDEICOMMISSARIA HEREDITATIS PETITIONE.

§. 1.

Ex *ordine* denique proponitur *Actio, quæ* datur *his, quibus reſtituta eſt hereditas. l. 1. D. h. t.*

§. 2. De qua tale Edictum propoſitum videtur: *Qui reſtitutam ſuſcepit hereditatem ex SCto, ex quo actiones tranſeunt, ſi hereditatem partemve ejus petat, ei tanquam heredi judicium dabo.* arg. *l. 1. D. h. t.*

§. 3. Eſt itaque *Fideicommiſſariæ Hereditatis Petitio, quæ competit Fideicom-*

deicommiſſario Univerſali, cui tota hereditas vel pars ex fideicommiſſo reſtituta eſt, contra eum, qui pro herede vel pro poſſeſſore poſſidet, (non contra Fiduciarium, *l. 3. §. 1. D. h. t.) ad vindicandam hereditatem fideicommiſſariam. l. 1. 3. D. h. t.*

§. 4. Quæ Actio eadem recipit, quæ *Hereditatis Petitio Directa. l. 2. D. h. t.*

* *

LIBER VI. TITULUS I.

De Rei Vindicatione.

C. III. 32.

§. 1.

Poſt *Actiones in rem Univerſales*, ſubjiciuntur *Singulares; l. 1. pr. D. h. t.* quæ vel ad *Res Corporales* pertinent, vel *Incorporales.*

§. 2. *Actio in rem Singularis*, quæ ad *Res Corporales* pertinet, κατ' ἐξοχὴν dicitur *Rei Vindicatio.*

§. 3. Licet enim *Vindicationes* in genere dicantur omnes in rem Actiones, *§. 15. I. de act. Rei Vindicatio* tamen *in ſpecie* accepta in rebus corporalibus tantum locum habet. *l. 1. §. 1. 3. l. 6. D. h. t.*

§. 4. De qua Prætor hiſce ſimilibusve verbis edixiſſe videtur: *Si quis rem ſuam eſſe dicat, neque ea res arbitrio judicis reſtituatur, adverſus eum, qui eam poſſidere dicetur, judicium dabo.* arg. *l. 1. §. 1. l. 23. pr. l. 9. 35. §. 1. l. 68. D. h. t. l. 25. D. de O. & A.*

§. 5. Adeoque *Rei Vindicatio* nihil aliud eſt, quam *proprietatis adſertio,* ſeu *Actio in rem Civilis, Specialis, Arbitraria, quæ datur Domino, contra poſſeſſorem, ad id, ut Dominus declaretur, & poſſeſſor rem cum omni cauſa reſtituat.*

§. 6. Eſt hæc *Actio in rem;* quia naſcitur ex Dominio, *l. 9. & 23. pr. D. h. t.* tum pleno & perpetuo, tum nudo ſeu minus pleno, *l. 33. D. h. t.* & temporali ſeu revocabili. *l. 66. D. h. t. l. 9. C. h. t. l. 30. C. de jur. dot.*

§. 7. *Civilis, Specialis.* v. *§. 1. 3. I. de act. l. 1. pr. D. h. t.*

§. 8. *Arbitraria l. 35. §. 1. l. 68. D. h. t.* v. *infr. §. 42.*

§. 9. *Quæ Datur Domino;* qui aut jure gentium, aut jure civili dominium acquiſivit: *l. 23. pr. D. h. t.* ſive tempore litis conteſtatæ dominium jam habeat, ſive poſt litem conteſtatam, ante ſententiam, dominus factus ſit. v. *l. 17. D. mand. l. 9. §. ult. D. de pign. act. l. 56. D. de jud. l. 27. §. 1. D. h. t.*

§. 10. Unde, ſi res duobus ſit vendita, non ei competit, cui priori vendita, ſed ei, cui priori tradita eſt. *l. 72. D. l. 15. C. h. t.*

§. 11. Non itaque competit iis, qui actionem tantum perſonalem habent. *l. 3. D. de O. & A.*

§. 12. Non etiam iis, quorum pecunia res emtæ ſunt; exceptis minoribus & militibus, quibus *Utilis* Vindicatio conceditur. *l. 8. C. h. t. l. 2. D. quand. ex fact. tut. l. 3. C. arb. tut.*

§. 13. Adeoque neque uxori, cujus pecunia dotali fundus emtus eſt. *l. 12. C. de jur. dot.*

§. 14. *Contra poſſeſſorem;* omnemque rei noſtræ detentorem, *l. 9. & 36. D. h. t. §. 1. I. de act. l. 25. pr. de O. & A. l. un. C. de alien. jud. mut. cauſ.* qui tempore rei judicatæ rem habet: ſive tempore litis conteſtatæ poſſideat, ſive poſt litem conteſtatam ante ſententiam poſſidere cœperit. *l. 27. §. 1. D. h. t.*

§. 15. Sic tamen, ut nudi detentores liberentur, nominando auctorem ſuum, cujus nomine poſſident. *l. 2. C. ubi in rem act.*

§. 16. Sive autem Reus poſſideat, ſive dolo vel lata culpa poſſidere deſierit, nihil intereſt. *l. 27. §. 3. D. h. t. l. 36. pr. l. 131. & 157. §. 1. D. de R. J. l. 226. de V. S.*

§. 17. Qui in id condemnatur, quanti Actor in litem juraverit, ſic ut ne actiones quidem ei cedantur. *l. 63. 69. 70. D. h. t.* Licet officio Prætoris ei aliquando ſuccurratur. *l. 12. D. de re jud.*

§. 18. Datur etiam contra eum, qui fraudulenter liti ſe obtulit, niſi actor eum non poſſidere ſciverit. *l. 7. 25. 26. D. h. t.*

§. 19. Contra heredes poſſeſſorum datur, quatenus poſſident. *l. 42. & 55. D. h. t.*

§. 20. Si vero defunctus dolo poſſidere deſierit, datur contra heredes *Actio in factum*, quatenus ex illa re locupletiores facti ſunt; *l. 52. D. h. t.* vel ſi aliud quid condemnatione dignum poſt litem conteſtatam admiſerit, heredes etiam, licet non poſſideant, propterea condemnantur. *l. 42. D. h. t.*

§. 21. Quanquam autem hæc Actio detur domino contra poſſeſſorem, neceſſe tamen non eſt, ut poſſeſſor titulum poſſeſſionis ſuæ edat: *l. 73. D. l. ult. C. h. t.* licet in *Hereditatis petitione* ſecus ſit; *l. 11. C. de her. pet.* quæ non niſi contra eum, qui pro herede vel pro poſſeſſore poſſidet, locum habet. *l. 9. D. de her. pet.*

§. 22. Ut itaque Actor hac Actione agens vincat, ex ſua parte dominium, v. *l. 23. pr. D. h. t.* ex parte Rei vero poſſeſſionem probare debet. *l. 9. D. h. t. l. 2. & 18. C. de prob. l. 24. 36. D. l. ult. C. h. t.*

§. 23. Quod ſi vero Reus per mendacium ſe poſſidere neget, poſſeſſio ad petitorem transferenda eſt. *l. ult. D. h. t.*

§. 24. *Ad rem cum omni cauſa reſtituendam; l. 13. 17. §. 1. D. h. t.* corporalem ſcil. *§. 1. I. de act. l. 1. §. 1. D. h. t.* in commercio & dominio noſtro conſtitutam; *l. 23. §. 1. D. h. t.* non tantum mobilem, ſed & immobilem, *l. 1. §. 1.*

l. 56.

Digitized by Google

l. 56. D. h. t. §. 1. I. de act. non tantum unam, ſed & gregem, armentum, & equitium, cæteraque, quæ gregatim habentur. *l. 1. §. 3. l. 2. pr. l. 56. D. h. t.*

§. 25. Dummodo res deſignetur, quæ vindicatur, & utrum tota, an pars petatur; appellatio enim *Rei* non genus, ſed ſpeciem ſignificat. *l. 6. D. h. t.*

§. 26. Datur etiam ad id, quod ex re noſtra ſupereſt: *l. 49. §. 1. D. h. t.* niſi forte alii rei junctum ſit. *l. 23. §. 5. D. h. t.*

§. 27. Quo caſu, *ſiquidem ſeparari poſſit*, ad exhibendum agi, & ita vindicari poteſt; *d. l. 23. §. 5. D. h. t. l. 6. D. ad exhib. Si vero ſeparari nequeat, Vindicatio* ceſſat, & *Actione in factum* ad pretium conſequendum agendum eſt. *d. l. 23. §. 5.*

§. 28. Non datur ad res extra commercium poſitas, veluti liberas perſonas, res ſacras, ſimileſque; *l. 1. §. 2. l. 23. §. 1. D. h. t.* non ad tignum alienis ædibus junctum; *l. 23. §. 6. D. h. t. l. 7. §. 10. D. de A. R.* D. *§. 29. I. de R. D. l. 1. D. de tign. junct.* neque ad res incorporales, juriſve univerſitates, veluti peculium. *l. 56. D. h. t.*

§. 29. Datur autem non ſolum ad rem reſtituendam, ſed & ad *rei cauſam* & acceſſiones: *l. 17. §. 1. D. h. t.* veluti ad ea, quæ per alluvionem accreverunt, *l. 34. D. h. t.* ædificium in fundo poſitum. *l. 16. C. h. t.* uſumfructum, qui inter moras litis ad proprietatem rediit, *l. 33. D. h. t.* denique ad partus, fructus, & quicquid poſſeſſor poſt judicium acceptum, ex re non ſua, percepit. *l. 17. §. 1. l. 20. & 34. D. h. t.*

§. 30. *Res* enim *reſtitui* non videtur, niſi ſimul, & fructus, & cauſa actori reddatur, quam is habiturus eſſet, ſi ſtatim judicii accepti tempore res ei reddita fuiſſet. *l. 38. §. 4. D. de uſur. l. 35. 81. & 246. §. 1. de V. S. l. 173. §. 1. D. de R. J.*

§. 31. Quantum autem ad reſtitutionem *fructuum* attinet, inter *Bonæ* & *Malæ fidei poſſeſſores* diſtinguendum eſt.

§. 32. *Bonæ fidei poſſeſſor* (qualis eſt, quamdiu ignorat rem alienam eſſe, vel lis nondum conteſtata eſt, *l. 23. §. 1. l. 48. §. 1. D. de A. R. D. l. 22. C. h. t.*) fructus perceptos omnes ſuos facit; *l. 48. pr. D. de A. R. D.* tam *Naturales tantum*, quam *Induſtriales: l. 13. pr. D. quib. mod. uſusfr. am. §. 35. I. de R. D.* Adeo, ut de conſumtis non teneatur, *d. §. 25.* licet factus ſit locupletior. *l. 4. §. 2. D. fin. reg. §. 2. I. de off. jud.* Quanquam in *Hereditatis Petitione* ſecus ſit. *l. 25. §. 11. D. l. 1. §. 1. C. de hered. pet.* v. ſupr. *ad t. de her. pet. §. 29.*

§. 33. Nulloſque niſi extantes reſtituit: *l. 22. C. h. t.* quos quidem pleno jure ſuos fecit; *l. 28. D. de uſur.* ſed tantum *interim*, i. e. revocabiliter. *d. l. 48. pr. D. de A. R. D.*

§. 34. *Malæ fidei poſſeſſor* vero, ſive titulum habeat, ſive non, omnes omnino fructus reſtituere debet, non tantum extantes, ſed & conſumtos, non tantum perceptos, ſed & percipiendos, ſi modo vel petitor vel poſſeſſor eos honeſte per-

Digitized by Google

cipere potuerit, §. 35. *I. de R. D. l. 33. 35. §. 1. l. 62. §. 1. D. h. t. l. 5. C. h. t. l. 39. §. 1. de leg. 1. l. 4. C. unde vi.*

§. 35. Plane *Impenſas*, ſi quas fecerint poſſeſſores, ſervare poſſunt.

§. 36. Et quidem *Impenſas fructuum percipiendorum cauſa factas*, omnes, ſive *b. f.* ſive *m. f. poſſeſſores* ſint, deducunt. *l. 36. §. ult. D. de her. pet. l. 51. D. fam. erc. l. 46. de uſur. l. 7. D. ſol. matr.*

§. 37. *Impenſas* autem *in rem factas*, *Neceſſarias b. f.* poſſeſſor deducit, *l. 48. D. h. t. l. 38. D. de her. pet.* ut & *Utiles*, ſi modo res melior exiſtat, neque domino proprietatis nimis graves ſint; *d. l. 48. 38. & 27. §. ult. l. 29. D. h. t. Voluptuarias* vero tantum tollit, quatenus ſine detrimento rei id fieri poteſt: *l. 38. in f. D. h. t.* licet in hereditatis petitione ſecus ſit. *l. 39. §. 1. D. de her. pet.* v. ſupr. ad *t. de her. pet. §. 57.*

§. 38. *Malæ fidei poſſeſſor* (niſi ſit fur vel prædo, *l. 13. D. de cond. furt. l. 1. C. de infant. exp.*) *Neceſſarias* etiam deducit; *l. 5. C. h. t.* ſed *Utiles* & *Voluptuarias* tantum tollit. *l. 37. D. l. 5. C. h. t.*

§. 39. Ad quas ſervandas tamen *Retentio* tantum, & *Doli mali exceptio*, non etiam *Actio* competit. *l. 48. D. h. t.* §. *30. I. de R. D. l. 7. §. 12. D. de A. R. D. l. 33. D. de cond. indeb. l. 14.* D. *de dol. mal. & met. exc.*

§. 40. *Pretium* pro re, quæ vindicatur, ſolutum, nec *bonæ* nec *malæ fidei poſſeſſor* repetere poteſt: *l. 2. & 23. C. h. t. l. 2. C. de furt.* niſi pretium in Actoris utilitatem verſum; *l. 16. C. de præd. min.* vel res alias fuiſſet peritura; vel ab hoſtibus redemta ſit. *l. 6.* D. *de captiv.*

§. 41. Si res, quæ vindicatur, *caſu* fortuito perierit ante litem conteſtatam, neque *bonæ* neque *malæ fidei poſſeſſor* tenetur, niſi prædo ſit. *l. 8.* D. *de cond. furt.*

§. 42. Si poſt litem conteſtatam, *b. f. poſſeſſor* non tenetur; *l. 40. pr.* D. *de her. pet.* ſed *ſimplex malæ fidei poſſeſſor* tenetur: *d. l. 40.* niſi res eodem modo apud dominum peritura fuiſſet. *l. 15. §. ult.* D. *h. t.*

§. 43. Quod ſi vero Reus, arbitrio judicis condemnatus, rem cum omni cauſa non reſtituat, manu militari res auferri, & ſi dolo poſſidere deſierit, contra eum in litem jurari poteſt. *l. 68.* D. *h. t.*

§. 44. Eſt autem *Rei Vindicatio* alia *Directa*, de qua adhuc actum eſt, alia *Utilis*, *l. un. §. 5. C. de rei ux. act.* quæ naſcitur ex *Jure Dominio proximo*, (quod *Dominium Utile* dici ſolet) aliove ſimili.

§. 45. Daturque I. Superficiario; *l. 73.* §. *1. l. 74. 75.* D. *h. t.* de quo Prætor ſubjeciſſe videtur: *Superficiario cauſa cognita idem judicium dabo.* arg. *dd. ll.*

II. Emphyteuticario; *l. 1. §. 1.* D. *ſi ag. vect.*

III. Ceſſionario; *l. 5. 7. & f. C. de hered. vel act. vend.*

IV. Similibusque. v. *l. 5. §. 3.* D. *§. 34. I. de R.* D. *l. 8. C. h. t. l. 29. 30.* D. *de mort. cauſ. don. l. 1. C. de don. quæ ſub mod.*

TITU-

TITULUS II.

De Publiciana In Rem Actione.

§. 1.

Rei vindicatio Civilis, de qua ſuperiore *tit.* actum eſt, Domino ſeu Proprietario competit. Sed habet etiam rationem Prætor eorum, qui proprietariis ſimiles ſunt, eisque dat vindicationem non minus quam proprietariis, cujus generis ſunt Bonæ fidei poſſeſſores, quibus amiſſa poſſeſſione datur *Publiciana in rem actio.* v. *l. 7. §. 6. D. h. t.*

§. 2. Ait Prætor: „*Si qui bona fide emit, id quod traditum* (ſic leg. vid.) „*ex juſta cauſa, non a domino, & nondum uſucaptum petet, judicium dabo.*„ *l. 1. pr. l. 7. §. 11.* D. *h. t.*

§. 3. Ait Prætor, „*Si qui bona fide emit;*„ non enim omnis emtio proderit, ſed ea, quæ bonam fidem habet. Quam ratione emtoris adeſſe ſufficit, licet venditor callido conſilio vendiderit. *l. 7. §. 11.* D. *h. t.*

§. 4. „*Id quod traditum;*„ *Traditionis* facit mentionem, quia amiſſa poſſeſſione demum competit *Publiciana*, multæque juris ſunt partes, quibus dominium ſine traditione quis nanciſcitur: in quibus tamen, ut *Publiciana* locum habeat, Traditio etiam neceſſaria eſt. *l. 1. §. 2. l. 2. 3. pr.* D. *h. t.*

§. 5. „*Ex juſta cauſa;*„ qui igitur juſtam cauſam traditionis habet, utitur *Publiciana.* Et non ſolum Emtori bonæ fidei competit *Publiciana*, ſed & aliis, ut puta ei, cui dotis nomine tradita res eſt, nec dum uſucapta; eſt enim juſtiſſima cauſa, ſive æſtimata res in dotem data ſit, ſive non. Item ſi res ex cauſa judicati ſit tradita, vel ſolvendi cauſa, vel ex cauſa noxæ deditionis, ſimilive. v. *l. 3. §. 1. l. 4. 5. 6. 7. pr. §. 1. & ſeqq. l. 13.* D. *h. t.*

§. 6. „*Non a domino;*„ ſi enim tradens dominus fuiſſet, dominium etiam translatum, adeoque hac Actione opus non eſſet. *§. 40. I. de R. D.*

§. 7. „*Et nondum uſucaptum petet;*„ merito Prætor ait *nondum uſucaptum.* Nam ſi uſucaptum eſt, habet Civilem Actionem, nec deſiderat Honorariam. *l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 8. „*Judicium dabo;*„ concedendo ſcil. *Actionem Publicianam. §. 4. I. de act.*

§. 9. Eſt autem *Actio Publiciana*, vel *Publiciana in Specie* ſic dicta, vel *Reſciſſoria.* v. *l. 35. D. de O. & A. l. 57. D. mand.* v. ſupr. *ad t. ex q. c. maj. §. 37.*

§. 10. *Actio Publiciana in Specie* ſic dicta, eſt *Actio Prætoria, in rem, ex dominio Prætorio deſcendens, qua is, qui rem alienam, a non Domino, ex juſta cauſa, & bona fide, accepit, ejusque poſſeſſionem, priusquam eam uſucepit, caſu amiſit, agit contra poſſeſſorem, qui deteriori jure poſſidet, ut quaſi uſucaptam reſtituat. §. 4. I. de act.*

§. 11. Appellatur *Publiciana*, quoniam primum a *Q. Publicio Prætore* (qui cum M. Junio Prætor fuit Urbanus, v. Cic. *Pro Cluent. c.* 45.) in Edicto propoſita eſt. *§. 4. in f. I. de act.*

§. 12. Unde & recte dicitur *Prætoria;* Actio enim *directa*, i. e. Jure Civili prodita, hoc caſu non dabatur, *d. §. 4.* quia Jure Civili rei vindicatio non datur, niſi vero rei domino. *l. 23. pr. D. de R. V.* Cum autem durum eſſet, eo caſu Actionem deficere, inventa eſt a Prætore Actio, in qua dicit is, qui poſſeſſionem amiſit, eam rem ſe uſucepiſſe, quam uſu non cepit, & ita vindicat ſuam eſſe. *d. §. 4.*

§. 13. Oritur *ex dominio Prætorio ficto;* fingitur enim hic uſucepiſſe, qui revera non uſucepit. *§. 4. I. de act. l. 7. §. 6. D. h. t.*

§. 14. Datur ei, *qui rem alienam accepit a non domino, bona fide, & ex juſta cauſa*, adeoque in uſucapiendi conditione poſitus eſt. *d. §. 4. I. de act. l. 1. pr. §. 1. & ſeqq. l. 7. §. 2. ult. l. 12. §. 4. D. h. t.*

§. 15. Ut enim *Publiciana* competat, hæc debent concurrere, ut bona fide v. c. quis emerit, & ei res emta eo nomine ſit tradita. *l. 7. §. 16. 17.* D. *h. t.*

§. 16. A quo quis emerit, vel ex juſta cauſa acceperit, nihil intereſt. Unde, qui a furioſo emit, & uſucapere poteſt, & *Publicianam* habet, contra extraneum ſcil. *l. 7. §. 2.* D. *h. t.* non vero contra ipſum furioſum: Ita acc. *l. 2. §. 16.* D. *pro empt.* Ut & ſi quis a minore emerit, ignorans eum minorem eſſe. *l. 7. §. 4. D. h. t.*

§. 17. Si duobus quis ſeparatim vendiderit bona fide ementibus, ſi quidem ab eodem non domino emerint, potior eſt, cui priori res tradita eſt: quod ſi a diverſis non dominis, melior eſt cauſa poſſidentis; *l. 9. §. 4. D. h. t.* quod ſi vero tertius poſſideat, is tuendus eſt, qui prior jus ejus apprehendit, hoc eſt, cui primum tradita eſt. *l. 31. §. ult. D. de act. emt.*

§. 18. Datur etiam Emphyteuticario, Superficiario, Fructuario, *l. 12. §. 2. 3. l. 11. §. 1.* D. *h. t.* eorumque heredibus. *l. 7. §. 12.* D. *h. t.*

§. 19. Non vero Domino, qua tali; *l. 1. §. 1. D. h. t. l. 18. D. de pign.* qui tamen, ſi tanquam *b. f.* poſſeſſor hac actione agere velit, audiendus videtur.

§. 20. Datur *contra Poſſeſſorem, qui deteriori jure poſſidet:* qualis eſt, qui deſtituitur juſto titulo, & bona fide; *l. ult. D. h. t.* vel rem emit, poſtquam priori jam eſt tradita. *d. l. 9. §. 4. D. h. t.*

§. 21. Unde neque contra eum, qui prior æque bona fide emit & accepit, *d. l. 9. §. 4.* neque contra ipſum dominum locum habet. *l. pen. l. ult. D. h. t.*

§. 22. Niſi I. Is, qui tradidit, poſtea demum dominium nactus ſit. *l. 72. D. de R. V. l. 4. §. 32. D. de dol. exc.*

II. Actor

Digitized by Google

II. Actor rem a non domino nactus ſit, ex cauſa, ex qua ipſe verus dominus conveniri poterat. *l. 28. D. de noxal. act. l. 8. §. 13. D. de damn. inf.*

III. Res actori contra dominum, qui eam petebat, per ſententiam ſemel addicta ſit. *l. 24. D. de exc. rei jud.*

IV. Actor jusjurandum, ſibi a domino delatum, præſtiterit. *l. 7. §. 7. D. h. t.*

V. Dominus litis æſtimationem perceperit. *l. 63. D. de R. V.*

§. 23. Ad hoc, *ut rem quaſi uſucaptam cum omni cauſa reſtituat*; v. *d. §. 4. I. h. t.* in *Publiciana* enim omnia *fere* eadem ſunt, quæ & in vindicatione diximus. *l. 7. §. 8. D. h. t.*

§. 24. *Ceſſat* I. in rebus, quæ alienari, vel uſucapi nequeunt. *l. 9. §. 5. l. 12. §. 4.* D. *h. t.*

II. Si petitor non caſu, ſed dolo vel culpa poſſeſſionem amiſerit. *l. 69. 70. D. de R. V.*

III. Contra dominum, vel juſto titulo poſſidentem. *l. pen. l. 9. §. 4. D. h. t. l. 128. D. de R. J.*

IV. Si præſcripta ſit. *l. 35. D. de O. & A. pr. I. de perp. & temp. act.*

TITULUS III.

Si Ager Vectigalis, Id Est Emphyteuticarius, Petatur.

C. IV. 66.

§. 1.

Ejusdem generis ſunt *Emphyteuticarii*; nam & hi *Proprietarios* imitantur, eisque perinde ac proprietariis Prætor accommodat in rem Actionem, quæ *Vectigalis*, v. *l. 15. §. 26. D. de damn. inf.* ſeu *de fundo Vectigali* dicitur. *l. 66. pr. D. de evict.*

§. 2. De qua Prætor ita edixiſſe videtur: *Si ager Vectigalis petatur, cauſa cognita judicium dabo.* arg. *h. t.*

§. 3. *Vectigal* in *genere* omnem penſionem ſignificat, tam publicam, quam privatam; v. *l. 17. § 1.* junct. *l. 203.* D. *de V. S. l. 59. §. 2. D. de uſufr.* in *ſpecie* vero vel eam, quæ pro invectione vel evectione mercium ſolvitur, *Rubr. de publican. & vectig.* vel eam, quæ pro agris vectigalibus, civitatum maxime, ſolvitur. *l. 1. pr. §. 1. l. 2. D. h. t.*

§. 4. *Agri Civitatum* enim alii *Vectigales* vocantur, alii non. *Vectigales* vocantur, qui in perpetuum locantur, i. e. hac lege, ut tamdiu pro his vectigal pendatur, quamdiu neque ipſis, qui conduxerint, neque his, qui in locum eorum ſucceſſerint, auferre liceat; qui alio nomine *Emphyteuticarii* dicuntur. *h. t. l. 15. §. 1. D.*

§. 1. D. qui ſatisd. cog. Non Vectigales vero ſunt, qui ita colendi dantur, ut privatim agros noſtros colendos dare ſolemus. *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 5. Eſt autem *Ager Vectigalis*, ſeu *Emphyteuticarius*, *h. t. l. 15. §. 1. qui ſatisd. cog.* Ager in Emphyteuſin datus.

§. 6. *Emphyteuſis* vero (quæ ἀπὸ τοῦ ἐμφυτεύειν, i. e. *inſerere, implantare*, & per metaphoram *cultius & melius reddere*, ſic dicta) ſignificat vel Rem Emphyteuticariam, vel Contractum, *l. 1. C. de jur. emph.* vel Jus Emphyteuticum. *l. 2. pr. l. 3. in f. C. eod.*

§. 7. Quod acquiritur maxime per *Contractum Emphyteuſeos*, *l. 1. §. 1. D. h. t. §. 3. I. de loc. cond. l. 1. C. de jur. emph.* ſeu *Emphyteuticarium. l. 2. pr. C. de jur. emph.*

§. 8. Qui eſt *Contractus conſenſualis*, (Scriptura probationis tantum gratia intercedit, *l. 1. C. h. t.*) *juris Gentium, bonæ fidei, quo dominus, prædii ſui uſum & fructum, & jus dominio proximum, alteri, in perpetuum, l. 1. pr. §. 1.* D. *h. t. aut ad tempus non modicum, l. 3. D. h. t. l. 1. §. 3. D. de ſuperfic. concedit, ea lege, ut in agnitionem dominii certum annuum vectigal ſeu canonem ſolvat. l. 1. pr. D. h. t. l. 1. 2. 3. C. de jur. emph. §. 3. I. de locat. cond.* junct. *§. 28. I. de act.*

§. 9. Prædia primum ea lege colenda & melioranda concedebantur ſterilia, poſtmodum autem & fertilia, imo & ipſa ædificia. *l. 15. §. 26. D. de damn. infect. Nov. 120. c. 1.* §. *ult. Auth. Si quas. C. de SS. Eccleſ.* Neque *Secularia* tantum, ſed & *Eccleſiaſtica* in Emphyteuſin data ſunt. *N. 120. c. 1. pr. §. 1. 2. c. 6. §. 1. 2. Nov. 55. c. 2.*

§. 10. Unde Emphyteuſis in *Eccleſiaſticam, & Civilem* ſeu *Secularem*, non male dividitur.

§. 11. Ex hoc Contractu naſcitur *Actio perſonalis Emphyteuticaria, quæ utrimque directa eſt: & Emphyteutæ quidem datur, contra dominum, ad Emphyteuſin ſecundum pacta conventa præſtandam; Domino* autem *Emphyteuſeos, contra Emphyteutam, ad ſolvendum Vectigal*, ſeu *annuum Canonem*. arg. *l. 1. C. h. t. §. 3. I. de locat. cond.*

§. 12. Traditione vero facta (non ante; arg. *l. 20. C. de pact.*) conſequitur Emphyteuta *Jus in re dominio proximum*, quod DD. *Utile Dominium* vocant. *l. 3. §. 4. D. de reb. cor. qui ſub tut. l. 3. C. h. t.*

§. 13. Ut jus non tantum habeat, fructus, omnemque rei utilitatem percipiendi, (quod & conductori & fructuario conceſſum eſt,) ſed & ſervitutem imponendi, *l. 1. §. ult.* D. *de ſuperf.* oppignorandi, *l. 16. §. 2.* D. *de pign. act. l. 31.* D. *de pign.* donandi, permutandi, *l. 1. C. de fund. patr.* & quoquo modo, etiam invito domino, (dummodo *laudemium* i. e. L. pars pretii ei a novo Emphyteuta ſolvatur; *l. 3. C. h. t.*) ad alium transferendi. *l. 1.* D. *h. t. l. 3. C. de jur. emph.*

§. 14.

§. 14. Excepta cauſa Venditionis. Si quis enim Emphyteuſin velit vendere, ſignificare iſtud domino debet, nec non pretium ab aliis oblatum; habetque dominus ſi emere velit, & voluntatem intra duos menſes declaret, jus *προτιμήσεως*. *l. 3. C. de jur. emph.*

§. 15. Quod ſi theſaurus in fundo Emphyteutico inveniatur, pro parte dimidia cedet Emphyteutæ, pro parte dimidia domino Emphyteuſeos. arg. *§. 39. I. de R. D. l. 7. §. 12. D. ſol. matr.*

§. 16. Quemadmodum autem omnem utilitatem Emphyteuta percipit, ſic & æquum eſt, ut omnia onera rei inhærentia ſuſtineat.

§. 17. Hinc tributa quotannis Fiſco ſolvere, & apochas fiſcales, quibus tributa Fiſco ſoluta probare poſſit, domino præſtare tenetur. *l. 2. C. de jur. emph.*

§. 18. Hinc etiam, ſi aliud dictum non ſit, univerſæ quidem rei interitus ad dominum, particulare vero damnum ad Emphyteutam ſpectat, etiamſi majorem fundi partem calamitas abſorpſerit. *l. 1. C. h. t.*

§. 19. Eandem ob cauſam, Emphyteuta, propter ſterilitatem, hoſtiumve incurſionem, remiſſionem canonis (in conductione ſecus eſt, *l. 25. §. 6. D. locat.*) impetrare nequit; Vectigal enim ſeu Canon non pro modo fructuum, qui ex fundo percipi ſolent, uti merces in locatione conductione, ſed in recognitionem dominii tantum ſolvitur. arg. *l. 1. pr. §. 1. D. h. t. §. 3. I. de locat. cond. l. 1. C. h. t.*

§. 20. Conſtituitur autem vel *Simpliciter* vel *Determinative.*

§. 21. Si *Simpliciter* & nulla facta mentione heredum vel liberorum, ſive Civilis ſit, ſive Eccleſiaſtica, ad omnes heredes tranſit. *l. 1. pr. D. h. t.* arg. *Nov. 120. c. 6. §. 1.*

§. 22. Si *Determinative*, diſtinguendum, an certæ *familiæ*, an vero *certis perſonis* conſtituta ſit? *Priori* caſu durat, quamdiu aliquis ex familia ſuperſtes eſt: *Poſteriori* perſonas non transgreditur. arg. *N. 7. c. 3.* junct. *N. 120. c. 1. pr. c. 6. pr. §. 1.*

§. 23. Non tamen per *Contractum Emphyteuſeos* tantum jus Emphyteuticum acquiritur, ſed etiam per alios, ut per *Ultimas voluntates*, arg. *l. 26. pr. D. de pign. act. §. 1. I. de uſufr. §. ult. I. de ſerv.* nec non per *longi temporis præſcriptionem*. arg. *l. ult. C. de præſcr. long. temp.*

§. 24. Ex quo Jure Emphyteutico naſcitur *Actio in rem*, qua *Emphyteuta rem, ab omni poſſeſſore, etiam ab ipſo Domino Emphyteuſeos, vindicare poteſt. l. 1. §. ult. l. ult. D. h. t.*

§. 25. *Finitur* vero Emphyteuſis I. *Conſolidatione;* quæ fit vel moriente Emphyteuta, nullis relictis ſucceſſoribus; vel tempore conſtitutæ Emphyteuſeos præterlapſo; *l. 3. D. h. t.* vel Præſcriptione: ſive Dominus debito tempore & modo rem Emphyteuticam poſſederit, ſive Emphyteuta dominium, canonem

non ſolvendo, contra dominum per tempus, legibus conſtitutum, præſcripſerit. arg. *l. 15. §. 27. D. de damn. inf.*

§. 26. II. *Totius rei interitu. l. 1. in f. C. de jur. emph.*

§. 27. III. *Si Emphyteuta Canonem in Emphyteuſi ſeculari intra triennium, l. 2. C. de jur. emph. in Eccleſiaſtica intra biennium, N. 7. c. 3. §. 2. N. 120. c. 8. Auth. Qui rem. C. de SS. Eccl. non ſolverit*, vel *apochas tributorum non exhibuerit, d. l. 2.*

§. 28. Quo caſu Emphyteuſis amittitur ipſo jure, ut ſententia judicis non deſideretur; *d. l. 2.* licet Dominus propria auctoritate Emphyteutam expellere nequeat. arg. *l. 13. D. quod met. c.*

§. 29. Quod & in parte canonis non ſoluta verum eſt; ut &, ſi unus tantum ex Emphyteutæ heredibus non ſolverit, tota res in commiſſum cadat. arg. *l. 7. D. comm. div. l. 41. §. 1. D. de uſur. l. 3. D. fam. erc.*

§. 30. Adeo quidem, ut Emphyteuta moram per canonis oblationem purgare nequeat; *l. 2. C. de jur. emph. l. 2. C. de fund. patr.* neque dominus huic pœnæ renunciaſſe cenſeatur, quamvis poſt triennium, ſine proteſtatione, canonem ceſſantem recipiat. *Auth. Qui rem. C. de SS. Eccl. N. 120. c. 8.*

§. 31. Exc. I. Si canonem oblatum dominus accipere recuſaverit, eumque oblatum in æde ſacra, vel apud acta Emphyteuta depoſuerit. *l. 2. in f. C. de jur. emph. l. 19. C. de uſur. l. 9. C. de ſol.*

II. Si nemo exiſtat, cui penſionem ſolvat, velnti jacente hereditate domini defuncti. *l. 21. & ſeq. D. de uſur.*

III. Si Emphyteuta debitam ſibi a domino pecuniam cum canone compenſet. arg. *§. 30. I. de act.*

§. 32. IV. Perit Emphyteuſis, *ſi totam rem Emphyteuticam*, (ſi partem vendiderit, pars tantum vendita ad dominum revertitur, arg. *L. II. F. t. 58.*) *ignorante domino, emtionis titulo, in alium tranſtulerit. l. 3. C. de jur. emph.*

§. 33. Si vero donaverit, legaverit, permutaverit, ſecus eſt. *l. 71. §. f. de legat. 1. l. 16. §. ult. D. de pign. act. l. 3. C. de jur emph.*

§. 34. Diverſi juris ratio eſt, quod ſi jus ſuum vendat, nihil ipſius interſit, a quo pretium accipiat, an a domino, an ab ullo alio: ut adeo dominus aliis merito præferendus ſit. Reliquæ autem cauſæ fiunt vel propter affectum erga aliquem, ut in donatione; vel propter utilitatem, ut in permutatione, & oppignoratione.

§. 35. V. Et ultimo, *ſi Emphyteuta rem* in Emphyteuſin datam, *vel dolo, vel culpa inſigniter reddat deteriorem. Auth. Qui rem. C. de SS. Eccl.*

§. 36. Finita autem Emphyteuſi, Meliorationes, niſi plane extraordinariæ fuerint, arg. *l. 38. D. de her. pet. §. 30. I. de R. D. l. 61. D. locat.* ad dominum pertinent. *l. 2. C. de jur. emph. N. 120. c. 8.*

LIBER

LIBER VII. TITULUS I.

De Usufructu, Et Quemadmodum Quis Utatur Fruatur. C. III. 33.

§. 1.

Actio *In rem Singularis*, quæ ad Res *incorporales* pertinet, eſt Actio *Confeſſoria*, qua *Servitutes* vindicantur. *§. 2. I. de act.*

§. 2. *Servitus* autem hic eſt *jus conſtitutum, l. 5. §. 9. D. de O. N. N. in re aliena. l. 26. D. de S. P. U. l. 5. pr. D. ſi uſusfr. pet. l. 31. §. 1. D. de S. P. R. quo dominus iſtius rei cogitur aliquid in ſuo pati, vel non facere, l. 15. §. 1. D. de ſervit. in utilitatem ſeu commodum perſonæ, vel rei alterius. d. l. 15. pr.*

§. 3. *Servitus* eſt *Jus conſtitutum ;* i. e. facultas jure conceſſa: v. *pr. I. de ſervit. l. 1. pr. §. 1. D. de S. P. R. l. 2. D. de S. P. U. l. 1. D. h. t. pr. I. de uſufr.* reſpectu ejus ſcil. cui debetur, & prædii dominantis ; reſpectu ejus enim, a quo debetur, & prædii ſervientis, eſt juris privatio ſive imminutio, *l. 5. §. 9. D. de O. N. N.*

§. 4. *In re aliena;* nam non fieri poteſt, ut res propria cuiquam ſerviat. *l. 26. D. de S. P. U. l. 5. pr. D. ſi uſusfr. pet. l. 33. §. 1. D. de S. P. R. l. 10. D. comm. præd.*

§. 5. *Quo dominus iſtius rei cogitur aliquid in ſuo pati, vel non facere ;* Servitutum enim non ea natura eſt, ut aliquid faciat quis, (veluti viridia tollat, aut amœniorem proſpectum præſtet, aut ut in ſuo pingat) ſed ut aliquid patiatur, aut non faciat. *l. 15. §. 1. D. de ſerv. l. 6. §. 2. D. ſi ſerv. vind.*

§. 6. *In utilitatem ſeu commodum;* niſi enim Servitus commodum aliquod ſeu utilitatem contineat, nulla eſt. *d. l. 15. pr.* Licet neceſſe non ſit, ut ſtatim ſit utilis, & utilitas etiam futura ſufficiat. Ita acc. *l. pen. D. de ſerv.* v. *l. 10. D. de S. P. R.*

§. 7. *Rei vel perſonæ alterius;* Servitutes enim aut *Perſonarum* ſunt ſeu *Perſonales*, aut *Rerum* ſeu *Reales. l. 1. D. de ſervit. l. 32. D. h. t. l. 12. D. de ann. legat.*

§. 8. *Servitutes Rerum,* ſeu *Reales* (quæ & *Prædiorum* dicuntur) ſunt, *cum Prædium ſervit Prædio ;* quales ſunt *Servitutes Ruſticorum Prædiorum* & *Urbanorum. l. 1. D. de ſerv.* De quibus ad *t. t. de S. P. U.* & *S. P. R.*

§. 9. *Servitutes* vero *Perſonarum*, ſeu *Perſonales* ſunt, *cum res ſervit perſonæ:* quales ſunt *Uſusfructus*, *Servitus operarum*, *Uſus*, & *Habitatio. l. 1. D. de ſerv.*

§. 10. *Uſusfructus* autem, qui *h. t.* præmittitur, accipitur vel *in genere*, vel *in ſpecie*.

§. 11. *Uſusfructus in genere acceptus*, eſt quælibet fructuum perceptio, etiam jure dominii facta. Qui DD. *Cauſalis*, v. *l. 21. §. 3. D. de except. rei jud. l. 126. §. 1. D. de V. O.* & *Pars Dominii* dicitur Paulo in *l. 4. D. h. t.*

§. 12. *Uſusfructus* vero *in ſpecie* ſic dictus, eſt *Servitus perſonalis a proprietate ſeparata.* Qui *Formalis* vocari ſolet, & eſt vel *Verus*, vel *Quaſi talis. §. 2. I. h. t.*

§. 13. *Verus Uſusfructus* eſt *Jus alienis rebus utendi fruendi, ſalva rerum ſubſtantia. l. 1. D. h. t. pr. I. h. t.*

§. 14. Dicitur *Uſusfructus Jus;* i. e. facultas jure conceſſa, quod nomen omnibus ſervitutibus commune eſt. v. *ſupr. §. 3.*

§. 15. Quod Jus conſtituitur vel *Ipſo jure*, vel *Facto hominis.*

§. 16. *Ipſo jure* Uſusfructus conſtituitur. I. Patri in bonis adventitiis filiifam. *l. 6. C. de bon. quæ lib. §. 1. I. per quas perſ. cuique acq.* exceptis quibusdam caſibus; de quibus *infr. ad t. de pecul.*

II. Patri in dimidia parte bonorum adventitiorum filii emancipati. *d. l. 6. §. 3. C. de bon. quæ lib. §. 2. I. per quas perſ.*

III. Conjugi ad ſecundas nuptias tranſeunti, in bonis, ex liberalitate defuncti conjugis, aut ſucceſſione liberorum, perceptis. *l. 3. 5.* & *Auth. ſeq. C. de ſec. nupt. N. 22. c. 46.*

IV. Matri inopi in bonis liberorum, cum ipſa patri defuncto ſuccedentium. *Nov. 117. c. 5.*

§. 17. *Facto hominis* conſtituitur, vel a *Judice*, vel a *Privato.*

§. 18. *A Judice* conſtituitur in Judiciis diviſoriis, ſi res alium exitum non habeat. *l. 6. §. 1. D. h. t. l. 6. §. 10. D. commun. div. l. 16. §. 1. D. fam. erciſc. §. 4. & ſeqq. I. de off. jud.*

§. 19. *A Privato* vero conſtituitur *Voluntate*, vel *expreſſa*, vel *tacita & præſumta.*

§. 20. *Voluntate expreſſa* conſtituitur, vel per ultimam voluntatem; *§. 1. I. l. 3. & 6. pr. D. h. t. t. t. D. de uſu & uſufr. leg.* v. *l. 80. de leg. 2. l. 64. de furt.* Vel inter vivos per Pactiones & Stipulationes, *d. §. 1.* accedente ſcil. quaſi traditione, quæ fit, vel per ceſſionem, *l. 39. D. de S. P. U. l. 11. & 14. D. de S. P. R.* vel per uſum Fructuarii & patientiam Proprietarii. *l. ult.* D. *de ſerv. l. 1. in f.* D. *de S. P. R. l. 11. §. 1.* D. *de publ. in rem act.* Sine qua *Uſusfructus* quidem promitti, non etiam conſtitui poteſt. arg. *l. 3.* D. *de O. & A. l. 20. C. de pact. §. 40. I. de R.* D. *l. pen. C. h. t.*

§. 21. *Voluntate* vero *tacita* per longi temporis præſcriptionem, X. annorum inter præſentes, XX. inter abſentes; *l. ult. in f. C. de long. temp. præſcript.* mutato

tato jure antiquo. *l. 3. pr.* D. *de acq. vel am. poſſ.* junct. *l. 43. §. 1.* D. *de A. R.* D. *l. 44. §. 5.* D. *de uſurp. & uſucap.*

§. 22. Conſtituunt *Uſumfructum* domini, qui liberam rerum ſuarum adminiſtrationem habent. arg. *l. ult. C. de reb. alien. non alien.*

§. 23. Acquirere poſſunt omnes non prohibiti, etiam fictæ perſonæ, ut Civitates, *l. 56. D. h. t.* Eccleſiæ, *l. 23. C. de SS. Eccl.* aliaque Collegia. *l. 8. D. de uſufr. legat.*

§. 24. Conſtitui autem poteſt vel ſimpliciter, vel ex certo tempore, vel usque ad certum tempus; vel pure, vel ſub conditione. *l. 5. C. h. t. l. 16. §. 2. D. fam. erc.*

§. 25. *Alienis rebus;* res propria enim nulli ſervit. *l. 26.* D. *de S. P. U. l. 5. pr.* D. *ſi uſufr. pet. l. 33. §. 1.* D. *de S. P. R.* v. ſupr. §. 4.

§. 26. Quales res ſint, ſive mobiles, ſive immobiles, *l. 3. §. 1. l. 7. §. 1. D. h. t.* ſive ſingulares, ſive univerſales, nihil intereſt; *l. 32. 34. §. f. D. h. t.* Senatus enim cenſuit, *ut omnium rerum, quas in cujusque patrimonio eſſe conſtaret, Uſusfructus legari poſſit: l. 1. D. de uſufr. ear. rer.* dummodo uſum aliquem præſtare poſſint, *l. 28. 41. §. 1. D. h. t.* neque uſu conſumantur. *§. 2. I. h. t.*

§. 27. Non etiam intereſt, an in parte bonorum conſtituatur, ſive diviſa, ſive indiviſa, an omnibus bonis. *l. 5. 29. D. h. t.* junct. *N. 18. c. 3. l. 34. §. ult. D. h. t.* add. *l. 25. §. 1. D. de V. S.*

§. 28. *Utendi fruendi;* i. e. omnes omnino fructus, tam civiles quam naturales, omneque rei emolumentum, non modo ad neceſſitatem, ſed & ad voluptatem & compendium percipiendi. *l. 7. pr. l. 9. pr. §. 4. l. 10. 12. §. 1. l. 29. 41. 59. §. 1. D. h. t. l. 13. pr. D. quib. mod. uſusfr. amitt.*

§. 29. Unde & lapidicinarum, & metallorum, *l. 9. §. 2. l. 13. §. 5. D. h. t.* dummodo proventus metallici renaſcantur; *l. 7. §. 13. D. ſol. matr.* nec non venationum, piſcationum, & aucupiorum reditus ad eum pertinent. *d. l. 9. §. 5.* junct. *l. 62. D. h. t.*

§. 30. Non etiam ea, quæ in fructu non ſunt, qualis eſt Theſaurus, & partus ancillarum. *l. 7. §. 12. D. ſol. matr. l. 68. D. h. t. §. 37. I. de R. D. l. 28. §. 1. D. de uſur.*

§. 31. Non tantum autem jus percipiendi fructus habet Fructuarius, ſed & omnia adminicula, ſine quibus uti frui non poteſt. *l. 1. §. 1. D. ſi uſusfr. pet.*

§. 32. Hinc aditum ad rem fructuariam habet; usque adeo, ut ſi quis uſumfructum loci leget ita, *ne heres cogatur viam præſtare*, inutiliter hoc adjectum videatur. *d. l. 1. §. 1. D. ſi uſusfr. pet. l. 44. §. 9. de leg. 1.*

§. 33. Hinc & ſi areæ *Uſusfructus* legatus ſit, caſam ibi ædificare poteſt, cuſtodiæ cauſa earum rerum, quæ in area ſunt. *l. 73. D h. t.*

§. 34. Hinc denique Dominus non debet impedire *Fructuarium*, quo minus ſuo jure utatur; *l. 15. §. 6. D. h. t.* adeoque neque fundo fructuario ſervitu-

 tem

tem imponere, niſi forte talis ſit, qua conditio Fructuarii deterior non fiat. *d. l. 15. §. ult. l. 16. D. h. t.*

§. 35. Quin & non tantum ipſe uti frui poteſt, ſed & rem fructuariam alii fruendam concedere, vel locare, vel vendere poteſt. Nam & is, qui locat, utitur, & qui vendit, & qui alii precario concedit, vel donat. *l. 12. §. 2. l. 38. 39. 67. D. h. t. §. 1. I. de uſ. & hab.*

§. 36. Licet ipſum *Uſumfructum* non niſi domino proprietatis cedere poſſit. *§. 3. I. h. t.*

§. 37. Ut autem *Fructuarius* fructus ſuos faciat, neceſſe eſt, ut vel ipſe, vel alius ejus nomine eos vere perceperit. *l. 13. D. quib. mod. uſusfr. am. §. 36. l. de R. D. l. 12. §. 5. l. 27. 48. §. 1. D. h. t.*

§. 38. Ut, mortuo Fructuario, fructus nondum percepti ad heredes non transmittantur. *d. l. 13. D. quib. mod. uſusfr. am. d. §. 36. I. de R. D.*

§. 39. Exceptis fructibus Civilibus, veluti penſionibus & mercedibus; qui pro rata temporis inter heredes Fructuarii & Proprietarium dividuntur, ſi quidem percipiantur ex rebus non frugiferis, uti ædibus, operis ſervorum &c. *l. 26. D. h. t.* Si vero ex fundo frugifero, debentur heredibus Fructuarii, licet is, perceptis jam a Colono fructibus, mortuus ſit, antequam dies penſionis venerit. *l. 58. D. h. t.*

§. 40. Quemadmodum autem incommoda eum ſequuntur, quem ſequuntur commoda & emolumenta; *l. un. §. 4. C. de cad. toll.* arg. *l. 10. D. de R. J.* ſic & æquum eſt, ut *Fructuarius* onera rei fructuariæ inhærentia, ſtipendia ſcil. & tributa, ſive ea ordinaria ſint, ſive extraordinaria, ſuſtineat. *l. 7. §. 2. D. h. t. l. 7. D. de publican. & vect. l. 27. §. 3. l. 64. 65. D. h. t. l. 28. D. de uſufr. leg. l. 2. C. de annon. & tribut.*

§. 41. *Salva rerum ſubſtantia;* non enim eas poteſt conſumere, corrumpere, aliamve in formam, licet meliorem, transmutare. *l. 13. §. pen.* junct. *l. 44. D. h. t.*

§. 42. Imo & reficere debet; *l. 7. §. 2. 3. l. 64. D. l. 7. C. h. t.* niſi tanta impenſa opus ſit, ut derelinquere malit. *l. 64. D. h. t.* Quod tamen non conceditur, ſi culpa ejus res ſit deterior. *d. l. 65.*

§. 43. Sed & ſi gregis (ſecus ſi ſingularum ovium) uſumfructum quis habeat, in locum demortuorum capitum, ex fœtu ſubmittere debet, *§. 38. I. de R. D. l. 68. §. ult. l. 69. 70. D. h. t.* ut & in locum vinearum, vel arborum mortuarum (ſecus ſi ſint everſæ, *l. 59. D. h. t.*) alias ſubſtituere; *d. §. 38. l. 7. §. ult. D. h. t.* recte enim colere, & quaſi bonus paterfam. uti debet. *d. §. 38. l. 9. §. 2. D. h. t. l. 65.* D. *h. t.*

§. 44. Æs tamen alienum, ne quidem Uſufructuarius omnium bonorum exſolvere cogitur. arg. *l. f. D. de uſufr. leg. l. 69.* D. *ad L. Falc.*

TITU-

TITULUS II.

De Usufructu Adcrescendo.

§. 1.

Quod ſi per Ultimam voluntatem, titulo *Legati* relinquatur *Uſusfructus*, non ſemper uni, ſed ſæpe pluribus relinquitur, quo caſu *Jus accreſcendi* aliquando locum habet.

§. 2. Eſt autem *Jus accreſcendi*, *Jus quo coheredis, aut collegatarii deficientis portio, accreſcit conjuncto non deficienti;* ſeu *Jus retinendæ, vel nanciſcendæ partis ejus, qui non concurrit, vel qui concurrere deſiit.*

§. 3. Quod locum habet tum in *Hereditatibus*, tum in *Legatis*.

§. 4. In *Hereditatibus* locum habet ex juris neceſſitate, quia nemo pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus decedere poteſt; *l. 7. D. de R. J. §. 5. I. de hered. inſtit.* in *Legatis* vero, ex præſumta voluntate defuncti.

§. 5. Quæ præſumta voluntas defuncti ut in Legatis locum habeat, neceſſarium eſt, ut collegatarii in eandem rem vocentur, & *Re* conjuncti ſint; ſi enim ſeparatim aliquid legetur, *Jus accreſcendi* ceſſat. *l. 1. 11. D. h. t.*

§. 6. Sunt autem, qui *Re* conjunguntur, quantum ad figuram orationis attinet, conjuncti tribus modis, vel *Re* ſcil. *tantum*, vel *Verbis tantum*, vel *Re & Verbis ſimul. l. 89. D. de legat. 3. l. 142. D. de V. S.*

§. 7. *Re tantum conjuncti* dicuntur, qui in eandem quidem rem, ſed diverſis orationibus vocati ſunt: veluti ſi dicat teſtator, *Titio fundum Tuſculanum do lego; Sejo fundum Tuſculanum do lego, d. l. 89.* unde & quoad figuram orationis *disjuncti* dicuntur. *§. 8. I. de legat.*

§. 8. *Verbis tantum*, qui in eandem rem eadem oratione vocantur, additis verbis *æquis partibus;* ut puta ſi teſtator dicat, *Titio & Sejo fundum Tuſculanum æquis partibus do lego. d. l. 89.*

§. 9. *Re & Verbis ſimul*, qui in eandem rem & eadem oratione ſimpliciter vocati ſunt: veluti ſi teſtator dicat, *Titio & Sejo fundum Tuſculanum do lego. d. l. 89 d. l. 142.*

§. 10. Inter quos omnes, etiam *Verbis tantum* conjunctos, *Jus accreſcendi* locum habet. *d. l. 89. D. de leg. 3.*

§. 11. Ita tamen, ut, ſi omnes ſint *conjuncti* vel *disjuncti* quoad figuram orationis, pars deficiens omnibus accreſcat ex æquo; ſi permixtim *conjuncti & disjuncti*, *conjuncti* in parte *conjunctorum* cæteris præferantur, *disjunctorum* partes accreſcunt omnibus: ſic tamen, ut *conjuncti* unius vice fungantur. *l. 34. D. de leg. 1. l. un. §. 10. C. de cad. toll.*

§. 12. *Conjunctis* autem accreſcit non niſi volentibus, ſed cum onere; *Disjunctis* invitis, ſed ſine onere. *d. l. un. §. 10.*

§. 13.

§. 13. Quotiens igitur *Uſusfructus* pluribus conjunctim legatus eſt, uno deficiente, reliquis non deficientibus accreſcit. *l. 1. pr.* D. *h. t.*

§. 14. In *Uſufructu* autem *accreſcendo* duo ſunt ſingularia: I. Quod etiam poſt concurſum pars deficientis alteri accreſcat; *l. 1. §. 3. D. h. t.* quod in proprietate legata ſecus eſt *l. un. §. 4. C. de cad. toll.*

II. Quod Uſusfructus etiam illi accreſcat, qui partem ſuam jam amiſit; Uſusfructus enim non rei, ſed perſonæ accreſcit. *l. 10. D. h. t. l. 33. §. 1. D. de uſufr.*

TITULUS III.

QUANDO DIES USUSFRUCTUS LEGATI CEDAT.

§. 1.

Illud etiam in *Uſufructu Legato* ſingulare eſt, quod dies *Uſufructus pure Legati* non cedat (i. e. Uſusfructus non incipiat deberi, v. *l. 213.* D. *de V. S.*) a tempore mortis teſtatoris, uti cæterorum Legatorum; *l. 5. §. 1.* D. *quand. dies legat. ced.* ſed ex tempore aditæ hereditatis. *l. 1. §. 2.* D. *h. t.*

§. 2. Si *ex die* vel *ſub conditione* relictus ſit, dies cedit, cum dies vel conditio exiſtit; *l. un. §. 3.* D. *h. t.* adeo, ut, qui ante diem petit, nihil faciat. *l. un. §. 4.* D. *h. t.*

§. 3. Si vero *in ſingulos annos*, vel *menſes* relinquatur, dies non ſemel, ſed quovis anno vel menſe cedit. *l. un. pr. & §. 2.* D. *h. t.*

TITULUS IV.

QUIBUS MODIS USUSFRUCTUS, VEL USUS AMITTATUR.

§. 1.

Quemadmodum autem *Uſusfructus* variis modis conſtituitur, ſic & variis modis amittitur.

§. 2. *Finitur* enim *Uſusfructus* I. *Morte Fructuarii naturali;* morte enim jus fruendi exſtinguitur, ſicuti ſi quid aliud, quod perſonæ cohæret. *l. 3. §. ult.* D. *h. t. §. 3. I. de uſufr. l. pen. §. 1. C. eod.*

§. 3. Exceptio eſt in filiofam. quo mortuo Uſusfructus adhuc competit Patri. *l. ult. C. de uſufr.*

§. 4. Ad heredes itaque non tranſit; niſi *heredibus* quoque expreſſe relictus ſit; *l. 5. pr.* D. *h. t. l. 38. §. 12.* D. *de V. O.* quo caſu tamen ad primos tantum heredes transmittitur. *l. 14. C. de uſufr. & hab.*

§. 5. Si *Uſusfructus Civitati* vel *Univerſitati* legetur, exſtinguitur ſpatio 100. annorum; *l. 56.* D. *de uſufr. l. 8.* D. *de uſufr. legat.* quia is finis vitæ longævi

Digitized by Google

gævi hominis eſt: *d. l. 56. d. l. 8.* Syrac. *c. XVIII. 8.* Senec. *de brevit. vit. c. 3.* Lact. *L. II. c. 13.* Plin. *L. VII. c. 4.* niſi Civitas interim aratrum paſſa, *l. 21.* D. *h. t.* vel Univerſitas exſtincta ſit.

§. 6. II. *Morte Civili;* i. e. duabus capitis deminutionibus, maxima & media; *§. 3. I. de uſufr. l. 1. pr. §. 1. & ſeqq. l. 2. §. 1. l. 3.* D. *h. t. l. pen. §. pen. C. de uſufr.* junct. *l. 63. §. 10.* D. *pro ſoc.* non etiam minima, mutato jure antiquo. *v.* Paul. *L. III. Sent. T. 6. §. 29. d. l. pen. §. pen. C. h. t.*

§. 7. III. *Non utendo per modum & tempus, §. 3. I. de uſufr.* i. e. vel non utendo ſecundum modum in conſtituendo *Uſufructu* expreſſe præſcriptum; *v. l. 4. §. 1.* D. *de ſervit. l. 10. §. 1. l. 11. 18.* D. *quemadm. ſerv. am. l. 2.* D. *de aq. quot.* vel plane non utendo, per tempus decem annorum inter præſentes, viginti inter abſentes: ſive res fructuaria mobilis ſit, ſive immobilis. *l. pen. §. 1. C. de uſufr. l. 13. C. de ſervit.*

§. 8. Male utendo *Uſusfructus* non amittitur; *l. 13. §. 2.* D. *de uſufr.* quo caſu Proprietarius ex cautione agit, ad id quod intereſt, cujus prima pars ſæpius committitur. *l. 1 §. 5. 6.* D. *uſufr. quemadm. cav.*

§. 9. IV. *Conſolidatione,* ſeu *confuſione Uſusfructus cum proprietate:* veluti, ſi *Uſusfructus* domino proprietatis a Fructuario cedatur; vel Fructuarius proprietatem acquiſierit. *§. 3. I. de uſufr. l. 17. 27. D. h. t. l. 3. §. ult. l. 6. de uſufr. accr. l. 4. uſufr. quemadm. cav.*

§. 10. Cedendo extraneo nihil agitur, *d. §. 3.* reſpectu extranei ſcil. & intentionis cedentis; præter intentionem enim cedentis, ad proprietatem revertitur. *l. 66. D. de jur. dot.* junct. *l. 15. D. fam. erciſc.* add. *pr. I. qui & ex quib. cauſ. man. non poſſ.* junct. *l. 1. §. 1. D. de ſtat. lib.*

§. 11. V. *Totius Rei interitu,* & *mutatione;* ut eadem res non maneat. *d. §. 3. I. de uſufr. l. 30. 31. & 5. §. 2. 3. & ll. ſeqq D. h. t. l. 53. de uſufr.*

§. 12. Plane ſi res exſtincta reſtituatur, ut plane eadem res ſit, *Uſusfructus* reviviſcit. *l. 10. §. 1. & ſeqq. l. 23. 26. D. h. t. l. 36. D. de uſufr.*

§. 13. VI. *Soluto jure conſtituentis,* qui jus tantum temporale habuit. v. *l. 16. & 19. D. h. t. l. 8. §. 2. D. de peric. & comm. rei vend.*

§. 14. VII. *Lapſu temporis;* ad quod *Uſusfructus* conſtitutus eſt. *l. 5. C. de uſufr. l. 15. D. h. t. l. 16. §. 2. D. fam. erciſc.*

§. 15. Cum autem finitus fuerit *totus Uſusfructus,* revertitur ad proprietatem; *§. 4. I. de uſufr.* ſi vero *pro parte,* cum pluribus conjunctim legatus eſſet, reliquis accreſcit. *l. 1. pr. D. de uſufr. accr.* v. ſupr. *ad d. t. §. 13. 14.*

TITULUS V.

DE USUFRUCTU EARUM RERUM, QUÆ USU CONSUMUNTUR VEL MINUUNTUR.

§. 1.

Et hactenus quidem de *Vero*, ſequitur de *Quaſi Uſufructu*: *Qui eſt earum rerum, quæ uſu conſumuntur. §. 2. I. de uſufr.*

§. 2. Licet enim res fungibiles, neque naturali ratione, neque civili recipiant Uſumfructum; cum tamen SCto conſtitutum ſit, *ut omnium rerum, quas in cujusque patrimonio eſſe conſtaret, uſusfructus legari poſſet, l. 1. D. h. t. l. 1. D. de uſu & uſufr. l. 69. D. ad L. Falc.* v. ſupr. *ad t. de uſufr. §. 26.* eodem SCto etiam inductum videtur, ut & earum rerum, quæ uſu tolluntur, vel minuuntur, poſſit Uſusfructus legari. *l. 1. D. h. t.*

§. 3. Quo tamen SCto non id effectum eſt, ut pecuniæ Uſusfructus proprie eſſet, nec enim naturalis ratio auctoritate Senatus commutari potuit, ſed remedio introducto, (Cautionis ſcil.) cœpit *Quaſi Uſusfructus* haberi. *l. 2. §. 1. D. h. t. §. 2. I. de uſufr.*

§. 4. Cavendum enim hic eſt datis fidejuſſoribus, de eadem quantitate ejusdem qualitatis, vel æſtimatis rebus de certa pecunia reſtituenda, ſi morietur vel capite minuetur. *§. 2. I. de uſufr. l. 7. 8. D. h. t. l. 7. pr. §. 1. D. uſufr. quemadmod. cav.*

§. 5. Conſtituitur *Quaſi Uſusfructus* iisdem fere modis, quibus Verus Uſusfructus; adeoque non tantum Ultima voluntate per Legatum; *l. 1. 2. D. h. t. §. 2. I. de uſufr.* ſed & inter vivos, per Pactiones & Stipulationes. arg. *§. 1. I. de uſufr.*

§. 6. Neque tamen in *Mutuum* incidit, a quo multis modis differt.

§. 7. In *Quaſi Uſufructu* enim I. requiritur Cautio, *§. 2. I. de Uſufr. l. 7. D. h. t.* quæ in *Mutuo* non requiritur.

II. In *Mutuo* licet ſtipulari uſuras; *l. 3. C. de uſur. Hic* non item.

III. In *Mutuo* id agitur, ut tantundem in eodem genere reſtituatur; *l. 3. D. de reb. cred. pr. I. quib. mod. re contr. obl. Hic* etiam reſtitui poteſt æſtimatio, *l. 7. D. h. t.*

IV. *Mutuum* omni tempore poteſt repeti; *d. pr. I. quib. mod. re contr. obl. Quaſi Uſusfructus* vero non niſi certis modis exſtinguitur. *§. 2. I. de uſufr.*

§. 8. Conſtituitur in iis rebus, quæ uſu conſumuntur; *l. 5. §. 1. 2. l. 11. D. h. t. §. 2. I. de uſufr.* in quarum numero non ſunt *Veſtimenta*, ſive ea quotidiana ſint, ſive ſcenica, vel ſimilia: arg. *§. pen. I. de locat. §. 15. 16. I. de oblig. quæ ex delict.* quorum proinde *Verus*, non *Quaſi Uſusfructus* eſt. *l. 15. §. 4. D. de uſufr. l. 9. §. 3. D. uſufr. quemadm. cav.*

§. 9.

§. 9. Finitur autem & exſtinguitur morte, & capitis deminutione Fructuarii. *l. 9. 10. D. h. t. §. 2. I. de uſufr.*

TITULUS VI.
Si Uſuſfructus Petatur, Vel Ad Alium Pertinere Negetur.

§. 1.

Conſtituto *Uſufructu*, Fructuarius conſequitur *Jus in re, l. 19. pr. D. de damn. inf. l. 30. D. de noxal. act.* ex eoque *Actionem in rem, §. 2. I. de act. Confeſſoriam: l. 2. pr. §. 1. D. ſi ſerv. vind.* quemadmodum & *Negatoria* ſeu *Negativa* datur domino, Uſumfructum alteri competere neganti. *d. l. 2. pr. D. ſi ſerv. vind. d. §. 2. I. de act. l. 5. pr. D. h. t.*

§. 2. Qua de re Prætor ſic edixiſſe videtur: *Si Uſusfructus petatur, vel ad alium pertinere negetur, Uſufructuario Confeſſoriam, Neganti Negatoriam in rem Actionem dabo.* arg. *Inſcr. h. t. d. l. 2. D. ſi ſerv. vind. d. l. 5. D. h. t.*

§. 3. Eſt itaque hic *Actio Confeſſoria, quæ datur Uſufructuario*, (non domino proprietatis; *l. 5. pr. D. h. t.) contra quemvis poſſeſſorem, vel turbatorem, l. 5. §. 1. D. h. t. nec non eum, qui liti ſe obtulit; l. ult. D. h. t. Ad id, ut poſſeſſio reſtituatur, vel relinquatur, & facultas præſtetur ea pro lubitu utendi fruendi. l. 5. §. ult. D. h. t. §. 2. I. de act.*

§. 4. *Negatoria* vero, *quæ datur Domino neganti, ſe invito, Fructuario eſſe jus utendi fruendi: Adverſus Fructuarium, d. l. 5. pr. omnemque turbatorem; Ad rei ſuæ libertatem adſerendam. l. 5. §. ult. D. h. t. §. 2. I. de act.*

§. 5. Adeoque Officium Judicis hic eſt, curare, ut ſecurus conſequatur Fructuarius fruendi licentiam: Proprietatis dominus, ne inquietetur. *l. 5. §. ult. D. h. t.*

TITULUS VII.
De Operis Servorum.

C. III. 33.

§. 1.

Uſuifructui ſimilis eſt *Servitus Operarum*, quæ nihil aliud eſt, quam *jus percipiendi omnem utilitatem ex operis ſervi alterius. l. 3.* D. *h. t. l. 2. D. de uſu & uſufr. leg.* add. *§. 3. I. de uſu.*

§. 2. Quam quidam ad *Uſumfructum; l. 3. 4.* D. *h. t.* quidam ad *Uſum* referendam cenſuerunt; *l. 5. D. h. t.* alii vero, & rectius, *ſeparatam Servitutem* eſſe ſtatuerunt, *l. 1. §. 9. D. ad L. Falcid. l. 5. §. 3. D. uſufr. quemadm. cav. Inſcr. & l. 2. D. de uſu & uſufr. leg.*

§. 3. Differt enim ab *Uſufructu*, I. quia in eo plus eſt, quam in *Servitute Operarum. §. 4. l. per quas perſ. cuique acq.*

 II. *Opera*

II. *Operæ* cedunt ex die quo petitæ ſunt; *l. 1. D. h. t. l. 7. D. de uſufr. leg.* *Uſusfructus* a die aditæ hereditatis. *l. un. §. 2. D. quand. dies uſusfr. leg. ced.*

III. *Servitus Operarum* eſt individua; *Uſusfructus* dividuus. *l. 1. §. 9. D. ad L. Falcid.*

IV. *Servitus Operarum* uſucapto ſervo exſtinguitur; *l. 2. D. de uſu & uſufr. leg.* *Uſusfructus* non item. *l. 17. §. pen. D. de uſufr. l. 44. §. 5. D. de uſuc.*

V. *Servitus Operarum* tantum morte, vel uſucapione ſervi, non etiam capitis deminutione, vel non utendo, amittitur; *l. 2. D. h. t. l. 2. D. de uſu legat.* *Uſusfructus* vero etiam capitis deminutione & non utendo exſtinguitur. *§. 3. I. de uſufr.* v. ſupr. *ad t. quib. m. uſufr. am. §. 6. 7.*

§. 4. Differt etiam ab *Uſu*, quia in *Operis* plus eſt, quam in *Uſu*. Qui enim *Servitutem Operarum* habet, eas etiam locare poteſt; *l. 2. D. de uſu & uſufr. leg.* qui vero *Uſum* habet, non item. *§. 1. I. de uſu.*

TITULUS VIII.

DE USU ET HABITATIONE.

C. III. 33.

§. 1.

Actum de *Uſufructu* & *Operis ſervorum*, nunc videndum de *Uſu* & *Habitatione.*

§. 2. *Uſus* eſt *jus alienis rebus utendi*, *ſalva rerum ſubſtantia.* arg. *§. 1. I. h. t.* junct. *pr. I. & l. 1. D. de uſufr.*

§. 3. Qui in multis cum *Uſufructu* convenit. Iisdem enim fere modis, quibus *Uſusfructus* conſtituitur, etiam nudus *Uſus* conſtitui ſolet; iisdemque illis modis finitur, quibus & *Uſusfructus* definit. *pr. I. h. t. l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 4. Sed in multis etiam ab *Uſufructu* differt. I. Minus enim juris eſt in *Uſu*, quam in *Uſufructu*. *§. 1. I. h. t.*

II. *Fructui* uſus ineſt; *Uſui* fructus deeſt. *l. 14. §. 1. D. h. t.*

III. Qui *Uſum* habet, tantum ad neceſſitatem uti poteſt; qui *Uſumfructum*, etiam ad compendium. *l. 12. §. 1. D. h. t.*

IV. *Uſusfructus* eſt dividuus; *Uſus* individuus. *l. 5. D. de uſufr. l. 19. D. h. t.*

V. Qui *Uſum* habet, jus quod habet alii locare, vendere, aut gratis concedere nequit; cum is, qui *Uſumfructum* habet, poſſit hæc omnia facere. *§. 1. I. h. t.*

§. 5. Niſi tamen ex conjecturis appareat, teſtatorem jus quoque locandi aut vendendi *Uſuario* concedere voluiſſe. v. *l. 12. §. 4. l. pen. pr. D. h. t.*

§. 6. Sane prout diverſæ rerum ſunt qualitates, ſic & inter *Uſum* & *Uſumfructum* major vel minor eſt differentia.

§. 7. Inter *Uſum* enim & *Uſumfructum Fundi* multum intereſt; nam is, qui *fundi* nudum habet *Uſum*, nihil ulterius habere intelligitur, quam ut oleribus, pomis,

pomis, floribus, fœno, ſtramentis, & lignis, ad uſum quotidianum utatur, non ad compendium : *§. 1. I. h. t.* non etiam *oleis*, (ſic in *l. 12. §. 1. D. h. t.* leg. vid.) neque oleo, neque frumento, neque frugibus, niſi modicis, pro dignitate tamen ejus, cui Uſus relictus eſt. *l. 10. §. 4. l. 11. & 12. pr. §. 1.* D. *§. 1. I. h. t.* Qui vero *Uſumfructum fundi* habet, quicquid in eo fundo naſcitur, & quicquid inde percipi poteſt, etiam ad compendium, ſuum facit, *l. 9. pr.* D. *de uſufr.* v. ſupr. *ad t. de uſufr. §. 28.*

§. 8. Inter *Uſum* & *Uſumfructum Ædium* minus intereſt; qui enim *Uſum ædium* habet, hactenus jus habere intelligitur, ut ipſe tantum inhabitet, nec hoc jus ad alium transferre poſſit : & vix receptum eſſe videtur, ut hoſpitem ei recipere liceat, & cum uxore liberisque ſuis, item libertis, nec non perſonis aliis liberis, quibus non minus quam ſervis utitur, habitandi jus habeat; & convenienter, ſi ad mulierem *Uſus ædium* pertineat, cum marito ei habitare liceat. *§. 2. I. de uſu. l. 2. §. 1. l. 3. 4. 5. 6. 7. 8. & 10. pr. §. 1. 2. 3.* D. *h. t.* Qui vero *Uſumfructum ædium* habet, vel ipſe ſolus, vel cum aliis inhabitare, vel aliis ædes locare poteſt. arg. *§. 1. in f. I. de uſu.*

§. 9. Non etiam multum intereſt inter *Uſum* & *Uſumfructum Pecorum;* qui enim *Uſum Pecorum* habet, puta gregis ovilis, pecoribus non tantum ad ſtercorandum agrum, ſed & modico lacte, modicaque lana (quæ cæteroquin in fructu ſunt) uti poteſt. *l. 12. §. 2. 3.* D. *h. t. §. 4. I. de uſu. §. 37. I. de R.* D.

§. 10. Inter *Uſum* vero & *Uſumfructum Pecuniæ* nihil intereſt. *l. 5. §. ult. l. 10. §. 1. D. de uſufr. ear. rer.*

§. 11. *Habitatio* eſt *jus alienas ædes inhabitandi, ſalva earum ſubſtantia*, arg. *l. 13. C. de uſufr. §. 5. I. h. t.*

§. 12. Quæ, cum olim de eo dubitaretur, v. *l. 10. pr. §. 1. & ſeqq. D. h. t.* nunc diſtincta eſt ſervitus ab *Uſu ædium; d. l. 23. C. de uſufr. d. §. 5. I. h. t.* Qui enim *Habitationem* habet, ædes indiſtincte alteri ad inhabitandum locare poteſt. *d. l. 13. d. §. 5.* quod non conceſſum eſt ei, qui *ædium* nudum *Uſum* habet. *§. 2. I. h. t.*

§. 13. Nec non ab *Uſufructu; d. l. 13. d. §. 5.* cum Uſufructuarius ædibus etiam aliter uti, quam habitando, poſſit, ad merces ſcil. in iis reponendas.

§. 14. Differt etiam *Habitatio* ab *Uſu & Uſufructu* in eo, quod *Habitatio* neque capitis deminutione, neque non utendo finiatur; *l. 10. pr. D. h. t.* quia magis in facto, quam in jure conſiſtit.

TITULUS. IX.

Usufructuarius Quemadmodum Caveat.

§. 1.

Servitutibus autem hiſce Perſonalibus commune eſt, quod ii, quibus conſtitutæ ſunt, in ſecuritatem proprietarii cavere debeant.

§. 2. Et quidem, quantum ad *Verum Uſumfructum* attinet, probabile eſt Prætorem ita edixiſſe: *Si cujus rei uſusfructus legatus eſſe dicatur, Uſufructuarium uſurum fruiturum ſe boni viri arbitratu, &, cum uſusfructus ad eum pertinere deſierit, ſe reſtituturum, quod inde extabit, ſatisdare jubebo.* arg. *l. 1. pr. D. h. t. l. 13. pr. in f. D. de uſufr.*

§. 3. Æquiſſimum enim Prætori viſum eſt, eum de utroque cavere, & uſurum ſe boni viri arbitratu, &, cum uſusfructus ad eum pertinere deſinet, reſtituturum, quod inde extabit. *d. l. 1. pr. D. h. t.*

§. 4. Cavent omnes Fructuarii; *l. 1. 4. C. de uſufr. l. 1. pr. §. 2. D. h. t.* Dominis proprietatis, *l. 8. D. h. t.* & ſi plures ſint, omnibus; *l. 13. D. de uſufr.* neque ſimpliciter, ſed datis fidejuſſoribus, *l. 13. pr. in f. D. de uſufr. l. 4. C. eod. l. 5. §. 1. D. h. t.* junct. *l. 7. D. de præt. ſtip. l. 1. D. qui ſatisd. cog.*

§. 5. Cautionis autem hujus partes duæ ſunt. *l. 1. §. 6. D. h. t.* Nam I. Cavet Fructuarius *uſurum fruiturum ſe boni viri arbitratu*, ſeu *viri boni arbitratu perceptum iri uſumfructum; d. l. 1. d. l. 13.* hoc eſt, non deteriorem ſe cauſam uſu fructus facturum, cæteraque facturum, quæ in re ſua faceret. *l. 1. §. 3. D. h. t.*

§. 6. Et recte quidem facient & heres, & legatariis, ſi qualis res ſit, cum frui incipit legatarius, in teſtatum redegerint; ut inde poſſit apparere, an & quatenus rem pejorem legatarius fecerit. *l. 1. §. 4. D. h. t.*

§. 7. II. Cavet, *cum uſusfructus ad eum pertinere deſierit, ſe reſtituturum, quod inde extabit. d. l. 1. pr.* D. *h. t.* Quibus verbis non ipſam rem ſtipulatur proprietarius; inutiliter enim rem ſuam ſtipulari videretur: ſed ſtipulatur reſtitutum iri, quod inde extabit. Interdum autem inerit proprietatis æſtimatio, ſi forte Uſufructuarius, cum poſſit, uſucapionem interpellare neglexit; omnem enim rei curam ſuſcipit, & cuſtodiam fructuarius præſtare debet. *l. 1. §. 7. l. 2. D. h. t.*

§. 8. Omnes autem caſus continentur hac ſtipulatione, quibus uſusfructus amittitur. *l. 3. pr. D. h. t.*

§. 9. *Deſinere* vero *pertinere Uſumfructum* accipiemus, etiamſi nec cœperit pertinere, quamvis legatus ſit, & committetur nihilominus ſtipulatio, quaſi deſinat pertinere, quod nec cœpit. *l. 3. §. 1. D. h. t.*

§. 10. Illud etiam hac ſtipulatione continetur, *dolum malum abeſſe abfuturumque eſſe;* & eum in rem ſit doli mali mentio concepta, omnium dolum comprehendere videtur ſucceſſorum, & adoptivi patris. *l. 5. pr. D. h. t.*

§. 11. Quæ Cautio, licet non ſit de *ſubſtantia* Uſusfructus, eſt tamen neceſſaria, *l. 8. §. 4. D. qui ſatisd. cog. l. 1. §. 3. D. h. t. l. 13. pr. D. de uſufr* & ante traditionem rei fructuariæ præſtanda, *d. l. 13. pr.*

§. 12.

Digitized by Google

§. 12. Adeo, ut ne quidem teſtator eam in teſtamento remittere poſſit. *l. 1. C. de uſufr. l. 6. l. pen. C. ut in poſſ. leg.*

§. 13. Quod ſi Cautio præſtita non ſit, poteſt dominus rem traditam vindicare, & Exceptionem *uſusfructus conſtituti*, Replicatione *Cautionis non præſtitæ* elidere; *l. 7. pr. D. h. t.* vel *Cautionem* petere per *Condictionem ex Lege. d. l. 7. pr. l. 5. §. 1. D. de uſufr. ear. rer.*

§. 14. Sunt tamen caſus, quibus hæc *Cautio ceſſat:* I. Si ipſe heres eam, vel expreſſe, vel tacite remiſerit. *l. 46. D. de pact. l. pen. C. eod. l. 71. D. ad L. Falcid.*

II. Si Proprietas ex die certo, Uſusfructus vero pure legatus ſit. *l. 9. §. 2. D. h. t.*

§. 15. III. Remittitur etiam Fiſco. *l. 1. §. 18. D. ut legat. vel fideic. cauſ. l. 2. §. 1. in f. de fund. dot. l. 3. §. 10. D. de Carb. Ed.*

Nec non IV. Patri in bonis Liberorum adventitiis. *l. ult. §. 4. in f. l. 6. §. 2. C. de bon. quæ lib.*

§. 16. Quantum autem ad *Quaſi Uſumfructum* attinet, cavendum *de eadem quantitate ejusdem qualitatis, vel æſtimatis rebus de certa pecunia reſtituenda, ſi fructuarius morietur, vel capite minuetur. §. 2. I. de uſufr. l. 7. D. de uſufr. ear. rer. l. 7. §. 1. D. h. t.*

§. 17. Quæ Cautio ſimiliter teſtamento remitti nequit. *l. 1. C. de uſufr. l. 6. D. l. pen. C. ut in poſſ. leg.*

§. 18. Sed &, ſi *Uſus* ſine *fructu* legatus erit, ademta *fructus* cauſa, ſatisdandum. *l. 5. §. 1. l. pen. D. h. t.*

§. 19. Quin &, ſi *Habitatio*, vel *Opera* hominis relictæ fuerint, ſtipulatio locum habebit. *l. 5. §. ult. D. h. t.*

* *

LIBER VIII. TITULUS I.

De Servitutibus.

C. III. 34.

§. 1.

A *Servitutibus Perſonalibus* tranſit Imp. ad *Servitutes Rerum* ſeu *Reales*, quæ hic ſimpliciter *Servitutes* dicuntur. v. *l. 4. 8. D. h. t. §. un. in f. I. de reb. corp. §. ult. I. de uſu l. 2. D. ſi ſerv. vind. l. 44. D. locat. t. D. de ſerv. leg.*

§. 2. Sunt autem *Servitutes Rerum* ſeu *Reales*, (quæ & *Prædiorum* vocantur)

Digitized by Google

tur) *cum Prædium ſervit Prædio.* §. 3. *I. de ſerv. l. 1.* §. 1. D. *comm. præd.* v. ſupr. *ad t. de uſufr* §. 8. De quibus in genere *h. t.* agitur,

§. 3. Conſtituuntur *Servitutes Reales* iisdem fere modis, quibus *Perſonales:* & quidem maxime I. *Pactionibus & Stipulationibus;* §. 4. *I. h. t.* accedente ſcil. quaſi traditione. *l. ult.* D. *h. t. l. 1. in fin.* D. *de S. P. R. l. 11.* §. 1. D. *de Public. in rem act.* Solis enim pactionibus & ſtipulationibus Servitutes promitti quidem, non etiam conſtitui poſſunt. arg. *l. 3.* D. *de O. & A. l. 20. C. de pact. l. pen. C. de uſufr. l. 4.* D. *h. t.* add. ſupr. *ad t. de uſufr.* §. 20.

§. 4. II. *Ultima Voluntate* ſeu *Teſtamento.* §. *ult. I. h. t. l. 16.* D. *comm. præd.*

§. 5. III. *Præſcriptione longi temporis*, decem annorum inter præſentes, viginti inter abſentes. *l. ult. in f. C. de præſcr. long. temp.*

§. 6. Licet enim Servitutes, uti aliæ res incorporales, proprie non poſſideantur, *l. 3. pr.* D. *de acq. vel am. poſſ.* adeoque Uſucapionem non recipiant, *l. 14. D. h. t. l. 43.* §. 1. D. *de A. R.* D. & ob id per *Legem Scriboniam* uſucapio, quæ ſervitutem conſtituit, aliquando ſublata ſit; *l. 4.* §. *f.* D. *de uſurp. & uſuc.* eſt tamen earum quaſi poſſeſſio. *l. 10.* D. *ſi ſerv. vind.* Ob quam cauſam & Prætor eos, qui diuturno uſu & longa quaſi poſſeſſione ſervitutem nacti erant, jam ante defendit, *d. l. 10.* & Juſtinianus Imp. Servitutum, omniumque rerum incorporalium, præſcriptionem noviſſime aperte admiſit. *d. l. ult. C. de præſcript. long. temp.*

§. 7. Ad quam præſcriptionem neque titulus, neque ſcientia domini requiritur; *d. l. ult. C. de præſcr. long. temp.* ſed ſufficit, aliquem longo tempore, non vi, non clam, non precario, ſervitute uſum eſſe. *d. l. 10. pr.* D. *ſi ſerv. vind.*

§. 8. Conſtituunt *Servitutes* Domini Prædiorum, qui liberam rerum ſuarum adminiſtrationem habent. *l. 6. 8. pr.* D. *comm. præd.* arg. *l. ult. C. de reb. alien. non alien.*

§. 9. Si prædium commune ſit, unus ex dominis Servitutem imponere nequit, ſed omnium conſenſus neceſſarius eſt. *l. 2.* D. *h. t.*

§. 10. Acquirunt Prædiorum dominantium domini; *d. l. 6. 8. pr.* D. *comm. præd. l. 15.* §. *f.* D. *de uſufr.* non tantum per ſe, ſed & per alios, puta per ſervos, *l. 12.* D. *h. t.* & procuratores, arg. *l. 20.* §. *f.* D. *de A. R.* D. non alii, licet ſint vicini, vel ſocii. *l. 5.* D. *comm. præd. l. 19. de S. P. R.*

§. 11. Conſtitui debent *Servitutes Reales* pure; nam neque ex tempore, neque ad tempus, neque ſub conditione, neque ad certam conditionem conſtitui poſſunt. *l. 4. pr.* D. *h. t.*

§. 12. Sed tamen ſi hæc adjiciantur, per pacti vel per doli exceptionem, occurretur contra placita Servitutem vindicanti. *d. l. 4. pr.*

§. 13. Per partes etiam Servitus conſtitui, & acquiri nequit, quia totum fundum huic oneri obnoxium reddit; *l. 8.* §. *1. l. 9. 11. 17.* D. *h. t. l. 6.* §. *1.* D. *comm.*

Digitized by Google

comm. præd. l. 13. §. 1. l. 26. D. *de S. P. R.* licet per partes retineri poſſit. *d. l. 8. §. 1. l. 34.* D. *de S. P. R.*

§. 14. Plane modum adjici Servitutibus poſſe conſtat, veluti, quo genere vehiculi agatur, ut equo duntaxat, vel ad certum pondus vehatur, vel grex ille transducatur, aut carbo portetur. *l. 4. §. 1.* D. *h. t.*

§. 15. Unde & uſus Servitutum temporibus ſecerni poteſt, forte ut quis poſt horam tertiam usque in horam decimam eo jure utatur, vel ut alternis diebus utatur. *l. 5. §. 1.* D. *h. t.* Intervalla enim dierum & horarum, non ad temporis cauſam; ſed ad modum pertinent jure conſtitutæ ſervitutis. *l. 4. §. ult.* D. *h. t.*

TITULUS II.

De Servitutibus Prædiorum Urbanorum.

§. 1.

Sunt autem *Servitutes Reales* ſeu *Prædiales, Prædiorum* vel *Urbanorum*, vel *Ruſticorum. l. 1.* D. *de ſerv.*

§. 2. *Servitutes Prædiorum Urbanorum* ſunt, *cum Prædium ſervit Prædio Urbano.*

§. 3. *Prædium Urbanum* hic eſt omne ædificium, etiam extra Urbem in villa ædificatum. *§. 1. I. de ſervit. l. 1.* D. *comm. præd. l. 198.* D. *de V. S. l. 3. D. de ſerv.*

§. 4. *Servitutes* vero ſeu *Jura Urbanorum Prædiorum* talia ſunt: *Oneris ferendi, Tigni immittendi, Projiciendi, Protegendi, Stillicidii Recipiendi vel Non recipiendi, Fluminis Recipiendi vel Non recipiendi, Altius Tollendi & Non tollendi; Luminum & Ne Luminibus officiatur, Proſpectus & Ne Proſpectu officiatur. l. 2. 3. 4. D. h. t. §. 1. I. de ſerv.*

§. 5. *Servitus Oneris ferendi* eſt *jus, quo paries aut columna vicini onus vicinarum ædium ſuſtinere debet. l. 33. D. h. t. §. 1. I. de ſerv.*

§. 6. In qua illud ſpeciale eſt, quod dominus prædii ſervientis, contra naturam ſervitutum, v. *l. 15. §. 1.* D. *de ſervit.* columnam vel parietem reficere teneatur, & idoneum oneri ferendo præſtare. *d. l. 33.* Licet aliud voluerit Gallus JCtus in *l. 6. §. 2. D. ſi ſerv. vind.*

§. 7. Nam cum in lege ædium ita ſcriptum eſſet, *Paries oneri ferundo uti nunc eſt, ita ſit:* ſatis aperte ſignificatur, in perpetuum parietem eſſe debere: Non enim hoc his verbis dicitur, ut in perpetuum idem paries æternus eſſet, quod ne fieri quidem poſſet, ſed ut ejusdem modi paries in perpetuum eſſet. *d. l. 33.*

§. 8. *Servitus Tigni immittendi* eſt *jus, quo licet tignum ſive trabem, ex ſuo ædificio,* v. *l. 25. D. h. t. in alienum parietem immittere. l. 20. D. h. t. §. 1. I.*

de ſerv. Ita ut ibi requieſcat, & vicini paries ſuſtineat onus immiſſi. *l. 242. §. 1. D. de V. S.*

§. 9. Qui vero hanc ſervitutem debet, vicini tignum tantum ſuſcipit, nihil autem reficere tenetur; in quo diverſa eſt a ſuperiore. *l. 8. §. 2. D. ſi ſerv. vind.*

§. 10. *Servitus Projiciendi*, non eſt jus abjiciendi vel effundendi aliquid in aream vicini, ſed *jus, quo nobis licet tignum ex noſtro pariete mittere, ita ut provehatur ſupra alienum, nusquam autem in alieno requieſcat. l. 242. §. 1. D. de V. S.*

§. 11. *Servitus Protegendi*, eſt *jus, protectum ſupra alienum ſolum habendi. l. 2. D. h. t.*

§. 12. Differt enim *Servitus Projiciendi* a *Servitute Protegendi;* nam *Projectum* eſt omne, quod provehitur ſupra fundum alienum, ut nusquam requieſcat: uti ſunt mæniana, & ſuggrundia; *d. l. 242. §. 1. D. de V. S. Protectum* vero, cum tigna emittuntur tegendi gratia, puta ad arcendas injurias imbrium & tempeſtatum a parietibus. Unde *Protectum* a *Suggrunda* recte diſtinguitur in *l. 5. §. 6. D. de his qui effud.*

§. 13. *Servitus Stillicidii Recipiendi*, (quæ & *Stillicidii immittendi*, *l. 28. D. h. t.* & *Avertendi* dicitur, *l. 2. D. h. t.*) eſt *jus, quo vicinus tenetur recipere ſtillicidium noſtrum in tectum vel aream ſuam; d. l. 2. D. h. t.* quod alias pati nemo cogitur. *l. ult. §. pen. D. quod vi aut clam.*

§. 14. *Servitus Stillicidii Non recipiendi*, vel *Non avertendi*, non eſt, qua quis ſtillicidium ſuum non poteſt recipere, idque vicino concedere tenetur: ſed eſt *jus quo vicinus ſtillicidium ædium ſuarum* (ſi hoc forte Lege vel conſuetudine civitatis liceat) *in aream vel tectum vicini avertere prohibetur;* aut *non tenetur vicinus ſtillicidium vicini in ſuum recipere.*

§. 15. Eſt autem *Stillicidium*, cum aqua pluvia ex tecto ſtillatim cadit; Varr. *L. IV. de LL.* unde & *caſſitare* dicitur in *l. 20. §. 3. 4. D. h. t.*

§. 16. *Servitus Fluminis Recipiendi* eſt *jus, quo flumen meum derivare poſſum in fundum vicini.*

§. 17. *Servitus Fluminis Non recipiendi* eſt *jus, quo vicinus, flumen,* (quod alioqui Lege vel conſuetudine civitatis licebat) *avertere in alienum prohibetur.*

§. 18. *Flumen* dicitur, quod fluit continuo: Varr. *d. l.* eſtque hic aqua, per tubos vel canales inſtar fluminis demiſſa.

§. 19. *Servitus Altius Tollendi* non eſt, qua vicinus ædes ſuas in noſtram utilitatem altius tollere tenetur; v. *l. 15. §. 1. D. de ſerv. l. 6. §. 2. ſi ſerv. vind.* non etiam, qua nobis licet vicini ædes altius tollere: v. *§. 2. I. de act.* Sed eſt *jus, quo vicinus cogitur pati ædes meas altius tolli. l. 2. D. h. t. §. 2. I. de act.*

§. 20. Licet ſane ex naturali libertate unicuique ædes ſuas altius tollere, quousque velit; *l. 8. 9. C. de ſerv. l. 8. §. 1. D. ſi ſerv. vind.* imo etiam cum vicini incommodo. *l. 9. D. h. t.*

§. 21.

§. 21. Sed ſi in gratiam maxime vicinorum, ob periculum ruinæ & incendii, per legem, omnibus ædificiis certa altitudo præſcripta ſit, quod Romæ temporibus Auguſti, Neronis, Trajani, & Severi, factum fuiſſe conſtat: v. Strab. *de Sit. Orb. L.* v. Suet. *in Aug. c. 89.* Tacit. *Ann. L. XV. c. 43.* S. Aur. Vict. *Epit. in Trajan. l. 1. C. de ædif. priv. l. 11. D. h. t. l. 1. §. 17. D. de O. N. N.* hoc caſu, ſi quis ſupra hanc altitudinem præſcriptam ædificare velit, debet Servitutem hanc *Altius tollendi* a vicinis impetrare. *l. 12. §. 1. C. de ædif. priv.*

§. 22. Servitus Altius Non tollendi eſt *jus, quo vicinus contra naturalem libertatem ædes ſuas altius tollere, in commodum vicinarum ædium, prohibetur. l. 2. D. h. t. §. 1. I. de ſerv.*

§. 23. *Servitus Luminum* eſt *jus, quo cogitur vicinus feneſtras noſtras, quibus lumen haurimus, in ſuo, aut communi pariete excipere. l. 4. & 40. D. h. t.*

§. 24. In proprio pariete, ad lumen vel proſpectum, feneſtram ponere & aperire licet, jure libertatis, etiam cum incommodo vicini. *l. 8. §. 5. D. ſi ſerv. vind. l. ult. §. ult. D. h. t.*

§. 25. *Servitus Ne Luminibus officiatur* eſt *jus, quo vicinus nihil quicquam poteſt facere in ſuo, quo lumina noſtra obſcurentur vel minuantur. l. 4. 15. & 17. pr. §. 1. l. 23. D. h. t.*

§. 26. Quo ipſo efficitur, ut vicinus non tantum altius non poſſit ædificare, ſed & nihil facere, quo lumina noſtra reddantur obſcuriora. Contingit enim aliquando, ut quis luminibus vicini officiat, etiam deprimendo ædificium, ſi forte per refractionem ſeu repercuſſionem lumen in vicini ædes devolvatur. *d. l. 17. §. 2. D. h. t.* Ex quo, ut & ex eo, quod, qui hanc ſervitutem debet, arborem ponere non poſſit; arg. *l. 15. D. h. t.* manifeſtum eſt, diverſam hanc eſſe ſervitutem, a ſervitute *Altius non tollendi.*

§. 27. *Servitus Proſpiciendi*, vel *Proſpectus*, *l. 12. & 16. D. h. t. §. 2. I. de act.* eſt *jus, quo quis in prædium vicini proſpicere poteſt.*

§. 28. *Servitus Ne Proſpectui officiatur, l. 3. & 15. D. h. t.* eſt *jus, quo quis in prædio ſuo non poteſt quicquam facere, quod libero quaquaverſum proſpectui, in quævis loca nobis grata & amœna, obſtet.*

§. 29. Sunt etiam *Prædiorum Urbanorum*, *Servitus Foraminis* in imo pariete conclavis vel triclinii, proluendi pavimenti cauſa; ſi modo in eum locum aliquid ex cœlo aquæ veniat; *l. 28.* D. *h. t. Cloacæ*, qua vicinus ſordes & colluviem noſtrarum ædium recipere cogitur; v. *l. 7. D. de ſervit. l. 1. §. 4. D. de cloac. Fumi immittendi; l. 8. §. 5. D. ſi ſerv. vind. Aquam effundendi*, vel aliud quid *mittendi* in prædium vicini; *d. l. 8. §. 5. Poſitum* aliquid *habendi* in fundo vicini; *l. 17. §. 1. D. ſi ſerv. vind.* Similesque, quæ ex ipſis verbis non difficulter intelliguntur.

TITULUS III.

DE SERVITUTIBUS PRÆDIORUM RUSTICORUM

§. 1.

Servitutes *Prædiorum Ruſticorum* ſunt, *cum Prædium ſervit Prædio Ruſtico.*

§. 2. *Prædium Ruſticum* hic eſt omnis locus ædificio vacuus, in Urbe area, Ruri ager. *l. 211. D. de V. S.*

§. 3. *Servitutes* autem *Ruſticorum Prædiorum* ſunt hæ; *Iter, Actus, Via, Aquæ Ductus. l. 1. pr.* D. *h. t. pr. I. de ſerv.*

§. 4. *Iter* eſt *jus eundi, ambulandi hominis,* per alterius prædium, ad utilitatem prædii noſtri ruſtici, *non etiam jumentum agendi, vel vehiculum. d. l. 1. pr. D. h. t. pr. I. de ſervit.*

§. 5. Sive quis eat, ſive ſella, lectica, vel equo vehatur, nihil intereſt; *l. 7. & 12. D. h. t. Iter* enim eſt, qua quis eques vel pedes commeare poteſt. *d. l. 12.*

§. 6. *Actus* eſt *jus agendi jumentum vel vehiculum. d. l. 1. pr. D. h. t. d. pr. I. de ſervit.*

§. 7. *Itaque, qui Iter habet, Actum non habet; Qui Actum habet, & Iter habet,* eoque uti poteſt *etiam ſine jumento. d. l. 1. pr. D. h. t. pr. I. de ſerv.* Ex tacita ſcil. voluntate conſtituentis; arg. *l. 21. D. de R. J.* ſed ſi contra expreſſe convenerit, ſecus erit. *l. 4. §. 1. D. ſi ſerv. vind.*

§. 8. *Via* eſt *jus vehendi, & agendi, & ambulandi;* nam & Iter, & Actum in ſe Via continet. *d. l. 1. D. h. t. pr. I. de ſervit.*

§. 9. Inter *Viam* ſane & *Actum* plurimum intereſt. I. *Via* enim *Actum* & *Iter* in ſeſe continet, ita ut per ſe intelligi non poſſit ſine jure eundi agendi; arg. *l. 13. D. de ſervit.* ſed *Actus Iter* tantum continet ex tacita voluntate conſtituentis.

II. Qui *Viam* habet, habet & jus lapidem aut tignum trahendi, haſtamque rectam ferendi; *l. 7. D. h. t.* non etiam ille, qui *Actum* habet.

III. *Via* legibus determinatum habet ſpatium; latitudo enim ejus ex L. XII. tab. in porrectum octo pedes habet, in anfractum, i. e. ubi flexum eſt, ſedecim. *l. 8. D. h. t.*

§. 10. *Aquæ Ductus* eſt *jus aquam ducendi per fundum alienum. d. l. 1. pr. D. h. t. pr. I. de ſervit.* v. *l. 10. 15. 17. 21. 24. 25. D. h. t.*

§. 11. In *Ruſticis* computanda quoque ſunt *Aquæ Hauſtus, Pecoris ad aquam appulſus, Jus Paſcendi, Calcis coquendæ, Arenæ fodiendæ,* & *Cretæ eximendæ. l. 1. §. 1. D. h. t. §. 2. I. de ſerv.* v. *l. 2. §. 1. 2. l. 3. pr. §. 3. l. 4. 5. §. 1. l. 6. pr. §. 1. l. 9. D. h. t.*

§. 12. Licet *Aquæ Hauſtus, Pecoris ad aquam appulſus,* ſimileſque Servitutes, non tantum Reales, ſed & Perſonales eſſe poſſint, ſi ſcil. conſtituantur in utilitatem perſonæ. *l. 14. §. ult.* D. *de alim. leg.*

§. 13. Item ſic poſſunt Servitutes imponi: ut fructus in vicini villa cogantur,

Digitized by Google

tur, coactique habeantur; ut pedamenta ad vineam ex vicini prædio ſumantur; *d. l. 3. §. 1.* ut terram, rudus, ſaxa jacere, poſita habere jus ſit, & ut in tuum lapides provolvantur, ibique poſiti habeantur, indeque exportentur, *d. l. 3. §. 2.* ut tugurium mihi habere liceat in tuo; *l. 6. §. 1. D. h. t.* nec non ut per lacum alterius navigare liceat. *l. 23. §. 1. D. h. t.*

TITULUS IV.

COMMUNIA PRÆDIORUM TAM URBANORUM QUAM RUSTICORUM.

§. 1.

Licet autem diverſæ ſint *Servitutes Prædiorum Urbanorum a Servitutibus Prædiorum Ruſticorum*, multa tamen utriſque ſunt *Communia*.

§. 2. Utræque enim *Servitutes Prædiorum* appellantur, quoniam ſine Prædiis conſtitui non poſſunt; nemo enim poteſt ſervitutem acquirere vel Urbani vel Ruſtici prædii, niſi qui habet prædium: nec quiſquam debere, niſi qui prædium habet. *l. 1. §. 1.* D. *h. t. §. 3. I. de ſervit.*

§. 3. Eaque Prædia II. debent eſſe in commercio, v. *l. 4. D. h. t. l. 1. D. ſi ſerv. vind.* & tum conſtituentis, tum acquirentis propria; nemo enim alieno Prædio ſervitutem vel imponere, vel acquirere poteſt. *l. 5. 6. pr. D. h. t.*

§. 4. Licet duorum Prædiorum dominus, alteri, quod tradit, ſervitutem aut imponere, aut acquirere poſſit. *l. 3. 5. 6, 7. 8. D. h. t.*

§. 5. III. Prædia debent eſſe vicina, ut ſervitus utilitatem præſtare poſſit; *l. 38. 25. D. de S. P. U. l. 5. §. 1.* D. *de S. P. R.* vicinitatem enim, non tam ex confinio, aut Prædiorum conjunctione, quam ex commoditate utendi metimur. *l. 1. D. de S. P. U. l. 7. §. 1. D. h. t. l. 4. §. ult. D. ſi ſerv. vind. l. ult. D. de S. P. R. l. 7. §. ult. D. eod.*

§. 6. IV. Omnes ſervitutes Prædiorum cauſas debent habere perpetuas. *l. 28.* D. *de S. P. U. l. un. §. 4. de font.* v. *l. 1. §. 8. D. de aq. quot.*

§. 7. V. Omnes tum Pactionibus & Stipulationibus, tum Teſtamento conſtitui poſſunt. *§. ult. I. de ſerv. l. 5. 13. 16. D. h. t.*

§. 8. VI. Omnes longo tempore præſcribi poſſunt. *l. ult. C. de præſcr. long. temp.* v. ſupr. *ad t. de ſerv. §. 5. & ſeqq.*

§. 9. VII. Nullæ ipſo jure conſtitui poſſunt ad tempus, vel ſub conditione. *l. 4. pr. D. de ſerv.*

§. 10. VIII. Omnes Servitutes ſunt individuæ. *l. 2. §. 2. l. 72. pr. D. de V. O. l. 6. §. 4.* D. *ſi ſerv. vind. l. 17.* D. *de ſerv. l. ult. D. de ſerv. leg.* v. *l. 6. §. 1. l. ult.* D. *h. t.*

§. 11. IX. Conceſſa qualicunque ſervitute, intelliguntur & ea conceſſa, ſine quibus ſervitute uti non licet. *l. 11. pr. §. 1.* D. *h. t.*

§. 12. X. Omnes denique *Actione Confeſſoria* vindicari poſſunt. *l. 2. D. ſi ſerv. vind. §. 2. I. de act.*

TITULUS V.

SI SERVITUS VINDICETUR, VEL AD ALIUM PERTINERE NEGETUR.

§. 1.

De *Servitutibus* enim *In Rem Actiones* competunt nobis (ad exemplum earum, quæ ad *Uſumfructum* pertinent) tam *Confeſſoria*, quam *Negatoria*: *Confeſſoria* ei, qui Servitutes ſibi competere intendit; *Negatoria* Domino, qui negat. *l. 2. pr.* D. *h. t.*

§. 2. De quibus Prætor ita edixiſſe videtur; *Si Servitus vindicetur, vel ad alium pertinere negetur; vindicanti Confeſſoriam, Neganti Negatoriam in rem Actionem dabo.* arg. *Inſcr. & l. 2. pr. D. h. t.*

§. 3. Eſt itaque *Actio Confeſſoria Actio in rem, l. 6. §. 3. D. h. t. §. 2. I. de act. qua quis ſervitutem, ſive realem, ſive perſonalem, ſibi competere contendit. d. l. 2. pr. D. h. t. §. 2. I. de act. l. 5. §. ult. D. ſi uſusfr. pet.*

§. 4. Dicitur *Confeſſoria*, non a formula, ſæpe enim etiam negative concipitur, ſed ab intentione Actoris.

§. 5. Naſcitur ex jure Servitutis, quod jus in re eſt, *l. 13. §. 1. l. 19. D. de damn. infect. l. 30. D. de noxal. act.* & probandum. *l. 9. C. de ſervit.*

§. 6. Eſtque *Directa*, vel *Utilis. l. 16. D. de ſerv.*

§. 7. *Actio Confeſſoria Directa* datur *Domino prædii dominantis;* Servitutem enim nemo vindicare poteſt, quam is, qui dominium in fundo ſeu prædio vicino habet, cui ſervitutem dicit deberi: *l. 2. §. 1. l. 6. §. 3. D. h. t. Utilis* vero *Creditori*, qui fundum pignori accepit, *Emphyteuticario, l. 16. D. de ſerv. l. 9. D. de O. N. N. Superficiario. l. 3. §. pen. D. de O. N. N. l. 1. §. f. D. de ſuperf.* nec non *Fructuario*, contra vicinum ſcil. non contra proprietarium, a quo uſumfructum vindicat. *l. un. §. 4. D. de remiſſ.*

§. 8. Datur *Contra Dominum prædii ſervientis, l. 6. §. 3. D. h. t.* quemcunque impedientem, *l. 10. §. 1.* D. *h. t.* nec non eum, qui liti ſe obtulit. arg. *l. ult.* D. *ſi uſusfr. pet.*

§. 9. *Ad id*, ut Judex Actori Servitutem competere declaret, & reum, quanti actoris intereſt, ſe turbatum non eſſe, condemnet, *l. 4. §. 2. l. 6. §. 6.* D. *h. t.* præſtandamque cautionem, de in poſterum non turbando, vel ad id, quanti actor in litem juraverit, *l. 7. D. h. t.*

§. 10.

§. 10. *Actio Negatoria* ſeu *Negativa* eſt *Actio in rem*, *l. 4. §. 7. D. h. t. §. 2. I. de act.* *qua quis Servitutem vicino deberi negat. l. 2. pr.* D. *h. t. §. 2. I. de act.*

§. 11. Dicitur *Negatoria* ſimiliter ut *Confeſſoria*, non a formula, ſed ab intentione Actoris.

§. 12. Naſcitur ex libertate prædii: *l. 4. §. 7.* D. *h. t. l. 5. pr.* D. *ſi uſusfr. pet.* quæ probanda, ſi adverſarius ſit in poſſeſſione ſervitutis; arg. *l. 8. §. 3.* D. *h. t.* quia poſſeſſio relevat ab onere probandi. *l. ult. C. de R. V*

§. 13. Datur *Domino qui prædium liberum* poſſidet; *l. 2. pr. l. 4. §. 7.* D. *h. t. l. 5. pr.* D. *ſi uſusfr. pet.* etiamſi ſit in quaſi poſſeſſione libertatis; *l. 5. §. ult.* D. *ſi uſusfr. pet.* hoc uno caſu enim, qui poſſidet, Actoris partes obtinet, *d. §. 2. in f. d. l. 5. §. ult. l. 4. §. 7. l. 6. §. 1. D. h. t.* Theoph. *ad d. §. 2.* qui alibi fruſtra quæritur.

§. 14. *Contra quemvis ſervitutem aſſerentem*, & libertatem impedientem. *d. l. 2. pr. l. 8. §. 5. l. 17. pr. §. 1.* D. *h. t.*

§. 15. *Ad id,* ut Judex prædium ſervitute liberum declaret; reumque condemnet ad id, quanti actoris intereſt, ſe turbatum non eſſe, *l. 4. §. 2.* D. *h. t.* præſtandamque cautionem, de in poſterum non turbando, vel ad id, quanti actor in litem juraverit. *l. 7. 12. D. h. t.*

§. 16. Quæ Actiones jure noſtro de *Servitutibus* tantum, non etiam de aliis juribus competunt, arg. *h. t. t.* D. *ſi uſusfr. pet. §. 2. I. de act.*

TITULUS VI.

Quemadmodum Servitutes Amittuntur.

§. 1.

Illud etiam *Commune* eſt *Servitutibus Realibus*, quod utræque certis modis amittantur.

§. 2. Et quidem I. *Amittuntur Servitutes Confuſione* ſeu *Conſolidatione;* ſi idem utriusque prædii, dominantis ſcil. & ſervientis, & quidem in ſolidum, dominus eſſe cœperit: *l. 1.* D. *h. t. l. 30.* D. *de S. P. U.* nam partis confuſio pro parte tantum Servitutem exſtinguit. *l. 8. §. 1.* D. *de ſerv. l. 33. pr. l. 34.* D. *de S. P. R.*

§. 3. II. *Remiſſione*, ſive *expreſſa*, *l. 14. §. 1.* D. *de ſerv.* ſive *tacita;* cum ſcil. dominus prædii dominantis in prædio ſerviente aliquid fieri permittit, quod uſum ſervitutis impedit. *l. 8. pr. D. h. t.*

§. 4. III. *Non utendo per modum, & tempus;* i. e. vel non utendo ſecundum modum in conſtituenda Servitute præſcriptum: v. *l. 7. 10. §. 1. l. 11. 18. D. h. t.* vel plane non utendo, per tempus decem annorum inter præſentes, viginti inter abſentes. *l. 18. §. 1.* D. *h. t. l. 13. C. de ſervit.*

§. 5. Ubi

Digitized by Google

§. 5. Ubi tamen in *Servitutibus Prædiorum Urbanorum* illud ſpeciale eſt, quod ſerviens libertatem ſimul contra uſucapere debeat. v. *l. 6. 7.* D. *de S. P. U. l. 18. §. 2. D. h. t.* junct. *l. 18.* D. *de S. P. R.*

§. 6. IV. *Soluto jure Auctoris;* v. c. ſi Servitus rei ſub conditione legata impoſita ſit, & conditio extiterit. *l. 11. §. 1. D. h. t.*

§. 7. V. *Prædii* vel dominantis vel ſervientis *interitu. l. 14.* D. *h. t.*

§. 8. Non etiam ſola Mutatione; unde, ſi ſublatum ſit ædificium, ex quo ſtillicidium cadit, & eadem ſpecie & qualitate reponatur, Servitus ſtillicidii nihilominus locum habet. *l. 20.* §. *2.* D. *de S. P. U.* add. *l. 13.* D. *de S. P. R.*

* *

LIBER IX. TITULUS I.

SI QUADRUPES PAUPERIEM FECISSE DICATUR.

§. 1.

Expoſitis *Actionibus In Rem*, ſequuntur *Actiones In Perſonam:* & primum quidem *Actiones In Rem Scriptæ*, puta *Noxales*, quæ competunt vel ob *Damnum a Quadrupede*, vel a *Servo* datum.

§. 2. Si *Quadrupes* damnum dederit, competit *Actio de Pauperie.* v. *§. 1. in f. I. h. t. l. 14. §. ult.* D. *de P V.*

§. 3. Quæ ex L. XII. Tab. deſcendit; quæ Lex voluit aut dari id animal, quod noxiam commiſit, aut æſtimationem noxiæ offerre. *l. 1. pr.* D. *h. t. pr. I. h. t.*

§. 4. Sed a Prætore, adjuvandi Juris Civilis gratia poſtmodum etiam Edicto eſt propoſita. *l. 1. §. 3.* D. *h. t.*

§. 5 Quod ita conceptum fuiſſe videtur: SI QUADRUPES PAUPERIEM FECISSE DICATUR, *aut noxam ſarcire, aut noxæ dedere jubebo.* arg. *Inſcr. & l. 1. pr.* §. *3. 11. 16. D. h. t.*

§. 6. Ait Prætor, SI QUADRUPES; ad omnes enim quadrupedes hæc Actio pertinet. *l. 1. §. 2. D. h. t.* Si non quadrupes, ſed *bipes* pauperiem fecit, ceſſat quidem *Actio de Pauperie Directa*, ſed *Utilis* tamen locum habet. *l. pen.* D. *h. t.*

§. 7. PAUPERIEM FECISSE DICATUR; *Pauperies* eſt *damnum ſine injuria facientis datum:* nec enim poteſt animal injuria feciſſe dici, quod ſenſu caret. *l. 1. §. 3. D. h. t. pr. I. h. t.*

§. 8. Non tamen qualecunque damnum hic intelligendum, ſed illud demum, quod quadrupes proprio motu contra naturam dedit: puta ſi equus calcitroſus

troſus calce percuſſerit, aut bos cornu petere ſolitus petierit, aut mulæ propter nimiam ferociam. *l. 1. §. 4. D. h. t. pr I. h. t.*

§. 9. Quod ſi ſecundum naturam, depaſcendo gramina vel fruges, damnum dederit, non hæc, ſed *Actio de Paſtu pecorum* locum habet. *l. 14. §. ult.* D. *de praſcr. verb.*

§. 10. Pecus alienum in ſuo agro deprehenſum includere, jure noſtro non licet. *l. 39. §. 1.* D. *ad L. Aquil.*

§. 11. Si culpa vel inſtigatu alterius quadrupes damnum dederit, damni injuriæ ex *L. Aquilia* agendum. *l. 1. §. 4. 5. 6. 7. 8. 11. D. h. t.*

§. 12. Si vero naturalis ſit feritas, non *Directa*, ſed *Utilis de Pauperie* competit. *l. 1. §, 10.* D. *§. 1. I. h. t.*

§. 13. Sive autem corpore ſuo pauperiem quadrupes dedit, ſive per aliam rem, quam tetigit quadrupes, ut puta, ſi plauſtro bos obtrivit aliquem; vel alia re dejecta, hæc Actio locum habebit. *l. 1. §. 9. D. h. t.*

§. 14. *Aut noxam ſarcire, aut noxæ dedere jubebo;* concedendo ſcil. *Actionem Noxalem de Pauperie.* v. *§. 1. I. h. t. l. 39. §. 1,* D. *ad Leg. Aquil.*

§. 15. Quæ eſt *Actio perſonalis in rem ſcripta*, ex mera æquitate deſcendens; v. Diſſert. N. VII. *de Cauſ. Obl. C. 2. Competens domino, omnique, cujus intereſt, l. 2. pr. D. h. t. ejuſque heredi: l. 1. §. ult. D. h. t. Contra eum, qui tempore litis conteſtatæ dominus eſt, l. 1. §. 12. D. h. t. adeoque & contra heredem* tanquam dominum; *l. 1. §. ult. D. h. t. Ut damnum reſarciat, vel animal noxæ dedat, l. 1. pr. l. 3. D. h. t. pr. I. h. t.* i. e. vivum tradat. *l. 1, §. 14. D. h. t.*

§. 16. Interdum autem dominus non in hoc convenietur, ut noxæ dedat; ſed etiam in ſolidum, ut puta, ſi in jure interrogatus, *an ſua quadrupes eſſet?* reſponderit *non eſſe ſuam;* nam ſi conſtiterit ejus eſſe, in ſolidum condemnabitur. *l. 1. §. 15. D. h. t.*

§. 17. Plane ſi ante litem conteſtatam deceſſerit animal, exſtincta erit actio. *l. 1. §. 13. D. h. t.*

TITULUS II.

AD LEGEM AQUILIAM. C. III. 35.

§. 1.

Quod ſi *Homo Liber damnum injuria dederit*, ex *Lege Aquilia* agendum eſt.

§. 2. Quæ *Lex Aquilia* Plebiſcitum eſt, cum eam *Aquilius Tribunus Plebis* a Plebe rogaverit. *l. 1. §. 2.* D. *§. 15. I. h. t.*

§. 3. Cujus Legis tria maxime notanda fuerunt capita. v. Theoph. ad *pr. I. h. t.* Et *Primo* quidem ita cavetur: „ *Qui ſervum ſervamve, alienum alienamve,*

 „*quadru-*

„quadrupedemve pecudem, (ſic leg. vid.) *injuria occiderit, quanti id in eo anno „plurimi fuit, tantum æs dare domino damnas eſto. l. 2. pr. D. h. t.*

§. 4. Ait Lex, *„Qui Servum ſervamve, alienum alienamve;„* de *Servo Lex Aquilia* loquitur, non de homine libero occiſo, cujus nulla eſt æſtimatio: *l. 3. D. ſi quadr. paup. ſec. dic. l. ult. D. de his qui eff.* qui ſi dolo occiſus ſit, agendum ex *Lege Cornelia de Sicariis. l. 1. §. 3. D. ad L. Corn. de ſic.*

§. 5. *„Quadrupedemve pecudem;„* ut igitur apparet, ſervis exæquat quadrupedes, quæ pecudum numero ſunt, & gregatim habentur: quales ſunt oves, capræ, boves, equi, muli, aſini, & ſues. *l. 2. §. 2. D. h. t. §. 1. I. h. t.*

§. 6. *„Injuria occiderit;„* non enim ſufficit occiſum, ſed oportet *injuria* id eſſe factum. *l. 3. D. h. t.*

§. 7. *Injuriam* autem hic nos accipere oportet, non quemadmodum circa *Injuriarum actionem,* contumeliam quandam, ſed quod non jure factum eſt, hoc eſt contra jus, i. e. ſi culpa quis occiderit. *l. 5. §. 1. D. h. t.*

§. 8. Non tantum enim ex *Lege Aquilia*, ob damnum dolo, ſed & culpa datum, agi poteſt. *§. 3. I. h. t.*

§. 9. *Culpa* autem intercedit, ſi quis v. c. in diſciplina vulneraverit, vel occiderit ſervum; *l. 5. §. 3. l. 6. D. h. t.* ſi non miles, vel miles quidem, ſed in loco inſolito, jaculis ſeſe exercendo, aliquem trajecerit; *§. 4. I. h. t. l. 9. §. ult. D. h. t.* ſi putator, prope viam publicam, ramum ex arbore non proclamans dejecerit, & tranſeuntem occiderit; *§. 5. I. h. t. l. 31. D. h. t.* ſi Medicus, qui ſervum ſecuerit, curationem ejus dereliquerit; *§. 6. I. h. t. l. 8. D. eod.* vel per imperitiam male eum ſecuerit, aut perperam medicamenta dederit. *§. 7. I. h. t. l. 7. in f. l. 8. D. h. t.*

§. 10. Licet enim imperitia per ſe culpa non ſit, eſt tamen culpa in eo, qui peritiam & artem profitetur. *l. 9. §. pen. l. 13. §. 5. D. loc cond. l. 27. §. 29. D. h. t.* Ita acc. *l. 132. D. de R. J.*

§. 11. Quin & *Culpa leviſſima* in *Lege Aquilia* venit: *l. 44. pr. D. h. t.* veluti, ſi impetu mularum vel equorum, dum mulio, vel is, qui equo vehitur, eos retinere nequit, aliquis obtritus ſit, *§. 8. I. h. t.* ſi modo alius firmior eos retinere potuiſſet; *d. §. 8. l. 8. §. 1. D. h. t.* nemo enim temere affectare debet, in quo vel intelligit, vel intelligere debet, infirmitatem ſuam alii periculoſam eſſe, *d. l. 8. §. 1.* Adeo, ut &, qui occaſionem præſtat, damnum feciſſe videatur. *l. 30. §. 3. D. h. t.*

§. 12. Qua tamen in re circumſtantiæ probe conſiderandæ, adeoque multum judicis arbitrio relinquendum eſt. *v. l. 11. pr. l. 52. §. ult. l. 29. §. 2. & ſeqq. l. 45. §. 3. D. h. t.*

§. 13. Si quis igitur ſervum alienum jure permittente occiderit, non tenetur: puta, ſi quis latronem, aliumve vim corpori inferentem, interfecerit; nam adver-

adverſus vim naturalis ratio permittit ſe defendere. *l. 4. pr. §. 1. l. 5. & 45. §. 4. D. h. t. l. 3. D. de J. & J.*

§. 14. Dummodo *Inculpatæ tutelæ moderatio* ſervata ſit. *l. 1. C. und. vi.*

§. 15. Qua ut uſus quis dici poſſit, neceſſe eſt, I. Ut ab altero vis injuſta illata ſit; II. Ut alter ſui tuendi, non ulciſcendi cauſa, vim inferentem occiderit. *a. l. 4. 5. & 45. §. 4. D. h. t. l. 3. D. de J. & J.*

§. 16. Ut adeo Certamina ſingularia ſeu Duella, ſponte ſuſcepta, nulla ratione defendi poſſint.

§. 17. Sed & ſi quis caſu fortuito occiderit, non tenetur. *§. 3. I. h. t.*

§. 18. *Occiſum* autem accipere debemus, ſive gladio, ſive etiam fuſte, vel alio telo, vel manibus, ſi forte ſtrangulavit eum, vel calce petiit, vel capite, vel qualiter qualiter. *l. 7. §. 1. 2. D. h. t.*

§. 19. Si plures ſervum percuſſerint, ſiquidem apparet, cujus ictu perierit, ille quaſi occiderit tenetur: quod ſi non apparet, omnes quaſi occiderint tenentur. *l. 11. §. 2. l. 51. §. 1. 2. D. h. t.*

§. 20. Si vero alius mortifero vulnere percuſſerit ſervum, alius poſtea exanimaverit, prior de vulnerato, poſterior de occiſo tenebitur: *l. 11. §. 3. l. 15. §. 1. D. h. t.* niſi vulnus ſimpliciter & per ſe lethale ſit, ut certum ſit ex eo vulnere moriturum fuiſſe, quo caſu cum utroque de occiſo ex *Lege Aquilia* agi poteſt. *l. 51. pr. D. h. t.*

§. 21. „*Quanti id in eo anno plurimi fuit, tantum æs dare domino damnas eſto ;*„ quæ clauſula æſtimationem habet damni, quod datum eſt. *l. 21. pr. D. h. t.*

§. 22. *Annus* autem retrorſus computatur, ex quo quis occiſus eſt, repetitis ſcil. ex die cædis 365. diebus. *l. 21. §. 1. l. 23. §. 3. l. 51. §. 2. D. h. t. §. 9. I. h. t.*

§. 23. Neque ſolum peremti corporis ratio habetur, ſed & omnis ejus damni, quod occaſione peremti corporis datum eſt: *l. 21. §. 2. D. h. t. §. 10. I. h. t.* veluti, ſi quis ex comœdis, aut ſymphoniacis, aut gemellis, aut quadriga, aut ex pari mularum, unum vel unam occiderit, non ſolum peremti corporis æſtimatio facienda eſt, ſed & ejus ratio habenda eſt, quo cætera corpora depretiata ſunt; *l. 22. §. 1. D. h. t. §. 10. I. h. t.* vel ſi ſervum heredem inſtitutum ante quis occiderit, quam is juſſu tuo hereditatem adierit, non tantum ſervi occiſi, ſed & hereditatis quoque amiſſæ ratio habenda eſt. *l. 23. pr. §. 1. 2. D. h. t. d. §. 10.*

§. 24. In ſumma omnia commoda, quæ intra annum, quo interfectus eſt, pretioſiorem ſervum facerent, hæc accedere ad æſtimationem ejus dicendum eſt. *l. 23. §. 6. D. h. t.*

§. 25. *Secundum Capitulum Legis Aquiliæ* in deſuetudinem abiit; *l. 27. §. 4. D. h. t. §. 12. I. h. t.* neque quid eo cautum ſit, ſatis conſtat.

§. 26. Licet non improbabilis ſit conjectura, *de Servo corrupto* eo capite actum fuiſſe arg. *l. 4. 5. §. 2. D. de ſerv. corr.*

§. 27. *Tertio* autem capite ait eadem *Lex Aquilia* : „*Cæterarum rerum*

„præter hominem & pecudem occiſos, ſi quis alteri damnum faxit, quod uſſerit, „fregerit, ruperit injuria, quanti ea res erit in diebus triginta proximis, tantum „æs domino dare damnas eſto.„ *l. 27. §. 5. D. h. t.*

§. 28. Ait *„Lex, Cæterarum rerum præter hominem & pecudem occiſos;„* capite *tertio* enim de omni cætero damno cavetur. *§. 13. I. h. t.*

§. 29. Si *„quis alteri damnum faxit, quod uſſerit, fregerit, ruperit inju„ria;„* ſi quis igitur ſervum, vel eam quadrupedem, quæ pecudum numero eſt, vulneravit, ſive eam quadrupedem, quæ pecudum numero non eſt, veluti canem aut feram beſtiam, vulneraverit aut occiderit, *hoc capite* Actio conſtituitur. *d. §. 13. I. h. t.*

§. 30. Si liber homo vulneratus ſit, non quidem *Directa*, ſed *Utilis Legis Aquiliæ Actio* (quam & pater nomine filii habet, *l. 7. D. h. t.*) conceditur; *l. 13. D. h. t.* in quam operarum ceſſantium & impendiorum æſtimatio venit.

§. 31. Cicatricum autem, & deformitatis, jure noſtro non habetur ratio. *l. 3. D. ſi quadr. paup. fec. l. ult. D. de his qui eff.*

§. 32. In cæteris quoque animalibus, item in omnibus rebus, quæ anima carent, damnum per injuriam datum hac parte vindicatur. Si quid enim uſtum, aut ruptum, aut fractum, aut quoquo modo corruptum fuerit, Actio ex *hoc capite* conſtituitur. *d. §. 13. I. h. t. l. 27. §. 6. & ſeqq. D. h. t.*

§. 33. Verbum *ruperit* enim fere omnes Veteres ſic intellexerunt *corruperit*, & *ruptum* intelligitur, quod quoquo modo corruptum eſt. *l. 27. §. 13. 17. & ſeqq. D. §. 13. I. h. t. l. 30. §. 2. loc. cond. l. 7. §. 2. arb. furt. caſ. l. 34. §. 2. D. de O. & A.* Feſt. *in voc. Rupitias.*

§. 34. *„Quanti ea res erit in triginta diebus proximis, tantum æs domino „dare damnas eſto;„* ex hoc capite enim, non quanti in eo anno, ſed quanti in diebus triginta proximis res fuerit, obligatur is, qui damnum dederit. *§. 14. I. h. t.*

§. 35. Licet autem *plurimi* verbum hoc capite non adjiciatur, perinde tamen hoc accipiendum, ac ſi etiam hac parte adjectum eſſet. Plebs enim Romana, quæ Aquilio Tribuno rogante hanc Legem tulit, contenta fuit, quod prima parte eo verbo uſa eſſet. *l. 29. §. ult.* D. *§. 15. I. h. t.*

§. 36. Ob *Damnum* vero *injuria datum* triplex competit Actio, *Actio* ſcil. ex *Lege Aquilia Directa*, & *Utilis;* nec non *Actio in factum. §. ult. I. h. t.*

§. 37. *Actio ex Lege Aquilia Directa* eſt, *quæ ex verbis Legis datur;* cum ſcil. quis corpore & corpori damnum dedit. *d. §. ult. l. 51. pr.* D. *h. t.*

§. 38. *Actio ex Lege Aquilia Utilis* eſt, quæ non *ex verbis, ſed per interpretationem ex mente Legislatoris datur;* cum quidem corpori, non tamen corpore damnum datum eſt, vel alia ratione Directa locum habere nequit. *d. §. ult. l. 7. & 11. §. 8. l. 13. D. h. t.*

§. 39. *Actio in factum* eſt *Actio Prætoria, Legi Aquiliæ*, hiſce ſimilibusve verbis *accommodata: Si quis cui alio modo Damnum injuria dederit, quam Lege Aqui-*

Digitized by Google

Aquilia comprehenſum eſt, eo nomine in factum Judicium dabo. v. *l.* 11. *D. de præſcr. verb.*

§. 40. *Quæ, ubi neque Directa, neque Utilis locum habet, ex æquitate datur;* cum ſcil. neque corpore damnum datum, neque corpus læſum eſt, ſed alio modo alicui damnum datum eſt: *§. ult. I. l.* 33. §. 1. *D. h. t.* veluti, ſi quis miſericordia ductus alienum ſervum compeditum ſolverit, & ille aufugerit; *§. ult. I. h. t.* vel fumo facto apes alienas fugaverit. *l.* 49. *pr. D. h. t.* v. Diſſ. N. V. *de Cauſ. Obl. C. IV. §.* 11. *& ſeqq.*

§. 41. Quam & liberis viduæque, ſi liber homo culpa occiſus ſit, competere, eadem æquitatis ratione dicendum videtur. *d.* Diſſert. V. *C. IV. §.* 35. 36.

TITULUS III.

De His Qui Effuderint Vel Dejecerint.

§. 1.

Simile damnum eſt, quod *Effundendo* vel *Dejiciendo* aliquid in viam publicam datum eſt, vel quod ex eo, quod ſupra viam publicam periculoſe *Poſitum* eſt, timetur.

§. 2. De priori Prætor ait: „*Unde in eum locum, quo vulgo iter fiet, vel in* „*quo conſiſtetur, dejectum vel effuſum quid erit; Quantum ex ea re damnum da-* „*tum factumve erit, in eum, qui ibi habitaverit, in duplum judicium dabo. Si* „*eo ictu homo liber periiſſe dicetur, quinquaginta aureorum Judicium dabo; Si* „*vivet, nocitumque ei eſſe dicetur, quantum ob eam rem æquum judici videbitur,* „*eum cum quo agetur condemnari, tanti judicium dabo. Si ſervus inſciente do-* „*mino feciſſe dicetur, in judicio adjiciam, aut noxam dedere.*„ *l.* 1. *pr.* D. *h. t.*

§. 3. Quod ſumma cum utilitate Prætorem edixiſſe, nemo eſt qui neget; publice enim utile eſt, ſine metu & periculo per itinera commeari. *l.* 1. *§.* 1. *D. h. t.*

§. 4. Ait Prætor, „*Unde;*„ ex cœnaculo ſcil. vel ædibus, quas quis inhabitat. *§.* 1. *I. de obl. quæ quaſ. ex delict. l.* 1. *§.* 9. D. *h. t.* Si de nave dejectum ſit, dabitur *Actio utilis. l.* 6. *§. ult.* D. *h. t.*

§. 5. „*In eum locum, quo vulgo iter ſit, vel in quo conſiſtetur;*„ parvi autem intereſt, utrum publicus locus ſit, an privatus, dummodo per eum vulgo, ſive die, ſive nocte iter fiat: quia iter facientibus proſpicitur, non publicis viis ſtudetur. *l.* 1. §. 2. *l.* 6. *pr. §.* 1. D. *h. t.*

§. 6. „*Dejectum vel effuſum quid erit;*„ quod ſi ſuſpenſum decidit, proprie quidem *dejectum* dici nequit, pro dejecto tamen habetur. Proinde &, ſi quid pendens effuſum ſit, quamvis nemo hoc effuderit, Edictum tamen utiliter locum habere dicendum eſt. *l.* 1. *§.* 3. D. *h. t.*

§. 7. „*Quantum ex ea re damnum datum factumve erit, in eum, qui ibi* „*habi-*

„*habitaverit, in duplum judicium dabo.*„ Hæc *In factum Actio* in eum datur, qui inhabitat, cum quid dejiceretur vel effunderetur, non in dominum ædium; culpa enim penes eum eſt, dum in receptione familiæ, & aliorum, ſibi non ſatis proſpexit: *l. 1. §. 4.* D. *h. t.* quorum culpam præſtare debet. *l. pen. §. pen. D. h. t. §. 1. I. de obl. quæ quaſ. ex del.*

§. 8. *Habitare* autem dicimus vel in ſuo, vel conducto, vel gratuito. *Hoſpes* plane non tenebitur, quia non ibi habitat, ſed tantiſper hoſpitatur; ſed is tenetur, qui hoſpitium dederit. Multum enim intereſt inter *Habitatorem & Hoſpitem*, quantum inter domicilium habentem, & peregrinantem. *l. 1. §. 9. l. 5. §. 1. D. h. t.*

§. 9. Si plures in eodem cœnaculo habitent, unde dejectum eſt, in quemvis hæc actio dabitur; ſed ſi cum uno fuerit actum, cæteri liberabuntur. *l. 1. §. ult. l. 2. 3. 4. 5. pr.* D. *h. t.*

§. 10. Datur autem hic ob damnum datum, *Actio in factum de Dejectis & Effuſis, l. 5. §. 5. D. h. t.* ex quaſi delicto; *§. 1. I. de obl. quæ quaſ. ex del.* &, ſi quidem damnum datum eſt æſtimabile, in duplum: *l. 1. pr. D. h. t. §. 1. I. de obl. quæ quaſ. ex del.* eoque caſu perpetua eſt, & heredi quoque, non vero contra heredem competit *l. 5. §. 5.* D. *h. t.*

§. 11. „*Si eo ictu homo liber periiſſe dicetur, quinquaginta aureorum judi-* „*cium dabo;*„ cum enim liber homo periit, damni æſtimatio non fit in duplum, quia in homine libero nulla corporis æſtimatio fieri poteſt: *l. 1. §. 5.* D. *h. t.* quo caſu Actio hæc popularis & annalis eſt, neque heredi, neque in heredem competit. *d. l. 5. §. 5. I. de obl. quæ quaſ. ex del.*

§. 12. „*Si vivet, nocitumque ei eſſe dicetur.*„ Hæc verba non pertinent ad damna, quæ in rem hominis liberi facta ſunt, ſi forte veſtimenta ejus vel quid aliud ſciſſum corruptumve eſt, ſed ea, quæ in corpus ejus admittuntur. *l. 1. §. 6. D. h. t.*

§. 13. „*Quantum ob eam rem æquum Judici videbitur, cum quo agitur con-* „*demnari, tanti judicium dabo;*„ Judex enim computare debet mercedes medicis præſtitas, cæteraque impendia, quæ in curatione facta ſunt: præterea operas, quibus caruit aut cariturus eſt, ob id quod inutilis factus eſt. *l. ult. D. h. t. §. 1. I. de obl. quæ quaſ. ex del.* Eoque caſu Actio eſt perpetua. *l. 5. §. 5. D. h. t.*

§. 14. Cicatricum autem aut deformitatis nulla fit æſtimatio, quia liberum corpus nullam recipit æſtimationem. *l. ult. D. h. t. l. 3. D. ſi quadr. paup. fec. dic.*

§. 15. „*Si ſervus inſciente domino feciſſe dicetur, in judicio adjiciam,* „*aut noxam dedere;*„ hoc enim caſu *Actio Noxalis* locum habet, v. *l. 2. D. de noxal. act.*

§. 16. Cum autem hac *In factum actione* propter hoc quis condemnatus eſt,

eſt, merito ei, ob hoc, quod hoſpes vel quis alius de cœnaculo dejecit, *Actio in factum* datur adverſus dejectorem, vel etiam *locati*, ſi dejectori locaverit. *l. 5. §. 4. D. h. t.*

§. 17. De *Periculoſe Poſitis & Suſpenſis* Prætor ita edixit: „*Ne quis in ſuggruenda protectove, ſupra eum locum, qua vulgo iter fiet, inve quo conſiſtetur, id* „*poſitum habeat, cujus caſus nocere cui poſſit. Qui adverſus ea fecerit, in eum* „*ſolidorum decem in factum judicium dabo. Si ſervus inſciente domino feciſſe* „*dicetur*, aut æſtimationem dari, (ſic legend. vid.) *aut noxæ dedi jubebo. l. 5. §. 6. D. h. t.*

§. 19. Hoc Edictum ſuperioris portio eſt; conſeqnens enim fuit, Prætorem etiam in hunc caſum proſpicere, ut, ſi quid in his partibus ædium poſitum eſſet, non noceret. *l. 5.* §. 7. *D. h. t.*

§. 20. Ait Prætor, „*Ne quis;*„ hæc verba ad omnes pertinent, vel inquilinos, vel dominos ædium, ſive inhabitent, ſive non: dummodo aliquid expoſitum habeant. *l. 5. §. 8. D. h. t.*

§. 21. „*In ſuggruenda protectove;*„ *Suggruenda* ſeu *Suggrundia* ſunt partes tecti prominentes, ſeu projecta ex ædibus: v. *l. 242. §. 1. D. de V. S. Protectum* vero, cum tigna emittuntur tegendi gratia. v. *l. 2. D. de S. P. U.* v. ſupr. ad *t. de S. P. U. §. 12.*

§. 22. „*Supra eum locum, qua vulgo iter fiet, inve quo conſiſtetur, id* „*poſitum habeat;*„ accipere debemus *poſitum*, ſive in habitationis, vel cœnaculi, ſive etiam in horrei, vel cujus alterius ædificii partibus poſitum ſit. *l. 5. §. 9. D. h. t.*

§. 23. *Poſitum habere* etiam is recte videtur, qui ipſe quidem non poſuit, verum ab alio poſitum patitur: quare ſi ſervus poſuerit, dominus autem poſitum patiatur, non noxali judicio dominus, ſed ſuo nomine tenebitur. *l. 1. §. 10. D. h. t.*

§. 24. „*Cujus caſus nocere cui poſſet;*„ ex his verbis manifeſtum ſit, non omne poſitum huc pertinere, ſed quicquid ſic poſitum eſt, ut nocere poſſit. *l. 5. §. 11. D. h. t.*

§. 25. Si vero id, quod poſitum erat, deciderit & nocuerit, & conſtet, quis poſuerit, in eum competit Actio qui poſuit, non in eum qui habitaverit. *l. 5. §. 12. D. h. t.*

§. 26. „*Qui adverſus ea fecerit, in eum ſolidorum decem in factum judicium* „*dabo.*„ Quæ Actio popularis eſt, & heredi ſimilibusque competit, non contra heredem, quia pœnalis eſt *l. 5. §. ult. D. h. t.*

§. 27. „*Si ſervus inſciente domino feciſſe dicetur*, aut æſtimationem dari, „*aut noxæ dedi jubebo.*„ Quo caſu hæc *Actio* ſimiliter *Noxalis* eſt, v. *l. 2. pr. D. de noxal. act.*

TITU-

TITULUS IV.

De Noxalibus Actionibus.

C. III. 41.

§. 1.

Si enim *Servus* damnum dederit, *Actio Noxalis* locum habet.

§. 2. De qua Prætor ita edixiſſe videtur: *Si Servus inſciente domino, furtum feciſſe, aliamve noxam commiſiſſe dicetur, quanti ob eam rem æquum bonum Judici videbitur, adverſus dominum, in cujus poteſtate eſt, judicium dabo, vel ipſum hominem noxæ dedi jubebo.* arg. *l. 1. 2. D. l. 3. C. pr. I. h. t.* Paul. *Sent. L. II. T. 31. §. 7.*

§. 3. Eſt itaque *Actio Noxalis, Actio Perſonalis, quæ ex delicto ſervi privato datur, contra dominum, ut damnum datum reſarciat, vel ſervum noxæ dedat. l. 1. pr. D. pr. I. h. t.*

§. 4. Dicitur *Noxalis a Noxa*, i. e. maleficio, quia ex noxa atque maleficio ſervorum adverſus nos inſtituitur. *d. l. 1. d. pr.*

§. 5. *Noxas* autem accipere debemus *privatas*, non eas, quæ publicam exercitionem, & coërcitionem capitalem habent. *l. 17. §. 18.* D. *de Ædil. Ed. l. 200.* D. *de V. S.* Ob quas ipſe ſervus plectitur. *l. 4. C. h. t. l. 2. C. de accuſ. l. 4. C ad L. Jul. de vi.*

§. 6. Datur *Actio Noxalis* ei, cui ſervus noxam committendo damnum dedit. arg. *d. l. 1. D. pr. I. h. t.*

§. 7. Contra Dominum, omnemque, etiam bonæ fidei poſſeſſorem; *l. 11. 13.* D. *h. t. Noxa* enim ſeu noxalis actio *caput ſequitur: §. 5. I. h. t. l. 20. l. ult.* D. *l. 1. C. h. t. l. 1. §. 18.* D. *depoſ. l. 17. §. 7. D. de injur. l. 18. 41. §. 2. D. de furt.* i. e. datur contra omnem eum, ad quem ſervus pervenerit, *d. §. 5. I. h. t.* quippe in poteſtate eum habet, dolove malo fecit, quo minus haberet. *l. 21. pr. D. h. t.*

§. 8. Datur autem contra dominum ignorantem vel prohibentem; ſi enim ſervus ſciente vel non prohibente domino damnum dedit, in ſolidum dominum obligat. *l. 2. pr. §. 1.* D. *l. 2. 4. C. h. t.*

§. 9. Plane *Scientia* domini ſic accipienda eſt, ſi, cum prohibere poſſet, non prohibuit. *l. 3. 4. pr.* D. *h. t. l. 50. 109.* D. *de R. J.*

§. 10. Datur ad hoc, *ut dominus vel damnum datum reſarciat*, quod proprie in obligatione eſt, *vel ſervum noxæ dedat*, quam poteſtatem dominus a Lege accepit. *l. 1. pr.* D. *l. 8. C. pr. I. h. t. l. 6. §. 1.* D. *de re jud.*

§. 11. Summa ratione; iniquum enim eſt, nequitiam ſervorum, ultra ipſorum corpora, dominis damnoſam eſſe. *§. 2. I. l. 2. pr. D. h. t.*

§. 12. Debet itaque dominus, qui ſervum in ſua poteſtate eſſe confitetur, cum

Digitized by Google

eum defendere, vel noxæ dedere. Si vero negavit in ſua poteſtate eſſe ſervum, permittit Prætor Actori arbitrium, utrum jurejurando id decidere, an judicium dictare ſine noxæ deditione velit: per quod vincet, ſi probaverit, eum in poteſtate eſſe, vel dolo ejus factum, quo minus eſſet. Qui autem non probaverit, in poteſtate adverſarii eſſe ſervum, rem amittit. *l. 22. §. ult. D. h. t.*

§. 13. Prætoris verba hæc ſunt: „*Si is, in cujus poteſtate eſſe dicetur, negavit ſe in (ſua) poteſtate ſervum habere: utrum actor volet, vel dejerare jubebo, in poteſtate ſua non eſſe, neque ſe dolo malo feciſſe, quo minus eſſet, vel judicium dabo ſine noxæ deditione.*„ *l. 21. §. 2.* D. *h. t.*

§. 14. „*In poteſtate*,„ ſic accipere debemus, ut facultatem & poteſtatem exhibendi ejus habeat; cæterum ſi in fuga ſit vel peregre, non videbitur eſſe in poteſtate. *l. 21. §. 3. D. h. t.*

§. 15. Quod ſi reus jurare nolit, ſimilis eſt ei, qui neque defendit abſentem, neque exhibet; qui condemnantur quaſi contumaces. *l. 21. §. 4. D. h. t.*

§. 16. Si vero jusjurandum exegit Actor, Reusque juravit, nihilominus poſt jusjurandum *Actio Noxalis* competit, ſi, poſteaquam juratum eſt, in poteſtate ejus eſſe cœperit. *l. 21. §. ult. D. h. t.*

§. 17. Dividuntur autem *Actiones Noxales*, in *Civiles*, & *Prætorias*; prout ſcil. *Directæ* ſunt *Civiles*, vel *Prætoriæ*. §. 4. *I. h. t.*

§. 18. *Civiles* ſunt, quæ legibus ſunt conſtitutæ, veluti *Furti nec manifeſti* ex L. XII. Tab. *Damni injuriæ* ex L. Aquilia: *Prætoriæ*, quæ ex Edicto Prætoris, veluti *Injuriarum* & *Vi bonorum raptorum. d. §. 4.*

§. 19. Dabantur etiam olim Actiones Noxales propter delicta liberorum, v. *Collat. Leg. Moſ.* & *Rom. t. 2. §. Papianus. l. 3. §. 4. D. de lib. hom. exhib.* quod poſtea mutatum eſt: tum quod abſurda viſa eſt ratione filiorum filiarumque noxæ deditio, tum quod ipſe filius ex delicto, *l. 57. de jud. §. ult. I. h. t. l. 33. & ſeqq. D. h. t. l. 5. §. pen. D. de O. & A.* nec non pater per indirectum *Actione judicati de peculio*, conveniri poſſit. *l. 3. §. 11. D. de pecul.*

* *

LIBER X. TITULUS I.

Finium Regundorum. C. III. 39.

§. 1.

Poſt *Actiones in rem ſcriptas Noxales*, ſequuntur Actiones *Mixtæ ratione objecti*, *Finium* ſcil. *regundorum*, *Familiæ erciſcundæ*, & *Communi dividundo*. v. §. 20. *I. de Act.*

§. 2. Actio *Finium regundorum* L. XII. Tab. introducta eſt, arg. *Inſcr. l. ult. D. h. t.* ſed poſtmodum, hoc ſimilive modo, etiam Edicto incluſa: *Finium regundorum ſi inter confines agatur, judicium dabo: Ut fines, habita ratione ejus quod cujuscunque intereſt, ex bono & æquo regantur; ſi vero commode dirigi non poſſint, per adjudicationem & condemnationem controverſia dirimatur.* arg. *l. 2. §. 1. l. 3. 4. §. 1. 10. D. h. t. §. 20. I. de act. §. 6. I. de off. jud.*

§. 3. Eſt itaque *Actio Finium regundorum, Actio perſonalis, arbitraria, duplex, competens Dominis, qui confines habent agros, quorum termini ſunt confuſi, ad fines regendos, & præſtandas præſtationes perſonales.*

§. 4. Vocatur hæc Actio *Finium regundorum*, a *finibus* confuſis *regundis*, i. e. dirigendis & diſtinguendis. v. *l. 2. §. 1. l. 4. §. 10. l. 8. pr. §. 1. D. h. t.* Iſid. *L. V. c. 25.*

§. 5. Eſt autem *Perſonalis;* non *mixta* ratione originis. Licet enim pro rei vindicatione ſit, Actio tamen in perſonam eſt. *l. 1. D. h. t. l. 1. §. 1. C. de ann. exc.*

§. 6. Naſcitur namque ex fortuita finium confuſione; *l. 2. §. 1. l. 8. D. h. t.* quamvis & delictum concurrere poſſit. *d. l. 4. §. 4. D. h. t.*

§. 7. *Arbitraria;* v. *l. 4. §. 3. l. 7. D. h. t.* junct. *l. 22. C. de R. V. §. 6. I. de offic. jud.* junct. *§. 31. I. de act.*

§. 8. *Duplex;* Judicium enim *Finium regundorum* tale eſt, ut in eo ſingulæ perſonæ duplex jus habeant, agentis, & ejus, cum quo agitur: *l. 10. D. h. t.* Is autem *Actor* videtur, qui prior ad judicium provocavit. *l. 13. D. de jud.*

§. 9. *Competens Dominis; Actio* enim *Finium regundorum* maxime datur dominis agrorum: *l. 4. §. 5. l. 12.* D. *h. t.* non tantum tamen dominis, ſed & aliis jus in re habentibus; nam & in agris vectigalibus, & inter eos, qui uſumfructum habent, vel fructuarium & dominum proprietatis vicini fundi, & inter eos, qui jure pignoris poſſident, competere poteſt. *d. l. 4. §. 9. D. h. t. l. 3. C. h. t.*

§. 10. Non etiam ſociis, qui communem fundum habent. *l. 4. §. 6. 7. D. h. t.*

§. 11. *Qui confines agros habent; §. 20. I. de act.* hoc judicium enim locum habet in confinio *prædiorum ruſticorum*, urbanorum diſplicuit, neque enim *confines* hi, ſed magis *vicini* dicuntur, & ea communibus parietibus plerumque diſterminantur: & ideo, etſi in agris ædificia juncta ſint, locus huic actioni non erit. *l. 2. & 4. §. 10. D. h. t.*

§. 12. Si vero via publica intervenit, confinium non intelligitur, & ideo *Finium regundorum* agi non poteſt; quia magis in confinio meo via publica, vel flumen eſt, quam ager vicini. *l. 4. §. 11. l. 5. D. h. t.*

§. 13. Sed ſi rivus privatus intervenit, *Finium regundorum* agi poteſt. *l. 6. D. h. t.*

§. 14.

Digitized by Google

§. 14. *Ad fines regendos;* i. e. dirigendos, & diſtinguendos. *l. 2. §. 1. D. h. t. §. 6. I. de offic. jud.* v. *ſupr. §. 6.*

§. 15. Et ſi quidem antiqui fines, ex veteribus monumentis & ruderibus, vel cenſu, *l. 11. D. h. t. l. 10. D. de prob.* vel per teſtes, v. *l. 28. D. de prob. l. 2. §. 8. D. de aq. & aq. pluv.* probari poſſint, Judex iſtos ſequi & reſtituere debet. v. *d. l. 2. §. 1.* D. *h. t. d. §. 6. I. de offic. jud.*

§. 16. Unde & ad officium Judicis pertinet, menſores mittere, & per eos dirimere ipſam finium quæſtionem, & ſi ita res exigit, oculis ſuis loca ſubjicere. *l. 8. §. 1. D. l. 3. C. h. t.*

§. 17. Si vero fines dirigere non poſſit, vel evidentioribus finibus diſtingui agros commodius ſit, ipſi permittitur adjudicatione controverſiam dirimere. Quo caſu opus eſt, ut ex alterutrius prædio alii aliquid adjudicandum ſit: quo nomine is, cui adjudicatur, invicem pro eo, quod ei adjudicatur, certa pecunia condemnandus eſt. *l. 2. §. 1. l. 3.* D. *h. t. §. pen. I. de off. jud.*

§. 18. Cumque *Actio Finium regundorum* olim tantum de ſpatio V. pedum, quod inter conterminos agros vacuum relinquebatur, neque uſucapi poterat, *v.* Aggen. Urb. *de Limit. agr.* Frontin. *de Lim. t. de contr.* Paul. *I. Sent. t. 16.* Cic. I. *de Leg. c. 21.* inſtitui poſſet, de reliquo autem proprietatis quæſtio haberetur; v. Front. *d. l. 3. C. Theod. h. t.* Iſidor. *L. 5. c. 25. præſcriptione illa* ſeu determinatione V. *pedum ſubmota, finalis jurgii nunc libera* (ut & de majori ſpatio locum habeat) *peragitur intentio l. pen. C. h. t.*

§. 19. Et *præſtandas præſtationes perſonales*, i. e. omne id quod intereſt, fructus ſcil. ab uno perceptos, & impenſas ab altero factas, nec non damnum dolo culpave datum. *l. 4. §. 1. 2.* D. *h. t.*

§. 20. Quo judicio pendente neutri ex agro confini aliquid uſurpare licet. *l. 4. C. h. t.*

§. 21. *Actio* autem hæc *Finium regundorum* præſcriptione longiſſimi temporis, i. e. XXX. annorum, exſtinguitur. *l. ult. C. h. t.*

TITULUS II.

FAMILIÆ ERCISCUNDÆ. C. III, 36.

§. 1.

A*ctio Familiæ erciſcundæ* ſimiliter e L. XII. Tab. proficiſcitur, *l. 1. pr. D. h. t.* ſed poſtea quoque Edicto propoſita eſt, quod ita conceptum videtur: *Familiæ erciſcundæ ſi inter coheredes agatur, judicium dabo; Ut hereditas dividatur, & habita ratione præſtationum, ſi quid damni datum factumve eſt, ſive quid eo nomine aut abeſt alteri, aut ad alterum pervenit, res hereditariæ ex bono & æquo ſingulis adjudicentur. Si vero res quædam commode dividi nequeat, illa res uni*

 adju-

adjudicetur, & is invicem alteri certa pecunia condemnetur. arg. *l. 1. §. 1. l. 2. & 22. §. 4. D. h. t. §. 20. I. de act. §. 4. I. de off. jud. l. 3. pr. D. comm. div.*

§. 2. Adeoque *Actio Familiæ erciſcundæ* eſt *Actio perſonalis, duplex, b. f. quæ datur coheredi, contra coheredem, ad communem hereditatem dividendam, & præſtandas præſtationes perſonales.*

§. 3. Dicitur *Familiæ erciſcundæ*, i.e. hereditatis dividendæ; *Familia* enim hic, uti & alibi, hereditatem denotat: v. *l. 195. §. 1. D. de V. S. l. ult. C. de V. S.* Gell. *L. I. c. 9. in f. Herciſcere* autem, quod ex *herctum* & *ciſco* compoſitum eſt, idem eſt quod dividere. *l. 2. D. h. t.* v. Cic. *de Orat. c. 56.* Feſt. *in voc. Erctum citum.*

§. 4. Eſt autem *Perſonalis; l. 1. §. 1. C. de ann. exc.* non *Mixta* ratione originis, quia naſcitur ex *Quaſi contractu*, communione ſcil. hereditatis. *§. 4. I. de obl. quæ quaſ. ex contr.*

§. 5. *Duplex;* in *Familiæ erciſcundæ* judicio enim unusquisque heredum & *Rei* & *Actoris* partes ſuſtinet; *l. 2. §. 3. l. 44. §. 4. D. h. t. l. 37. §. 1. D. de O. & A.* is autem *Actor* videtur, qui prior ad judicium provocavit. *l. 13. D. de jud.*

§. 6. *Bonæ fidei. §. 28. I. de act. l. 9. C. h. t.*

§. 7. *Quæ datur coheredi, contra coheredem; l. 1. & 24. §. 1. l. 51. §. 1. D. h. t.* adeo quidem, ut non niſi poſt aditam hereditatem, *l. 49. in f. D. h. t.* inter confitentes de jure hereditatis, locum habeat. *l. 1. §. 1. l. 36. & 49. d. l. 51. §. 1. D. h. t. l. 1. §. 2. D. ſi pars hered. pet.*

§. 8. Ita tamen, ut non obſtet confeſſio judicialis de coherede, quominus poſtea detecto errore, is, qui confeſſus eſt, poſſit petere integram hereditatem, imo & partem hereditatis, falſo coheredi ſolutam, repetere; niſi ſententia pronunciata ſit, eaque vim rei judicatæ obtinuerit, quæ repetitionem impedit. *d. l. 36. & 37. D. h. t.*

§. 9. Sive autem heredes ſint ex teſtamento, ſive ab inteſtato, ſive ex Jure Civili, ſive Prætorio, nihil intereſt. *l. 2. pr. l. 24. §. 1. D. h. t.*

§. 10. Quin & ſi Quarta ad aliquem, ex Conſtitutione D. Pii adrogatum, deferatur, *Utile Familiæ erciſcundæ judicium* locum habet. *l. 2. §. 1. D. h. t.*

§. 11. Non etiam intereſt, an partes ſuas poſſideant coheredes, an non poſſideant. *l. 1. §. 1. l. 25. §. 2. D. h. t.*

§. 12. Non tamen datur Minori, niſi intercedat conſenſus curatoris, & decretum judicis. arg. *l. 17. C. de præd. min.*

§. 13. Non etiam competit contra eos, qui titulo ſingulari res poſſident. *l. 2. pr. l. 25. §. 7. l. 45. D. h. t.*

§. 14. *Ad communem hereditatem dividendam; l. 2. pr. l. 26. D. h. t. §. 20. I. de act.* i. e. res omnes hereditarias, quæ titulo heredis poſſidentur: ſive teſtatoris fuerint propriæ, ſive alio jure ab eo poſſeſſæ; *l. 1. pr. l. 2. pr. l. 19. & 25. §. 20. D. h. t. l. 8. 9. 10. 11. & ſeqq. l. 28. 29. & 22. §. ult. l. 23. 24. & 47. D. h. t.* nemo

nim

Digitized by Google

enim invitus in communione, quæ mater ſolet eſſe diſcordiæ, retinendus eſt. *l. 1. pr. D. h. t. l. 77. §. 20. D. de leg. 2. l. 26. §. 4. D. de cond. ind. l. fin. C. comm. div.*

§. 15. Non etiam in hoc judicium veniunt; I. Res titulo ſingulari communes; arg. *l. 2. pr. l. 25. §. 7. l. 45. D. h. t.* quæque communes aut hereditariæ eſſe deſierunt. *l. 12. §. ult. l. 54. D. h. t.*

II. Nomina, quæ ipſo jure ex L. XII. Tab. inter coheredes ſunt diviſa. *l. 2. §. ult. l. 4. pr. D. l. 6. C. h. t. l. 1. C. ſi cert. pet. l. 1. C. de exc.* Licet ſtipulationes de diviſione nominum interpoſitæ effectum habeant. *d. l. 2. §. ult. D. h. t.*

III. Mala medicamenta, venena, nec non libri improbatæ lectionis; quæ protinus corrumpenda ſunt. *l. 4. §. 1. D. h. t.* v. *l. 3. C. de ſumm Trin. l. 6. §. 1. l. 8. §. 1. C. de hæret. Act. XIX, 19.*

IV. Si quid ex peculatu, vel ex ſacrilegio, vel vi, aut latrocinio, aut aggreſſura, aliove delicto, adquiſitum eſt. *l. 4. §. 2. D. h. t.*

V. Tabulæ teſtamenti, aliaque inſtrumenta hereditaria, quæ ei, qui majori ex parte heres eſt, aut ſexu, conditione, vel ætate major eſt, cuſtodienda committuntur, reliquis deſcriptum datur: *l. 4. §. ult. l. 5.* D. *h. t, l. ult.* D. *de fid. inſtr.* quod ſi omnes æquales ſint, nec inter eos conveniat, apud quem potius eſſe debeant, ſortiri eos oportet, apud quem deponenda ſint. *d. l. 5. D. h. t.*

VI. Res quæ diviſionem non recipiunt: *l. 25. §. 9.* D. *h. t.* junct. *l. 2. §. 2.* D. *de V. O.* ut ſervitutes prædiales, quæ in actionem hanc non veniunt, niſi ut dividantur menſura & temporibus; *l. 19. §. 4. D. comm. div. l. 4.* D. *de aq. quot.* vel per adjudicationem ab aliis rebus dividantur. *d. l. 25. §. 9. & ſeqq.* D. *h. t.*

VII. Res denique extra commercium, adeoque & extra communionem poſitæ. *l. 30. D. h. t.*

§. 16. *Officium judicis* autem eſt, res hereditarias inter coheredes pro rata dividere, & ſingulas res ſingulis heredibus adjudicare, §. *4. I. de off. jud. l. 2. pr. l. 22. §. 1. 2. 3. D. h. t. §. 20. I. de act.* nihilque indiviſum relinquere; *l. 25. §. 20.* D. *h. t.* Niſi diviſio ſit difficilis aut pene impoſſibilis, quo caſu poteſt vel uni proprietatem, alteri uſumfructum; *l. 6. §. 1. de uſufr.* vel uſum, vel uſumfructum alternis annis; *l. 10. 16. §. 2.* D. *h. t.* vel uni rem adjudicare, eumque coheredi certa pecunia condemnare. *d. l. 22. §. 1. l. 55. D. h. t. §. 20. I. de act. §. 4. I. de off. jud.*

§. 17. Idem curare debet, ut de evictione caveatur, quibus adjudicat. *l. 25. §. 21. l. 47.* D. *l. 14. C. h. t.*

§. 18. Quas adjudicationes Prætor tuetur; exceptiones aut actiones dando; *l. 44. §. 1. D. h. t.* exemplo aliarum rerum judicatarum, quæ utroque remedio defenduntur. *l. 8. C. de reb. cred. t. t. D. de exc. rei jud.*

§. 19. Adeo quidem, ut ſi quid ex hac cauſa datum ſit, tanquam indebitum

 repeti

repeti nequeat, neque hæc diviſio ob læſionem ultra dimidium reſcindi poſſit. *l. 36. D. h. t.*

§. 20. Licet aliud juris ſit, ſi diviſio hereditatis inter coheredes ſine judice facta ſit. Quo caſu diviſio non ſolum ob enormem læſionem, etiam ſine dolo factam, arg. *l. 2. C. de reſc. vend.* junct. *l. 1. C. comm. utr. jud.* ſed & ob minorem, ſi dolo facta ſit, reſcinditur. *l. 3. C. comm. utriusque jud.*

§. 21. Quod ſi res quædam indiviſæ relictæ ſint, de iis *Communi dividundo* agendum eſt; *Familiæ* enim *erciſcundæ* judicio, amplius quam ſemel, agi non poteſt. *l. 20. §. 4.* D. *h. t.*

§. 22. *Et præſtandas præſtationes perſonales;* Familiæ erciſcundæ judicium enim ex duobus conſtat, id eſt ex rebus atque præſtationibus, quæ ſunt perſonales actiones: *l. 22. §. 4. D. h. t.* unde & ratione *objecti* hæc actio *mixtam cauſam* obtinere dicitur. *§. 20. I. de act.*

§. 23. Si unus igitur ex coheredibus ſolus ex hereditate aliquid perceperit, *l. 19. 44. §. 3. l. 56. D. h. t.* vel impenſas fecerit, *l. 29. pr. l. 44. §. ult. D. l. 18. §. 1. C. h. t.* vel damnum dolo culpave dederit, *l. 16. §. 4. & ſeqq. l. 17. 25. §. 16. l. 44. §. 2.* D. *l. 3. C. h. t.* eo nomine coheres coheredi condemnandus eſt. *§. 4. I. de off. jud. §. 3. 4. I. de obl. quæ quaſ. ex contr.*

§. 24. Non tamen in hoc judicium veniunt ea, quæ a patre filio ſtudiorum, vel ſimili cauſa pietatis, non credendi animo, ſubminiſtrata ſunt. *l. 50. D. h. t.* v. *l. 34.* D. junct. *l. 11. 15. C. de neg. geſt. l. ult.* D. *de her. pet.*

§. 25. Impenſæ etiam, quas coheres in communem hereditatem fecit, tum demum peti poſſunt, ſi eas communi nomine fecerit, neque ſolus partem ſuam adminiſtrare potuerit, cæteroquin enim *Actio Negotiorum geſtorum* locum habet. *l. 6. §. 2.* D. *comm. div. l. 40. D. de neg. geſt. l. 49. in f.* D. *l. 20. C. h. t.*

§. 26. Condemnationes autem & abſolutiones in omnium perſona faciendæ ſunt, & ideo, ſi in alicujus perſona omiſſa ſit damnatio, in cæterorum quoque perſona, quod fecit judex, non valebit. Quia non poteſt ex uno judicio res judicata in partem valere, in partem non valere. *l. 27. D. h. t.*

§. 27. Præſcribitur hæc actio XXX. annis. *l. 1. §. 1. C. de annal. exc.* dummodo unus hereditatem tanquam ſuam poſſederit. v. *l. 14. §. 2.* D. *comm. div. l. f. C. eod. l. 70.* D. *pro ſoc.*

TITULUS III.

Communi Dividundo. C. III. 37.

§. 1.

De *Actione Communi Dividundo* Prætor ita edixiſſe videtur: *Communi Dividundo ſi inter ſocios agatur, judicium dabo; ut res communes dividantur, & habita*

habita ratione præſtationum, ſi quid in his damni datum factumve eſt, ſive quid eo nomine aut abeſt alicui ſociorum, aut ad eum pervenit ex re communi, ex bono & æquo ſingulis adjudicentur. Si vero res quædam commode dividi nequeat, illa res uni adjudicetur, & is invicem alteri certa pecunia condemnetur. arg. *l. 1. 2. 3. pr. l. 4. pr.* D. *l. 3. C. h. t. §. 20. I. de act. §. 5. I. de off. jud.*

§ 2. Ut adeo hæc *Actio ſit perſonalis, duplex, b. f. quæ datur ſocio contra ſocium, ad rem communem dividendam, & præſtandas præſtationes perſonales.*

§. 3. Eſt *Actio perſonalis;* non *mixta* ratione originis. *l. 1. §. 1. C. de annal. exc.* Naſcitur enim ex quaſi contractu, communione ſcil. rei ſingularis. *§. 3. I. de obl. quæ quaſ. ex contr.*

§. 4. *Duplex;* quia omnium ſociorum par cauſa eſt, & ſinguli Actoris & Rei partes ſuſtinent. *l. 2. §. 1.* D. *h. t. l. 37. §. 1.* D. *de O. & A.* Is autem Actor videtur, qui prior ad judicium provocavit. *d. l. 2. §. 1.* D. *h. t. l. 13.* D. *de jud.*

§. 5. *Bonæ fidei; §. 28. I. de act. l. 4. §. 2.* D. *h. t.* quare ſi una res indiviſa relicta eſt, valebit utique & cæterarum diviſio, & poterit iterum *communi dividundo* agi de ea, quæ indiviſa manſit. *d. l. 4. §. 2.* D. *h. t.*

§. 6. *Quæ datur ſocio contra ſocium;* i. e. ei, qui rem cum alio ex juſta cauſa communem habet; v. *l. 7. §. 4. 5. D. h. t.* contra eum, cum quo eam communem habet. *§. 3. I. de obl. quæ quaſ. ex contr. §. 20. I. de act.*

§. 7. Et quidem *Actio Directa* datur illis, qui jure dominii rem corporalem habent communem; *l. 4. pr.* D. *h. t. Utilis* vero illis, qui fundum vectigalem, *l. 7. pr.* D. *h. t.* Publicianam, *l. 7. §. 2. D. h. t.* jus pignoris. *l. 7. §. 6. 8. 12. 13.* D. *h. t.* vel ſervitutis habent. *l. 7. §. 7. 10. l. 19. §. 4.* D. *h t.*

§. 8. Inter prædones autem hoc judicium locum non habet, nec ſi precario poſſideant locum habebit, nec ſi clam, quia injuſta eſt poſſeſſio iſta. Precaria vero juſta quidem, ſed quæ non pergat ad judicii vigorem. *l. 7. §. 4.* D. *h. t.*

§. 9. Non etiam colonis, neque iis, qui depoſitum ſuſceperunt, hoc judicium competit, quamvis naturaliter poſſideant. *l. 7. §. 11. D. h. t.*

§. 10. *Ad rem communem dividendam; l 3. pr. D. h. t. §. 20. I. de act. §. 4. I. de off. jud.* Communi dividundo judicium enim ideo neceſſarium fuit, quod *pro Socio actio* magis ad perſonales invicem præſtationes pertinet, quam ad communium rerum diviſionem. *l. 1. D. h. t.*

§. 11. Et ſi quidem res communis commode diviſionem recipiat, judex partes ejus ſingulis adjudicare debet; & ſi unius pars prægravari videbitur, is invicem certa pecunia alteri condemnandus eſt. Quod ſi commode dividi non poſſit, tunc tota res uni adjudicanda, & is invicem alteri certa pecunia condemnandus eſt. *§. 5. I. de off. jud.* v. *l. 3. C. h. t. l. 6. §. 10. l. 7. §. 10. D. h. t.*

§. 12. *Et præſtandas præſtationes perſonales. l. 3. pr. D. h. t.* Sicut enim ipſius

ipſius rei diviſio venit in communi dividundo judicio, ita etiam præſtationes veniunt. *l. 4. §. 3. D. h. t.* Eaque ratione mixtam cauſam obtinet. *§. 20. I. de act.*

§. 13. Et ideo ſi unus ſolus fructus ex re communi perceperit, *§. 3. l. de obl. quæ quaſ. ex cont. l. 3. 4. C. l. 11.* D. *h. t.* vel ſolus in eam rem neceſſarias impenſas fecerit, *d. §. 3. l. 4. §. 3. 4. l. 11.* D. *h. t.* vel damnum dolo culpave dederit, *l. 20. 28. D. l. 4. in f. C. h. t.* eo nomine condemnandus eſt.

§. 14. Judicio autem *Communi dividundo* tum demum locus erit, ſi id geſſit ſocius, ſine quo partem ſuam adminiſtrare non potuit; alioquin, ſi potuit, habet *Negotiorum geſtorum actionem*, eaque tenetur. *l. 6. §. 2.* D. *h. t. l. 40.* D. *de neg. geſt.* v. *ſupr. ad t. Fam. erciſc. §. 26.*

§. 15. Cui Actioni ſimiliter XXX. annis præſcribitur. *l. 1. §. 1. C. de ann. exc.*

§. 16. Ut adeo hic pleraque eadem ſint, quæ de *Judicio Familiæ erciſcundæ* dicta ſunt, *l. 6. §. 11. D. h. t.* add. *t. t. C. comm. utr. jur.*

TITULUS IV.

AD EXHIBENDUM, C. III. 42.

§. 1.

Mixtam etiam quodammodo cauſam ratione objecti obtinet *Actio ad Exhibendum;* de qua proinde ſimul ſubjicitur.

§. 2. Quam Prætor etiam hoc modo Edicto complexus videtur: *Ad exhibendum ſi agatur ab eo, cujus intereſt, neque res arbitrio Judicis exhibeatur, adverſus eum, qui poſſidet, aut dolo malo fecit, quo minus poſſideat, quanti ea res erit, judicium dabo.* arg. *l. 2. 3. §. 1. 9. ult. l. 4. 5. 8. l. pen.* D. *h. t.*

§. 3. Eſt itaque *Actio ad exhibendum perſonalis, in rem ſcripta, competens illis, quorum ex juſta cauſa peculiariter intereſt, adverſus quemcunque poſſeſſorem, ad rem mobilem, de qua quæſtio eſt, ejusque cauſam exhibendam, vel ſi res dolo non exhibeatur, ad præſtandum id quod intereſt.*

§. 4. Quæ perquam neceſſaria eſt, & maxime propter vindicationes inducta. *l. 1.* D. *h. t.*

§. 5. Dicitur autem *Perſonalis; l. 3. §. 3. D. h. t. §. 31. I. de act.* naſcitur enim ex obligatione, quæ ex mera æquitate deſcendit. *l. 3. §. pen. D. l. 7. C. h. t.* Nam nihil æquius eſt, quam ut poſſeſſor rem ei exhibeat, cujus intereſt; cum & totam tradere teneatur, ſi actor dominium aliudve jus in re poſtea probaverit; & ſi id non probetur, nullum ex ea re damnum vel incommodum ſentiat. v. *l. 2. §. 5.* D. *de aq. quot. & æſtiv.* Diſſ. N. VII. *de Cauſ. Obl. C. III. §. 3. & ſeqq.*

§. 6. In rem ſcripta; quia contra omnem poſſeſſorem competit; non ſolum

ſum eum qui civiliter, ſed & eum qui naturaliter poſſidet. *l. 3.* §. *ult. l.* 4. D. *h. t.* Quales *in rem ſcriptæ* dici ſolent. *l. 9. §. ult.* D. *quod met. cauſ.*

§. 7. *Competens illis, quorum ex juſta cauſa peculiariter intereſt;* non tantum enim datur domino, cive, qui aliud jus in re habet, *l. 1. 3. §. 3. 4. 12. D. h. t.* ſed & illis, qui in perſonam acturi ſunt, *l. 3. §. 7. l. 12. §. 2. l. 19.* D. *h. t. l. 2. D. h. t.* dummodo eorum *peculiariter* interſit: *l. 13. 14. D. h. t.* de quo judex ſummatim cognoſcit, *l. 3.* §. *9.* D. *h. t.* exceptionibus altioris indaginis in cauſam principalem reſervatis. *l. 3.* §. *13. D. h. t.*

§. 8. Non tamen peculiariter eorum intereſſe ſufficit, ſed & *ex juſta* & probabili *cauſa* eorum intereſſe debet. *l. 3. §. 11.* D. *h. t. Non enim oportet jus civile calumniari, neque verba captare, ſed qua mente quid dicatur animadvertere convenit. l. pen.* D. *h. t.*

§. 9. Intereſſe autem debet Actoris, utroque tempore, & quo lis conteſtatur, & quo fit condemnatio. *l. 7. §. ult. D. h. t.*

§. 10. Heredi hæc Actio non ut heredi, ſed ſuo nomine competit. *l. 12. §. ult. D. h. t.*

§. 11. *Adverſus quemcunque poſſeſſorem;* non ſolum eum, qui civiliter, ſed & eum, qui naturaliter poſſidet. *l. 3. §. ult. l. 4. D. h. t.* dummodo vel tempore condemnationis exhibendi facultatem habeat. *l. 5. pr. §. ult. l. 7. §. 3. 4. D. h. t.*

§. 12. Niſi dolo malo fecerit, quo minus poſſideat, quia dolus pro poſſeſſione habetur. *l. 5. §. 2. l. 14. D. l. 5. C. h. t. l. 131. D. de R. J.*

§. 13. Contra heredem qua heredem non competit; ſed heres ſuo nomine tenetur. *l. 12. §. ult. D. h. t.*

§. 14. Plane ex dolo defuncti danda eſt in heredem hæc actio, ſi locupletior hereditas eo nomine facta ſit. *d. l. 12. §. ult. D. h. t.*

§. 15. *Ad rem mobilem, de qua quæſtio eſt; l. 56. D. de proc. l. 3. §. 8. l. 18. D. l. 5. C. h. t.* immobiles enim ſemet ipſas ſatis exhibent. *l. 2. C. quand. & quib. quart.*

§. 16. Sive autem res mobilis ſola ſit, ſive alteri incluſa ſeu juncta, nihil intereſt; *l. 6. D. h. t. l. 23. §. 5. D. de R. V.* excepto tigno ædibus juncto, quod uti propter L. XII. Tab. vindicari nequit, ita neque de eo exhibendo agi poteſt. *d. l. 6. D. h. t. d. l. 23. §. 6. l. 1. pr. D. de tign. junct. §. 29. I. de R.* D.

§. 17. *Exhibendam; l. 3. §. 9. D. h. t.* i. e. ſumtibus Actoris, v. *l. 11. §. 1. D. h. t.* ejus rei poteſtatem in publico faciendam. *Exhibere* enim eſt facere in publico poteſtatem, ut ei qui agit experiundi ſit copia. *l. 2. D. h. t. l. 3. §. 9. D. de tab. exh. l. 3. §. 8. D. de lib. hom. exhib. l. 1. D. ſi ex noxal. cauſ. ag. l. 22. & ult. pr. D. de V. S.*

§. 18. *Ejuſque cauſam;* non enim ſufficit, ſi exhibeat rem is, cum quo actum eſt, ſed opus eſt, ut etiam rei cauſam debeat exhibere, i. e. ut eam cauſam habeat

 actor,

Digitized by Google

actor, quam habiturus eſſet, ſi, cum primum ad exhibendum egiſſet, exhibita res fuiſſet. *§. 3. I. de off. jud. l. 9. §. 5. pen. ult. D. h. t.*

§. 19. Non tantum tamen hæc Actio ad *exhibendum*, ſed quandoque & ad *rem cum omni cauſa & acceſſionibus reſtituendam* datur: ſi ſcil. actor jus ſuum plene probaverit. *l. 9. §. pen. & ult. D. h. t. §. 3. I. de off. jud. l. ult. C. h. t.*

§. 20. *Vel ſi res dolo non exhibeatur, ad præſtandum id quod intereſt; §. 3. I. de off. jud. l. 9. §. ult. l. 10. & ſeq. D. h. t.* jurejurando in litem actoris æſtimandum. *l. 3. §. 2. l. 5. §. 2. D. h. t. l. 5. pr. D. de in lit. jur.*

§. 21. Si exhibeatur quidem, ſed dolo aut culpa deterior facta, poſſeſſor tenetur ex *L. Aquilia* de damno injuria dato. *l. 17. D. l. 7. C. h. t.*

§. 22. Si nec dolo nec culpa poſſeſſoris fiat, ut res non exhibeatur, cautio de exhibendo, ſi in poteſtatem venerit, præſtanda eſt. *l. 5. §. ult. l. 12. §. 5. D. h. t. §. 3. I. de off. jud. §. 1. I. de div. ſtip.*

§. 23. Præſcribitur autem hæc Actio eo tempore, quo aliæ Actiones perſonales perpetuæ, ſpatio ſcil. XXX. annorum. *pr. I. de perp. & temp. act. l. 2. 3. C. de præſcr. 30. ann.*

* *

LIBER XI. TITULUS I.

DE INTERROGATIONIBUS IN JURE FACIENDIS, ET INTERROGATORIIS ACTIONIBUS.

§. 1.

QUem uſum habet *Actio ad Exhibendum* in *Rei Vindicatione*, eundem præbebant in *Actionibus perſonalibus Interrogationes in jure facienda*, & *Interrogatoriæ actiones*: quemadmodum enim *Exhibitio* rei petitur, ut quis commodius agere poſſit, ſic *Interrogationes in jure* fiebant, ut ſciret actor, an, & ex qua parte poſſet actione in perſonam, ſibi competente, aliquem convenire. *l. 1. 2. 3. 5. & 8. D. h. t.*

§. 2. De quibus Prætor ita edixiſſe videtur: QUI IN JURE INTERROGATUS RESPONDERIT; *qua ex parte ſit heres, aut bonorum poſſeſſor, adverſus eum ex ſua reſponſione actionem dabo; Adverſus eum, qui* OMNINO NON RESPONDISSE *dicetur, in ſolidum actionem dabo.* arg. *l. 4. §. 1. l. 11. §. 4. 5. D. h. t.*

§. 3. Ait Prætor, QUI INTERROGATUS; in *Actionibus* ſcil. *in perſonam.* Eſt enim *Interrogatio* tunc neceſſaria, cum *in Perſonam* eſt *Actio*, & ita ſi certum petetur; ne, dum ignoret actor, qua ex parte v. gr. adverſarius defuncto

fructo heres exſtiterit, interdum plus petendo aliquid damni ſentiat. *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 4. Non etiam in *Actionibus in rem*, in quibus *Interrogationes* illæ locum non habuerunt; *d. l. 1. D. h. t. l. 73. D. de R. V.* arg. *l. 4. C. de edend.* excepta *Petitione Hereditatis. l. 11. C. de pet. her.*

§. 5. *Interrogatum* autem accipere debemus, ſive a Prætore, ſive ab adverſario. *l. 9. §. 1. D. h. t.*

§. 6. Si ſervus interrogetur, nulla erit interrogatio, non magis quam ſi ſervus interroget. *l. 9. §. 2. D. h. t.*

§. 7. Non etiam alius pro alio interrogandus eſt, de ſe enim debet quis in judicio interrogari, hoc eſt, cum ipſe convenitur. *l. 9. §. 3. D. h. t.*

§. 8. In Jure; i. e. apud Magiſtratus populi Romani, vel Præſides Provinciarum, vel alios Judices. *Jus* enim hic locus eſt, ubi juris dicendi vel judicandi gratia Magiſtratus conſiſtit, vel ſi domi, vel ſi in itinere hoc agat. *l. 4. §. 1. D. h. t. l. pen. D. de J. & J.*

§. 9. Dummodo interrogatio ante litem conteſtatam fiat, poſt litem conteſtatam enim locum non habebat: *l. 1. pr. D. h. t.* Licet in omni cauſa, ubicunque Judicem æquitas moverit, fieri potuerit. *l. pen. D. h. t.*

§. 10. Responderit; uti debebat; voluit enim Prætor adſtringere eum, qui convenitur, ex ſua in judicio reſponſione, ut vel confitendo, vel mentiendo ſe oneret. *l. 4. pr. D. h. t.*

§. 11. Quod ſi tamen tempus ad deliberandum petat, minime negandum eſt. *l. 5. D. h. t.*

§. 12. Imo interdum interrogatus, *an heres ſit?* non cogitur reſpondere, utpote ſi controverſiam hereditatis ab alio patiatur: ne, aut negando ſe heredem, præjudicet ſibi; aut, dicendo heredem, illigetur etiam ablata ſibi hereditate. *l. 6. §. 1.* D. *h. t.*

§. 13. *Qua ex parte ſit heres, aut bonorum poſſeſſor;* totiens enim heres in jure interrogandus eſt, qua ex parte heres ſit, quotiens adverſus eum actio inſtituitur, & dubitat actor, qua ex parte is, cum quo agere velit, heres ſit. *l. 1. pr. D. h. t.* Difficile enim eſt ei, qui heredem bonorumve poſſeſſorem convenit, probare heredem bonorumve poſſeſſorem eſſe, quia probatio aditæ hereditatis plerumque difficilis eſt. *l. 2. 3. D. h. t.*

§. 14. Sive autem vere reſponderit, ſive falſo, nihil intereſt; cum & mentiendo ſeſe oneret, *l. 4. pr. D. h. t.* & fides ei contra ſe habeatur *l. 11. §. 2. 3. D. h. t.*

§. 15. Confeſſionibus tamen falſis reſpondentes ita demum obligantur, ſi ejus nomine, de quo quis interrogatus eſt, cum aliquo ſit actio, & confeſſio naturaliter ita ſeſe habere poſſit. *l. 13. 14. §. 1. D. h. t.*

§. 16. *Adverſus eum ex ſua reſponſione actionem dabo; Actionem* ſcil. *Interroga-*

rogatoriam, *h. t.* quæ & *Confeſſoria* dicitur. *l. 23. §. ult. l. 25. §. 1. D. ad L. Aquil.* Qui enim interrogatus reſponderit, ſic tenetur, *quaſi ex contractu obligatus*, *pro quo pulſabitur. l. 11. §. 9. D. h. t.*

§. 17. Quæ *Actio Interrogatoria* eſt *Actio Prætoria*, *perſonalis*, *adjectitia*, *competens interroganti*, *contra reum reſpondentem*, *ad præſtandum id*, *quod eum ex confeſſione debere intelligitur. l. 1. 10. 11. §. 9. D. h. t.*

§. 18. Plane ex juſta cauſa reſpondenti ſuccurritur, *l. 11. §. 8. 10. D. h. t.* ut &, ſi ſine dolo malo culpave reſponderit. *l. 11. §. 2. D. h. t.*

§. 19. Sed & reſponſi pœnitere licet, ſi nulla actoris ex ejus pœnitentia ſit captio. *l. 11. §. ult. D. h. t.*

§. 20. *Adverſus eum*, QUI OMNINO NON RESPONDISSE *dicetur*, *in ſolidum Actionem dabo.* Qui enim ex parte heres eſt, & rogatus tacuit apud Prætorem, in ea cauſa eſt, ut inſtituta actione in ſolidum conveniatur, quaſi negavit ſe heredem eſſe: nam, qui omnino non reſpondit, contumax eſt, contumaciæ autem hanc pœnam ferre debet, ut in ſolidum conveniatur, quemadmodum ſi negaſſet; quia Prætorem contemnere videtur. *l. 11. §. 4. 7. l. 19. D. h. t.*

§. 21. Sed & *omnino non reſpondiſſe* videtur, qui ad interrogatum non reſpondit, i. e. *πρὸς ἔπος. l. 11. §. 5. D. h. t.* v. Varr. *de L. L. L. V.*

§. 22. Nihil enim intereſt, neget quis, an taceat interrogatus, an obſcure reſpondeat, ut incertum dimittat interrogatorem. *l. 11. §. 7. D. h. t.*

§. 23. *Interrogatoriis* autem *Actionibus* hodie non utimur, quia nemo cogitur ante judicium de ſuo jure aliquid reſpondere: ideoque minus frequentantur, & in deſuetudinem abierunt. *l. 1. §. 1. D. h. t.*

TITULUS II.

DE QUIBUS REBUS AD EUNDEM JUDICEM EATUR.

§. 1.

Ad Actiones recte inſtituendas pertinet etiam caput, *de quibus rebus ad eundem Judicem eatur;* non raro enim contingit, ut plures cauſæ apud eundem Judicem, propter *Continentiam earum*, terminandæ ſint.

§. 2. Eſt autem *Continentia cauſarum*, *controverſiarum cohærentia & connexio*, *propter quam commode ſeparari nequeunt*, *ſed coram eodem judice ventilandæ & terminandæ ſunt.* v. *l. 10. C. de judic.*

§. 3. Quæ I. oritur ex generalitate actionis, adverſus plures perſonas, vel ad res, quæ diverſæ ſunt jurisdictionis, competentis.

§. 4. Si enim inter plures *Familiæ erciſcundæ* agatur, & inter eosdem *Communi dividundo*, aut *Finium regundorum*, idem Judex ſumendus eſt; & quo facilius coire coheredes vel ſocii poſſint, in eundem locum omnium præſentiam fieri oportet. *l. 1. D. h. t.*

§. 5. Si-

§. 5. Similiter ſi ex pluribus Tutoribus unus convenitur, poſtulante eo, omnes ad eundem Judicem mittuntur. *l. 2. D. h. t. l. 5. C. arb. tut.*

§. 6. II. *Cauſarum continentia* oritur ex ſingulari cognatione juris & facti; nec non III. ex eo, quod una alteri præjudicium faciat: unde Judex, qui cognovit de cauſa poſſeſſionis, etiam de cauſa proprietatis cognoſcere debet. *l. 10. C. de judic. l. 13. C. de R. V. l. 35. D. de A. vel A. P.* v. ſupr. *ad t. de jud. §. 101. 102.*

TITULUS III.

De Servo Corrupto.

C. VI. 2.

§. 1.

Superioribus autem Actionibus affines ſunt, & earum quaſi ſupplementum continent, actiones quædam, ob damnum quidem, non tamen in rebus noſtris proprie datum, competentes: veluti de *Servo corrupto*, ſimilesque, de quibus, priusquam ad *Actiones perſonales* ex *contractu* deſcendentes fit tranſitus, hoc loco ſimul agendum viſum eſt.

§. 2. Et quidem de *Servo corrupto* Prætor ita edixit; „*Qui ſervum, ſervam,* „*alienum, alienam, recepiſſe, perſuaſiſſeve quid ei dicetur dolo malo, quo eum* „*eam deteriorem faceret, in eum, quanti ea res erit, in duplum judicium dabo.*„ *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 3. Ait Prætor, „*Qui ſervum, ſervam, alienum, alienam;*„ quod ſi quis liberum putaverit, nihilominus tenetur: magis enim delinquit, qui liberum putans aliquem corrumpit. *l. 5. §. 1. D. h. t.*

§. 4. „*Recepiſſe;*„ *Recepiſſe* ita accipimus, ſi ſuſceperit ſervum alienum ad ſe: eſt enim proprie *recipere* refugium abſcondendi cauſa ſervo præſtare, vel in ſuo agro, vel in alieno loco, ædificiove. *l. 1. §. 2. D. h. t.*

§. 5. „*Perſuaſiſſeve quid dicetur;*„ i. e. hortatus ſit, vel conſilium dederit: *§. 23. pr. I. de act. Perſuadere* autem plus eſt, quam compellere atque cogere: *l. 1. §. 3. D. h. t.*

§. 6. „*Dolo malo;*„ i. e. per calliditatem; *l. 3. pr. D. h. t. Perſuadere* enim ex mediis verbis eſt, nam & bonum conſilium quis dando poteſt ſuadere, & malum, & ideo Prætor hæc verba ſumma ratione adjecit. *l. 1. §. 3.* D. *h. t.*

§. 7. Unde ſi quis ſine dolo, v. gr. luſus gratia, ſervum deteriorem fecerit, *l. 3. pr. §. 1. D. h. t.* vel ſi quis, ut domino cuſtodiret, eum receperit, vel humanitate, vel miſericordia ductus, vel approbata atque juſta ratione, non tenebitur. *l. 5. pr. D. h. t.*

§. 8 „*Quo eum eam deteriorem faceret;*„ neque enim delinquit, niſi qui tale aliquid ſervo perſuadet, ex quo eum facit deteriorem: qui igitur ſervum ſol-

 licitat

ſicitat ad aliquid faciendum, vel cogitandum improbe, hic videtur hoc Edicto notari. *l. 1. §. 3. 4. 5. l. 2. D. h. t. §. 23. I. de act.*

§. 9. „*In eum quanti ea res eſt;*„ i. e. quanti damnum datum eſt: hæc verba enim omne detrimentum recipiunt. *l. 11. pr. D. h. t.*

§. 10. „*In duplum;*„ *l. 9. §. 2. D. h. t. §. 23. I. de act.* quanti ſc. ſervus ob id, quod corruptus ſit, minoris ſit. *l. 9. §. ult. D. h. t.*

§. 11. Sed & in hoc judicium earum rerum æſtimatio venit, quas ſecum ſervus abſtulit, quia omne damnum duplatur; neque intereſt, an ad corruptorem perlatæ ſint, an non ſint; juſtius enim eſt, eum teneri, qui princeps fuerit delicti, quam eum quæri, ad quem res perlatæ ſint. *l. 10.* D. *h. t. §. 23. I. de act.*

§. 12. Marito tamen contra uxorem in ſimplum tantum competit. *l. ult.* D. *h. t.*

§. 13. „*Judicium dabo;*„ concedendo ſc. *Actionem de Servo corrupto, h. t.* ſeu *Servi corrupti. l. 1. §. 1. l. 11. §. 2. l. 14. §. 1. D. h. t. §. 8. I. de obl. quæ ex del. §. 2. I. de act.*

§. 14. Quæ eſt *Actio Prætoria, l. 1. pr.* D. *h. t. perſonalis, l. 1. §. 3.* D. *h. t. pœnalis mixta;* v. *l. 13. 11. §. 2. l. 14. §. 5. D. h. t. Competens* Domino *ſervi corrupti, ejusque heredibus; l. 8. 13. D. h. t. Contra eum, qui ſervum alienum corrupit, non contra heredem; l. 13. D. h. t. In duplum. l. 1. pr. D. h. t. §. 23. I. de act.*

§. 15. Eaque D*irecta* eſt, vel *Utilis. l. 9. §. 1. l. 14. §. 1. D. h. t.*

§. 16. Si enim ſervus, in quo alius uſumfructum habet, corruptus ſit, *Utilis* actio fructuario competit. *d. l. 9. §. 1. D. h. t.*

§. 17. De filio etiam filiave familias corruptis huic Edicto proprie locus non eſt; quia *ſervi corrupti* conſtituta actio eſt, qui in patrimonio noſtro eſſet, & pauperiorem ſe factum eſſe dominus probare poteſt, dignitate & fama domus integra manente: ſed *Utilis* tamen competit officio Judicis æſtimanda, quoniam intereſt noſtra, animum liberorum noſtrorum non corrumpi. *l. 14. §. 1. D. h. t.*

§. 18. Quod ſi ſervus ſervave corrupiſſe dicetur, judicium cum noxæ deditione redditur. *l. 5. §. 3.* D. *h. t.*

TITULUS IV.

DE FUGITIVIS. C. VI. 1.

§. 1.

Ad ſpecies corrumpendorum ſervorum pertinet, ſi quis ſervo perſuaſerit *fugere*, vel *alea ludere: l. 26. D. de injur. l. 25. §. 6. D. de Æd. Ed.* unde *de Fugitivis, & Aleatoribus,* hoc loco ſimul agitur.

§. 2. *Fu-*

§. 2. *Fugitivus* proprie eſt, qui ea mente a Domino fugæ cauſa diſcedit, ne ad eum redeat. *l. 17. §. 1.* D *de Æd. Ed. l. 225.* D. *de V. S.*

§. 3. *Erro* vero, qui non quidem fugit, ſed frequenter ſine cauſa vagatur, & temporibus in res nugatorias conſumtis ſerius domum redit. *d. l. 17. §. 14. de Æd. Ed.* v. infr. *ad t. de Ædil. Ed. §. 14. 15.*

§. 4. Sed hic *Fugitivus* accipitur & ſi quis *erro* ſit. *l. 1. §. 5.* D. *h. t.*

§. 5. Si quis autem fugitivum celaverit, non tantum fur eſt & furti tenetur, *l. 1. pr. D. h. t.* ſed & aliis modis coërcetur.

§. 6. Senatus enim cenſuit, ne fugitivi admittantur in ſaltus, neque protegantur a villicis, vel procuratoribus poſſeſſorum, & mulctam ſtatuit; his autem, qui intra XX. dies fugitivos vel dominis reddidiſſent, vel Magiſtratibus exhibuiſſent, veniam in ante actum dedit. *l. 1. §. 1.* D. *h. t.*

§. 7. Quod SCtum aditum etiam dedit militi vel pagano, ad inveſtigandum fugitivum, in prædia Senatorum vel paganorum. *l. 1. §. 2. D. h. t.*

§. 8. Cui rei etiam *Lex Favia* proſpexerat, & SCtum Modeſto conſule (*A. V. C. 981. P. N. C. 228.*) factum, ut fugitivos inquirere volentibus literæ ad Magiſtratus dentur, mulcta etiam C. ſolidorum in Magiſtratus ſtatuta, ſi literis acceptis inquirentes non adjuvent. *l. 1. §. 2.* D. *h. t.*

§. 9. Sed & in eum, qui quæri apud ſe prohibuit, eadem pœna ſtatuta eſt. *d. l. 1. §. 2.*

§. 10. Eſt & generalis *Epiſtola Divorum Marci & Commodi*, qua declaratur, & Præſides, & Magiſtratus, & Milites ſtationarios, Dominum adjuvare debere, in inquirendis fugitivis; & ut inventos redderent, & ut hi, apud quos inveniuntur, puniantur, ſi crimine contingantur. *d. l. 1. §. 2.* add. *l. 3. 4.* D. *h. t.*

§. 11. Porro ex *conſtitutione Conſtantini*, ſi quis fugitivum cum domino receperit, eundem cum alio ſervo, vel XX. ſolidis, reſtituere cogitur. *l. 4. C. h. t.*

§. 12. Si quis vero ſervum fiſcalem putaverit occultandum, non ſolum eum reſtituere, ſed & XII libras argenti, ex *conſtitutione Valentis Valentiniani & Gratiani* Impp. fiſco dependere compellitur. *l. pen. C. h. t.*

§. 13. Non tantum autem *fugitivos Recipientes* & celantes coërcentur ſed & ipſi *Fugitivi* varie puniuntur.

§. 14. *Fugitivi* enim apprehenſi in publicum deducendi, i. e. Magiſtratibus tradendi, vel publicis Miniſteriis: a quibus, pro re nata, & vinciri poſſunt. *l. 1. §. 3. 6. 7. 8.* D. *h. t.*

§. 15. Qui, ſi pro liberis ſe geſſerint, gravius coërceri ſolent. *l. 2. D. h. t.*

§. 16. Quod ſi vero ad Barbaros transfugerint, olim vel pede amputato debilitabantur, vel metallo dabantur: jure novo autem, una manus ipſis abſcenditur, aliave pœna afficiuntur. *l. 3. & Auth. ſeq. C. h. t.*

TITU-

Digitized by Google

TITULUS V.

DE ALEATORIBUS. C. III. 43.

§. 1.

Quantum ad *Aleatores* attinet, Prætor tale Edictum propoſuit: „*Si quis eum*, „*apud quem alea luſum eſſe dicetur*, *verberaverit*, *damnumve ei dederit*, „*ſive quod eo tempore* domo (ſic leg. *l. 1. §. 2. D. h. t.*) *ejus ſubtractum eſt*, *judicium non dabo. In eum, qui alea ludendi cauſa vim intulerit, uti quæque res* „*erit, animadvertam.*„ *l. 1. pr. D. h. t.*

§ 2. Ait Prætor, „*Si quis eum, apud quem alea luſum eſſe dicetur*;, *Alea* proprie ludus eſt talorum vel teſſerarum; Suet. *in Aug. c. 71. in Claud. c. 33.* Mart. *L. XIV. Ep. 15.* in genere vero omnis ludus fortunæ, ſeu in quo fortuna prædominatur. *l. 8. §. 1.* D. *de contrah. emt.* Liv. *L. XLII. c. 59.*

§. 3. Quæ licet antiqua, & jure Naturali, & Divino, per ſe non ſit illicita: Proverb. XVIII, 18. XVI, 33. Act. I, 24. *& ſeqq. l. 8. §. 1.* D. *de contr. emt. vend.* quoniam tamen pro tempore abiit in lachrymas, SCto & legibus Romanis merito eſt prohibita. *l. 3. D. l. ult. C. h. t.* Horat. *L. III. Od. 24. in f.*

§. 4. Adeo ut, ſi quid alea perditum ſit, non tantum vincenti non detur actio, ſed & tum victo, ſi ſolverit, ex alio Edicti capite, *l. ult. §. 1. 2. D. h. t.* tum aliis concedatur repetitio, quæ non niſi L. annis præſcribitur. *l. 1. l. f. C. h. t.*

§. 5. Non autem in pecuniam ludere vetitum, ſi quis certet haſta, vel pilo jaciendo, vel currendo, ſaliendo, luctando, pugnando, quod virtutis cauſa ſiat. *l. 2. §. 1. D. h. t.* Ludere enim licet *μονέβολον* i. e. curſu exerceri & certare, *κοντομονέβολον* i. e. ſaltu exerceri, *κύνταιεν κόνταχα χωρὶς τῆς πόρπης* i. e. ludere vibratione *Quintiana* absque ſpiculo, ſive aculeo ferreo, a quodam *Quinto* ita nominata hac luſus ſpecie, *περιχύτην* i. e. exerceri lucta, Hippice i. e. equorum curſu ſeu hippodromo, absque dolo & circumventione. *l. 1. l. ult. C. h. t.*

§. 6. Ita tamen, ut ditioribus ad ſingulas commiſſiones, ſeu ad ſingulos congreſſus aut vices, ultra ſolidum deponere non liceat. *d L. 1. in f. C. h. t.*

§. 7. In quibus cauſis ex *L. Titia*, *Publicia*, *& Cornelia*, etiam *Sponſionem* facere licet. *l. 3. D. h. t.* Quæ, ut & *Olla fortunæ*, ſi fraudes abſint, per ſe etiam non eſt illicita. arg. *l. 8. §. 1. D. de contr. emt. l. 12. 13. D. de act. emt.*

§ 8 Sed & quod in convivio veſcendi cauſa ponitur, in eam rem *alea* (ſic leg.) ludere permittitur. *l. ult. pr D. h. t.*

§. 9. „*Verberaverit*, *damnumve ei dederit.*„ Si rapinas fecerint inter ſe colluſores, *Vi bonorum raptorum* non denegabitur *actio*; ſuſceptorem enim duntaxat prohibuit vindicari, non & colluſores, quamvis & hi indigni videantur. *l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 10. „*Sive quid eo tempore* Domo *ejus ſubtractum eſt*;„ Illud notandum

dum, quod ſuſceptorem verberatum quidem, & damnum paſſum, ubicunque & quandocunque non vindicat: verum furtum factum domi, & eo tempore, quo alea ludebatur, licet luſor non fuerit, qui quid eorum fecerit, impune fit. *l. 1. §. 2.* D. *h. t.*

§. 11. *Domum* autem pro habitatione & domicilio nos accipere debere certum eſt, *d. l. 1. §. 2. D. h. t.* add. *l. 5. §. 2. D. de injur. l. 203. de V. S.*

§. 12. „*Judicium non dabo;*„ quibus verbis, cum ſint generalia, Prætor ſuſceptori aleatorum omnes actiones negat, non tantum pœnales, ſed & rei perſecutorias. *l. 1. §. 3. D. h. t.*

§. 13. Furtis tamen & rapinis feneſtram minime aperit, neque ad delinquendum homines invitat; licet enim, ſuſceptorum aleatorum coërcendorum cauſa, ſuſceptoribus negetur actio, non tamen hoc obſtat, quo minus Magiſtratus auctores delicti arbitraria pœna afficere poſſit. arg. *l. 1. pr. de off. Præf. Urb. l. 3. & 13. D. de off. Proconſ.*

§. 14. „*In eum, qui aleæ ludendæ cauſa vim intulerit, uti quaque res erit,* „*animadvertam.*„ Hæc clauſula pertinet ad animadverſionem ejus, qui compulit ludere; ut aut mulctetur, aut in latumias vel vincula publica ducatur. *l. 1. §. ult. l. 2. pr. D. h. t.*

TITULUS VI.

Si Menſor Falſum Modum Dixerit.

§. 1.

Similis ſuperioribus Actionibus eſt *Actio in factum, quæ contra menſorem, qui falſum modum dixerit*, locum habet.

§. 2. De qua Prætor ita edixiſſe videtur: *Si Menſor agri falſum modum dixerit dolo malo, aut cujus alterius rei menſuram falſam renunciaverit, eo nomine adverſus eum in factum judicium dabo.* arg. *Inſcr. l. 1. pr. §. 1. l. 2. & 5. §. 2. D. h. t.*

§. 3. Ait Prætor, *Si menſor agri falſum modum dixerit; Menſor* hic proprie eſt, qui pertica, decempeda, aliave machina, agros metitur, modumque renunciat. Adverſus *menſorem agrorum* enim maxime Prætor *Actionem in factum* proponit, a quo falli nos non oportet; nam intereſt noſtra, ne fallamur in modi renunciatione, ſi forte vel de finibus contentio ſit, (in quo judicio agrimenſores ſæpenumero adhibentur, *l. 8. §. 1. D. l. 3. C. fin. reg. l. 3. §. 4. D. h. t.*) vel emtor ſcire velit, vel venditor, cujusmodi ager veneat. *l. 1. pr. l. 3. §. 1. 2. D. h. t.*

§. 4. *Modus* autem eſt menſura, quantitas, & ſpatium agri. *l. 40. D. de contr. emt. vend. l. 4. in f. D. de act. emt. vend. l. 12. C. de ſerv. & aq.*

§. 5. *Dolo malo;* hæc Actio enim dolum malum duntaxat exigit. Viſum

Digitized by Google

enim eſt ſatis abundeque coërceri menſorem, ſi dolus malus ſolus coërceatur ejus hominis, qui civiliter obligatus non eſt. *l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 6. Proinde, ſi menſor imperite verſatus eſt, ſibi imputare debet, qui eum adhibuit, ſed & ſi negligenter, æque menſor ſecurus erit. *d. l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 7. Plane lata culpa *dolo* comparabitur. *d. l. 1. §. 1. D. h. t. l. 226. D. de V. S.*

§. 8. *Aut cujus alterius rei menſuram falſam renunciaverit;* Prætor enim hoc judicium latius porrexit, nam & ſi cujus alterius rei menſuram falſam renunciaſſe dicetur, hæc actio competit: proinde ſi in ædificii menſura fefellit, vel frumenti, vel vini, vel itineris, alteriusve ſervitutis, vel cujus alterius rei, tenebitur. *l. 5. §. ult. l. 6. & 7. pr. §. 1. & ſeqq. D. h. t.*

§. 9. Si menſor falſum modum non renunciaverit, ſed traxerit renunciationem, & ob hoc evenerit, ut v. gr. venditor *læderetur*, (ſic leg.) qui ſe aſſignaturum modum intra certum diem promiſit, non hæc actio locum habet, ſed ad *Actionem de dolo* recurrendum eſt. *l. 5. pr. D. h. t.*

§. 10. *Eo nomine adverſus eum in factum judicium dabo;* quam actionem Prætor ideo propoſuit, quia non crediderunt veteres, inter tales perſonas locationem conductionem eſſe, ſed magis operam beneficii loco præberi, & id, quod datur menſori, ad remunerandum dari, & inde *honorarium* appellari. *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 11. Eſt itaque *Actio* hæc *in factum*, *Actio Prætoria*, *perſonalis*, *ex delicto deſcendens*, arg. *l. 1. §. 1. l. 3. §. 4. 5. 6. D. h. t. ſubſidiaria*, *l. 3. §. 2. 3. D. h. t. perpetua*; *l. 4. D. h. t. Competens ei*, *cujus interfuit falſum modum renunciatum non eſſe*, *l. 3. §. 1. D. h. t. ejusque heredi*; *l. 3. §. 5. D. h. t. Contra eum, qui vel ipſe, vel per alium, falſum modum renunciavit*, *l. 1. §. ult. l. 2. pr. §. 1. l. 3. pr. D. h. t.* non etiam contra heredem; *l. 3. §. penult. D. h. t. Ad id quod intereſt. l. 1. pr. l. 3. §. 1. l. 5. §. 1. D. h. t.*

§. 12. Quæ, ſi ſervi nomine competat, noxalis eſt. *l. 3. §. ult. D. h. t.*

§. 13. Quin & *Utilis actio in factum* contra eum, qui menſor non fuit, fefellit tamen in modo, locum habet. *l. ult. §. 2. & ſeqq. D. h. t.*

TITULUS VII.

DE RELIGIOSIS, ET SUMTIBUS FUNERUM, ET UT FUNUS DUCERE LICEAT, C. III. 44.

§. I.

Sunt denique *Actiones de damnis circa loca Religioſa datis*, de quibus *h. & ſeq. tit.* ſubjicitur.

DE

De Religioſis.

§. 2. *Locus Religioſus* eſt ſepulcrum; religioſum locum enim quisque ſua voluntate facit, dum mortuum infert in locum ſuum. *§. 9. I. de R. D.*

§. 3. Qui locus *religioſus* dicitur, quia, ubi cadaver illatum eſt, commercio hominum eximitur. *l. 12. §. 1. D. h. t. l. 14. C. de legat. l. 1. §. 9. D. de O. & A. A*

§. 4. Ut autem locus *religioſus* fiat, neceſſe eſt, ut quis cadaver intulerit in locum ſuum, nam ſi locus alienus eſt, requiritur conſenſus Domini, vel ejus ratihabitio. *§. 9. I. de R. D. l. 60.* D. *de R. J.* Adeo, ut, licet uſusfructus tantum alienus ſit, conſenſus tamen fructuarii neceſſarius ſit. *d. §. 9. I. de R. D.*

§. 5. Quod ſi in alienum locum, inſcio vel invito domino, cadaver illatum ſit, contra inferentem *Actio in factum* conceditur.

§. 6. De quo Prætor ita edixit: „*Sive homo mortuus, oſſave hominis mortui, in locum purum alterius, aut in id ſepulcrum, in quo jus non fuerit, illata eſſe dicentur; qui hoc fecit, in factum actione tenetur, & pœna pecuniariæ ſubjicietur.*„ *l. 2. §. 2. D. h. t.*

§. 7. Ait Prætor, „*Sive homo mortuus, oſſave hominis mortui;*„ videlicet præcipua vel membra principalia, quale eſt caput, ex quo cognoſcitur homo. *l. 44. D. h. t.*

§. 8. „*In locum purum alterius;*„ in *locum alterius* accipere debemus, ſive in agro, ſive in ædificio. *l. 2. §. 1. D. h. t. Purus* autem locus dicitur, qui neque ſacer, neque ſanctus eſt, neque religioſus, ſed ab omnibus hujusmodi nominibus vacare videtur. *l. 2. §. 4. l. 8. §. 3. D. h. t.*

§. 9. Si quis in alterius arcam lapideam, in qua adhuc mortuus non erat conditus, mortuum intulerit, *Utilem actionem in factum* Proconſul dat, quia non proprie vel in alterius ſepulcrum, vel in locum alterius, intuliſſe dici poteſt. *l. 7. §. 1. D. h. t.*

§. 10. Si quis in locum, publicis uſibus deſtinatum, intulerit dolo malo, extra ordinem modica coërcitione plectendus eſt. *l. 8. §. 2. D. h. t.*

§. 11. „*Aut in id ſepulcrum;*„ *Sepulcrum* eſt, ubi corpus oſſave hominis condita ſunt, quatenus ſc. corpus humatum eſt. *l. 2. §. 5. D. h. t.*

§. 12. A quo differt *Monumentum*, quod memoriæ ſervandæ gratia exiſtit, in quod ſi corpus vel reliquiæ inferuntur, fiet ſepulcrum; ſi vero nihil eorum inferatur, non eſt locus religioſus, ſed tantum monumentum memoriæ cauſa factum, quod Græci κενοτάφιον, i. e. inane ſepulcrum appellant: licet quidam diſſenſerint. *l. 2. §. 6. l. 6. §. 1. l. 42. D. h. t. l. 6. §. ult.* junct. *l. 7. D. de D. R.* vid. ſupr. *ad t. de D. R. §. 9. 10.*

§. 13. Sunt autem *Sepulcra*, vel *Familiaria*, vel *Hereditaria*. *Familiaria*, quæ quis ſibi familiæque ſuæ conſtituit; *Hereditaria* vero, quæ quis ſibi heredibusque ſuis conſtituit, vel jure hereditario acquiſivit. *l. 5. 6. pr. D. h. t.*

Digitized by Google

§. 14. „*In quo jus non fuerit;*„ ſc. alieno, in quod ſine conſenſu domini cadaver inferre non licet. *§. 9. I. de R. D.*

§. 15. „*Illata eſſe dicentur;*„ ſepulturæ ſc. cauſa, de ea enim illatione Prætor ſenſit, quæ ſepulturæ cauſa ſit. *l. 2. §. 3. D. h. t.*

§. 16. „*Qui hoc fecit, in factum actione tenetur;*„ is enim, qui intulit mortuum in alienum locum, aut tollere id, quod intulit, aut loci pretium, per hanc *In factum actionem* præſtare cogitur. *l. 7. pr. D. h. t.*

§. 17. Oſſa vel Corpus, ſine decreto, domino loci effodere vel eruere non licet, alioquin *Injuriarum Actio* adverſus eum erit, qui ejecit. *l. 8. pr. D. h. t.*

§. 18. *Actio* autem *illa in factum datur domino, eive, qui uſumfructum aliamve ſervitutem habet, l. 8. §. 4. D. h. t. ejusque heredi; d. l. 7. pr. Contra inferentem, ejusque heredem; d. l. 7. pr. Ad id, ut cadaver tollat, vel loci pretium præſtet. d. l. 8. pr. D. h. t.*

§. 19. „*Et pœna pecuniariæ ſubjicietur,*„ v. *l. 3. pr. §. 3. D. de ſep. viol. l. 8. §. 2. D. h. t.* ſupr. *§. 10.*

De Sumptibus Funerum.

§. 20. Cum vero Cadavera ſine ſumptibus ſepeliri nequeant, & publice interſit, ne cadavera inſepulta jaceant, *l. 43. D. h. t.* Prætor hoſce ſumptus facienti proſpiciendum etiam cenſuit, de iisque ita edixit: „*Quod funeris cauſa ſumptus* „*factus erit, ejus reciperandi nomine, in eum, ad quem ea res pertinet, judicium* „*dabo.*„ *l. 12. §. 2. D. h. t.*

§. 21. Quod Edictum juſta ex cauſa propoſitum eſt, ut qui funeravit, perſequatur id, quod impendit; ſic enim ſit, ne inſepulta corpora jacerent, neve quis de alieno funeretur. *l. 12. §. 3. D. h. t.*

§. 22. Ait autem Prætor, „*Quod funeris cauſa ſumptus factus erit;*„ *Funeris cauſa ſumptus factus* videtur is demum, qui ideo fuit, ut funus ducatur, ſine quo funus duci non poſſit: ut puta ſi quid in delationem mortui impenſum, vel in locum, in quem mortuus infertur, erogatum ſit. *l. 14. §. 3.* D. *h t.*

§. 23. Impenſa etiam peregre mortui, quæ facta eſt, ut corpus perferretur, funeris eſt, licet nondum homo funeretur; idemque dicendum, ſi quid ad corpus cuſtodiendum vel etiam commendandum factum ſit, vel ſi quid in marmor, vel veſtem collocandam, impenſum ſit. *l. 14. §. 4. D. h. t.*

§. 24. Sed & quod unguentorum (quibus olim ungebantur cadavera, v. Virg. *Æn. L. VI. verſ. 219.* Plin. *L. XIII. c. 1.)* cauſa erogatum eſt, ſumptui funeris annumerandum eſt; *l. 37. D. h. t.* quod tamen ad ſumptus, in ultimum morbum factos, non recte extenditur.

§. 25. Imo & ſumptus in monumentum facti, ſi quidem modum non excedant, huc referendi ſunt. *l. 37. §. 1. D. h. t. l. 1. §. ult. l. 2. ad. L. Falc. l. 50. §. 1.* D. *de hered. pet.*

§. 26.

§. 26. Qui omnes arbitrantur pro facultatibus vel dignitate defuncti. *l. 2. §. 5. l. 14. §. 6. D. h. t.*

§. 27. „*Ejus recipérandi nomine, in eum, ad quem ea res pertinet;*„ ſc. pertinet hæc res ad eum, quem funus facere oportet: funus autem facere oportet eum, quem decedens elegit, ſi modo pro hoc emolumentum aliquod ei relictum eſt; ſi autem de hac re defunctus non cavit, nec ulli delegatum id munus eſt, ſcriptos heredes ea res contingit: & ſi nemo ſcriptus eſt, legitimos, vel cognatos, quosque ſuo ordine, quo ſuccedunt. *l. 12.* §. 4. D. *h. t. l. 14. §. 17.* D. *h. t.*

§. 28. „*Judicium dabo;*„ concedendo ſc. *Actionem Funerariam. l. 14. §. 6. 15. l. 16.* D. *h. t.* Quæ eſt *Actio Prætoria, perſonalis, ſubſidiaria, b. f. rei perſecutoria, perpetua, privilegiaria; Competens ei, qui ſumptus fecit in alienum funus, ejusque heredi; Adverſus eum, ad quem ea res pertinet, ejusque heredem; Ad impenſas funeris cauſa factas repetendas.*

§. 29. Dicitur *Prætoria;* quia a Prætore introducta eſt. *l. 12. §. 2. 3.* D. *h. t.*

§. 30. *Perſonalis;* oritur enim ex obligatione, quæ quaſi ex contractu naſcitur, ex ſpecie ſc. negotiorum geſtionis. *l. 1. 14. §. 7. 9. 11. 13.* D. *h. t. l. 50. §. 1. de hered. pet.*

§. 31. Quemadmodum enim quis, negotia viventis ſine mandato ejus gerens utiliter, cum eo contraxiſſe intelligitur, eumque ſibi obligat; *§. 1. I. de obl. quæ quaſi ex contr. t. t. D. & C. de neg. geſt.* ſic quoque, qui propter funus aliquid impendit, ſi necdum adita eſt hereditas, cum defuncto contrahere creditur: *l. 1. 4.* D. *h. t.* adeoque hereditatem, quæ hoc caſu defunctum repræſentat, *§. 2. I. de hered. inſt.* ſibi obligatam habet. arg. *d. §. 1. I. de obl. quæ quaſi ex contr.*

§. 32. Si vero adita hereditate ſumptus fecerit, & quaſi heredis negotia geſſerit, cum ipſo herede quaſi contraxiſſe intelligitur. *l. 14.* §. *16.* D. *h. t.*

§. 33. *Subſidiaria*; quia tantum illis datur, quibus aliæ actiones deficiunt: ſi quis enim aliam actionem habet, v. gr. *Familiæ erciſcundæ*, vel *Mandati*, ei *Funeraria* non conceditur. *l. 14.* §. *12. 15. D. h. t.*

§. 34. Plane tamen ſi illis actionibus egerit, nec adhuc ſuum conſecutus ſit, hac actione uti poterit. *d. l. 14.* §. *12. D. h. t.*

§. 35. *Bonæ fidei;* arg. §. *28. I. de act.* ubi inter actiones b. f. refertur etiam *Actio negotiorum geſtorum*, cujus ſpecies eſt *Actio funeraria. d. l. 14. §. 7. 9. 11. 13. D. h. t.*

§. 36. *Rei perſecutoria;* arg. *l. 35. pr. D. de O. & A.* quia per eam perſequimur, quod nobis ratione negotii geſti abeſt, vel abfuturum eſt, id ſc. quod in funus impendimus. *l. 12. §. 2. 3. l. 14. §. 6. l. pen. D. h. t.*

§. 37. *Perpetua; l. 31. §. 2. D. h. t.* arg. *l. 8. C. de neg. geſt.* quia actio-

 nes

nes Prætoriæ rei perſecutoriæ ſunt perpetuæ, *l. 35. D. de O. & A. pr. I. de perp. & temp. act.*

§. 38. *Privilegiaria;* quia impenſa funeris omne creditum præcedit, cum bona non ſunt ſolvendo. *l. pen. l. ult. §. ult. D. h. t. l. 17. pr. D. de reb. auct. jud. poſſ.*

§. 39. Ut hanc actionem habens, in concurſu creditorum, præferatur cæteris, non tantum ſimplicibus Chirographariis & perſonale privilegium habentibus, v. gr. Reip. *l. 38. §. 1. D. de reb. auct. jud. poſſ.* ſed & Hypothecariis, ſive tacitam, *l. 14. §. 1. D. h. t.* junct. *l.* 4. D. *in quib. cauſ. pign. vel hyp. tac. contr.* ſive expreſſam, ſive ſimplicem, ſive privilegiatam hypothecam habentibus. *l. 18. 19. 26. D. h. t. l. 12. C. qui pot. in pign. Nov. 97. c. 2. & 3. l. ult. §. 9. C. de jur. del. l. 1. §. ult. ad L. Falcid.*

§. 40. *Competens ei, qui ſumptus fecit; l. 12. §. 2. l. 14. §. 11. 13. 16. l. 29. §. 1. l. 31. §. 1. l. 32. pr. l. ult. §. ult. D. l. 3. C. h. t. l. 4. C. de hered. pet.*

§. 41. *Sumptus* autem *feciſſe* intelligitur, non tantum qui ipſe, ſed & qui per alium fecit; *l. 14 §. 15. D. h. t.* quod enim quis per alium facit, id ipſe facere videtur. *l. 5. §. 3. D. de adm. tut. l. 53. de A. R. D. l. 1. §. 20. l. 3. §. 1. D. de A. vel A. P.*

§. 42. *In alienum funus;* ſi quis enim hoc animo fecit, quaſi proprium negotium gerens, ordinario hæc actio locum non habet. *l. 14. §. 11. D. h. t.*

§. 43. *In alienum* autem *funus ſumptus feciſſe* intelligitur, non tantum, qui debitorem defunctum, ſed & qui omnem eum, quem defunctus ſepelire debuerat, funeravit, *l. 17. pr. D. de reb. auct. jud. poſſ.* veluti filium, ſervum, & ancillam *l. 21. 31. §. 1. D. h. t.*

§. 44. *Ejuſque heredi; l. 31. §. 2. D. h. t.* arg. *l. 3. §. 7. D. de neg. geſt.* tum quia ex quaſi contractu naſcitur: arg. *§. 1. I. de perp. & temp. act. l. 49.* D. *de O. & A.* tum quia privilegium huic actioni conceſſum reale eſt; arg. *l. 12. §. 3.* D. *h. t.* quod etiam ad heredes transmittitur. *l. 196. D. de R. J.*

§. 45. *Adverſus eum, ad quem ea res pertinet;* i. e. mandatarium, & heredem: *l. 12. §. 2. l. 14. §. 17. D. h. t.* vid. ſupr. §. 27. etiamſi ſepulturam prohibuerit. *l. 14. §. 13. D. h. t.*

§. 46. Adeoque uxore mortua, *Actio funeraria* datur contra patrem, vel maritum, alioſve, ad quos dos pervenit; ſi vero uxor dotem non habeat, maritus conveniendus eſt. *l. 16. & ſeqq. l. 28. D. h. t.*

§. 47. *Ejuſque heredem; l. 31. §. 2. l. 32. §. 1. D. h. t. l. 3. §. 7. de neg. geſt. l. 49. D. de O. & A. §. 1. I. de perp. & temp. act.* eſt enim hæc actio rei perſecutoria, quaſi ex contractu deſcendens, quæ contra heredes etiam locum habet, *l. 35. D. de O. & A.*

§. 48. *Ad impenſas funeris cauſa factas repetendas,* dummodo ſumptus non ſint

Digitized by Google

ſint immodici, qui pro facultatibus & dignitate defuncti æſtimandi ſunt. *l. 12. §. 5. l. 14. §. 6. 10. D. h. t.*

§. 49. Cæterorum ſumptuum nomine autem non competit. *d. l. 14. §. 6.* D. *h. t.* Unde & ad id, quod ante mortem defuncti impenſum, & ſalaria forte Medicorum & Chirurgorum, vel medicamenta Pharmacopolarum, jure noſtro non conceditur. arg. *l. 12. §. 2. 3. l. 14. §. 3. 6. l. 37. 45. D. h. t.* v. *ſupr. §. 24.*

§. 50. Ut autem hæc Actio locum habeat, neceſſe eſt, ut hi ſumptus repetendi animo facti ſint; *l. 14. §. 7. D. h. t.* ſi enim pietatis gratia, vel animo donandi, facti ſint, *Actio Funeraria* locum non habet. *d. l. 14. §. 7. 8. 9. D. h. t.*

§. 51. De quo ut conſtet, optime fecerit, qui funerat, ſi proteſtatus ſit, quo animo funeret, ne de eo poſtea quæſtionem patiatur. *d. l. 14. §. 7. in f.* D. *h. t.*

§ 52. Eſt vero hæc *Actio Funeraria* vel *Directa*, (de qua actum) vel *Utilis*; quæ competit Mandatario, qui pupillo mandante ſine tutoris auctoritate funeravit; *l. 14. §. 15. D. h. t.* Poſſeſſori hereditatis, qui ſumptus fecit, & deinde victus eſt; *l. 32. D. h. t. l. 50. §. 1. D. de her. pet.* nec non ei, cui veſtimenta legata ſunt, ſi ea in funus erogata ſint. *l. ult. §. ult. D. h. t.*

Ut Funus Ducere Liceat.

§. 53. Idem favor ſepulturæ exigit, ut cuique funus ducere liceat; unde, ne corpora aut oſſa mortuorum detineantur aut vexentur, neve prohibeantur, quo minus via publica transvehantur, aut quo minus ſepeliantur, Præſidis Provinciæ, & aliorum Magiſtratuum, officium eſt. *l. 38. D. h. t.* junct. *l. 3. §. 4. D. de ſep. viol.*

§. 54. Adeo, ut cadavera, ne quidem ſub prætextu debiti, detinere liceat; & ſi creditor detineat, non modo debiti jacturam faciat, ſed etiam tantundem defuncti heredibus præſtare teneatur, & tertiæ bonorum partis publicatione ac perpetua infamia plectatur. *N. 60. c. 1. §. 1. Auth. Item. C. de ſep. viol. N. 115. c. 5. §. 1.*

§. 55. Sed & ei, qui prohibitus eſt mortuum inferre in eum locum, quo ei jus inferendi eſt, *In factum Actio* competit, & *Interdictum*, etiamſi non ipſe prohibitus ſit, ſed procurator ejus; quia intellectu aliquo ipſe prohibitus videtur. *l. 8. §. ult. D. h. t.*

§. 56. Ut liberum ſit ei, qui prohibetur mortuum vel oſſa mortui inferre, aut ſtatim *Interdicto* uti, quo prohibetur ei vis fieri; aut alio inferre, & poſtea *in factum* agere: per quam actionem conſequitur actor, quanti ejus interfuerit, prohibitum non eſſe. *l. 9.* D. *h. t.* Quæ tamen heredi & in heredem non competit. *d. l. 9.*

TITU-

Digitized by Google

TITULUS VIII.

DE MORTUO INFERENDO, ET SEPULCRO ÆDIFICANDO.

§. 1.

Quantum autem ad *Interdictum* attinet *de Mortuo Infecendo*, Prætor ait: „*Quo, „quave illi mortuum inferre, invito te jus eſt: quo minus illi eo eave mor„tuum inferre, & ibi ſepelire liceat, vim fieri veto.*„ *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 2. Quod *Interdictum* prohibitorium eſſe palam eſt. *l. 1. §.* 4. D. *h. t.*

§. 3. Datur *ei, qui jus inferendi habet*, domino maxime proprietatis. *l. 1. §. 1. 2. 3.* D. *h. t.*

§. 4. *Contra Prohibentem; Prohibere* autem videtur, ſi in locum inferre prohibeat, vel itinere arceat. *l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 5. Cui *Interdicto* affine eſt *Interdictum* de *Sepulcro ædificando*, quod ita conceptum eſt: „*Quo illi jus eſt, invito te mortuum inferre; quo minus illi in eo loco ſepulcrum ſine dolo malo ædificare liceat; vim fieri veto.*„ *l. 1. §. 5. D. h. t.*

§. 6. *Interdictum* hoc propterea propoſitum eſt, quia religionis intereſt monumenta exſtrui & exornari. *l. 1. §. 6. D. h. t. l.* 7, *C. de relig.*

§. 7. Competit *ei*, qui *jus inferendi* habet. *d. l. 1. §.* 7. D. *h. t.*

§. 8. *Contra ædificare prohibentem; Ædificare* autem videtur *prohibere*, & qui prohibet eam materiam convehi, quæ ædificio neceſſaria eſt, nec non ſi operi neceſſarios venire, vel machinam alligare prohibeat. *l. 1. §. 8. D. h. t.* add. *l.* 4. *pr. D. de itin. act. priv.*

§. 9. *Ædificare* vero non ſolum, qui novum opus molitur, intelligendus eſt, verum is quoque, qui vult reficere. *l. 1. §. 9.* D. *h. t.*

PARS TERTIA.

LIBER XII. TITULUS I.

De Rebus Creditis, Si Certum Petetur, Et De Condictione.

C. IV. 1. 2.

§. 1.

Præmiſſis *Actionibus Perſonalibus in rem ſcriptis Noxalibus, Mixtisque ratione objecti*, aliisque affinibus, ſequuntur *Actiones Perſonales ex contractu* deſcendentes, & primum quidem *Condictiones*, quæ *creditarum rerum* nomine competunt.

§. 2. De quibus Prætor ita edixiſſe videtur: *Si rerum creditarum nomine certum petatur, Condictionem dabo.* arg. *Inſcr. & l. 1. 6. 9.* D. *h. t. pr. I. quib. m. re contr. obl.*

§. 3. Ait Prætor, *Si rerum creditarum nomine certum petatur; Rei* verbum generale eſt, & ad omnem contractum pertinet. *l. 1. in f. D. h. t. l. 5. 6. 23. 72. D. de V. S.*

§. 4. *Crediti* etiam generalis appellatio eſt, omnesque contractus complectitur; nam cuicunque rei aſſentiunur alienam fidem ſecuti, mox recepturi quid, ex hoc contractu *credere* dicimur. *l. 1. D. h. t.* add. *l. 10. 11. 12. D. de V. S.*

§. 5. Adeoque *Creditum* a *Mutuo* differt, qua genus a ſpecie; nam *Creditum* conſiſtit etiam extra eas res, quæ pondere, numero & menſura continentur, veluti ſi eandem rem recepturi ſimus: item *Mutuum* non poteſt eſſe, niſi proficiſcatur pecunia; *Creditum* autem interdum, etiamſi nihil proficiſcatur, veluti ſi poſt nuptias dos promittatur. *l. 2. §. 3. D. h. t.*

§. 6. Sed *Creditum in ſpecie* acceptum *Mutuum* ſignificat. *l. 2. §. 1. l. 41. D. h. t. l. 9. pr. D. de auct. tut. l. 3.* §. *3. D. ad SC. Maced.* De quo maxime hic agitur.

§. 7. Eſt autem *Mutuum, contractus realis, quo res fungibiles, ſeu pondere, numero, & menſura conſtantes, ita dantur alicui, ut ejus fiant, ea lege, ut is quandoque repoſcenti creditori tantundem ex eodem genere reddat.*

§. 8. Dicitur *Contractus Realis;* quia mutuum eſſe non poteſt, niſi pecunia proficiſcatur, i. e. niſi res fungibilis tradatur. *l. 2. §. 3. D. h. t.* Sen. *de Benef. L. VI. c. XI.*

§. 9. Adeo, ut obligatio, ultra quam datum eſt, contrahi nequeat. *l. 11. §. 1. D. h. t. l. 17. pr. D. de pact.*

Digitized by Google

§. 10. Sive autem pecunia annumeretur, ſive lanx vel maſſa auri vel argenti vendenda tradatur, ex ejusque venditione pecunia redigatur; *l. 11. pr. D. h. t.* (ſic accip. *l. 19. D. de præſcr. verb.*) ſive ipſe creditor numeret, ſive alius ejus nomine, adeoque traditio ficta brevis manus intercedat, nihil intereſt. *l. 15. D. h. t.*

§. 11. Singularia enim quædam recepta ſunt circa pecuniam creditam; nam ſi tibi debitorem meum juſſero dare pecuniam, obligaris mihi, quamvis meos nummos non acceperis: vel ſi, cum ex cauſa mandati pecuniam mihi debeas, convenerit, ut crediti nomine eam retineas, videtur mihi data pecunia, & a me ad te profecta. *d. l. 15. D. h. t.*

§. 12. *Quo res fungibiles, ſeu pondere, numero & menſura conſtantes;* Mutui enim datio conſiſtit in his rebus, quæ pondere, numero & menſura conſiſtunt, ſeu hoc modo ſunt in commercio; quoniam eorum datione poſſumus in creditum ire, quia in genere ſuo magis functionem recipiunt per ſolutionem, quam ſpecie: nam in cæteris rebus ideo in creditum ire non poſſumus, quia aliud pro alio invito creditori ſolvi non poteſt. *l. 2. §. 1. D. h. t.*

§. 13. *Ita dantur alicui, ut ejus fiant; pr. I. quib. mod. re contr. obl. l. 1. §. 2. D. de O. & A.* appellata enim eſt *Mutui datio* ab eo, quod *de meo tuum fit*, & ideo ſi non fiat tuum, non naſcitur obligatio. *l. 2. §. 2. D. h. t. pr. I. quib. mod. re cont. obl.*

§. 14. Ut adeo mutuum alienationem eſſe minime dubitandum ſit. *l. 16. & pen. D. h. t. l. 9. pr. D. de auct. tut. §. 2. I. quib. al. lic. vel non. l. 33. §. 1. D. de don.*

§. 15. *Ea lege, ut is quandoque repoſcenti tantundem ex eodem genere reddat.* *Mutuum* enim damus recepturi non eandem ſpeciem, quam dedimus, (alioquin *Commodatum* erit, aut *Depoſitum*) ſed idem genus; nam ſi aliud genus, veluti ut pro tritico vinum recipiamus, non erit *Mutuum*: *l. 2. pr. D. h. t.* & licet non cavimus, ut æque bonum nobis redderetur, non licet tamen debitori deteriorem rem, quæ ex eodem genere ſit, reddere, veluti vinum novum pro vetere; nam in contrahendo quod agitur pro cauto habendum eſt, id autem agi intelligitur, ut ejusdem generis, & eadem bonitate ſolvatur, qua datum eſt. *l. 3. D. h. t.*

§. 16. *Mutuum* autem *dare poſſunt*, quicunque ſunt domini, & liberam rerum ſuarum adminiſtrationem habent. *l. 2. §. 4. D. h. t. §. 2. I. quib. al. lic.*

§. 17. Dummodo ex cauſa *mutui* rem tradant; ſi enim ego pecuniam tibi quaſi donaturus dedero, tu quaſi mutuam accipias, non eſt mutuum, neque nummi accipientis fiunt: licet nummis conſumtis exceptio locum habeat, quia ſecundum voluntatem dantis nummi conſumti ſunt. *l. 18. D. h. t.*

§. 18. Sive autem ipſe dominus mutuum det, ſive alius ejus nomine vel mandato, nihil intereſt. *l. 15. D. l. 4. C. ſi cert. pet. l. 2. C. per quas perſ. cuiq.*

§. 19. Si quis vero pecuniam alienam, ſine mandato Domini, dolo malo, ſuo nomine mutuam dederit, non eſt mutuum, neque nummi accipientis fiunt; adeo-

Digitized by Google

adeoque a Domino vindicari poſſunt, ſi extant, vel, ſi dolo malo conſumti ſint, ad exhibendum agi. *l. 11. §. f. l. 13. pr. D. h. t.*

§. 20. Si tamen ſtipulatio intervenit, dans ex ſtipulatu agere; *l. 2. C. ſi cert. pet.* vel, ſi conſumti ſint nummi, condictione uti poteſt. *l. 13. pr. D. h. t.*

§. 21. *Impediuntur* mutuum dare Furioſi, Mente capti, nec non Infantes. *l. 12. pr. D. h. t. §. 9. I. de inut. ſtip.*

§. 22. *Prohibentur* Prodigi, *l. 6. D. de V. S.* Pupilli infantiæ & pubertati proximi, & Minores, ſine tutorum curatorumve auctoritate. *l. 19. §. 1. D. h. t. §. 2. I. quib. alien. lic. l. 9. pr. D. de auct. tut. l. 3. C. de in integr. reſt. min.*

§. 23. Quod ſi tamen pecuniam mutuam dederint, nummi vindicantur, ſi extant; *l. 11. §. f. D. h. t. d. §. 2. I. quib. alien. lic.* ſi vero *b. f.* conſumti ſint, mutuum convaleſcit & *Condictio ex mutuo* locum habet: *l. 12. & 19. §. 1. D. h. t. l. 24. D. de O. & A.* ſin *m. f.* ſimiliter vel condici, arg. *l. 3. C. de cond. ex leg.* vel *Actione ad exhibendum* peti poſſunt. *l. 11. §. f. D. h. t. §. 2. I. quib. alien. lic.*

§. 24. Prohibentur etiam fœnus exercere, & mutuum fœnebre dare, Magiſtratus & Adminiſtratores Provinciarum, eorumque Comites & Socii; *l. 33. D. h. t.* tum ne propter poteſtatem Rectoris Provinciæ invitus quis contrahat, arg. *l. un. C. de contract. jud.* tum ne ſub prætextu mutui, qui præſunt Provinciæ, ultra xeniola, aliquid accipiant. *l. 6. in f. D. de off. Proconſ.* add. *l. 19. de off. Præſ. t. C. neg. ne mil. l. ult. C. locat.*

§. 25. Non item Præſidis Provinciæ Officiales, quia perpetui ſunt. *l. 34. D. h. t.*

§. 26. *Accipere mutuum poſſunt*, qui contrahere & ſeſe obligare poſſunt, non tantum privati, ſed & Magiſtratus. *l. 34. §. 1. D. h. t.*

§. 27. Si quis tamen Judici fœnebrem pecuniam mutuaverit, & in provincia fuerit verſatus quaſi emtor legum atque provinciæ, vel ſi quis collectarius (i. e. Argentarius) honoris pretium dederit ambienti, exilii pœna una cum ipſo Judice plectetur. *l. 16. C. ſi cert. pet.*

§. 28. Quin & Civitas vel Univerſitas mutui datione obligari poteſt, ſi ad utilitatem ejus pecuniæ verſæ ſunt; alioqui ipſi ſoli, qui contraxerunt, non Civitas vel Univerſitas, tenebuntur. *l. 27. D. h. t.*

§. 29. *Impediuntur* Furioſi, Mente capti, nec non Infantes. *§. 8. 9. I. de inut. ſtip. l. 5. & 40. D. de R. J.*

§. 30. *Prohibentur* Prodigi, *l. 6. D. de V. O.* Pupilli infantiæ & pubertati proximi, & Minores, ſine tutorum curatorumque auctoritate: *§. 9. I. de inut. ſtip. l. 3. C. de in int. reſt. min.* vid. ſupr. *ad t. de pact. §. 68.* nec non Filiifam. qui ob SCtum Macedonianum pecuniam mutuam accipere nequeunt. *l. 1. pr. D. ad SC. Mac. §. 7. I. quod cum eo qui in al. poteſt. eſt neg. geſt.*

§. 31. Ait autem Prætor, *Si certum petatur; Certum* eſt, cujus ſpecies vel

 quan-

Digitized by Google

quantitas, quæ in obligatione verſatur, aut nomine ſuo, aut ea demonſtratione, quæ nominis vice fungitur, qualis quantaque ſit, oſtenditur. *l. 6. D. h. t.*

§. 32. *Condictionem dabo;* concedendo *Condictionem certi: h. t.* quæ vel *Generalis* eſt, vel *Specialis. l. 9. D. h. t. pr. in f. I. quib. mod. re contr. obl.*

§. 33. *Condictio certi Generalis* eſt, quæ competit ex omni obligatione, ex qua certum petitur; ſive ex certo contractu petatur, ſive ex incerto. *l. 9. pr. §. 1. 2. 3. D. h. t.*

§. 34. *Condictio vero certi Specialis* (quæ & *Actio mutui dicitur, l. 5. C. quib. non obj. long. temp. præſcr.*) eſt *Actio perſonalis, ſtricti juris; Competens mutuum danti ſeu creditori; Contra mutuum accipientem ſeu debitorem; Ad tantundem ejusdem generis & eadem bonitate reddendum.*

§. 35. Eſt hæc *Condictio Actio perſonalis; §. 15. I. de act.* naſcitur enim ex contractu mutui. *pr. I. quib. mod. re contr. obl.*

§. 36. *Stricti juris.* arg. *§. 28. I. de act. l. 6. D. de eo quod cert. loc.*

§. 37. *Competens mutuum danti, ſeu creditori; pr. I. quib. mod. re contr. obl. l. 2. §. 1. D. h. t.* Si plures mutuum dederint, ſingulis datur pro rata; *l. 9. C. ſi cert. pet.* ut & ſi quis communes nummos crediderit. *l. 13. in f. D. h. t.*

§. 38. *Contra mutuum accipientem, ſeu debitorem; l. 3. D. h. t. d. pr. I. quib. mod. re contr. obl.* Si plures ſint, ſinguli pro parte tenentur, etſi uni facta ſit numeratio, niſi ſinguli ſolidum promiſerint. *l. 5. C. ſi cert. pet.*

§. 39. *Ad tantundem, ejusdem generis, & eadem bonitate, reddendum. l. 2. & 3. D. h. t.* Quod & non raro expreſſe promittitur. *l. 40. D. h. t.*

§. 40. Aliud pro alio invito creditori ſolvi nequit; *l. 2. §. 1. D. h. t.* adeo, ut neque debitor dando pecuniam, vel nomen ſeu obligationem, pro re mutuo data, ſatisfacere; *l. 16. C. de ſolut.* neque Judex eum citra neceſſitatem in æſtimationem condemnare poſſit. arg. *l. 18. D. comm. div. l. ult. C. de fideic. libert.*

§. 41. Pro nummis tamen aureis reddi poſſunt argentei; *l. 19. D. de ſolut. l. 65. §. 1. D. de V. O.* Sen. *de Benef. L. VI. c. 5.* neque aliud pro alio reddi cenſetur, quia in nummis non tam corpus ſeu ſubſtantia inſpicitur, quam valor & æſtimatio. *l. 1. D. de contr. emt.*

§. 42. Niſi aliud ſpecialiter convenerit, arg. *l. 3.* D. *h. t. l. 1. §. 6. D. depoſ.* vel *creditor* (ſic leg. vid.) ex ea re damnum paſſurus ſit. *l. 99.* D. *de ſolut.*

§. 43. Quod ſi moneta mutata ſit, ſive bonitas monetæ intrinſeca mutata ſit, ſive extrinſeca, niſi aliud convenerit, tempus contractus ratione quantitatis ſolvendæ inſpiciendum eſt, arg. *l. 3.* D. *h. t. l. 2. C. de veter. num. pot. l. 69. D. de contr. emt. c. 20. 26. X. de cenſib.*

§. 44. Quin & quandoque pro re mutuo data præſtanda venit æſtimatio, ſi ſc. res ejusdem generis & bonitatis reſtitui nequeat. *l. 22.* D. *h. t.*

§. 45. Et ſiquidem dictum ſit, quo tempore redderetur, tanta æſtimatio danda eſt, quanti tunc fuiſſet, ſi non, (neque mora interceſſerit) quanti tunc cum petitum

petitum eſſet: ſi vero convenerit, ut certo loco redderetur, quanti eo loco eſſet, ſi non, quanti ubi petitum eſſet. *d. l. 22.* D. *h. t.*

§. 46. Ubi enim *æſtimatio per Judicem facienda* eſt, ſpectari debet *tempus moræ, vel litis conteſtatæ*, ſi ante mora non ſit commiſſa. *l. 37. D. mand. l. 3. in f.* D. *de cond. trit. l. 8. §. pen. D. de cond. furt. l. 3.* §. *3.* D. *de act. emt. l. 11. de re jud. l. 173. §. 2.* D. *de R. J. d. l. 22. D. h. t.*

§. 47. Licet, ſi *æſtimatio facienda* ſit *per juramentum in litem*, in *b. f. judiciis tempus condemnationis*, in *ſtricti juris judiciis* autem *tempus litis conteſtatæ*, attendendum ſit. *l. 3. §. 2.* D. *commod.* Niſi res petita ante dolo vel culpa rei perierit, vel deterior facta ſit, quo caſu & id tempus ſpectandum eſt. *l. 3.* D. *de cond. trit.*

§. 48. Si vero *æſtimatio* veniat *jure actionis*, veluti ſi ea ſpecialiter promiſſa ſit, *l. 28. D. de novat. tempus contractus* inſpiciendum eſt *l. 22.* D. *de O. & A. l. 28. D. de novat. l. 37.* D. *mand.*

§. 49. Ad uſuras *Condictio certi* ſeu *Actio mutui* non competit; uſuræ enim pecuniæ creditæ, niſi in ſtipulationem deductæ, non debentur. *l. 24.* D. *de præſcr. verb. l. 3. C. de uſur.*

§. 50. *Mutuo* affinis eſt *Literarum Obligatio*, ſeu *Contractus* a mutuo diverſus, & jure novo introductus, qui *Literis perficitur. §. un. I. de lit. obl. §. ult. I. de obl. §. 1. I. de fidej. §. un. I. de obl. ex conſ.*

§. 51 Qui eſt *Contractus ſtricti juris, quo quis ſcripto, mutuo conſenſu tradito, confeſſus eſt, ſeſe ab aliquo certam ſummam accepiſſe mutuam, quam revera non accepit, & intra biennium Chirographum non retractavit. d. §. un. I. de lit. obl.*

§ 52. Dicitur hic contractus *Literarum Obligatio;* quia poſt biennium ex literis, non vero ex mutuo præſumto, naſcitur Obligatio & Actio. *d. §. un.*

§. 53. *Quo quis ſcripto, mutuo conſenſu tradito, confeſſus eſt, ſeſe ab aliquo certam ſummam accepiſſe mutuam;* Literarum enim obligatio tum demum locum habet; cum mutuum datum eſſe dicitur, non etiam, ſi quid ex alia cauſa petatur. *l. 5. 14. pr. §. 4. l. ult. C. de non num. pec.*

§. 54. *Quam revera non accepit;* ſi enim revera accepiſſet, ex contractu Mutui obligatus eſſet, adeoque hoc contractu opus non eſſet. *pr. I. quib. mod. re contr. obl.*

§. 55. *Et intra biennium Chirographum non retractavit.* Ex tali ſcriptura enim non niſi *poſt biennium* Obligatio naſcitur & Actio. §. *un. I. de lit. obl.*

§. 56. *Intra biennium* confeſſus, ſummo quidem jure obligatus eſt, ſed non uno remedio tutus eſt. Nam I. *Condictionem ſine cauſa* habet *cautionis* ſive *chirographi;*

Digitized by Google

graphi; qua chirographum, quod apud alium ſine cauſa eſt, poteſt repetere. *l. 7. C. de non num. pec. l. ult. C. de cond. ex leg.*

II. *Querelam* ſeu *Proteſtationem, ſibi numeratam non eſſe:* quæ ſi in ſcriptis coram Magiſtratu facta ſit, Exceptionem facit perpetuam. *l. 9. 14. §. 4. & Auth. ſeq. C. de non num. pec.*

III. *Exceptionem non numeratæ pecuniæ*, creditori agenti intra biennium (olim quinquennium) opponendam. *l. 3. 5. 8. 14. pr. C. eod. d. §. un. I. de lit. obl.*

§. 57. In qua illud ſpeciale eſt, quod, licet ſcriptura ordinario contra ſcribentem probet, onus tamen probandi transferat in creditorem; *l. 3. C. de non num. pec.* faciles enim ſunt homines in tradendis chirographis, futuram numerationem ſperantes

§. 58. Quod ſi vero confeſſus nullo ex dictis remediis intra biennium uſus ſit, poſt biennium ex *ſcriptura* obligatur, ex eaque naſcitur *Condictio; d. §. un. I. de lit. obl. Quæ contra confeſſum datur, ad ſolvendum id, quod ſe accepiſſe confeſſus eſt.*

§. 59. Adeo, ut nequidem poſt biennium *Exceptio non numeratæ pecuniæ* locum habeat, licet debitor in ſe ſuſcipere velit onus probandi ſibi numeratam non eſſe, *d. §. un. I. l. 8. 10. 14. pr. §. 3. C. de non num. pec.*

§. 60. Sunt etiam caſus, quibus *Exceptio non numeratæ pecuniæ* ne quidem intra biennium locum habet. Ceſſat enim I. Si confeſſus fidem cautionis agnoverit. *l. 4. C. de non num. pec.*

II. Si quis in locum ejus, qui ob numerationem factam vere obligatus erat, ſe debitorem conſtituerit. *l. 6. 12. C. eod.*

III. Si quid transactionis cauſa promiſſum ſit. *l. 11. C. eod.*

IV. In confeſſione mutui, ex alia cauſa deſcendentis, teſtamento, vel alii ſcripturæ inſerta. *l. 13. C. eod.*

V. In depoſito. *l. 14. §. 1. C. eod.*

VI. In Apochis publicarum functionum. *l. ult. C. de apoch. publ.*

VII. In mutuo Argentariorum. *Nov. 136. c. 5.*

VIII. Si poſt ſcriptam confeſſionem, ſeorſum in alio inſtrumento, huic exceptioni renunciatum ſit. arg. *l. pen. C. de pact. l. 22. C. ad SCt. Vell.*

§. 61. Qui vero propriam ſcripturam vel numerationem ſibi factam falſo inficiatur, convictus in duplum condemnatur. *Nov. 18. c. 8. Auth. Contra. C. de non num. pec.*

TITU-

Digitized by Google

TITULUS II.

De Jurejurando, Sive Voluntario, Sive Neceſſario, Sive Judiciali.

C. IV. 1.

§. 1.

Cum autem in cauſa *Rerum creditarum & Mutui* frequens ſit *Jurisjurandi* uſus, & ad id aliis deficientibus probationibus fere perveniri ſoleat, v. Paul. *Sent. L. II. T. I. pr.* Lib. V. *T. 15. §. ult. Nov. 73. c. 4.* tum & præſtito jurejurando quandoque *Condictio* locum habeat, de *Jurejurando* hoc loco ſubjicitur.

§. 2. Quod nihil aliud eſt, quam *Affirmatio religioſa;* Cic. *L. III. de Off. c. 29.* ſeu *Invocatio Dei, qua petitur, ut is, tanquam unicus cordium inſpector, teſtimonium det veritati, & jurantem puniat, ſi ſciens fallat.*

§. 3. *Dicitur Invocatio Dei;* vid. II. Cor. I, 23. Rom. I, 9. IX, 1. Hebr. VI, 16. per nomen enim ſolius veri Dei jurandum, Deut. VI, 13. X, 20. Exod. XXII, 11. Levit. XIX, 12. Jeſ. LXV, 16. Jer. V, 7. qui ſolus cordium eſt inſpector: 1. Reg. VIII, 39. 1. Chron. XXVIII, 9. Pſ. VII, 10. Jer. XI, 20. XVII, 10. XX, 12. Joh. II, 25. non etiam per Deaſtros, Angelos, Sanctos, aliasve creaturas. Jerem. V, 5. Matth. V, 34. & ſeqq.

§. 4. Licet Jusjurandum, quod propria jurantis ſuperſtitione aliter præſtitum eſt, jurantem obliget; *l. 5. §. 1. D. h. t.* idque etiam Chriſtianis in graviſſima cauſa accipere liceat. v. Gen. XXI, 22. *& ſeqq.* & XXXI, 53.

§. 5. *Qua petitur, ut is, tanquam unicus cordium inſpector, teſtimonium det veritati;* II. Cor. I, 23. adeoque æquivocationi tum reali, tum verbali hic nullus locus eſt.

§. 6. *Et jurantem puniat, ſi ſciens fallat.* vid. Pſ. XV, 4. Zachar. V, 3. 4. Maleach. III, 5. *l. 29. pr.* D. *h. t.* Quæ execratio vel expreſſe additur, v. I. Sam. XIV, 45. *Nov. 8. in f.* vel tacite ineſt & ſubintelligitur. v. Gen. XIV, 22. 23.

§. 7. Jusjurandum vero, uti temere non præſtandum, v. Exod. XX, 7. Matth. V, 33. 34. *l. 8. D. de cond. inſt.* ita ſi a Magiſtratu exigatur, vel alioqui neceſſitas hoc pacto fidem firmari, vel veritatem ſtabiliri poſtulet, non tantum Jure Civili, ſed & Divino licitum eſt. v. Exod. XXII, 10. 11. Deut. VI, 13. Hebr. VI, 16. Gen. XXII, 16. & 17. Jer. XXII, 5. Jeſ. XLV, 23. Gen. XIV, 22. Joſ. XIV, 9. Rom. I, 9. II. Cor. I, 23. Phil. I, 8. I. Theſſ. II, 10.

§. 8. *Jurare poſſunt* omnes, qui juramenti vim, & rem, de qua illud præſtandum eſt, intelligunt, neque ſpecialiter prohibentur, vel per ſe, vel per procuratorem

rem ſpeciale mandatum habentem. Liv. *L. XXXI. c. ult. l. 9. §. pen. l. f. §. pen.* D. *h. t. l.* 97. D. *de cond. & dem. l. 13. §. 13.* D. *de damn. infect.*

§. 9. Etiam minores, *l. 1. & Auth. ſeq. Sacramenta puberum. C. ſi adverſ. vend.* nec non pubertati proximi; *l. 26. D. h. t.* qui tamen inviti ad jurandum compelli nequeunt. *l. 34. §. 2. D. h. t.*

§. 10. *Non poſſunt* Furioſi, Mente capti, Infantes & infantiæ proximi. arg. *§. 8. 9. I. de inut. ſtip.*

§. 11. Præſtatur *Juſjurandum* ſuper omnibus rebus licitis ac honeſtis; non ſuper illicitis & inhoneſtis, ſuper quibus præſtitum ipſo jure nullum eſt. *l. 5. §. 1. C. de ll. l. 112. §. ult. D. de leg. 1.*

§. 12. Præſtandum eſt ſecundum formulam, a parte adverſa, vel Judice conceptam, ſenſum quæſtionis, & mentem deferentis, *l. 3. §. ult. l. 3. 4. 33. 34. §. 5. pen. D. h. t.* verbis claris, ſine fraude, & æquivocatione, ſive verbali, ſive mentali. Cic. *de Off. L. I. c. 13. L. III. c. 32. l. 18. D. h. t. Can. quacunque 9. Cauſ 22. quæſt. 5.*

§. 13. *Effectus Jurisjurandi præſtiti* generalis eſt, quod obliget jurantem ad enunciationis veritatem & fidem, ſuique impletionem; *c. 28. X. de jurej.* vel ad pœnam perjurii, ſi pejeraverit, aut dolo contra fecerit: v. Pſalm. XV, 4. Zach. V, 4. Mal. III, 5. quæ Jure noſtro arbitraria eſt. v. *l. 13. in f. D. h. t. l. 22.* D. *de dol. l. ult.* D. *ſtell. l. 41. C. de transact. l. pen. C. de dignit.*

§. 14. Niſi *Vi Metuve extortum* ſit; quo caſu, ſiquidem honeſtam contineat cauſam, non quidem ipſo jure nullum eſt, ſed per in integrum reſtitutionem & abſolutionem reſcindi poteſt, ut effectum non habeat. *Auth. Sacramenta puberum. C. ſi adv. vend. c. 2. 15. 28. X. h. t. c. 24. X. de his quæ vi.* Licet in foro conſcientiæ ſervandum videatur. Pſalm. XV, 4.

§. 15. Idemque *de Dolo* dicendum, ſiquidem circa *Accidentalia dolus* interceſſerit, v. Joſ. IX, 3. *& ſeqq.* junct. II. Sam. XXI, 1. *& ſeqq.* Non etiam ſi circa *Subſtantialia*, quo caſu Jusjurandum nullam obligationem parit.

§. 16. Præſtatur autem Jusjurandum vel *Litis cauſa*, vel *Extra litem.*

§. 17. *Extra litem* præſtatur v. gr. a ſubditis, militibus, v. *l. 11. D. de teſt. mil. l. 13. §. 3. D. de re mil. l. 2. D. de veteran.* Gell. XVI. *c.* 4. Advocatis, *l. 14. §. 1. C. de judic.* Tutoribus & Curatoribus, *l. ult. §. 5. Auth. Quod nunc. C. de cur. fur. N. 72. c. ult.* nec non Judicibus & Magiſtratibus. *l. 14. pr. & Auth. ſeq. C. de jud.*

§. 18. *Litis cauſa* præſtatur Jusjurandum I. Judicio ſiſtendi gratia; v. *l. pen. C. de dign. N. 112. c. 2.* II. Calumniæ; v. *§. 1. I. de pœn. tem. lit. l. 2. C. de Jurej. propt. cal. l. 14. §. 1. C. de judic.* III. Teſtimonii; *l. 9. C. de teſt.* IV. Æſtimationis; *t. t. de in lit. jur.* V. Nec non litis decidendæ gratia.

§. 19. Maximum enim remedium eſt expediendarum litium jurisjurandi religio, qua, vel ex pactione ipſorum litigantium, vel ex auctoritate judicis;

cis, deciduntur controverſiæ, *l. 1.* D. *h. t.* Exod, XXII, 10. 11. Epiſt. ad Hebr. VI, 16.

§. 20. Quod dividitur in *Voluntarium, Neceſſarium, & Judiciale. h. t.*

§. 21. *Jusjurandum Voluntarium* eſt, *quod per modum conventionis pars parti defert extra judicium. l. 17. pr.* D. *h. t. l. 25. 26. §. ſ. D. h. t.*

§. 22. Cujus effectus eſt, quod, ſi *Actor* Reo deferente juraverit, *Actionem* acquirat *in factum. l. 9. §. 1. D. h. t. §. 11. I. de act.*

§. 23. De qua Prætor ita edixiſſe videtur: *Si Actor conditione delata juraverit, aut cum jurare paratus eſſet, Jusjurandum ei remiſſum fuerit, ejus rei, de qua Jusjurandum delatum fuerit, in factum Actionem dabo.* arg. *l. 5.* §. *2. l. 9. §. 1. D. h. t. l. 8. C. de reb. cred.*

§. 24. Ut adeo hæc *Actio* ſit *Prætoria, perſonalis, quæ datur ei, qui reo deferente juravit ſibi deberi, adverſus deferentem, ad ſolvendum id, de quo juratum eſt. §. 11. I. de act.*

§. 25. Non tamen plane nova eſt, neque per novationem priſtina actio ſublata eſt; ſed ita conceditur, ut priſtina ſalva maneat, ejusque formula retineatur, addita mentione Jurisjurandi, ut Actor ab onere probandi liberetur. *l. 13. §. 3. & 5. D. h. t. l. 7. §. 7. de publ. in rem act.*

§. 26. Præſtito enim jurejurando, non quæritur amplius, an pecunia debeatur? ſed an juratum ſit? quaſi ſatis probatum ſit jurejurando. *l. 5. §. 2. l. 9. §. 1. l. 28. 30. D. h. t. §. 11. I. de act.*

§. 27. Summa ratione, cum ad religionem accedat deferentis conſenſus. *l. 25. 26. §. ult.* D. *h. t.*

§. 28. Licet, quantum ad effectum attinet, jurisjurandi conditio *ex numero eſſe novandi videri poſſit. d. l. 26. §. ult.* D. *h. t.* v. Diſſert. N. V. *de Cauſ. Obl. c. 4. §. 39. & ſeqq.*

§. 29. Si vero *Reus* deferente Actore juravit, acquirit *Exceptionem jurisjurandi. l. 9. §. 1. l. 28. §. ult. D. h. t. §. 4. I. de except.*

§. 30. De qua verba Prætoris ita habent; „*Si is, cum quo agetur, conditio-„ne delata juraverit,*„ aut, cum jurare paratus eſſet, jusjurandum remiſſum fuerit, „*ejus rei, de qua Jusjurandum delatum fuerit, neque in ipſum, neque in „eum, ad quem ea res pertinet, actionem dabo. l. 3. pr. l. 5. §. 4. l. 6. 7. D. h. t.*

§. 31. Ait Prætor, „*Si is, cum quo agetur;*„ eum cum quo agetur accipere debemus ipſum *Reum. l. 3. pr. D. h. t.*

§. 32. „*Conditione delata juraverit;*„ non fruſtra adjicitur *conditione delata*, nam ſi Reus juraverit, nemine ei jusjurandum deferente, Prætor id jusjurandum non tuebitur, ſibi enim juravit: alioquin facillime quisque ad jusjurandum decurrens, nemine ſibi deferente jusjurandum, oneribus actionum ſe liberabit. *l. 3. pr. §. 4. l. 4. 5. & 33. D. h. t.*

§. 33. Quacunque autem Actione quis conveniatur, ſi juraverit, proficiet ei

Digitized by Google

Jusjurandum, ſive in perſonam, ſive in rem, ſive in factum, ſive pœnali Actione, vel quavis alia agatur. *l. 3. §. 1. 2. 3. D. h. t.*

§. 34. Dummodo ita juratum ſit, uti jusjurandum delatum eſt. *l. 3. §. ult. l. 4. 5. pr. & §. 1. D. h. t.*

§. 35. „*Ejus rei, de qua jusjurandum delatum fuerit, neque in ipſum, neque in eum, ad quem ea res pertinet, actionem dabo :*„ ſive de tota re, ſive de parte ſit juratum; nam de eo quod juratum eſt, pollicetur Prætor, ſe actionem non daturum, neque in eum, qui juravit, neque in eos, qui in locum ejus, cui jusjurandum delatum eſt, ſuccedunt. *l. 7. 8. 9. pr. D. h. t.*

§. 36. Sive autem juratum ſit, ſive, *cum* Actor vel Reus *jurare paratus eſſet, jusjurandum remiſſum ſit*, nihil intereſt. *l. 5. §. ult. l. 9. §. 1. D. h. t. l. 8. C. de reb. cred.*

§. 37. *Remittit* vero jusjurandum, qui deferente ſe eum paratus eſſet adverſarius jurare, gratiam ei facit, contentus voluntate ſuſcepti jurisjurandi; quod ſi non ſuſcepit jusjurandum, licet poſtea parato actor nolit deferre, non videbitur remiſſum, nam quod ſuſceptum eſt, remitti debet. *l. 6. D. h. t.*

§. 38. *Jusjurandum Neceſſarium* eſt, *quod præſtito juramento calumniæ, probante Judice, pars parti defert in judicio. l. 34. §. 4. 6. l. 37. D. h. t. l. 12. §. 1. C. de reb. cred.*

§. 39. De quo Prætor ita edixiſſe videtur : „*Eum a quo jusjurandum petetur,*„ *Si deferens, eo exigente, prior de calumnia juraverit,* „*Solvere aut jurare cogam;*„ *niſi ei, qui aget, jusjurandum referre maluerit; qui ſi jurisjurandi conditione non utatur, Judicium ei non dabo. l. 34. §. 6. 7. D. h. t.*

§. 40. *Neceſſarium* dicitur, quia ille, cui defertur, ſolvere, vel jurare, vel referre debet; *d. l. 34. §. 6. 7.* cui vero refertur, omnino illud præſtare debet. *d. l. 34. §. 7. 9. l. pen. §. 1. C. de reb. cred.*

§. 41. Ait enim Prætor, „*Eum a quo jusjurandum petetur,*„ *Si deferens eo exigente prior de calumnia juraverit,* v. *d. l. 34. §. 4.* „*Solvere aut jurare cogam,*„ Alterum itaque eligat reus, aut ſolvat, aut juret; ſi non juret, ſolvere cogendus erit. *l. 34. §. 6. D. h. t.*

§. 42. *Niſi ei, qui aget, jusjurandum referre maluerit;* datur enim Reo facultas, ut, ſi malit, referat jusjurandum. *d. l. 34. §. 7. D. h. t.*

§. 43. *Qui, ſi jurisjurandi conditione non utatur, judicium ei non dabo.* Quod æquiſſime facit Prætor; cum non debeat diſplicere conditio ei, qui detulit. *d. l. 34. §. 7.*

§. 44. Sed nec *Jusjurandum de calumnia* referenti defertur; quia non eſt ferendus Actor, ſi conditionis nomine, quam ipſe detulit, de calumnia ſibi jurari velit. *d. l. 34. §. 7.*

§. 45. *Deferunt* hoc Jusjurandum, ut & *Voluntarium*, Domini, liberam rerum ſuarum adminiſtrationem habentes, vel eorum nomine tutores, curatores, &

& procuratores, non tantum univerſales, ſed & particulares, ſpeciale mandatum habentes. *l. 17. §. 1. ſeqq. l. 18. 19. & 34. §. 1. l. 35. D. h. t.*

§. 46. Sive Actor deferat, ſive Reus, nihil intereſt: adeo quidem, ut delatio locum habeat, licet deferens nihil probaverit. *l. 35. pr. D. l. 12. pr. C. h. t. l. ult. C. de fideic. l. 25. §. pen. D. de probat.*

§. 47. *Deferri* poteſt omnibus, qui aliquem rei controverſæ intellectum habent, cujuscunque ſint ſexus, ætatis, vel conditionis. *l. 20. & 26.* D. *h. t.*

§. 48. De omnibus cauſis & actionibus, ſive realibus, ſive perſonalibus, ſive ordinariis, ſive extraordinariis. *l. 3. §. 1. 3. l. 9. §. 2. l. 34. pr. D. l. 10. C. h. t. l. 5. §. 8. l. 11. §. 1. D. de injur.*

§. 49. Non tamen de facto alieno; *l. 11. §. 2. D. rer. amot. l. 9. §. 3. D. de interr. in jur. fac.* neque in cauſis criminalibus, quia Reus facile pejerabit, *l. 1. D. de bon. eor.* Actoris autem jusjurandum ad pœnam irrogandam non ſufficit. *l. ult. C. de probat.*

§. 50. Deferri poteſt in judicio, omni tempore, non tantum ante, ſed & poſt litem conteſtatam. *l. 12. pr. C. h. t.*

§. 51. *Jurisjurandi* autem *Neceſſarii delati*, uti ex dictis apparet, *effectus* eſt, quod, niſi quis ſolvere malit, id ipſum præſtandum, vel referendum ſit. *l. 34. §. 6. 7. 9. D. h. t.*

§. 52. Manifeſtæ enim turpitudinis & confeſſionis eſt, nolle nec jurare, nec jusjurandum referre. *l. 38. D. h. t.*

§. 53. Niſi I. Defereus talis ſit, qui poteſtatem deferendi non habet. *l. 35. §. 1. D. h. t.*

II. Deferens de calumnia jurare nolit. *l. 37. D. h. t.*

III. Jusjurandum tali formula deferatur, ſub qua ſalva pietate jurari non poſſit. *l. 5. §. 3. D. h. t.*

IV. Semel jam juratum ſit. *l. 18. D. h. t.*

V. Is, cui defertur, alio modo probare velit. arg. *l. 30. D. h. t. l. 8. D. de cond. inſtit.*

VI. Jusjurandum deferatur ſuper facto alieno. *l. 34. D. h. t. l. 11. §. 2. D. de rer. amot.*

VII. Deferens jusjurandum delatum revocaverit. *l. 11. C. de reb. cred.* Quibus caſibus jusjurandum delatum recuſari poteſt.

§. 54. *Effectus jurisjurandi Relati* eſt, quod neceſſario præſtandum ſit. *l. 34. §. 6. 7. 9. D. l. pen. §. 1. C. h. t.* niſi remiſſum ſit. *l. 5. §. ult. l. 6. 9. §. 1. l. 8. C. h. t.*

§. 55. *Præſtiti* vero, quod ex eo ſimiliter *Actio* naſcatur *in factum*, nec non *Exceptio jurisjurandi*, *l. 8. C. de reb. cred. l. 5. & 3. pr. §. 1. l. 9. §. ult. l. 30. §. 3. l. 34. §. 7.* D. *h. t.* & ſecundum jusjurandum ſequatur ſententia Judicis, ut, ſi

Digitized by Google

ſi Actor juraverit, Prætor condemnet reum; ſi Reus juraverit, eum abſolvat. *l. 34. §. ult. D. h. t.*

§. 56. Pronunciata vero ſententia *Actio* & *Exceptio rei judicatæ* locum habet. *l. 8. C. de reb. cred. l. 4. §. 1. 2. l. 6. §. 1. l. ult. D. de re jud. t. t. D. de except. rei jud.*

§. 57. Adeo, ut, præſtito hoc jurejurando, neque de perjurio amplius quæri, *l. 31. in f. D. l. 1. C. h. t. l. 21. 22. D. de dol.* neque a ſententia appellari poſſit. *l. 12. §. 3. C. de reb. cred.*

§. 58. *Jusjurandum Judiciale* eſt, *quod Judex in cauſis dubiis, etiam parte non petente*, defert. *l. 31. D. h. t. l. 3. 12. pr. §. 1. C. de reb. cred.*

§. 59. Idque duplex eſt, *Suppletorium* ſc. & *Purgatorium.*

§. 60. *Jusjurandum Judiciale Suppletorium* eſt, *quod Judex* etiam non rogatus *defert* Actori, *qui intentionem ſemiplene*, v. c. per unum teſtem. arg. *d. l. 3. C. de reb. cred. l. 12. D. de teſt.* arg. *l. 38. de re jud. probavit*, ad defectum probationis ſupplendum. *d. l. 31. D. h. t. l. 3. & 12. C. h. t.*

§. 61. *Purgatorium* vero, *quod Judex defert Reo, contra quem militant præſumtiones probatione ſemiplena minores; ut præſtito hoc jurejurando ab iis ſeſe purget & exoneret.*

§. 62. *Effectus* autem *Jurisjurandi Judicialis*, tum *Suppletorii*, tum *Purgatorii* eſt, quod Judex ſecundum eum judicet, qui juraverit. *l. 31. D. h. t.*

§. 63. Ita tamen, ut Quæſtioni de perjurio hic locus ſit, & a ſententia tum appellari, tum ob inſtrumenta noviter reperta ea reſcindi poſſit. *l. 31. D. h. t. l. ult. §. 1. D. de appell. l. ult. §. 1. 2. 3. C. de reb. cred. l. 2. D. ſi ex falſ. inſtr.*

TITULUS III.

DE IN LITEM JURANDO. C. V. 53.

§. 1.

Jusjurandum, quod *rei* in judicium deductæ *æſtimandæ cauſa* præſtatur, dicitur *Jusjurandum in litem. l. 1. D. h. t.*

§. 2. Quod vel *Affectionis* eſt, vel *Veritatis. l. 2. §. 1. l. 5. pr. §. f. l. 6. 8. & pen. D. h. t.*

§. 3. *Jusjurandum in litem Affectionis* eſt, *quo Actor ad dolum Rei coërcendum, rem in judicium deductam ex affectione, ultra verum pretium, in infinitum, æſtimare poteſt. l. 1. 2. §. 1. l. 8.* D. *h. t. l. 68. D. de R. V.*

§. 4. Defert hoc jusjurandum Judex; ſi alius detulerit, vel, non delato, juratum ſit, jusjurandum nullum eſt. *l. 4. §. 1. D. h. t.*

§. 5. Defertur Actori, qui litis eſt dominus, eamque ſuo nomine conteſtatus eſt; *l. 7. D. h. t.* nec non Tutori & Curatori, volentibus ſcil. non invitis. *d. l. 4. pr. D h. t.*

§. 6. Non

§. 6. Non etiam Pupillo; *l. 4. pr. D. h. t.* neque Procuratori, qui alieno nomine litem conteſtatus eſt. arg. *l. 7. D. h. t.*

§. 7. Ad dolum Rei coërcendum; *l. 2. §. 1. l. 4. §. ult. l. 5. §. 3 D. h. t.* ſive dolo poſſidere deſierit, *l. 68. D. de R. V. l. 25. §. 10. D. de her. pet.* ſive per contumaciam reſtituere nolit. *l. 1. 2. §. 1. l. 8. D. h. t. l. 36. in f. D. de pecul.*

§. 8. Licet autem *ſolius doli* hic mentio fiat, *d. l. 5. §. 3. D. h. t.* ſub *dolo* tamen, uti & alibi, hic *lata culpa* comprehenditur. *l. 2. C. h. t. l. 226. D. de V. S. l. 1. §. 1. D. ſi menſ. falſ. mod. dix. l. 32. D. depoſ. l. 1. §. 2. D. ſi is qui teſt. lib.*

§. 9. Qualis res ſit, quæ in judicium eſt deducta, ſive corporalis, ſive incorporalis, *l. 7. D. ſi ſerv. vind.* ſive mobilis, ſive immobilis, nihil intereſt. arg. *l. 68. D. de R. V. l. 16. §. 3. D. de pign. & hyp.*

§. 10. Dummodo agatur de re noſtra nobis reſtituenda, vel exhibenda; v. *l. 2. 5. pr. D. h. t. l. 68. D. de R. V. l. 7. §. 7. D. de publ. l. 7. D. ſi ſerv. vind. l. 16. §. 3. D. de pign. & hyp.* eaque talis ſit, quæ affectionem & æſtimationem recipiat. *l. 3. D. h. t.* & in judicium bonæ fidei vel arbitrarium deducta ſit. *l. 5. D. h. t. l. 25. §. 10. D. de pet. her. l. 18. pr. D. de dol.*

§. 11. Unde ceſſat I. In Actione emti. *l. 4. C. de act. emt.*

II. In Actione furti; *l. 50. D. de furt.* licet in Condictione furtiva ſecus ſit. Ita acc. *l. 9. D. h. t.* v. *l. 14. §. 16. l. 71. D. de furt.*

III. In judiciis ſtricti juris; *d. l. 5. D. h. t.* in quibus tamen *juſjurandum Veritatis* locum habet. *l. 5. §. ult. l. 6. D. h. t.*

§. 12. Permittitur autem Actori, hoc jurejurando, rem in judicium deductam æſtimare, ex affectione, etiam ultra verum rei pretium, imo in infinitum. *l. 1. 2. §. 1. l. 3. §. 2. D. h. t.*

§. 13. Poteſt tamen judex modum jurijurando ſtatuere, ut intra certam quantitatem juretur, ne arrepta occaſione in immenſum juretur, *l. 4. §. 2. l. 5. §. 1. D. h. t. l. 18. pr. D. de dol.*

§. 14. Imo poteſt & Judex ab initio non deferre, nec non ex magna cauſa, licet juratum ſit, rerum vel prorſus abſolvere, vel etiam minoris condemnare. *l. 4. §. 3. l. 5. §. 2. D. h. t.*

§. 15. *Juſjurandum* vero *in litem Veritatis eſt, quo Actor rem, quæ culpa Rei periit, vel corrupta eſt, tanti æſtimat, quanti revera eſt, vel ejus intereſt. l. 2. §. 1. l. 8. l. pen. D. h. t.*

§. 16. Dummodo neceſſitas urgeat, & Judex rem aliter æſtimare nequeat. *l. 4. §. 5. D. h. t.*

§. 17. Quod & in Judiciis ſtricti juris locum habet. *l. 5. §. ult. D. h. t.*

TITULUS IV.

De Condictione Causa Data Causa Non Secuta.
C. IV. 6.

§. 1.

Poſt *Condictionem certi ex Mutuo*, ſequuntur aliæ *Condictionum* ſpecies, *Condictio ſcil. cauſa data cauſa non ſecuta, Condictio ob turpem vel injuſtam cauſam*, ſimilesque, *l. 1. pr.* §. *1. D. de cond. ob turp. cauſ.*

§. 2. De *Condictione cauſa data cauſa non ſecuta* Prætor ita edixiſſe videtur: *Si cui ex cauſa non inhoneſta quid datum fuiſſe dicetur, cauſa non ſecuta, ad repetendum id, quod datum eſt, adverſus eum, qui acceperit, Condictionem dabo.* arg. *Inſcr. l. 1. pr. D. h. t. d. l. 1. §. 1.*

§. 3. Adeoque *Condictio cauſa data* (ſeu potius ſub *cauſa dati*, v. *l. pen. D. h. t.* vel ob *cauſam dati*, arg. *l. ult. D. h. t. t. C. de cond. cauſ. dat.*) *cauſa non ſecuta*, eſt *Actio perſonalis, ſtricti juris, qua datur ei, qui rem, ob cauſam expreſſam, futuram, & honeſtam, non tamen ſecutam, dedit, ejusque heredi; Contra accipientem, ejusque heredem; Ad rem cum omni cauſa reſtituendam.*

§. 4. Eſt hæc *Actio perſonalis; §. 15. I. de act.* naſcitur enim ex Contractu innominato *Do ut des*, vel *Do ut facias. l. 5. §. 1. 2. D. de P. V.*

§. 5. *Competens ei, qui rem dedit; l. 1. pr. §. 1. D. h. t. l. 3. pr. l. f. D. h. t.* non etiam ei, qui fecit: arg. *l. 12. §. 2.* D. *de captiv.* quia factum infectum fieri nequit. *l. 31.* D. *de R. J.* Unde & in Contractu *Facio ut des* hæc *Condictio* locum non habet.

§. 6. *Ob cauſam expreſſam;* Conditio enim in mente retenta nihil operatur. *l. 6. 7. C. h. t. l. 25. C. de transact. l. 53.* D. *de R. J.*

§. 7. *Futuram; l. 1. & ſeqq. D. h. t. l. 52. D. de cond. ind. l. 53. D. de R. J.* datum enim ob cauſam præteritam, licet falſam, repeti nequit. *d. l. 52. 8. C. de cont. emt. l. 14. C. de reſc. vend.* Niſi per errorem facti datum ſit, quo caſu competit *Condictio Indebiti;* de qua ad *t. de cond. indeb.*

§. 8. *Et Honeſtam; l. 1.* D. *h. t. l. 1. §. 1.* D. *de cond. ob turp. cauſ.* ſi enim ob cauſam inhoneſtam datum ſit, locum habet *Condictio ob turpem cauſam. t. t. de cond. ob turp. cauſ.*

§. 9. *Non ſecutam; l. 1. pr. l. 3. §. 2. D. l. 6. 8. C. h. t.* quod enim ob rem honeſtam datum eſt, repeti poteſt, ſi res, propter quam datum eſt, ſecuta non eſt. *l. 1. §. 1. D. de cond. ob turp. cauſ.*

§. 10. *Cauſa* autem *non ſequitur* I. Quia dantem pœnitet. Quo caſu *Repetitio ex pœnitentia*, ſeu *Condictio hac* locum habet; *l. 3. §. 2. l. 5. pr. & §§. ſeqq. D. h. t. l. 5. §. 1.* D. *de P. V.* etiamſi accipiens paratus ſit cauſam præſtare. *l. 1. 3. 5. pr.* §. *2. l. 13.* D. *h. t.* Licet in contractibus nominatis ſecus ſit,

ſit, neque pœnitentiæ locus ſit. v. *l. 5. C. de O. & A. l. 14. C. de contr. emt. l. 6. C. de reſc. vend.*

§. 11. Niſi res amplius non ſit integra, & accipiens ob pœnitentiam & mutatam voluntatem dantis damnum paſſurus ſit; quo caſu dans accipientem indemnem ſervare debet. *d. l. 5. pr.* D. *h. t.*

§. 12. II. Quia accipiens cauſam præſtare non vult, vel in culpa eſt, quo minus præſtetur; quo caſu hæc Actio ſimiliter locum habet: ſive plane non præſtet, ſive non ita, ut oportet. *l. 3. §. 3. 5. ult. l. ult. D. h. t. l. 8. 9. l. ult. C. h. t.*

§. 13. III. Quia accipiens cauſam præſtare nequit; quo caſu, ſi cauſa impoſſibilis a ſciente eſt adjecta, condictio ceſſat: *l. 8. C. h. t.* ſi vero ab ignorante, non item. arg. *l. 3. §. 5. D. h. t. l. 1. §. 1.* D. *de cond. indeb. l. 53.* D. *de R. J. l. 5. C. h. t.*

§. 14. Quod ſi accipiens *caſu* impediatur, quo minus cauſam præſtare poſſit, *Condictio* hæc nihilominus locum habet. *l. 5. D. h. t. l. 15. §. 6.* D. *locat. l. 5. C. h. t. l. 9. C. de pign. act.*

§. 15. Niſi res accipientis cæteroquin non fuiſſet peritura, vel implementum contractus caſui cauſam dederit; quo caſu Condictio ceſſat. *l. 5. §. ult. D. h. t.* Ita acc. *l. pen. C. h. t.*

§. 16. *Ejusque heredi; l. 2. 3. C. h. t.* etiam ex propria pœnitentia. arg. *l. 9. D. de prob. l. 37. D. de acq. vel am. her. l. 59. D. de R. J.*

§. 17. *Contra accipientem;* qui cauſam non præſtitit. *l. 8. C. h. t.*

§. 18. *Ejusque heredem; l. 8. C. h. t.* non etiam contra ſucceſſorem ſingularem. *l. 4. C. de rer. perm.*

§. 19. *Ad rem datam reſtituendam; l. 1. 2.* D. *h. t.* vel ſi res dolo vel culpa accipientis perierit, ad æſtimationem, v. *l. 15. D. h. t. l. 65. §. 6. D. de cond. indeb.*

§. 20. *Cum omni cauſa;* i. e. cum fructibus & acceſſionibus, *l. 7. §. 1. l. 12.* D. *h. t. l. 65.* D. *de cond. indeb.* ſive ante, ſive poſt litem conteſtatam, perceptis, *l. 38. pr. §. 1.* D. *de uſur.* ſub quibus tamen uſuræ hic non continentur, arg. *l. 1. C. de cond. indeb. l. 4. C. de cond. ob turp. cauſ. l. 3. C. de uſur.*

TITULUS V.

De Condictione Ob Turpem, Vel Injustam Causam.

C. IV. 7.

§. 1.

De *Condictione ob Turpem, vel Injuſtam cauſam,* Prætor ſic edixiſſe videtur: *Si quid ob turpem, vel injuſtam cauſam datum fuiſſe dicetur, ad repetendum id,*

id, quod datum erit, adverſus eum, cui datum fuerit, Condictionem dabo. arg. *Inſcr. l. 1. pr. §. 1. 2.* D. *h. t.*

§. 2. Eſt itaque *Condictio ob Turpem cauſam, Actio perſonalis; Competens ei, qui ob turpem cauſam, quæ ratione ſolius accipientis turpis eſt, aliquid dedit vel promiſit, ejusque heredi; Contra turpiter accipientem, ejusque heredem; Ad rem datam cum omni cauſa reſtituendum, vel revocandum id, quod promiſſum eſt.*

§. 3. Eſt hæc Condicto *Actio perſonalis;* naſcitur enim ex maleficio, facto ſcil. doloſo turpiter accipientis. *l. 1. §. 2. l. 4. §. 2.* D. *h. t. l. 4. l. pen. C. h. t.*

§. 4. *Competens ei, qui dedit aliquid vel promiſit; l. 1.* D. *l. 1. C. h. t.* ſi ſcil. nulla ipſius turpitudo intercedat. *l. 1. §. 2. l. 3. 4. §. 2. 3.* D. *l. 4. 6. C. h. t.*

§. 5. *Ob turpem cauſam, quæ ratione ſolius accipientis turpis eſt;* quod enim ob turpem cauſam datur, ita datur, ut aut dantis ſit turpitudo, non accipientis, aut accipientis duntaxat, non dantis, aut utriusque. *l. 1. pr.* D. *h. t.*

§. 6. Si *ſolius Dantis* eſt turpitudo, *Condictio* ceſſat. *l. 4. §. 3.* D. *h. t.*

§. 7. Si utriusque *& Dantis & Accipientis*, veluti ſi quis Judici aliquid dederit, ut male, *l. 3.* D. *h. t.* vel etiam in bona cauſa pro ſe judicet; *l. 2. §. 2. D. h. t.* ſi in adulterio deprehenſus, *l. 4. pr.* D. *h. t.* vel fur, ne proderetur, dederit; *l. 4. §. 1.* D. *h. t.* ſimiliter ceſſat repetitio, & potior eſt conditio poſſidentis. *l. 2. §. 2.* [illegible] *pr. §. 1. l. 8. D. l. 2. 5. C. h. t. l. ult. D. de cond. ſin. cauſ. l. 128. pr. D. de R. J.*

§. 8. Fiſcus tamen datum repetere, turpeque lucrum poſſidenti extorquere poteſt. *Auth. Novo jure. C. de pæn. jud. qui mal. jud. l. 32. §. ult.* D. *de don. int. vir. & ux. l. 9.* D. *de jur. fiſc. l. 5. D. de calumn.*

§. 9. Si vero *ſolius Accipientis*, veluti dedi tibi, ne ſacrilegium facias, ne furtum, ne hominem occidas, ne mihi injuriam facias, *Condictio ob turpem cauſam* locum habet. *l. 1. §. 2. pr. §. 1. l. 4. §. 2. D. h. t.*

§. 10. *Ejusque heredi;* arg. *l. 37.* D. *de acq. her. l. 59. l. 128. §. 1. D. de R. J. §. 1. I. de perpet. & temporal. act.*

§. 11. *Contra turpiter accipientem; l. 2. 4. pr. & §§. ſeqq. D. l. 3. C. h. t.*

§. 12. *Ejusque heredem;* arg. *d. l. 7. §. 2.* D. *de cond. furt. §. 1. I. de perp. & temp. act. l. 157. §. 2. D. de R. J.*

§. 13. *Ad rem datam cum omni cauſa reſtituendam; l. 1. §. 2. l. 2. pr. §. 1. 2. h. t. l. 38. §. 1. & ſeqq. D. de uſur.* licet turpe factum ſubſecutum ſit: *l. 1. §. ult.* D. *h. t.* vel, ſi res perierit, ad æſtimationem. *l. ult. C. h. t. l. 8. D. de cond. furt. l. 65. §. 6.* D. *de condict. indeb.*

§. 14.

Digitized by Google

§. 14. *Vel revocandum id, quod promiſſum eſt. l. 1. C. h. t.* Ita ut vel cautio ſeu chirographum condicatur, vel actoris intentio oppoſita doli mali exceptione elidatur, *l. 8. D. h. t. l. 134. pr. D. de V. O.* adeoque obligatio *ratione effectus* nulla ſit. Ita acc. *l. 5. C. h. t. l. 26. 27. D. de V. O.*

§. 15. *Condictio* vero *ob Injuſtam cauſam* eſt *Actio perſonalis; Competens ei, qui ob injuſtam cauſam alicui quid dedit; Contra accipientem; Ad rem datam cum omni cauſa reſtituendam. l. 6. 7. D. h. t.*

§. 16. Qua actione repeti poteſt, quod v. c. ex coacta ſtipulatione ſolutum eſt; *l. 7. D. h. t. l. 2. C. de his quæ vi met. c.* nec non fructus, qui a malæ fidei poſſeſſore ex re noſtra percepti ſunt. *l. 3. C. h. t. l. 3. C. de cond. ex leg.*

TITULUS VI.

De Condictione Indebiti. C. IV. 5.

§. 1.

De *Condictione Indebiti* Prætor ita edixiſſe videtur: *Si quis ignorans per errorem indebitum ſolviſſe dicetur, ad id, quod ſolutum erit, repetendum, Condictionem indebiti dabo.* arg. *l. 1. §. 1. l. 26. §. 3. D. h. t.*

§. 2. Adeoque *Condictio indebiti* eſt *Actio perſonalis; Competens ei, qui indebitum, tanquam debitum, per errorem facti ſolvit, ejusque heredi; Contra accipientem, ejusque heredem; Ad reſtituendum id, quod ſolutum eſt.*

§. 3. Eſt hæc Actio *Perſonalis;* naſcitur enim ex quaſi contractu ſolutionis indebiti. *§. 1. I. quib. mod. re contr. obl. §. 6. I. de obl. quæ quaſ. ex cont.*

§. 4. *Competens ei, qui indebitum, tanquam debitum, per errorem facti ſolvit. d. §. 1. quib. mod. re contr. obl. d. §. 6. I. de obl. quæ quaſ. ex contr.*

§. 5. Ut enim hæc Actio locum habeat, requiritur I. Ut aliquid *Solutum ſit; d. §. 1. d. §. 6.* ſi quid non ſolutum, ſed promiſſum ſit, vel *Exceptioni* contra petentem, *l. 3. C. h. t. l. ult. D. ad SC. Maced.* vel *Condictioni cautionis* locus eſt. *l. 31. D. l. 3. C. h. t.*

§. 6. II. Ut ſolutum ſit *Indebitum, quaſi debitum; d. §. 1. d. §. 6.* debiti enim ſoluti nulla repetitio eſt: & ſi quid non tanquam ex debito datum ſit, donatum cenſetur. *l. 52. & 65. §. 2. D. h. t. l. 53. D. de R. J.*

§. 7. Eſt autem aliquid *Indebitum* vel *Jure Naturali & Civili* ſimul, vel *alterutro* tantum.

§. 8. Si quid ſolutum ſit, quod *Indebitum* eſt *Jure Naturali & Civili* ſimul, quin repeti poſſit, nullum dubium eſt. v. *l. 29. & 41. D. h. t.*

§. 9. Si Jure Civili quidem debitum ſit, *Jure Naturali* vero *indebitum*, ſimiliter repeti poteſt; *Debitum Civile* enim, quod per exceptionem perpetuam elidi poteſt, pro indebito habetur. *l. 26. §. 3. 7. l. 40. 54. & 56. D. h. t. l. 112. D. de R. J.*

§. 10. Niſi exceptio perpetua competat ex cauſa obligationem naturalem non tollente:. qualis eſt Exceptio rei judicatæ; *l. 28. & 60. D. h. t.* SCti Macedoniani; *l. 40. D. h. t. l. 9. §. ult. l. 10. D. ad SC. Maced.* nec non diviſionis ſeu Epiſtolæ D. Hadriani. *l. 49. §. 1. D. de fidej.*

§. 11. Si vero Jure Naturali ſit debitum, *Jure Civili* vero *indebitum*, ſolutum repeti nequit. *l. 13. 64. 19. & 38. D. h. t. l. 10. D. de O. & A. l. 16. §. 4. D. de fidej. l. 3. §. ult. D. quod quisque jur. in al. ſtat.*

§. 12. Niſi Naturalis Obligatio talis ſit, quæ Jure Civili improbatur, aut Juris Civilis auxilio deſtituitur; qualis eſt Mulieris intercedentis; *l. 40. D. h. t. l. 16. §. 1. D. ad SC. Vellej.* Prodigi promittentis; *l. 6. D. de V. O.* Pupilli ſine tutoris auctoritate contracta. *l. 127. D. de V. O. l. 41.* D. *h. t. l. 59. D. de O. & A.* Ex quibus ſi quid ſolutum eſt, ſimiliter repeti poteſt. *d. l. 40. 29. 41. D. l. 7. C. h. t. l. 9. C. ad SC. Vellej. l. 6. D. de V. O. l. 9. C. ad L. Falcid.*

§. 13. Quod ſi utroque Jure & efficaciter quidem aliquid debeatur, ſed non a ſolvente, vel non accipienti, v. *l. 65. §. f. D. h. t.* etiam per errorem ſolutum repeti poteſt: *l. 65. §. f. l. 19. §. 1. D. l. f. C. h. t.* niſi veri debitoris nomine vero creditori ſolutum ſit. arg. *l. 23. D. de ſolut. l. 39. D. de neg. geſt.*

§. 14. III. Requiritur, ut ſolutum ſit *Per Errorem;* quod enim quis indebitum ignorans ſolvit, per hanc Actionem condicere poteſt: ſed ſi ſciens ſe non debere ſolvit, ceſſat repetitio; *l. 1. §. 1. D. h. t. l. 26. §. 3. l. 50. D. l. 9. C. h. t.* quia id donaſſe cenſetur. *l. 53. D. de R. J. l. 7. §. 2. D. pro emt. l. 12. D. de nov.*

§. 15. De *Dubitante* dubitatum eſt, an pro ignorante, an vero pro ſciente habendus ſit? Sed placuit, eum hic pro ignorante habendum eſſe; *l. ult. C. h. t.* ſive caverit ſibi, ut redderetur, ſi appareret indebitum, *l. 2. D. h. t.* ſive non. *d. l. ult.*

§. 16. IV. Ut ſolutum ſit *per Errorem Facti*, non *Juris; Indebiti* enim *per ignorantiam facti* ſoluti tantum repetitio competit: cum vero quis jus ignorans indebitam pecuniam ſolverit, ceſſat repetitio. *l. 10. C. de jur. & fact. ign. l. 9. pr. §. 5. D. eod. l. 6. 7. C. h. t. l. 9. C. ad L. Falcid.* Licet is, qui ſolvit, ne quidem natura qualis qualis debitor ſit.

§. 17. Niſi talis ſit, cui jus ignorare licet, qualis eſt v. c. Minor & Mulier. *l. 9. D. l. ult. C. de jur. & fact. ign.* v. *l. ult. C. ſi adv. ſolut. l. 1. C. de cond. ob cauſ. dat.*

§. 18. *Ejusque heredi; l. 12. D. l. 1. C. h. t.*

§. 19. *Contra accipientem: l. 49. D. h. t.* ſive ipſe, ſive ejus nomine alius acceperit. *l. 57. §. 1. D. l. 1. 2. C. h. t.*

§. 20. Dummodo etiam ignorans acceperit; ſi quis enim ſciens indebitam pecuniam acceperit, non modo hac, ſed & *Condictione Furtiva* tenetur. *l. 18. D. de cond. furt. l. 14. D. de cond. cauſ. dat.*

§. 21. *Ejusque heredem; l. 26. §. 11. D. h. t.*

§. 22.

§. 22. *Ad reſtituendum id, quod ſolutum eſt;* vel tantundem, *l. 7. & 19. §. 2. D. h. t.* vel æſtimationem: v. *l. 26. §. 12. l. 65. §. 6. 8. D. h. t.* Et ſi quidem res talis ſit, quæ fructus profert, etiam ad fructus & acceſſiones. *l. 15. & 65. §. 5. D. h. t.* arg. *l. 38. §. 4. 7. D. de uſur. l. 81. D. de V. S. l. 173. §. 1.* D. *de R. J.*

§. 23. Non etiam ad uſuras, *l. 1. C. h. t.* quia hæc Actio ſtricti juris eſt, arg. *§. 28. I. de act.* in qua, citra vinculum ſtipulationis, uſuræ non debentur. *l. 3. C. de uſur.*

§. 24. Quod ſi quis alternative obligatus utrumque ſolverit, ejus electio eſt, utrum repetere velit; *l. 32. D. l. pen. C. h. t.* rejecta ſententia Ulpiani, quæ extat in *l. 26. §. pen.* D. *h. t.* ſi vero una ex iis perierit, Condictio ceſſat. *l. 32. pr. D. h. t.*

§. 25. *Ceſſat* etiam *Condictio indebiti* I. In iis cauſis, in quibus lis inficiando creſcit in duplum. *§. 7. I. de obl. quæ quaſ. ex cont. l. 4. C. h. t.* i. e. in quibus actio adverſus confitentem in ſimplum datur, adverſus negantem vero in duplum, *§. 26. I. de act. l. 23. §. pen. D. ad L. Aquil.* quales ſunt cauſa Legis Aquiliæ, Legati ad pias cauſas, & Depoſiti miſerabilis. *d. §. ult. I. de obl. quæ quaſ. ex cont. §. 26. I. de act. l. 23. §. pen. D. ad L. Aquil. l. 1. §. 1. D. depoſ.*

II. In cauſa transactionis, rei judicatæ, & jurisjurandi, *l. 26. §. 12. l. 65. §. 1. D. l. 1. C. h. t. §. 11. I. de act.*

III. Si debitum ſit Naturale. *l. 13. 19. & 38. D. h. t. l. 10.* D. *de O. & A.* v. *ſupr. §. 11.*

IV. Si dotis nomine a Matre ſimilibusque aliquid datum ſit, *l. 32. §. 2. D. h. t.*

V. Si pœna ſoluta ſit. *l. 42. D. h. t. l. 46. D. de R. J.*

VI. Si huic actioni ſpecialiter renunciatum ſit. *l. ult. §. 3. D. h. t.*

VII. Si præſcriptione ſublata ſit. *pr. I. de perp. & temp. act. l. 3. C. de præſcript. 30. ann.*

TITULUS VII.

De Condictione Sine Causa. C. IV. 9.

§. 1.

De *Condictione ſine cauſa*, Prætor ita locutus videtur: *Si quid ſine cauſa promiſſum aut ſolutum fuiſſe dicetur, ejus rei nomine Condictionem dabo.* arg. *Inſcr. l. 1. 2. D. h. t.*

§. 2. Eſt itaque *Condictio ſine cauſa, Actio perſonalis; Competens ei, qui ſine cauſa aliquid dedit vel promiſit; Contra accipientem; Ad rem datam reſtituendam.*

§. 3. Eaque *Generalis* eſt, vel *Specialis.*

§. 4. *Generalis* eſt, *quæ cum aliis Condictionibus concurrit*, veluti cum *Con-*

Digitized by Google

dictione indebiti; *l. 1. pr. l. 3. pr.* D. *h. t.* *Condictione ob cauſam datorum*; *l. 1. §. 1.* D. *h. t. l. 6. C. de cond. ob cauſ. dat.* aliiſque.

§. 5. Quæ ex iisdem cauſis, ex quibus *Condictiones principales*, oritur.

§. 6. *Specialis* vero, *quæ tum competit, cum alia locum non habet*: veluti, ſi fullo amiſſis veſtimentis Domino pretium ſolverit, & dominus veſtimentis receptis ad pretium reſtituendum a fullone conveniatur; ſi dos repetatur, ob id, quod matrimonium nullum eſt; *l. ſ. D. h. t.* ſi chirographum poſt factam ſolutionem condicatur; *l. 2. C. h. t.* vel intra biennium in caſu non numeratæ pecuniæ. *l. ſ. C. h. t.*

§. 7. Quæ ex ſola æquitate naſcitur. v. Diſſert. N. VII. *de Cauſ. Obl. C. IV. §. 8. & ſeqq.*

§. 8. Eſt etiam *Condictio ſine cauſa* vel *Certi*, vel *Incerti*. *Certi, cum certa pecunia ſine cauſa data vel promiſſa eſt*; *l. 1. D. h. t. l. 6. D. de reb. cred.* *Incerti* vero, *cum incertum datum vel promiſſum eſt. l. 3. D. h. t.*

* *

LIBER XIII. TITULUS I.

DE CONDICTIONE FURTIVA. C. IV. 8.

§. 1.

Condictionem *Furtivam* Prætor Edicto hoc modo complexus videtur; *Si qua res furto ablata eſſe dicetur, ejus perſequendi cauſa, Domino, adverſus furem heredemve ejus, Condictionem Furtivam dabo.* arg. *l. 1. & 7. §. 2. l. 8. 9. 10. D. h. t.*

§. 2. Eſt itaque *Condictio furtiva*, (quæ & quandoque *Actio furti* dicitur. *l. 14. §. 16. l. 71. D. de furt.* junct. *l. 34. §. 1. D. de O. & A. l. 9. D. de in lit. jur. l. 3. §. ult. D. naut. caup. ſtab.*) *Actio perſonalis, rei perſecutoria; Competens domino ejusque heredi; Contra furem ejusque heredem; Ad rem furto ablatam cum omni cauſa reſtituendam.*

§. 3. Dicitur *Perſonalis*; quia ex delicto naſcitur: *l. 21. §. pen. & ult. D. rer. am. l. 10. §. 2. D. de compenſ. §. 14. I. de act. l. 36. D. de O. & A.* licet infamiam non irroget. *d. l. 36. D. de O. & A.*

§. 4. *Rei perſecutoria*; *l. 7. §. 2. D. h. t.*

§. 5. *Competens Domino*; *l. 1. D. h. t.* quod hic ſingulare eſt, & odio furum receptum. *§. 14. I. de act.* cum cæteroquin nemo rem ſuam condicere, vel alium *dare oportere* intendere poſſit. *l. ult. in ſ. D. uſufr. quemadm. cav. d. §. 14. I. de act.*

§. 6. Datur etiam b. f. poſſeſſori, qui pro domino habetur; *l. 136. D. de*

de R. J. Fructuario, ubi fructus percepit; *l. 12. §. 5. D. de uſufr.* nec non Tutori nomine pupilli, qui ſimiliter pro domino habetur. *l. 56. §. pen. D. de furt.*

§. 7. Non etiam Commodatariis & Depoſitariis. *l. 14. §. 16. D. de furt.*

§. 8. *Ejusque herodi; l. 11. D. h. t.*

§. 9. *Contra furem; l. 5. 10. pr. l. 16. D. h. t. §. ult. I. de obl. quæ ex del.* ſive poſſideat, ſive non poſſideat, neque dolo poſſidere deſierit. *l. 8. D. h. t. §. ult. I. de obl. quæ ex del.*

§. 10. Datur etiam contra prædonem & raptorem; *l. 10. §. 1. D. h. t.* &, ſi plures ſint, contra ſingulos in ſolidum. *l. 1. C. h. t.*

§. 11. Non etiam contra eum, cujus *ope conſilio* furtum factum eſt; qui *Condictione* non tenetur, etiamſi *furti* teneatur. *l. 5. 6. D. h. t.*

§. 12. *Ejusque heredem;* cæterosque ſucceſſores. *l. 2. 5. 7. §. 2. D. h. t. §. ult. I. de obl. quæ ex del. l. 1. D. de priv. del.*

§. 13. Et quidem in ſolidum, ſi ſolus heres ſit. In Condictione furtiva enim non pro parte, quæ pervenit, ſed in ſolidum tenemur, dum ſoli heredes ſumus. Pro parte autem heres, pro ea parte, pro qua heres eſt, tenetur. *l. 9. D. h. t.* add. *l. 3. C. rer. am.*

§. 14. Licet enim ex delicto ſit hæc Actio, rei tamen perſecutionem habet; *l. 7. §. 2. D. h. t.* quæ contra heredes etiam competit, *d. §. ult. I. de obl. quæ ex del. l. 7. §. 2. D. h. t. l. 1. D. de priv. del.*

§. 15. *Ad rem furto ablatam reſtituendam; l. 7. §. 1. D. h. t. d. §. ult. I. de obl. quæ ex del.* vel æſtimationem, quanti unquam res plurimi fuerit: *l. 8. §. 1. l. 13. D. h. t. l. 3. D. de cond. trit. l. pen D. rer. am.* quia fur ſemper moram facere videtur. *d. l. 8. §. 1. l. ult. D. h. t.*

§. 16. *Cum omni cauſa;* i. e. cum fructibus & acceſſionibus, omnique eo, quod intereſt. *l. 3. 8. §. 2. D. h. t. l. 2. C. de fruct. & lit. exp.*

§. 17. Eſt autem Condictio *Furtiva* vel *Certi*, vel *Incerti*.

§. 18. *Condictio furtiva Certi* eſt, *cum certum corpus petitur. l. 7. §. 1 l. 8. D. h. t.*

§. 19. *Incerti* vero, *cum petitur res incerta, veluti poſſeſſio, vel id, quod intereſt.* Quæ non tantum domino competit, ſed & aliud jus in re habentibus, veluti creditoribus, poſſeſſionem pignoris furto ablati condicentibus. *l. 12. §. ult. D. h. t. l. 25. §. 1. D. de furt. l. 22. D. de pign. act.*

§. 20. *Ceſſat* autem *Condictio Furtiva* I. Si dominus rem a fure ablatam ſine juſta cauſa accipere recuſat. *l. 8. D. l. 2. C. h. t.*

II. Si res furtiva ad dominum reverſa, aut litis æſtimatio domino ſoluta ſit. *l. 10. 14. §. 2. D. h. t.*

Digitized by Google

III. Si dominus rem alienaverit, vel alio modo facto ſuo dominium amiſerit. *l. 10. §. 2. ult. l. 11. 12.* D. *h. t.*

IV. Si obligatio furti per novationem ſublata ſit. *l. 17. D. h. t.*

TITULUS II.

De Condictione Ex Lege.

C. IV. 9.

§. 1.

De *Condictione ex Lege* Prætor tale Edictum propoſuiſſe videtur: *Si Obligatio Lege nova introducta ſit, nec cautum eadem Lege, quo genere Actionis experiundum, ex Lege Condictionem dabo.* arg. *l. un.* D. *h. t.*

§. 2. Quæ eſt *Actio perſonalis, Competens ad id, quod debetur ex Obligatione, quam Lex nova introduxit, ſed de genere actionis, quo experiundum, nihil cavit. d. l. un.* D. *h. t.*

§. 3. Ut itaque *Condictio ex Lege* locum habeat, neceſſe eſt I. Ut *Obligatio introducta ſit. d. l. un.*

§. 4. II. Ut Obligatio introducta ſit *Lege; d. l. un.* i. e. jure Civili. *§. 4. I. de noxal. act.* v. *l. 7. pr. & §. 1. D. de J. & J.* Si enim jure Prætorio Obligatio introducta ſit, non *Condictio ex Lege*, ſed *Actio in factum* locum habet. *l. 11. D. de præſcr. verb.*

§. 5. III. Ut introducta ſit *Lege nova; d. l. un.* i. e. jure LL. XII. Tab. poſteriori. v. *l. 7.* D. *de cap. min. l. 1. 2. 3.* D. *de hered. pet.*

§. 6. IV. *Ut de genere Actionis, qua experiundum, nihil cautum ſit. d. l. un.*

§. 7. Quod tamen non tam de ipſo nomine actionis omiſſo, quam de non expreſſa natura & forma rei accipiendum eſt, v. Diſſert. N. IV. *de Cauſ. Obl. C. I. 6.*

§. 8. Tales ſunt *Condictiones*, quæ naſcuntur ex *Pactis legitimis;* v. *l. 30.* D. *de uſur. l. 5. §. 1. l. 7.* D. *de naut. fœn. l. 12. C. de uſur. l. 6 de dot. prom. l. 35. §. ult. C. de don.* junct. *N. 162. c. 1. §. 1. N. 136. c* 4. d. Diſſert. IV. *C. 2. Condictio*, quæ datur ad pretium repetendum, contra eum, qui rem aliquam bona fide poſſedit, eamque poſtea vendidit, eo quod ex re alterius locupletior factus eſt; *l. 23.* D. *de reb. cred. Condictio* ad repetendam pecuniam, quam quis noſtro nomine alteri erranti ſolvit; *l. 32.* D. *de reb. cred.* v. Diſſert. N. III. *de Cauſ. Obl. C. 2. 4. Condictio*, quæ competit donatori, ad revocandum id, quod ſupra modum legis donatum eſt; *l. 21. §. 1.* D. *de don. Condictio*, quæ competit impuberi emanciparo, ad conſequendam Quartam D. Pii, *l. 8. §. 15.* D. *de inoff. teſt. §. 3. I. de adopt.* junct. *l. un. D. h. t. Condictio*, competens liberis, parentibus & fratribus, ad petendam Portionem legitimam, ejusve ſupplementum: *l. 30.*

l. 30. 35. §. 2. C. de inoff. teſt. N. 115. c. 5. pr. ſimileſque. v. d. Differt, IV. *de Cauſ. Obl. C. V.*

§. 9. Quæ ex ſola æquitate deſcendunt. d. Differt. IV. *C. 4. 5. §. 17.*

TITULUS III.

De Condictione Triticaria.

§. 1.

Condictio Triticaria, v. *l. 1. pr.* D. *h. t.* eſt *Actio perſonalis; §. 15. I. de act. qua datur Ei, cui res quædam debetur: Contra debitorem; Ad rem qualemcunque debitam, præter pecuniam numeratam, ejuſve æſtimationem, pro ratione loci & temporis, præſtandam. l. 1. & ſeqq. D. h. t.*

§. 2. Dicta videtur hæc *Condictio Triticaria* a primis Edicti verbis, quod ita conceptum eſſe probabile eſt: *Triticum, vinum, oleum, frumentum, ſimilisque res, præter pecuniam numeratam, ſi petatur, nec ea extet, de æſtimatione judicium dabo.* arg. *l. 1. 3. 4. D. h. t.*

§. 3. Unde & Actio hæc *Prætoria*, non Civilis dicenda videtur. arg. *Inſcr. l. 1. 3. 4.* D. *h. t.*

§. 4. Eſt autem hæc Actio ſubſidiaria & generalis, utpote quæ de omnibus omnino rebus, fungibilibus & non fungibilibus, corporalibus & incorporalibus, mobilibus & immobilibus, ſola pecunia numerata excepta, competit. *l. 1. D. h. t.*

§. 5. *Pecuniam numeratam* natura hujus actionis excludit; quia rei æſtimandæ cauſa hæc Actio maxime introducta eſt, pecunia vero, cujus una & eadem poteſtas & valor eſt, *l. 3.* D. *de eo quod cert. loc. l. 1. D. de contr. emt.* nullam æſtimationem recipit, ſed ea omnes res aliæ æſtimantur.

§. 6. Oritur ex omnibus Obligationibus, ex quibus res aliqua præſtanda, cujus æſtimatio debetur. *d. l. 1. & ſeqq. D. h. t.*

§. 7. Minime tamen ſupervacua eſt, & in multis a *Certi Condictione* differt.

§. 8. *Condictione Certi* enim petuntur I. res omnes certæ, etiam pecunia numerata, non vero res incertæ; *l. 9. D. de reb. cred. Condictione* vero *Triticaria* peti poſſunt res omnes, certæ & incertæ, excepta tantum pecunia numerata. *l. 1. D. h. t.*

II. *Condictione Certi* petitur res corporalis, non noſtra; *Condictione Triticaria* etiam incerta, incorporalis, immobilis noſtra. *d. l. 1. pr. §. 1. l. 2. D. eod.*

III. *Condictio Certi* eſt Stricti juris; arg. *§. 28. 29. I. de act. Condictio Triticaria* vero Arbitraria *l. pen. & ult,* D. *de cond. Trit.* v. Diff. N. VII. *de Cauſ. Obl. C. V. §. 17. & ſeqq.*

TITU-

TITULUS IV.

DE EO, QUOD CERTO LOCO DARI OPORTET.
C. III. 18.

§. 1.

Cum autem ſolutio rerum creditarum non raro in certum locum conferatur, eaque ratione Actio competens fiat Arbitraria, *Actio de eo quod certo loco dari oportet*, ſubjicitur.

§. 2. De qua Prætor hiſce ſimilibusve verbis edixiſſe videtur: D*e eo, quod certo loco dari oportet, ſi alio loco petatur, facta commemoratione loci, quo promiſſum eſt, Actionem dabo, ut, quanti ea res eſt, tanti arbitrio judicis æſtimetur.* arg. *Inſcr. & l. 1. D. h. t. §. 33. I. de act.*

§. 3. Eſt itaque *Actio de eo, quod certo loco dari oportet* ſeu *promiſſum eſt*, v. *§. 31. I. de act. t. C. ubi conv. qui cert. loc. dar. promiſ. Prætoria, Perſonalis, Arbitraria; Competens ei, cui certo loco dari oportet; Contra debitorem; Ad ſolvendum id, quod debetur, nec non id, quod Actoris intereſt dicto loco ſolutum non eſſe; Quovis loco, facta commemoratione loci, quo dari oportet, inſtituenda.*

§. 4. Eſt hæc Actio *Prætoria;* Jure Prætorio enim introducta eſt. Nam alio loco, quam in quem ſibi dari quisque ſtipulatus eſſet, non videbatur petendi facultas competere. Sed quia iniquum erat, ſi promiſſor ad eum locum, in quem daturum ſe promiſiſſet, nunquam accederet, quod vel data opera faceret, vel quia aliis locis neceſſario diſtringeretur, non poſſe ſtipulatorem ad ſuum pervenire, ideo viſum eſt, *Utilem actionem* in eam rem comparare. *l. 1. D. h. t.*

§. 5. *Perſonalis*; naſcitur enim vel ex Stipulatione, qua certo loco aliquid promiſſum eſt: *l. 2. §. 1. l. 7. §. 1. D. h. t.* vel ex obligatione ex Teſtamento, quo heres a teſtatore certo loco aliquid dare juſſus eſt: *l. 5. D. h. t.* vel ex Mutuo: *l. 6.* D. *h. t.* vel etiam Conſtituto. *l. 16. §. 1. D. de pec. conſt.*

§. 6. *Arbitraria; l. 2. pr. l. 3. 8. D. h. t. §. 31. I. de act.*

§. 7. *Competens ei, cui certo loco dari oportet; l. 1. D. h. t. §. 31. 33. I. de act.* Si *factum* promiſſum eſt, neque præſtatur, non *hac Actione Arbitraria*, ſed *Actione ex ſtipulatu* agitur, ad id quod intereſt, *§. ult. I. de V. O. l. 13. D. de re jud.*

§. 8. *Contra debitorem;* modo moram commiſerit. *l. 2. §. 6. l. 8.* D. *h. t.*

§. 9. Datur etiam contra heredem; arg. *l. 49.* D. *de O. & A.* nec non Fidejuſſorem, ſi ſcil. & ipſe moram fecerit; *l. 8.* D. *h. t.* non etiam ob ſolam moram Rei principalis, *l. 173. §. 2.* D. *de R. J.* quæ fidejuſſori quidem nocet, *l. 88.*

D. de

D. de V. O. ſed ad hoc tantum, ut perpetuetur obligatio, *l. 58. §. 1.* D. *de fidej.* non etiam ut augeatur. *d. l. 8.* D. *h. t.*

§. 10. *Ad Solvendum id, quod debetur. l. 1. 8. D. h. t. §. 33. I. de act.*

§. 11. *Nec non id, quod Actoris intereſt, dicto loco ſolutum non eſſe;* Prætor enim arbitratur, quantum interſit Petitoris, dicto loco ſolutum non eſſe. *l. 2. pr. §. 1.* D. *l. un. C. h. t.*

§. 12. Ideo autem in arbitrium Judicis refertur hæc Actio, quia ſcimus, quam varia ſint pretia rerum per ſingulas civitates regionesque, maxime vini, olei, frumenti: Pecuniarum quoque licet videatur una & eadem poteſtas ubique eſſe, tamen aliis locis facilius & levibus uſuris inveniuntur, aliis difficilius & gravibus uſuris. *l. 3. D. h. t. §. 33. I. de act.*

§. 13. Non tantum autem hæc actio utilitatem continet Actoris, ſed & Rei, ut ſcil. minoris pecuniæ fiat comdemnatio, ſi Rei interſit. *l. 2. pr. D. l. un. C. h. t.*

§. 14. Quin & interdum Judex abſolvere Reum debet, cautione ab eo exacta, de pecunia ibi ſolvenda, ubi promiſſa eſt; ſi ſcil. ibi vel oblata Actori dicatur, vel depoſita, vel ex facili ſolvenda. *l. 4. §. 1. D. h. t.*

§. 15. Quod ſi *certo tempore* aliquid promiſſum ſit, Utilitas quidem temporis etiam peti poteſt: *l. 4. pr.* D. *h. t.* non tamen *hac Actione Arbitraria*, ſed directa ex ipſa ſtipulatione competente. v. *l. 114. D. de V. O. l. 11. D. de re jud.*

§. 16. *Facta commemoratione loci, quo dari oportet.* Ne ſcil. loco plus petatur. *§. 33. I. de act.*

§. 17. Si plura loca adjecta ſint, Actoris ubi petat, Rei ubi ſolvat, ante judicium acceptum, electio eſt. v. *l. 2. §. 3. 4. D. h. t.*

§. 18. *Quovis loco inſtituenda. l. un. C. h. t. l. 16.* §. *1.* D. *de pecun. conſt.* ubi ſcil. debitor forum ſortitur. *l. 19. §. 1.* D. *de jud.*

TITULUS V.

De Pecunia Constituta. C. IV. 18.

§. 1.

Sæpe etiam, quod certo die vel loco promiſſum eſt, alio die vel loco conſtituitur. Unde de *Pecunia conſtituta* hoc loco ſimul agitur. v. *l. 3. §. f. l. 4. & 5. D. h. t.*

§. 2. De qua Prætor ita edixit: „*Qui pecuniam debitam conſtituit, adveniente die ſolvere debet; ſi appareat eum, qui conſtituit; neque ſolvere, neque* „*feciſſe, neque per Actorem* ſtetiſſe, (ſic leg. v. *l. 18. pr.* D. *h. t.*) *quo minus fie-* „*ret, quod conſtitutum eſt; eamque pecuniam, cum conſtituebatur; debitam fuiſſe;*„

Digitized by Google

Adverſus eum de Pecunia Conſtituta Actionem dabo. v. *l. 1. §. 1. l. 16. §. 2. l. 18. §. 1. l. 26. D. h. t. §. 8. 9. I. de act.*

§. 3. Quo Edicto Prætor favet naturali æquitati, dum conſtituta ex conſenſu facta cuſtodit, quoniam grave eſt fidem fallere. *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 4. Ait autem Prætor, QUI; *Qui* ſic accipiendum *Quæve*. Nam & Mulieres de conſtituto tenentur, ſi non intercesſerint. *d. l. 1. §. 1. l. 1. & 195. pr. D. de V. S.*

§. 5. PECUNIAM; *Pecuniæ* vocabulum πολύσημον eſt: vel enim pro pecunia numerata accipitur; *l. 7. §. 7. D. ad SC. Maced.* vel pro aliis rebus fungibilibus; *l. 30. D. de leg. 1. l. 2. §. 3. D. de reb. cred.* vel latiſſime, ut res & mobiles, & immobiles, & quantitates, & univerſitates, & omnes alias, quæ in patrimonio ſunt, quæve in ſtipulatum deduci poſſunt, comprehendat. *l. 2. C. h. t.* v. *l. 5. 23. 178. & 222. D. de V. S.*

§. 6. Et olim quidem ſecundum hoc Edictum, *Actio de Pecunia Conſtituta* dabatur tantum de eo, quod pondere, numero, & menſura conſtabat, *l. 2. pr. §. 1. C. h. t. Receptitia* vero de omni debito. *d. l. 2. pr.* Sed Imp. *Actionem Receptitiam*, quæ contra ſolos Argentarios locum habebat, ſuſtulit, & ſi quid plenius in ea eſſet, in Actionem *de Pecunia Conſtituta* tranſtulit. *d. l. 2. pr. §. 1.*

§. 7. DEBITAM; oportet enim quod conſtituitur eſſe debitum ex priore aliqua obligatione, ad quam conſtitutum referatur: unde, quod ſupra aut extra debitum conſtituitur, exigi hac Actione non poteſt. *l. 11. & ſeqq. D. l. 2. pr. C. h. t.*

§. 8. An poſſit aliud conſtitui, quam quod debetur? quæſitum eſt; ſed cum jam placeat, rem pro re volenti creditori ſolvi poſſe, nihil prohibet & aliud pro debito volenti creditori conſtitui. *l. 1. §. 5.* D. *h. t.*

§. 9. Debitum autem ex quacunque cauſa poteſt conſtitui, i. e. ex quocunque contractu, ſive certi, ſive incerti. *l. 1. §. 6.* D. *h. t.*

§. 10. Sive debitum ſit Civile mixtum, ſive Naturale tantum, ſive Civile ſive Honorarium, nihil intereſt. *l. 1. §. 7. 8. D. h. t.*

§. 11. Si quis autem conſtituerit, quod jure Civili debebat, jure Prætorio non debebat, i. e. per exceptionem; non tenetur, quia debita juribus (Naturali ſcil. & Civili) non eſt pecunia, quæ conſtituta eſt. *l. 3. §. 1. C. h. t.*

§. 12. Non etiam intereſt, an debitum purum ſit, in diem conceptum, an conditionale; nam propter has potiſſimum pecunias, quæ nondum peti poſſunt, *Conſtituta* inducta ſunt. *l. 3. §. 2. l. 4. 5. pr. §. 1. D. h. t.*

§. 13. Quod tamen ſub conditione debetur, ſive pure, ſive certo die conſtituatur, eandem conditionem nihilominus habet, quia cæteroquin indebitum conſtitutum videretur. *l. 19. pr. D. h. t.*

§. 14. Quod autem exigimus, ut ſit *debitum* quod conſtituitur, in rem exactum eſt, non utique ut is, cui conſtituitur, creditor ſit; nam & quod ego debeo,

beo, tu conſtituendo teneberis, & quod tibi debetur, ſi (te volente) mihi conſtituatur, debetur. *l. 5. §. 2. D. h. t.*

§. 15. Constituerit; *Conſtituere* hic eſt, id, quod ipſe vel alius debet, nudo pacto iterum promittere, nulla ſcil. ſtipulatione interpoſita: nam alioquin, ſi ſtipulanti promiſerint, Jure Civili tenentur. *§. 9. I. de act.*

§. 16. Quibus itaque verbis fiat, dummodo promittens non imperſonaliter loquatur, *Auth. Si quando. C. h. t.* ſive inter præſentes, ſive inter abſentes, per nuncium, vel per epiſtolam, nihil intereſt. *l. 5. §. 3. l. 14. §. f. D. h. t.* v. Ep. ad Phil. V, 18. 19. Diſſ. N. *de Jurisp. Paul. Ap. p. 70. & ſeqq.*

§. 17. Non etiam intereſt, an certo loco & tempore conſtituatur, uti fere fieri ſolet, *l. 16. §. 1.* D. *h. t.* an pure. Quo caſu licet ſummo jure ſtatim agi poſſit, *§. 2. I. de V. O. l. 213. D. de V. S.* ex æquitate tamen modicum tempus, non minus decem dierum, conceditur, ut exactio celebretur. *l. 21. §. 1.* D. *h. t.*

§. 18. *Conſtituere* autem *poſſunt*, quicunque paciſci & ex pacto obligari poſſunt: *l. 1. §. 2. 3. l. 14. in f. l. 15. D. h. t.* etiam mulieres, dummodo pro aliis intercedant, *l. 1. §. 1. l. 1. pr. D. ad SC. Vellej.* nec non filiifam. *l. 1. §. 3. D. h. t.*

§. 19. Non etiam pupillus ſine tutoris auctoritate; *l. 1. §. 2. D. h. t.* neque alius alium ſoluturum conſtituere poteſt. *l. 5. §. 4.* D. *h. t. §. 3. I. de inut. ſtip.*

§. 20. *Conſtituitur Creditoribus*, quibus aliquid debetur; *l. 25. §. 1. l. 26. 27. D. h. t.* Tutori, Curatori, ipſique adeo ſervo, per quem obligatio Domino acquiritur. *l. 5. §. 5. & ſeqq. D. h. t.*

§. 21. Non etiam mihi conſtituere potes *Sempronio te ſoluturum: l. 5. §. 5. D. h. t. §. 4. & 18. I. de inut. ſtip.* neque, *ſi mihi aut Titio ſtipuler*, Titio conſtitui ſuo nomine poteſt, quia non habet petitionem, tametſi ei ſolvi poſſit. *l. 7. §. 1. D. h. t.*

§. 22. *Si* vero *mihi aut Titio conſtitueris te ſoluturum*, valet *Conſtitutum*, & mihi actio acquiritur. v. *l. 8. 9. 10. D. h. t.*

§. 23. „*Adveniente die ſolvere debet.*„ *l. 3. §. 2. l. 4. 14. pr. l. 16. §. 1. D. h. t. §. 9. I. de act.*

§. 24. „*Si appareat eum, qui conſtituit, neque ſolvere, neque feciſſe;*„ i. e. neque in diem, quem conſtituit, neque poſtea. *l. 16. §. 3. 4. l. 17. D. h. t.*

§. 25. „*Neque per Actorem ſtetiſſe, quo minus fieret, quod conſtitutum eſt;*„ ergo ſi non ſtetit per Actorem tenet actio, niſi tamen per rerum naturam ſteterit, quo caſu reo ſubveniendum eſt. v. *l. 16. §. 3. D. h. t. l. 18. pr. D. h. t.*

§. 26. „*Eamque pecuniam, cum conſtituebatur, debitam fuiſſe;*„ oportet enim deberi quod conſtituitur, uti dictum eſt: ſufficit autem tempore conſtituti debitum fuiſſe, quamvis poſtea deſierit deberi. *l. 18. §. 1. D. h. t.*

§. 27. *Adverſus eum de Pecunia Conſtituta Actionem dabo.* Quæ eſt *Actio Prætoria, perſonalis, rei perſecutoria; Competens creditori; Contra eum, qui* nudo

nudo pacto conſtituit ſe ſoluturum, quod ipſe vel alius debet; Ad ſolvendum id, quod conſtitutum eſt.

§. 28. Vocatur hæc Actio *de Pecunia Conſtituta, §. 8. 9. I. de act. Pecuniæ Conſtitutæ, d. §. 8. l. 22. D. l. 1. 2. C. h. t. l. 33. D. de don.* nec non *Conſtitutoria l. 20. D. h. t.*

§. 29. Eſt autem illa *Prætoria*; a Prætore enim introducta eſt: *l. 1. pr. §. 1. D. h. t. §. 8. 9. I. de act.* licet ab Imp. aucta ſit & confirmata. *l. 2. C. h. t.*

§. 30. *Perſonalis*; naſcitur enim ex nudo pacto, a Prætore, ob æquitatem naturalem, confirmato. *l. 1. pr. D. h. t.* §. *9. I. de act.* v. Diſſert. N. VII. *de Cauſ. Obl. C. VI. §. 4. & ſeqq.*

§. 31. *Rei perſecutoria*; non enim pœnam, ſed rei perſecutionem hæc Actio continet, *l. 18. §. 2. D. h. t.*

§. 32. *Competens Creditori; §. 9. I. de act. l. 5. §. 5. & ſeqq. l. 25. §. 1. l. 26. 27. D. h. t.*

§. 33. *Contra eum, qui nudo pacto conſtituit ſe ſoluturum; d. §. 9. I. de act.* ejusque heredem. *l. 1. 2. C. h. t.*

§. 34. *Quod ipſe vel alius debet; d. §. 9. I. de act. l. 5. §. 2. D. h. t.*

§. 35. *Ad ſolvendum id, quod conſtitutum eſt; d. §. 9. I. de act. l. 3. §. 2. l. 14. pr. l. 16. §. 1. l. 21. §. 2. D. l. 2. C. h. t.* vel id quod intereſt. *d. l. 14. §. 2. D. h. t.*

§. 36. Ita tamen ut ei, qui conſtituit id, quod alius debet, eadem beneficia competant, quæ fidejuſſoribus conceſſa ſunt. *l. ult. C. h. t. Nov. 4. c. 1.*

§. 37. Hoc Judicium autem non conſumit civilem actionem, ſi qua ex priori obligatione, cui ſubjectum eſt conſtitutum, competebat. *l. 18. §. ult. D. h. t.*

TITULUS VI.

COMMODATI VEL CONTRA. C. IV. 23.

§. 1.

Poſt *Mutuum* & *Condictiones*, quæ ea occaſione ſimul expoſitæ ſunt, ſequuntur reliqui *Contractus, qui re perficiuntur, Commodatum* ſcil. *Pignus*, & *Depoſitum.*

§. 2. De *Commodato* Prætor ita edixit: „*Quod quis commodaſſe dicetur, de* „*eo judicium dabo.*„ *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 3. Ait Prætor, „*Quod quis Commodaſſe dicetur*;„ *Commodatum* eſt *Contractus realis, quo res, ſive mobilis, ſive immobilis, alicui certo modo gratis utenda datur, ea lege, ut finito uſu eadem in ſpecie reddatur.*

§. 4. Dicitur *Commodatum Contractus realis*; v. *§. 2. I. quib. mod. re cont. obl. l. 1. §. 3. D. de O. & A.*

§. 5. *Quo res, ſive mobilis, ſive immobilis; l. 1. §. 1. D. h. t.* ſive corporalis, ſive

ſive incorporalis; *l. 1.* §. *1. D. h. t.* §. *1. I. de uſu & hab. l. 12.* §. *2. de uſufr. l. 17. D. de præſcr. verb.* ſive commodantis propria, ſive aliena. *l. 15. 16. D. h. t.*

§. 6. *Alicui, certo modo;* i. e. ad certum modum, quem præſcribere ejus eſt, qui beneficium tribuit. Ante quem impletum, uſum rei commodatæ auferre non licet. *l. 17.* §. *3. D. l. 3. C. h. t.* In quo differt a *Precario*, quod omni momento revocari poteſt. *l. 1. pr. l. 2. pr. D. de precar.*

§. 7. *Gratis; Commodata* enim res tunc proprie intelligitur, ſi nulla mercede accepta, vel conſtituta, res tibi utenda data eſt: alioqui mercede interveniente locatus tibi uſus rei videtur. §. *2. I. quib. m. re cont. obl.*

§. 8. *Utenda datur;* inter *Commodatum & Utendum datum* Labeo quidem intereſſe cenſuit, quantum inter genus & ſpeciem: *Commodari* ſcil. rem mobilem, non etiam ſoli, *Utendam dari* etiam rem ſoli. Sed receptum, res ſoli etiam commodari poſſe; ut adeo recte *Commodatum* dicatur, quod utendum datum eſt. *l. 1.* §. *1. D. h. t.*

§. 9. Unde commodari non poteſt id, quod uſu conſumitur; niſi forte ad pompam, vel oſtentationem quis accipiat. *l. 3.* §. *ult. l. 4. D. h. t.*

§. 10. *Ea lege, ut eadem in ſpecie reddatur;* §. *2. I. quib. m. re contr. obl.* qui enim alicui commodat, proprietatem retinet. *l. 8. 9. h. t.* Secus ac in *Mutuo*, in quo res fit accipientis, & tantundem reſtituitur in genere §. *2. I. quib. m. re cont. obl. l. 2.* §. *3.* D. *de reb. cred.*

§. 11 *Commodatum* contrahere poſſunt, quicunque alios contractus celebrare. Non etiam pupilli ſine tutoris auctoritate, neque furioſi: qui tamen, in quantum locupletiores facti ſunt, *Utili* actione tenentur. *l. 1.* §. *ult. l. 2. 3. pr. D. h. t.*

§. 12. „ De *eo Judicium dabo;* „ concedendo ſcil. *Actionem Commodati, Directam & Contrariam.* §. *2. I. quib. m. re cont. obl.*

§. 13. *Actio Commodati Directa* eſt *Actio perſonalis, Civilis, bonæ fidei; quæ datur Commodanti, ejusque heredi; Contra Commodatarium, ejusque heredem; Ad rem Commodatam, finito Uſu, cum omni cauſa reſtituendam, præſtandumque dolum, omnemque culpam, etiam leviſſimam.*

§. 14. Eſt hæc Actio *Perſonalis;* naſcitur enim ex Contractu *Commodati.* §. *2. I. quib. m. re contr. obl.*

§. 15. *Civilis;* quia Contractus, ex quo oritur Civilis eſt. Licet Prætor quoque de eo Edictum propoſuerit monitorium. *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 16. *Bonæ fidei; l. 3.* §. *2. D. h. t.* §. *28. I. de act.*

§. 17. *Quæ datur Commodanti; l. 17.* §. *3. l. 21. pr.* D. *h. t.*

§. 18. *Ejusque heredi; l. 49. D. de O. & A.* §. *1. I. de perp. & temp. act.*

§. 19. *Contra Commodatarium; d. l. 17.* §. *3. D. h. t.* §. *2. I. quib. mod. re contr. obl.* & ſi plures ſunt, contra ſingulos in ſolidum, dummodo ſingulorum

 ſidem

Digitized by Google

ſidem in ſolidum ſecutus ſit: *l. 5. §. f. D. h. t.* ſi vero pluribus *communi periculo* commodavit, contra ſingulos pro rata. *l. 21. §. f. D. h. t*

§. 20. *Ejusdem heredem; d. l. 49. D. de O. & A. d. §. 1. l. de perp. & temp. act.* ſi vero plures ſint heredes, contra ſingulos pro portione hereditaria: *l. 3. §. 3. D. h. t.* niſi unus facultatem totius rei reſtituendæ habeat. *d. l. 3. §. 3.* vel ex ſuo facto conveniatur. *l. 17. §. 2. D. h. t.*

§. 21. *Ad rem commodatam finito uſu reſtituendam; §. 2. I. quib. m. re contr. obl.* & quidem integram, non deteriorem. Si enim reddita quidem ſit res commodata, ſed deterior, non videbitur reddita, quæ deterior redditur: *l. 3. §. 1. D. h. t. l. 1. §. 16. D. depoſ.* quo caſu, ut in cæteris b. f. judiciis, in litem jurabitur. *d. l. 3. §. 2. D. h. t.*

§. 22. *Cum omni cauſa;* i. e. cum acceſſionibus & fructibus. *l. 5. §. 9. l. 13. §. 1. D. h. t. l. 38. §. 10.* D. *de uſur.*

§. 23. *Præſtandumque dolum, omnemque culpam etiam leviſſimam. l. 5. §. 2. l. 18. pr. D. h. t. §. 2. I. quib. m. re contr. obl. l. 23. D. de R. J.* quia hic Contractus eſt, in quo utilitas ordinario ſolius eſt *Commodatarii. d. l. 5. §. 2.* D. *h. t.*

§. 24. Quod ſi utilitas ſolius ſit *Commodantis*, Commodatarius de dolo & lata culpa; ſi vero *utriusque*, de levi tantum tenetur. *l. 5. §. 2. 10. l. 10. §. 1. l. 11. 18. D. h. t.*

§. 25. De caſu fortuito autem, ſi quidem res aliter cuſtodiri non potuit, v. *l. 41. D. locat.* ordinario non tenetur. *l. 18. 19 20. D. l. 1. C. h. t. §. 2. I. quib. m. re contr. obl.*

§. 26. *Actio Commodati contraria eſt, quæ datur Commodatario; Contra Commodantem; Ad hoc, ut indemnis ſervetur.*

§. 27. *Datur Commodatario; l. 17. §. 3. D. h. t.*

§ 28. *Contra Commodantem; d. l. 17. §. 3.*

§. 29. *Ad hoc, ut indemnis ſervetur.* Veluti, ſi res ante impletum uſum auferatur; *l. 17. §. 3. D. h. t.* aut Commodatarius vitio rei, quod Commodator ſciens celavit, damnum ſenſerit; *l. 18. §. 3. l. pen.* D. *h. t.* vel neceſſarios ſumtus, (extra cibaria & modica impendia, quæ ad Commodatarium pertinent) fecerit. *l. 18. §. 2.* D. *h. t.*

§. 30. Quod autem Contrario judicio conſequi quisque poteſt, id etiam, ſi Directa actione conveniatur, ſalvum habere poteſt: *l. 18. §. f.* D. *h. t.* vel jure *Compenſationis*, ſi ſcil. res perierit, & æſtimatio veniat præſtanda; *d. l. 18.* §. *f. l. f. pr. §. 1. C. de compenſ. §. 30. I. de act.* vel jure *Retentionis*, ſi ſcil. ipſa ſpecies ſuperſit & reſtitui poſſit. arg. *l. 18. D. de pign. act. l. fin. C. h. t.* Nam cui damus actionem, ei multo magis exceptionem competere dicendum eſt. *l. 1. §. 4.* D. *de ſuperſ. l. 156. D. de R. J.*

De Præstatione Doli, Casus, Et Culpæ.

§. 31. Cum autem *Præſtationis Doli*, *Caſus*, & *Culpæ*, hic mentio fiat, de eoque *l. 5. §. 2. D. h. t.* ex profeſſo agatur, non abs re erit, ſi de eo ſimul hoc loco ſubjiciatur.

§. 32. *Præſtare Dolum*, *Caſum*, *Culpam*, hic nihil aliud eſt, quam damnum *Dolo*, *Caſu*, *Culpa* datum reſarcire. *l. 5. §. 2.* D. *h. t. l. 11. D. de neg. geſt. l. 9. 18. §. 1. D. ſol. matr. l. 23. D. de R. J.*

§. 33. Dolus (malus ſc.) uſt *omnis calliditas, fallacia, machinatio, ad decipiendum, fallendum, circumveniendum alterum adhibita. l. 1. §. 2. D. de dol.* v. *ſupr. ad t. de dol. §. 8.*

§. 34. *Dolus* præſtatur in omni contractu. *l. 5. §. 2.* D. *h. t. l. 23.* D. *de R. J.*

§. 35. Adeo, ut ne quidem conveniri poſſit, *ne dolus præſtetur. l. 23. D. de R. J. l. 1. §. 7. D. depoſ. l. 27. §. 3. 4. D. de pact.* Eſt enim talis conventio bonis moribus contraria, invitatque contrahentes ad delinquendum. *d. l. 23. D. de R. J. l. 1.* §. 7. *D. depoſ. l. 27. §. 3.* 4. D. *de pact.*

§. 36. *Caſus fortuitus* (qui varie accipitur, v. *§. 39. I. de R. D. l. 9. 11. D. de incend. l. 1. § 3. D. ad L. Corn. de ſic.*) hic eſt *omne id, quod humano captu prævideri non poteſt, l. 6. C. de pign. act. l. 2. §. 7.* D. *de admin. rer. ad civ. pert. aut cui prævifo non poteſt reſiſti. l. 18. D. commod. l. 15. §. 2.* D. *locat. l. 1. §.* 4. D. *de O. & A.*

§. 37. Vocatur fere *Caſus, l. 18. D. h. t. Caſus fortuitus, d. l. 2. §. 7. l. 4. C. de inſt. & ſubſt. Caſus improviſus, l. 13. C. mand. l. 1. C. ad L. Corn. de ſic. Caſus major, l. 1. §. 4. D. de O. & A. Vis major, l. 3. §. 1.* D. *naut. caup. ſtab.* Θεῦ βία, i. e. *Vis divina, l. 25. §. 6. D. locat. l. 24. §. 4.* D. *de damn. inf. Fatalitas, l. 1. C. de jur. emph. Damnum fatale, d. l. 3. §. 1.* D. *naut. caup. ſtab. l. 5. §. 4.* D. *h. t. Detrimentum fatale, l. 3. pr.* D. *de inſtr. vel inſtrum. leg.* nec non *Periculum; l. 5. §. 2. 13. 14. l. 10. §. 1. D. h. t. l. 4. 9. §. f. D. de reb. cred. l. 9. §. 3. D. locat.* licet vocabulum *Periculi*, pro ratione ſubjectæ materiæ, non raro etiam pro *Culpa*, vel lata, vel levi, vel leviſſima, accipiatur. *t. D. de peric. & comm. rei vend. t. C. de peric. tut. l. 35. 39.* §. *12. l. 40. D. de adm. tut. l. 14. §. 16. & ult.* D. *de furt. l. 13. §. 1.* D. *de lib. cauſ. l. 5. §. 2. 3.* D. *h. t. l. 1. §. 35. D. depoſ. l. 40.* D. *loc. l. 25. D. pro ſoc.*

§. 38. *Caſus* autem *fortuitus* in nullo contractu præſtatur. *l. 23. D. de R. J. l. 6. C. de pign. act.*

§. 39. Niſi I. debitor rei periculum, ſeu caſum in ſe ſuſceperit; *d. l. 23.* D. *de R. J.* quo caſu debitor non tantum de ſolito, ſed & inſolito tenetur. *l. 78. in f.* D. *de cont. emt.*

Vel

Vel II. *Mora, l. 2. C. de peric. & comm. rei vend. l. 8. §. 1. 6.* D. *de prec.* vel *Culpa* caſum præceſſerit. *l. 5. §. 4. 7.* D. *h. t. §. 3. I. de emt. vend. l. 3. C. de peric. tut. l. 5. 9. C. de pign. act.*

§. 40. Eſt autem hic *Culpa, factum inconſultum, quo alteri nocetur injuria.* arg. *l. 31.* D. *ad L. Aquil. l. 91.* D. *de V. O.* add. *l. 1. §. 5.* D. *de O. & A. l. 72. pr.* D. *pro ſoc. l. 213. §. ult.* D. *de V. S.*

§. 41. Eaque Triplex eſt, *Lata*, v. *l. 213. §. 1.* D. *de V S. l. 22. §. 3.* D. *ad SC. Treb. l. 20. C. de neg. geſt. Levis*, *d. l. 22.* §. *3.* D. *ad SC. Treb. l. 20. C. de neg. geſt & Leviſſima.* v. *l. 44.* D. *ad L. Aquil.* Quemadmodum enim *Diligentiæ*, ita & *Negligentiæ* tres ſunt gradus, ut ſit magna, major, maxima.

§. 42. *Culpa Lata* eſt *omiſſio ejus diligentiæ, quam omnes homines rebus ſuis adhibere ſolent;* ſeu *Non facere id, quod negligentiſſimus faceret. l. 213. §. 2. l. 223.* D. *de V. S. l. 32.* D. *depoſ. l. pen. §. 2.* D. *de jur. & fact. ign*

§. 43. Quæ vocari ſolet *Lata, d. l. 213. §. 2.* D. *de V. S. Latior. l. 32.* D. *depoſ. Magna, l. 226.* D. *de V. S. Diſſoluta, l. 55.* D. *de Æd. Ed. Craſſa, Summa, Nimia, Remiſſior, & deperditi ac nimium ſecuri hominis negligentia, l. 6. 9. §. 2.* D. *de jur. & fact. ign. l. 213.* D. *de V. S. l. 5. C. de peric. tut. l. 3. §. 1.* D. *de jur. & fact. ign.* item *Nimia ſecuritas, & ignavia. d. l. 3. §. 1. l. 6.* D. *de jur. & fact. ign.*

§. 44. *Levis Culpa* eſt *omiſſio ejus diligentiæ, quam hominum natura deſiderat, & quam vulgo homines frugi ſuis rebus adhibere ſoliti ſunt.* arg. *l. 32.* D. *depoſ. l. 1. §. 4.* D. *de O. & A. l. 25. §. 16.* D. *fam. ercisc. l. 1.* D. *de tut. & rat. diſt.*

§. 45 Eaque venire ſolet voce *Negligentiæ, l. 4. D. de mag. conv. Deſidiæ, Segnitiei, §. 3. I. quib. mod. re cont. obl. §. ult. I. de ſoc. l. 72. D. eod. l. 8. C. de pign. act.* nec non voce *Culpæ* ſimpliciter poſitæ: *l. 5. §. 2.* D. *h. t. l. 23. D. de R. J. l. 1. §. 35.* D. *depoſ. l. 72.* D. *pro ſoc. l. 17. D. de jur. dot. l. 3. §. 1.* D. *naut. caup. ſtab. l. 18. §. 1. l. 25. §. 8.* D. *ſol. matr. l. 9. §. 5.* D. *de reb. auct. jud. poſſ. l. 5. §. 3. D. de in lit. jur. §. 6. I. de ſuſp. tut. l. 5. 8. C. de pign. act.* niſi ſubjectæ materiæ ratio aliud exigat. v. *l. 13.* D. *de lib. cauſ. §. 3. I.* junct. *l. 44. D. ad L. Aquil. l. 8. §. ult. D. l. 4.* junct. *l. 21. C. mand. l. 16.* D. *de cond. furt.* junct. *l. 5. §. 2. l. 18. pr. D. commod. l. 32. D. de neg. geſt.* junct. *§. 1. in f. de obl. quæ quaſ. ex contr.*

§. 46. *Culpa Leviſſima* eſt *omiſſio ejus diligentiæ, quam vigilantiſſimus quisque paterfam. ſuis rebus adhibet. l. 18.* D. *h. t. l. 1. §. 4.* D. *de O. & A. l. 3. D. de peric. & comm. rei vend. §. 1. I. de obl. quæ quaſ. ex contr.*

§. 47. Quæ ſæpe ſignificatur verbo *Cuſtodiæ, & Diligentiæ: l. 5. §. 2.* D. *h. t. l. 23.* D. *de R. J. l. 13. §. 1.* D. *de pign. act. l. 47. §. pen.* D. *de leg. 1.* niſi & hic

ſubjecta

Digitized by Google

ſubjecta materia aliud ſuadeat. v. *l. 28. C. locat. §. 3. I. de emt. vend. l. 14. pr.* D. *de furt. l. 6.* D. *de adm. rer. ad civ. pertin.*

§. 48. Lata Culpa æque ac *Dolus* præſtatur in omni contractu. *l. 5. §. 2. D. h. t. l. 23.* D. *de R. J. l. 59. §. 1.* D. *mand.*

§. 49. Licet enim *Dolus* proprie non ſit; *l. 22. §. 3. D. ad SC. Treb. l. 7. D. ad L. Corn. de fic. l. 20. C. de neg. geſt. l. 7. C. arb. tut. l. 1. C. depoſ.* prope fraudem tamen ac dolum accedit: *l. 29. D. mand. l. 7. §. 1. D. de ſuſp. tut.* & hinc in civilibus, v. *l. 32. D. depoſ. l. 226. D. de V. S. l. 5. §. 15. D. ut in poſſ. legat. l. 1. §. 5. D. de O. & A.* etiam famoſis, pro dolo habetur. v. *l. 111. §. ult. D. de his qui not inf. l. 7. §. 1. D. de ſuſp. tut. l. 1. §. 2.* D. *ſi is qui teſt. lib.* v. ſupr. *ad t. de his qui not. inf. §. 40.*

§. 50. Non vero in Criminalibus; *l. 7.* D. *ad L. Corn. de fic.* niſi forte res ſit mali exempli. *l. 3. §. 2.* D. *eod. l. 16. & 38. §. 5. D. de pœn. l. 2. in f.* D. *de term. mot. l. 3. §. 1.* D. *de off. Præf. vig. l. 15. D. ad L. Corn. de falſ.*

§. 51. In quibusdam autem Contractibus tantum *Dolus* & *Lata culpa*, in quibusdam etiam *Levis*, in quibusdam inſuper *Leviſſima* præſtatur. *l. 5. §. 2. D. h. t. l. 23.* D. *de R. J.*

§. 52. De quibus ſequentes tenendæ ſunt Regulæ.

I. *In quibus contractibus utilitas ſolius Dantis eſt*, nulla Accipientis, (ut in *Depoſito*) *præſtatur tantum Dolus & Lata culpa.*

II. *In quibus eſt utilitas utriusque*, (uti in *Emtione*, *Venditione*, *Locatione*, *Conductione* &c.) *præſtatur Dolus, Culpa Lata, & Levis.*

III. *In quibus* vero *verſatur utilitas ſolius Accipientis*, (uti plerumque in *Commodato*) *præſtatur culpa etiam Leviſſima. l. 5. §. 2. l. 10. §. 1. l. 18. D. h. t. l. 31. circ. fin. D. locat. l. 23.* D. *de R. J.*

§. 53. Niſi aliud convenerit, *d. l. 5. §. 2.* D. *h. t. d. l. 23.* D. *de R. J.* vel ſpeciali ratione cauſæ quædam exceptæ ſint.

§. 54. Sic enim qui Precario rogavit, & Agri menſor, dolum tantum & latam culpam præſtant: *l. 8. §. 3.* D. *de prec. l. 1. §. 1. D. ſi menſ. falſ. mod. dix.* Tutor & Curator etiam culpam levem; *l. 1.* D. *de tut. & rat. diſtr. l. 7. C. arb. tut.* Depoſitarius vero, qui depoſito ſe obtulit, Negotiorum geſtor, & Mandatarius, culpam etiam Leviſſimam. *l. 1. §. 35.* D. *depoſ. l. 11.* D. *de neg. geſt. §. 1. I. de obl. quæ quaſ. ex cont. l. 23. D. de R. J. l. 13. & 21. C. mand.*

TITULUS VII.

De Pignoratitia Actione, Vel Contra.

C. IV. 24.

§. 1.

De *Pignore* Prætor ita edixiſſe videtur: *Quod quis ob pecuniam creditam pignori*

dediſſe dicetur, ſi pecunia ſoluta, eove nomine ſatisfactum ſit, de eo judicium dabo. arg. *l. 9. pr. §. 1. 3. l. 42. D. h. t. l. 2. D. de pign. & hyp.*

§. 2. Eſt autem hic *Pignus*, *Contractus realis, quo res a debitore traditur creditori, in ſecuritatem crediti, ea lege, ut ſoluto debito res pignorata non deterior reſtituatur.*

§. 3. Dicitur *Contractus*, v. *l. 1. §. 4.* junct. *l. 7. §. 2. D. de pact. l. 5. §. 2 D. commod.*

§. 4. *Realis*; quia hic præter conſenſum rei traditio neceſſaria eſt. *§. ult. I. quib. mod. re cont. obl. l. 1. §. 6. D. de O. & A.* licet *Jus Hypothecæ* etiam nuda conventione conſtitui poſſit. *l. 1. pr. D. h. t. l. 4. 7. & 23. §. 1. D. de pign. & hyp. §. 7. in f. I. de act.*

§. 5. *Quo res*; qualiscunque, ſi modo ſit in commercio: *l. 9. §. 1. D. de pign. l. 1. §. 2. D. quæ res pign. obl.* non modo corporalis, ſed & incorporalis; *l. 11. §. 2. D. de pign. l. 4. C. quæ res pign. obl.* non modo mobilis, ſed & immobilis; neque tantum propria, ſed & aliena. *l. 9 §. 4. l. 22. D. h. t.*

§. 6. *Traditur a Debitore*; *§. ult. I. quib. m. re cont. obl.* vel alio, debitoris nomine. arg. *pr. I. quib. mod. toll. obl. pr. I. de fidej.*

§. 7. *Creditori*; *d. §. ult.* qui ſe contrahendo obligare poteſt. Unde pupillo capiente pignus, propter metum *Pignoratitiæ actionis*, tutoris auctoritas neceſſaria eſt. *l. 38. D. h. t.*

§. 8. *In Securitatem*; *§. ult. I. quib. mod. re cont. obl.* adeoque neque poſſeſſio, *l. 3. & 35. §. 1. D. h. t.* neque uſus, *§. 6. I. de obl. quæ ex del.* multoque minus dominium in creditorem tranſit. *d. l. 35. §. 1. D. h. t. l. ult. C. de pact. pign.*

§. 9. *Crediti*; *d. §. ult. I. quib. mod. re.* ſive obligatio civilis ſit, ſive naturalis: *l. 5. D. de pign. & hyp. l. 2. D. quæ res pign.* junct. *l. 6. 7. D. §. 1. I. de fidej.* dummodo non ſit mere civilis, *l. 13. D. quib. m. pign. vel hyp. ſolv.* vel naturalis inefficax.

§. 10. *Ea Lege, ut ſoluto debito res pignorata non deterior reſtituatur. §. ult. I. quib. mod. re cont. obl. l. 1. §. 6. D. de O. & A.*

§. 11. Ex quo Contractu *Actio* naſcitur *Pignoratitia*, eaque *Directa* & *Contraria*. *d. §. ult. I. quib. mod. re cont. obl. l. 9. §. 3. l. 3. 8. 9. D. h. t.*

§. 12. *Actio Pignoratitia Directa*, eſt *Actio perſonalis, b. f. quæ datur Debitori, qui debitum ſolvit, vel eo nomine ſatisfecit; Contra creditorem; Ad rem pignoratam cum omni cauſa reſtituendam, damnumque dolo, culpa lata ac levi datum reſarciendum.*

§. 13. Eſt hæc Actio *Perſonalis*; naſcitur enim ex contractu *Pignoris. §. ult. I. quib. mod. re cont. obl. l. 1. §. 6. D. de O. & A.*

§. 14. *Bonæ fidei*; *§. 28. I. de act.*

§. 15. *Quæ datur Debitori*; *§. ult. I. quib. mod. re cont. obl. l. 4. 10. 11. C. h. t.*

h. t. licet non ſit dominus pignoris, *l. 9. §. ult. D. h. t.* imo licet ſit Prædo. *l. 22. §. 1. D. h. t.*

§. 16. Datur etiam Tutori nec non Procuratori, ſi rem pupilli aut mandantis obligaverint. *l. 11. §. ult. l. 16. & 19. D. h. t.*

§. 17. *Ejusque heredi; l. 12. C. de pign. §. 1. I. de perp. & temp. act. l. 49. D. de O. & A.*

§. 18. *Si debitum ſolutum, vel eo nomine ſatisfactum ſit;* omnis enim pecunia ſoluta eſſe debet, aut eo nomine volenti creditori ſatisfactum, ut *cum effectu* naſcatur *Actio Pignoratitia. l. 9. §. 3.* junct. *l. 11. §. 5. l. 24. §. 1. l. 33. D. h. t.* Licet enim ſtatim quidem naſcatur, cum res traditur, *§. ult. I. quib. mod. re cont. obl. l. 1. §. 6. D. de O. & A.* prius tamen, quam pecunia ſoluta eſt, inſtitui non poteſt. *d. l. 9. §. 3. D. h. t.*

§. 19. Niſi forte per *Creditorem* ſteterit, quo minus ei ſolvatur; quo caſu & *Pignoratitiæ* locus eſt. *l. 20. §. 2. D. h. t.*

§. 20. Quod ſi quis ante ſolutionem egit *Pignoratitia*, licet non recte egit, tamen ſi offerat in judicio pecuniam, debet rem pignoratam & quod ſua intereſt conſequi. *l. 9. §. ult. D. h. t.*

§. 21. Sed & necdum ſoluta pecunia agi interdum poteſt, ſi forte re pignorata abutatur Creditor, & dolo debitorem impediat, quo minus jure ſuo uti queat: quo caſu ſimiliter in id quod intereſt agetur. *l. fin. pr.* D. *h. t.*

§. 22. *Contra creditorem; §. ult. I. quib. mod. re cont. obl. l. 32.* D. *h. t.* & ſi plures ſint, contra ſingulos in ſolidum. *l. 20. §. 1. D. h. t.* v. *l. 5. §. ult. D. commod.*

§. 23. Datur etiam contra Tutorem, Curatorem, Procuratorem; arg. *l. 11. in f. l. 16. pr. D. h. t.* nec non Dominum ſervi, qui pignus accepit. *l. 28.* §. *1. D. h. t.*

§. 24. *Ejusque heredem; l. 49. D. de O. & A. §. 1. I. de perp. & temp. act.* ut & hereditatis poſſeſſorem. *l. 12. §. 1. C. de pet. her.*

§. 25. Non etiam contra fidejuſſorem, qui creditori ſolvens pignora recepit; *l. 2. D. de pign.* arg. *l. 3. D. de obl. & act.* neque contra tertium rei poſſeſſorem. *l. 27. D. h. t. l. f. C. ſi vend. pign. ag.*

§. 26. *Ad rem pigneratam reſtituendam; §. ult. I. quib. mod. re cont. obl. l. 9. §. ult. l. 33. & 40. §. f. D. l. 10. 11. C. h. t.* vel ad id quod intereſt, ſi creditor poſſeſſionem pignoris dolo aut culpa amiſerit. *l. 5. C. h. t. l. 2. C. ſi vend. pign. ag.*

§. 27. Datur etiam ad *hypothecam* reſtituendam, ſi creditor hypothecæ poſſeſſionem conſecutus ſit; quo tamen caſu *Utilis pignoratitia* locum habet. *l. 24. D. de damn. inf. l. 11. §. 5. D. h. t. l. 7. de diſtr. pign.* junct. *l. 13. D. h. t.*

§. 28. *Cum omni cauſa;* i. e. cum fructibus & acceſſionibus: *l. 22. §. 2. D. h. t. l. 16. §. 4. D. de pign.* quos vel reſtituere, vel volente Debitore in ſortem

 impu-

imputare debet. *l. 22. §. 1. D. l. 1. 2. 3. C. h. t. l. 1. C. de diſtr. pign. l. 9. C. de pign.*

§. 29. *Damnumque dolo, culpa lata, & levi datum reſarciendum l. 9. §. ult. l. 14. & 22. §. ult. l. 25. D. l. 5. & 7. C. h. t. §. ult. I. quib. mod. re contr. obl. l. 9. §. 5. D. de reb. auct. jud. poſſ.* non etiam ad præſtandam culpam leviſſimam, neque caſum fortuitum. *d. l. 5. 6. C. h. t. d. §. ult. I. quib. mod. re contr. obl. Pignus* enim utriusque gratia datur, & *Debitoris*, quo magis ei pecunia credatur, & *Creditoris*, quo magis ei in tuto ſit creditum: quo caſu non niſi levis culpa præſtatur. *§. ult. I. quib. mod. re cont. obl. l. 5. §. 2. D. commod.* Non obſt. *l. 13. §. 1. D. h. t.* ubi pro *ut.* legendum *at.* uti ex *d. l. 5. §. 2. D. commod.* manifeſtum eſt.

§. 30. Niſi tamen aliud convenerit; *l. 6. C. h. t. l. 1. §. 6. D. depoſ.* vel culpa levis caſum præceſſerit. *l. 30. D. h. t.*

§. 31. Ex quibus differentiæ, inter Actionem hanc *Pignoratitiam* & *Hypothecariam*, non difficulter intelliguntur.

I. *Actio* enim *Pignoratitia* Civilis eſt; *§. ult. I. quib. mod. re cont. obl. Hypothecaria* vero Prætoria. *§. 7. I. de act.*

II. *Pignoratitia* eſt in perſonam; *d. §. ult. Hypothecaria* in rem. *d. §. 7.*

III. *Pignoratitia* datur Debitori contra Creditorem; *d. §. ult. Hypothecaria* Creditori contra omnem rei poſſeſſorem. *d. §. 7.*

IV. *Pignoratitia* datur debito ſoluto; *l. 9. §. 3.* D. *h. t. Hypothecaria* vero debito adhuc durante. *d. §. 7.*

§. 32. Licet nonnunquam hæc nomina confundantur, & Actio *Pignoratitia* etiam pro *Hypothecaria* ponatur. *l. 41.* D. *h. t. l. 3. §. 3. D. ad exhib. l. 13. D. de cond. indeb. l. 9. pr. in f. quib. mod. pign. l. 19. & pen. §. 1. D. de exc. rei jud.*

§. 33. *Actio Pignoratitia Contraria* eſt, *qua datur Creditori contra Debitorem, ut indemnis ſervetur. l. 16. §. 1. D. h. t.*

§. 34. Datur *Creditori, contra Debitorem, l. 1. §. 2. l. 16. §. 1.* D. *h. t.*

§. 35. *Ut indemnis ſervetur.* Veluti ſi æs pro auro; *l. 1. §. 2. l. 36.* D. *h. t.* ſi res aliena; *l. 9. pr. l. 32.* D. *h. t.* aut alio vitio laborans pignori data ſit, ut inutile Creditori pignus exiſtat; *l. 16. §. 1.* D. *h. t.* ſi falſa ſolutionis ſpe oſtenſa Debitor pignus recuperaverit; *l. 3.* D. *h. t.* ſi Debitor in pignore malitioſe verſatus ſit; *l. 9. pr.* D. *h. t.* vel Creditor in pignus neceſſarias impenſas fecerit: *l. 8. & 25.* D. *h. t.* quibus ſimilibusque caſibus Creditor ex æquitatis ratione indemnis ſervandus eſt. v. *l. 22. §. pen. & ll. ſeqq. l. 31.* D. *h. t.*

§. 36. Quibus Actionibus, (adeoque & Juri luendi pignoris) uti cæteris perſonalibus, XXX. annis præſcribitur. *l. 3. 4. 7. §. 3. C. de præſcr. XXX. vel XL. ann. l. 1. §. C. de annal. exc.*

LIBER

LIBER XIV. TITULUS I.

De Exercitoria Actione.

C. IV. 25.

§. 1.

Naſcuntur autem *Actiones de Rebus creditis* non tantum ex facto noſtro proprio, ſed & aliorum, eorum maxime, qui in noſtra ſunt poteſtate; Qualis eſt *Actio Exercitoria*, *Inſtitoria*, *Tributoria*, *De Peculio*, *De In rem Verſo*, & *Quod Juſſu*, de quibus hoc & ſequenti Libro interjiciendum viſum eſt.

§. 2. Et quidem quantum ad *Actionem Exercitoriam* attinet, Prætor tale Edictum propoſuiſſe videtur: *Quod cum Magiſtro navis geſtum eſſe dicetur, ejus rei cauſa, cujus ibi præpoſitus fuerit, adverſus eum, aut Exercitorem, Actionem dabo. Si is, qui navem exercuerit, in aliena poteſtate erit, ejusque voluntate navem exercuerit, quod cum magiſtro ejus geſtum erit, in eum, in cujus poteſtate erit, qui navem exercuerit, in ſolidum judicium dabo.* arg. *l. 1. pr.* §. *1. 5. 7. 8. 19.* D. *h. t.*

§. 3. Utilitatem hujus Edicti patere, nemo eſt qui ignoret: nam cum interdum ignari, cujus ſint conditionis, vel quales, cum Magiſtris propter navigandi neceſſitatem contrahamus, æquum fuit, eum, qui magiſtrum navi impoſuit, teneri. *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 4. Ait Prætor, *Quod cum Magiſtro navis; Magiſtrum* navis accipere debemus, cui totius navis cura mandata eſt; *l. 1. §. 1. 3.* D. *h. t.* add. *l. 2. §. 2. D. ad L. Rhod. de jact. l. 57. D. de V. S.* non ſolum quem *Exercitor* præpoſuit, ſed & eum, quem *Magiſter*, licet *Exercitor* id prohibuerit. Omnia enim facta *Magiſtri* debet præſtare, qui eum præpoſuit. *l. 1. §. 5. D. h. t.*

§. 5. Cujus conditionis ſit *Magiſter* nihil intereſt, utrum Liber, an Servus? & utrum *Exercitoris*, an alienus? Sed nec cujus ætatis ſit intererit; ſibi imputaturo, qui præpoſuit. *l. 1. §. 4. D. h. t. §. 2. I. quod cum eo qui in alien. pot.*

§. 6. Si plures ſint *Magiſtri*, non diviſis officiis, quodcunque cum uno geſtum erit, obligabit *Exercitorem:* ſi diviſis, pro cujusque officio obligabitur *Exercitor. l. 1. §. 13. 14. D. h. t.*

§. 7. Quod ſi cum nautis, non vero cum *Magiſtro* contractum ſit, hæc Actio non competit. *l. 1. §. 2. D. h. t.*

§. 8. *Navem* autem accipere debemus, ſive marinam, ſive fluviatilem, ſive in aliquo ſtagno naviget, ſive ſchedia ſit. *l. 1. §. 6. D. h. t.*

Digitized by Google

§. 9. *Geſtum eſſe dicetur;* i. e. contractum. Si enim deliquerit *Magiſter, Exercitor* hac Actione non tenetur. arg. *l. 1. §.* 7. D. *h. t.*

§. 10. *Ejus rei cauſa, cujus ibi præpoſitus fuerit;* non enim ex omni cauſa Prætor dat in *Exercitorem* actionem, ſed ejus rei nomine, in quam præpoſitus eſt: *l. 1. §.* 7. *8.* D. *h. t.* nam præpoſitio certam legem dat contrahentibus. *l. 1. §. 12. D. h. t.*

§. 11. Unde ſi *Magiſter* pecuniam mutuam ſumſit in alium uſum, quam ejus rei, cui præpoſitus eſt, Actio non dabitur. *d. l. 1. §. 8. 9. l. ult. pr. §. 1. D. h. t.*

§. 12. *Adverſus eum, aut Exercitorem;* eſt enim nobis electio, utrum *Exercitorem*, an *Magiſtrum* convenire velimus. *l. 1. §. 17. D. h. t.*

§. 13. *Exercitorem* autem eum dicimus, ad quem obventiones & reditus omnes perveniunt; ſive is dominus navis ſit, ſive a domino navem *per averſionem* (i. e. totam, non ad certum onerum numerum, *l. ult. §. ult. D. ad L. Rhod. de jact.)* conduxerit, vel ad tempus, vel in perpetuum. *l. 1. §. 15.* D. *h. t. §. 2. I. quod cum eo qui in alien. pot.*

§. 14. An maſculus ſit, qui exercet, an fœmina, paterfam. an filiusfam. nihil intereſt; dummodo, ſi pupillus ſit, tutoris intercedat auctoritas. *l. 1. §. 16. D. h. t.*

§. 15. *Actionem dabo;* ſcil. *Exercitoriam*, ſi quidem non contra *Magiſtrum*, ſed *Exercitorem* agatur. §. *2. I. quod cum eo qui in alien. pot.*

§. 16. Quæ eſt *Actio Prætoria, §. 2. I. quod cum eo qui in alien. pot. l. 1. §. 23.* D. *h. t. perſonalis, adjectitia; l. 5. §. 1. D. h. t.* *Quæ datur ex contractu cum Magiſtro navis inito; Contra Exercitorem; In ſolidum. d. §. 2. I. quod cum eo qui in alien. pot.*

§. 17. Si plures navem exerceant, cum quolibet eorum in ſolidum agi poteſt; ne in plures adverſarios diſtringatur, qui cum uno contraxit. *l. 1. §. ult. l. 2. 3.* D. *h. t.*

§. 18. Si tamen plures per ſe navem exerceant, pro portionibus exercitionis conveniuntur; neque enim invicem ſui Magiſtri videntur. *l. 4. pr.* D. *h. t.*

§. 19. *Si is, qui navem exercuerit, in aliena poteſtate erit, ejusque voluntate navem exercuerit, quod cum Magiſtro ejus geſtum erit, in eum, in cujus poteſtate erit, qui navem exercuerit, in ſolidum judicium dabo.* v. *l. 1. §. 19. & ſeqq.* D. *h. t.* Ad ſummam Remp. enim navium exercitio pertinet. *d. l. 1. §. 20.* D. *h. t.*

§. 20. Quæ Actiones perpetuo, & heredibus, & in heredes competunt. *l. 4. §. ult.* D. *h. t.*

§. 21. *Exercitori* autem contra contrahentem cum *Magiſtro*, quia eodem auxilio non indiget, Actio a Prætore non datur. A Præfectis tamen & Præſidibus fere

Digitized by Google

fere extra ordinem juvantur; ſi rem ſuam aliter ſervare nequeaut. *l. 1. §. 18. D. h. t. l. 1. in f. l. 2. D. de inſtitor. act.* junct. *l. 7. §. ult.* D. *h. t.*

TITULUS II.

De Lege Rhodia De Jactu.

§. 1.

Ad Negotiationes maritimas pertinet *Lex Rhodia de Jactu*, de qua proinde ſimul ſubjicitur.

§. 2. Dicitur *Lex Rhodia* ab Inſula & Civitate *Rhodo. c. Rhodiæ. 7. diſt. 2.* Cujus incolæ navigandi ſolertia & peritia celebres, uti multo tempore maris imperium tenuerunt, v. Cic. *Orat. pro L. Manil. c. 18.* Strab. *L. I. L. XIV.* Flor. *L. II. c. 7.* Gell. *L. VII. c. 3.* Euſeb. *Chron. pag. 10. ad Ann. M. C. 1100.* ita de rebus nauticis æquiſſimas Leges tulerunt, tum aliis, tum ipſis Romanis probatas. *l. 9. D. h. t.*

§. 3. Inter quas etiam *Lex* quædam ſeu caput fuit *de Jactu;* Qua cavetur, *Ut, ſi levandæ navis gratia jactus mercium factus eſt, omnium contributione ſarciatur, quod pro omnibus datum eſt. l. 1.* D. *h. t.* Quod & iisdem fere verbis a Prætore in Edicto propoſitum videtur. arg. *l. 2. D. h. t.*

§. 4. Æquiſſimum enim eſt, commune detrimentum fieri eorum, qui propter amiſſas res aliorum conſecuti ſunt, ut merces ſuas ſalvas haberent. *l. 2. pr. in f. D. h. t.*

§. 5. Ut autem hæc contributio locum habeat, requiritur I. Ut *jactus mercium factus ſit. l. 1. 2.* D. *h. t.*

§. 6. Si conſervatis mercibus deterior facta ſit navis, aut ſi quid exarmaverit, nulla facienda eſt collatio; niſi voluntate vectorum, vel ob aliquem metum, id detrimentum factum ſit. *l. 2. §. 1. l. 3.* D. *h. t.*

§. 7. II. *Ut jactus factus ſit ex neceſſitate*, ob præſens, & quod ob tempeſtatem imminet, naufragii periculum. *l. 2. pr. §. 2. D. h. t.*

§. 8. Si imperitia Magiſtri periculo occaſionem dederit, ex *Lege Aquilia* agendum eſt. arg. *l. 27. §. 23.* D. *ad L. Aquil. l. 30. §. 2. D. locat.*

§. 9. III. *Ut res levandæ navis cauſa ejectæ perierint l. 1. 2. pr. D. h. t.*

§. 10. Si res, quæ jactæ ſunt, apparuerint, exoneratur collatio; *l. 1. §. 7. l. 4. §. 1. D. h. t.* res jactæ enim dominorum manent, neque fiunt apprehendentis, quia pro derelicto non habentur: *l. 1. §. ult. l. 8. D. h. t. §. ult. I. de R.* D. adeoque neque fiſco cedunt, uti neque alia bona naufragorum. *l. ult. D. de incend. ruin. & naufr. l. 1. C. de naufr. Auth. Navigia. C. de furt.* v. *l. 9. D. h. t.*

§. 11. IV. *Ut per jactum rerum aliæ ſervatæ ſint. l. 1. 2. pr. §. 2. l. 4. §. 1. l. 5. D. h. t.*

§. 12.

Digitized by Google

§. 12. Si jactu mercium facto nihilominus navis ſubmerſa ſit, nulla debetur contributio, & quæ quisque ſervavit ſibi ſervat: *l. 4. pr. l. 5. pr. l. 7.* D. *h. t.* niſi navis poſtea alio loco perierit, & res per urinatores extractæ ſint. *l. 4. §. 1. D. h. t.*

§. 13. Conferre debent omnes, quorum jacturam fieri interfuit; quia id tributum ob ſervatas res debent: unde & dominus navis pro portione obligatus eſt. *l. 1. 2. §. 2.* D. *h. t.*

§. 14. Omnium rerum nomine, quæ per jactum conſervatæ ſunt; etiam earum, quibus navis non oneratur: veluti gemmarum, margaritarum, veſtimentorum; annulorum, ſimiliumque. *l. 2. §. 2. D. h. t.* Licet ex rebus ſervatis quædam aſpergine corruptæ ſint. *l. 4. §. 2. D. h. t.*

§. 15. Non etiam liberorum capitum, quia liberorum corporum nulla æſtimatio fieri poteſt: neque cibariorum, quia, ſi quando ea defecerint in navigatione, quod quisque habet in commune confert. *l. 2. §. 2. in f. D. h. t.*

§. 16. Præſtatur autem contributio, facta æſtimatione rerum, quæ ſalvæ ſunt, & earum, quæ amiſſæ ſunt: ita quidem, ut *Amiſſæ* æſtimentur, quanti emtæ ſunt, quoniam detrimenti non lucri fit præſtatio; *Servatæ* vero, quanti venire poſſunt. *l. 2. §. 2. 4.* D. *h. t.*

§. 17. Idem dicendum, I. Si res levandæ navis cauſa in ſcapham ſint repoſitæ, & ſcapha ſubmerſa ſit. *l. 4. pr. D. h. t.*

II. Si res aliorum, in nave, propter jactum, aſpergine deteriores factæ ſint. *d. l. 4. §. f. D. h. t.*

Nec non III. Si navis a prædone redemta ſint. *l. 2. §. 3. D. h. t.*

§. 18. Licet enim Lex Rhodia *de Jactu* proprie loquatur, *l. 1. D. h. t.* ad hos tamen, ſimilesque caſus, ex eadem æquitatis ratione, recte extenditur. arg. *l. 10. 12. D. de LL. l. 32. pr. D. ad L. Aquil.*

§. 19. Amiſſarum autem mercium domini, ſi merces vehendas locaverint, ex locato cum Magiſtro navis agere debent: is deinde cum reliquis, quorum merces ſalvæ ſunt, ex conducto, ut detrimentum pro portione communicetur, agere poteſt, eorumque merces retinere, donec portionem damni præſtent. *l. 2. pr. §. 2.* D. *h. t.*

§. 20. Qui tamen cedendo actionem ſuam, etiam invitis vectoribus, ſatisfacere poteſt. *l. 51. D. de pecul. l. 16. §. ult.* D. *de hered. pet.* v. *l. 2. §. 6.* D. *h. t.*

TITU-

Titulus III.

De Inſtitoria Actione.

C. IV. 25.

§. 1.

De *Inſtitoria Actione* Prætor ita edixiſſe videtur: *Quod cum Inſtitore geſtum eſſe dicetur, ejus rei cauſa, cui præpoſitus fuerit, adverſus eum, qui præpoſuit, Actionem dabo.* arg. *l. 1. 5. §. 11. D. h. t.*

§. 2. Æquum enim Prætori viſum eſt, ſicut commoda ſentimus ex actu *Inſtitorum*, ita etiam obligari nos ex contractibus ipſorum. *l. 1. pr. D. h. t. v. l. 11. §. 5. D. eod. l. ult. in f. D. pro ſoc. l. 29. D. ſi cert. pet.*

§. 3. Ait Prætor, *Quod cum Inſtitore geſtum eſſe dicetur; Inſtitor* eſt, qui negotio gerendo inſtat, *l. 3. 4. 5. pr. & §§. ſeqq. D. h. t. §. 2. I. quod cum eo qui in alien. poteſt. neg. geſt. eſſe dic.* vel tabernæ, locove, ad emendum vendendumve, præponitur. *l. 18. D. h. t.*

§. 4. An maſculus ſit an fœmina, liber an ſervus, pubes an impubes, parvi refert; quoniam ſibi imputare debet, qui eum præpoſuit. *l. 7. §. 1. 2. l. 8. D. h. t.*

§. 5. *Ejus rei cauſa, cui præpoſitus fuerit*; non enim omne, quod cum *Inſtitore* geritur, obligat eum, qui præpoſuit, ſed ita, ſi ejus rei gratia, cui præpoſitus fuerit, contractum eſt. *l. 5. §. 11. & ſeqq. D. l. 3. C. h. t. §. 2. I. quod cum eo qui in alien. pot.* Nam conditio præpoſitionis ſervanda eſt. *l. 11. §. 5. D. h. t.*

§. 6. *Adverſus eum, qui præpoſuit, Actionem dabo*; ſcil. *Inſtitoriam*, *§. 2. I. quod cum eo qui in alien. pot.*

§. 7. Quæ eſt *Actio Prætoria, perſonalis, adjectitia; Quæ datur ex contractu cum Inſtitore inito, ſi quid cum eo, ejus rei cauſa, cui præpoſitus erit, contractum eſt; Contra præponentem; In ſolidum. d. §. 2. I. quod cum eo qui in alien. pot. l. 1. & 5. §. 11. l. pen. §. ult. D. h. t.*

§. 8. Quod ſi plures ſint præponentes, contra ſingulos datur in ſolidum. *l. 13. §. ult. l. 14. D. h. t.*

§. 9. Eaque perpetua eſt, & heredibus, & in heredes competit. *l. 15. D. h. t.*

§. 10. *Ceſſat* tamen, I. Si pupillus vel minor ſine tutoris vel curatoris auctoritate aliquem præpoſuerit. *l. 9. 11. pr. D. h. t.*

§. 11. II. Si a Præponente palam proſcriptum, vel prohibitum, *ne cum Inſtitore contrahatur. l. 11. §. 2. 6. l. 17. §. 4. D. h. t.*

§. 12. *Proſcribere* autem *palam* ſic accipimus, claris literis, ante tabernam ſcil. vel ante eum locum, in quo negotiatio exercetur, non in loco remoto, ſed evidenti. *l. 11. §. 3. 4. D. h. t.*

§. 13. *Præponenti* vero, contra contrahentem cum *Inſtitore*, actio non competit, niſi rem ſuam aliter ſervare nequeat. *l. 1. 2. D. h. t.*

TITULUS IV.

DE TRIBUTORIA ACTIONE.

§. 1.

De Tributoria Actione Edictum Prætoris ita conceptum videtur: *Si in peculiari merce quis negotiatus fuerit, ſciente eo in cujus eſt poteſtate, pro ea merce, is, qui eum habet in poteſtate, cui aliquid debetur, cum aliis creditoribus in tributum vocabitur. Si cujus dolo malo factum ſit, quo minus ita tribueretur, quanto minus tributum erit, quam debuerit, eum præſtare cogam.* arg. *l. 1. pr. l. 5. §. 4. 6. l. 7. §. 2. D. h. t.*

§. 2. Hujus quoque Edicti non minima utilitas eſt, ut dominus, qui alioquin in ſervi contractibus (ratione peculii) privilegium habet, tamen ſi ſcierit ſervum peculiari merce negotiari, velut extraneus creditor, ex hoc Edicto in tributum vocetur. *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 3. Ait Prætor, *Si in peculiari merce quis negotiatus fuerit; Mercis* nomen merito adjicitur, ne omnis negotiatio cum eo facta *Tributoriam* inducat. *l. 5. §. 4. D. h. t.*

§. 4. Licet autem *Mercis* appellatio anguſtior ſit, ut neque ad ſervos fullones, vel ſarcinatores, vel textores, vel venaliciarios pertineat, Edictum tamen ad omnes negotiationes porrigendum eſt. *l. 1. §. 1. D. h. t.* v. *l. 66. & 207. D. de V. S.*

§. 5. Plane Merces dominicæ in tributum non veniunt, ſed tantum *Peculiares. l. 11. §. 7. D. de inſtit. act.*

§. 6. *Peculiarem* autem *mercem* non ſicut *peculium* accipimus. Quippe *Peculium*, deducto quod domino debetur, accipitur; *Merx peculiaris*, etiamſi nihil ſit in peculio, dominum *Tributoria* obligat. *l. 1. §. 2. D. h. t.* Neque totum peculium in tributum venit, ſed id duntaxat, quod ex ea merce eſt; ſive merces maneant, ſive pretium earum receptum ſit, ſive earum nomine adhuc aliquid debeatur. *l. 5. §. 11. & ſeqq. D. h. t.*

§. 7. *Sciente eo; Scientiam* hic accipimus non tantum eam, quæ habet & voluntatem, ſed & eam, quæ habet patientiam: non enim velle debet dominus, ſed non nolle. *l. 1. §. 3. D. h. t.*

§. 8. *In cujus eſt poteſtate; Poteſtatis* verbum ad omnem ſexum, item ad omnes, qui ſunt alieno juri ſubjecti, porrigendum eſt. *l. 1. §. 4. 5. D. h. t.*

§. 9. *Pro ea merce, is, qui eum habet in poteſtate, cui aliquid debetur, cum aliis creditoribus in tributum vocabitur;* v. *l. 1. pr. l. 5. §. 6. 7. 8. 9.* D. *h. t.* ita tamen, ut Domino diſtribuendi poteſtas concedatur. *d. l. 5. §. 7. l. ult. D. h. t.*

§. 10.

§. 10. Quæ tributio fit pro rata ejus, quod cuique debetur. *l. 5. §. ult. D. h. t.*

§. 11. Quod ſi tamen Dominus tribuere nolit, nec hanc moleſtiam ſuſcipere, ſed peculio, vel mercibus cedere paratus ſit, audiendus eſt. *l. 7. §. 1.* D. *h. t.*

§. 12. *Si cujus dolo malo factum ſit, quo minus ita tribueretur, quanto minus tributum erit, quam debuerit, eum præſtare cogam; l. 7. §. 2.* D. *h. t.* per *Actionem* ſcil. *Tributoriam. d. l. 7. §. 2. 3. I. quod cum eo qui in alien. pot.*

§. 13. Quæ eſt *Actio Prætoria, d. §. 2. l. 1. D. h. t. perſonalis, adjectitia; Quæ datur contrahenti cum filio vel ſervo, in mercibus peculiaribus, volente vel ſciente patre vel domino; Contra patrem vel dominum, qui dolo merces peculiares non æqualiter diſtribuit; Ut merces pro rata diſtribuantur. d. §. 2. I. quod cum eo qui in alien. pot.*

§. 14. Hæc enim Actio dolum malum coërcet domini vel patris, merces peculiares male diſtribuentis. *l. 7. §. 2.* D. *h. t.*

§. 15. Eſt tamen perpetua, & in heredem datur de eo, quod ad eum pervenit: quia non de dolo eſt, ſed rei perſecutionem continet, quamvis non aliter quam dolo interveniente competat. *l. 7. §. ult. l. 8. 9. D. h. t.*

TITULUS V.

Quod Cum Eo, Qui In Aliena Poteſtate Eſt, Negotium Geſtum Eſſe Dicetur.

C. IV. 26.

§. 1.

Quod ſi vero filiusfam. contraxerit, ex contractu ejus, dictis ſimilibusque caſibus, non tantum pater, ſed & ipſe conveniri poteſt; *l. 39. D. de O. & A. l. 44. D. de pecul.* v. *l. 5. pr.* D. *h. t.* etiam ſoluta poteſtate patria, ſed tantum in id, quod facere poteſt.

§. 2. Prætor ait: „*In eum, qui emancipatus aut exheredatus erit, quive „abſtinuit ſe hereditate ejus, cujus in poteſtate, cum moritur, fuerit; Ejus rei „nomine, quæ cum eo contracta erit, cum is in poteſtate eſſet; ſive ſua voluntate, „ſive juſſu ejus, in cujus poteſtate erit, contraxerit; ſive in peculium ipſius, ſive „in patrimonium ejus, cujus in poteſtate fuerit, ea res redacta fuerit; Actionem, „cauſa cognita, dabo* in id (ſic leg. v. *d. l. 2. §. 1.) quod facere poteſt.„ l. 2. pr. D. h. t.*

§ 3. Sed & ſi citra emancipationem ſui juris factus ſit, vel in adoptionem datus, deinde *pater naturalis* deceſſerit; item ſi quis ex *minima parte* ſit inſtitutus, æquiſſimum eſt, cauſa cognita, etiam in hunc dari actionem in id, *quod*

 facere

Digitized by Google

facere poteſt, *l. 2. §. 1.* D. *h. t.* i. e. quatenus facultates ejus patiuntur, ne egeat. *§. 37. I. de act. l. 173.* D. *de R. J.*

§. 4. Niſi I. Filiusfam. ſe patremfamilias eſſe mentitus ſit. *l. 4. §. 1. l. 6. D. h. t.*

II. Deliquerit. *l. 4. §. 2. D. h. t.*

III. Contra heredes ejus agatur. *l. 4. §. 3. D. h. t. l. 25. D. de re jud.*

IV. Cum Filio, qui ſui juris factus eſt, non ex continenti, ſed poſt multos annos agatur. *l. 4. §. 4. D. h. t.*

V. Hereditas patris ei ex SCto Trebelliano reſtituta ſit. *l. 5. §. 1. D. h. t.* Quibus caſibus Actio datur in ſolidum.

TITULUS VI.

De Senatusconsulto Macedoniano. C. IV. 28.

§. 1.

Plane neque filiusfam. neque pater, in cujus poteſtate eſt, conveniri poſſunt, ſi filiusfam. pecuniam mutuam acceperit; propter *SCtum Macedonianum,* quod iis, qui in poteſtate parentis ſunt, mutuas pecunias dari prohibuit. *§. 7. I. quod cum eo qui in alien. pot.*

§. 2. Cujus SCti verba hæc ſunt: „*Cum inter cæteras ſceleris cauſas, Macedo, quas illi natura adminiſtrabat, etiam æs alienum adhibuiſſet, & ſæpe materiam peccandi malis moribus præſtaret, qui pecuniam (ne quid amplius diceretur) incertis nominibus crederet; Placere, ne cui, qui filiofam. mutuam pecuniam dediſſet, etiam poſt mortem parentis ejus, cujus in poteſtate fuiſſet, Actio petitioque daretur: Ut ſcirent, qui peſſimo exemplo fœnerarent, nullius poſſe filiifam. bonum nomen expectata patris morte fieri.*„ *l. 1. pr. D. h. t.* Secundum quæ & Prætorem edixiſſe arguunt. *l. 1. 2. 3. 7. & ſeqq. D. h. t.*

§. 3. Latum videtur hoc SCtum temporibus Claudii; v. Tacit. *Ann. L. XI. c. 13.* ſed ſub Veſpaſiano Imp. repetitum. v. Suet. *in Veſpaſ. c. 11.*

§. 4. Ait autem Senatus, „*Cum inter cæteras ſceleris cauſas, Macedo, quas ipſi natura adminiſtrabat, etiam æs alienum adhibuiſſet;*„ ſcil. improbus hic fœnerator *Macedo* huic SCto occaſionem & nomen dedit, non vero filiusfam. hujus nominis, uti voluit Theoph. ad *§. 7. I. quod cum eo qui in alien. pot.*

§. 5. „*Et ſæpe materiam peccandi malis moribus præſtaret;*„ Filiifam. enim ſæpe onerati ære alieno creditarum pecuniarum, quas in luxuriam conſumebant, vitæ parentum inſidiabantur. *d. §. 7. I. quod cum eo qui in alien. pot.* add. *l. ult. §. 5. in f. C. de bon. quæ lib.* Cic. *pro Roſc. Am. c. 14.*

§. 6. „*Qui pecuniam (ne quid amplius diceretur) incertis nominibus crede-*

ret;

Digitized by Google

„*ret*;„ i. e. cautionibus, in quibus cauſa crediti non eſt expreſſa, v. Cic. *pro Quint. c. 11.* Horat. II. *Ep. I. verſ. 105.* ne ſcil. turpitudo detegeretur.

§. 7. „*Placere, ne cui*;„ ſive privatus crediderit, ſive civitas. *l. 15. D. h. t.*

§. 8 Qui „*Filiofam*;„ cujuscunque ſit dignitatis: *l. 1. §. ult.* D. *h. t.* vel filiæfam. *l. 9. §. 2.* D. *h. t.* vel etiam nepoti vel pronepoti, qui hic ſub *filio* continentur. *l. 14. D. l. pen. §. 1. C. h. t.* v. *l. 201. D. de V. S.*

§. 9. „*Mutuam pecuniam dediſſet*,„ is enim ſolus SCtum offendit, qui mutuam pecuniam filiofam. dedit: non qui alias contraxit, puta vendidit, locavit, vel alio modo contraxit. Nam pecuniæ datio pernicioſa parentibus eorum viſa eſt. *l. 3. § 3. D. h. t.*

§. 10. Quod tamen ita demum dicendum erit, niſi fraus SCto ſit cogitata, ut qui credere non potuit, magis ei venderet, ut ille rei pretium haberet in mutui vicem *d. l. 3. §. 3. l. 7. §. 3. D. h. t.* add. *d. l. 7. pr. & §. 1.*

§. 11. Sive autem ſub uſuris mutua data ſunt, ſive ſine uſuris, nihil intereſt. *l. 7. §. 9. D. h. t.*

§. 12. „*Etiam poſt mortem parentis ejus, cujus in poteſtate fuiſſet, Actio petitioque daretur*;„ v. *§. 7. I. quod cum eo, qui in al. pot.* i. e. ne improbus fœnerator pecuniam extantem vindicare, vel conſumtam cum effectu condicere poſſit. *l. pen. pr. C. h. t.* v. *l. 25.* D. *de O. & A. l. 178. §. 2.* D. *de V. S. §. 2. I. quib. mod. toll. obl.*

§. 13. Cum enim hic mutuum contrahatur, ſummo jure ex eo naſcitur Obligatio & Actio. *pr. I. quib. mod. re cont. obl.* Sed ea infirmatur & eliditur per *Exceptionem SCti Macedoniani. l. 7. pr. §. 4. 10. l. 11.* D. *h. t. l. 40. D. de condict. indeb.* v. *l. 112.* D. *de R. J.*

§. 14. Quæ *Exceptio* eſt *perpetua* ſeu *peremtoria*, *d. l. 40.* D. *de condict. indeb.* arg. *§. 9. I. de except. & realis; l. 7. §. 1.* D. *de except.* arg. *l. 7. §. 10. l. 9. §. 3.* D. *h. t. Competens tum filiofam. tum patri, l. 7. §. 10.* D. *h. t. §. 7. I. quod cum eo, qui in alien. pot.* (etiamſi filiusfam. huic SCto renunciaverit, arg. *l. 7. §. 14 l. 28. D. de pact. l. 27.* D. *de R. J.* junct. *l. 1. pr. D. h. t.*) *nec non heredibus filii, ejusque fidejuſſoribus & mandatoribus; l. 9. §. 3. D. h. t. Contra creditorem, ejusque heredem; l. 7. §. 6. 7. D. h. t. Ad elidendam actionem Mutui. l. 7. pr. §. 1. l. 11. D. h. t. d. §. 7. I. quod cum eo, qui in alien. pot.*

§. 15. Adeo quidem, ut non tantum ante & poſt litem conteſtatam locum habeat, ſed & poſt ſententiam, ad impediendam executionem, opponi poſſit. *l. 11.* D. *h. t.*

§. 16. „*Ut ſcirent, qui peſſimo exemplo fœnerarent*;„ quæ enim mali exempli ſunt, merito coërcentur. v. *l. 3. §. 2.* D. *ad L. Corn. de ſic. l. 38. §. 5. D. de pœn.*

§. 17. „*Nullius poſſe filiifam. bonum nomen, expectata patris morte, fieri*;„ Fœneratoribus enim ex tali cautione nunquam exigendi jus eſt, ne quidem

dem poſt mortem patris. Tacit. *Ann. L. XI. c. 13. §. 7. I. quod cum eo, qui in alien. pot.*

§. 18. Sunt tamen caſus, quibus hoc SCtum locum non habet; *Ceſſat* enim vel *ratione Filii*, vel *ratione Patris*, vel *ratione Cauſæ*.

§. 19. *Ratione Filii* I. Si peculium habeat caſtrenſe, vel quaſi caſtrenſe. *l. 1. §. 3. l. 2. D. h. t.*

II. Si patremfam. ſe eſſe dixerit, *l. 1. C. h. t.* vel publico errore pro tali habitus ſit. *l. 3. pr. §. 1. 2. l. 19.* D. *l. 2. C. h. t.*

III. Si paterfam. factus vel expreſſe vel tacite debitum agnoverit; *l. 2. C. h. t.* veluti *totum* debitum ſolvendo. Quod ſi partem tantum ſolverit, non in totum ceſſat SCtum, ſed tantum ratione partis ſolutæ. *l. 7. §. ult. l. 9. pr.* D. *h. t.*

§. 20. *Ratione Patris* I. Si voluntate ejus pecunia mutua data ſit. *l. 12. D. l. 2. C. h. t.*

II. Si ratum habuerit. *l. 7. §. 15. l. 16.* D. *l. ult. C. h. t.*

III. Si filius patris inſtitor fuerit. *l. 7 §. 11. D. h. t.*

§. 21. *Ratione* denique *Cauſæ* I. Si pecunia accepta ſit ad ſatisfaciendum ei, cui valide obligatus erat. *l. 7. §. 14.* D. *h. t.*

II. Si pecunia in rem patris verſa ſit. *l. 7. §. 12. l. 17. D. h. t.*

III. Si filiofam. ſtudiorum vel legationis cauſa alibi degenti, pecunia mutua data ſit: dummodo probabilem modum, i. e. quem pater ſolebat ſubminiſtrare, non exceſſerit. *l. 7. §. 13. D. l. 5. C. h. t.*

* *

LIBER XV. TITULUS I.

De Peculio. C. IV. 26.

§. 1.

Ordinarium Prætor arbitratus eſt, prius eos contractus exponere eorum, qui alienæ poteſtatis ſunt, qui in ſolidum tribuunt actionem: ſic deinde ad hunc pervenire, ubi *de Peculio* datur *Actio. l. 1. pr. D. h. t. l. 1. D. quod cum eo, qui in alien. pot.*

§. 2. Eſt autem triplex hoc Edictum: aut enim De *Peculio*, aut *de In Rem verſo*, aut *Quod Juſſu* hinc oritur *Actio. l. 1. §. 1.* D. *h. t. l. 1.* D. *quod cum eo, qui in al. pot.*

§. 3. Et quidem quantum ad *Actionem de Peculio* attinet, verba Edicti talia ſunt: QUOD CUM EO, QUI IN ALTERIUS POTESTATE ESSET, NEGOTIUM GESTUM ERIT, *de eo, eatenus, adverſus eum, cujus in poteſtate eſſe dice-*

Digitized by Google

dicetur, quatenus in peculio erit; Et ſi quid dolo ejus, in cujus poteſtate eſt, factum erit, quo minus in peculio eſſet, judicium dabo. l. 1. §. 2. l. 21. 36. D. h. t. v. *§. 10. I. de act. §. 4. I. quod cum eo, qui in alien. pot.*

§. 4. Ait Prætor, QUOD CUM EO; de *eo* loquitur, non de *ea:* ſed tamen & ob eam, quæ eſt fœminini ſexus, dabitur ex hoc Edicto Actio. *l. 1. §. 3. l. 27. D. h. t. l. 1. D. de V. S.*

§. 5. QUI IN ALTERIUS POTESTATE ESSET; *Poteſtatis* verbum communiter accipiendum eſt, tam in filio, quam in ſervo *l. 1. §. 5. 6. l. 2. 3.* D. *h. t.*

§. 6. NEGOTIUM GESTUM ERIT; i. e. contractum. v. *l. 1.* D. *quod cum eo, qui in al. pot. §. 10. I. de act. l. 44. 52. D. h. t.* Ex delicto enim & pœnalibus cauſis Actio de peculio non competit. *l. 58.* D. *de R. J. l. 1. §. 7.* D. *de his qui eff.*

§. 7. De *eo, eatenus, adverſus eum, cujus in poteſtate eſſe dicetur, quatenus in peculio eſt; Peculium* (quod quaſi *puſilla pecunia* ſive *patrimonium puſillum* dicitur, *l. 5. §. 3. D. h. t.*) hic eſt, *quod ſervus vel filiusfam.* v. *l. 1. §. 4. 5. l. 27.* D. *h. t. permiſſu domini, vel patris, ſeparatum habet a rationibus dominicis vel patris, deducto inde ſi quid domino vel patri debetur. l. 5. §. 4. l. 4. pr. §. 1. l. 8. 39. 40. D. h. t. l. 37. §. 1. D. de A. R. D.*

§. 8. Eſt itaque *Peculium* aliud *Servi*, aliud *Filiifamilias.*

§. 9 *Peculium Servi* ſimplex eſt; quia ſervus nihil ſuum habere poteſt: *§. 3. I. per quas perſ. cuique acq. l. 79. D. de acq. her.* licet aliud ſit ſervi *Ordinarii*, aliud *Vicarii;* v. *l. 17. 18. 37. §. 1. D. h. t.* aliud liberioris, aliud minus liberæ adminiſtrationis. *l. 7. §. 1. D. h. t. l. 20.* D. *de jurej.*

§. 10. Peculium *Filiifam.* poteſt conſtitui duplex, *Paganum* ſcil. & *Militare. l. ult. pr. C. de inoff. teſt.*

§. 11. *Militare* eſt *Caſtrenſe*, vel *Quaſi caſtrenſe. d. l. ult. §. 1. C. de inoff. teſt. §. ult. I. de teſtam. mil. pr. I. quib. non eſt perm. fac. teſt.*

§. 12. *Peculium Caſtrenſe* (de cujus origine v. *l. 1.* D. *de teſtam. mil. pr. I. quib. non eſt perm. fac. teſt.*) eſt, *quod filiusfam. acquirit occaſione militiæ armatæ. l. 11.* D. *de caſtr. pec. l. 1. C. eod.* v. *l. 6. pr. D. de re jud.*

§. 13. *Peculium Quaſi caſtrenſe* (quod ad ſimilitudinem *Caſtrenſis* introductum, v. *§. ult. I. de mil. teſt.*) eſt, *quod filiusfam. acquirit occaſione militiæ togatæ;* v. *l. 14. C. de Adv. div. judicior. l. 6. D. de re jud.* ex Officio ſcil publico, vel Advocatione. *d. l. ult. C. de inoff. teſt. l. 7. C. de Aſſeſſ.*

§. 14. Quod utrumque pleno jure eſt filii; *pr. I. quib. non eſt perm. fac. teſt. l. 6. pr. C. de bon. quæ lib. l. 4. C. de Adv. div. judicior.* ut filiusfam. in iis vice patrisfam. fungatur. *l. 2. D. de SCto Maced.*

§. 15. *Peculium Paganum* eſt *Profectitium*, vel *Adventitium. §. 1. I. per quas perſ. cuique acq.*

§. 16.

§. 16. *Peculium Profectitium* eſt, *quod ex re patris, vel occaſione & contemplatione patris, filio obvenit.* §. *1. l. per quas perſ. cuique acq.* arg. *l. 21. 22.* D. *de uſufr.*

§. 17. Quod pleno jure patris eſt; quæ enim invidia eſt, quod ex patris occaſione profectum eſt, hoc ad eum reverti? *d. §. 1. l. per quas perſ.*

§. 18. Filius tamen id gubernat eoque fruitur, paternisque bonis publicatis retinet. *l. 3. §. 4. in f.* D. *de min.* Imo & ei donatum cenſetur, ſi ei emancipato ademtum non ſit. *l. 31. §. 2.* D. *de don.*

§. 19. *Peculium Adventitium* eſt, *quod ex alia cauſa, liberalitate matris, vel aliorum, propriove labore, vel proſpera fortuna, filiusfam. acquiſivit.* §. *1. I. per quas perſ. cuique acq.*

§. 20. Quod *Ordinarium* eſt vel *Extraordinarium;* ſeu, ut alii malunt, *Regulare* vel *Irregulare, Minus plenum* vel *Plenum.*

§. 21. *Peculium Adventitium Ordinarium*, ſeu *Regulare*, & *Minus plenum* eſt, *cujus proprietas eſt filii, Uſusfructus & Adminiſtratio, donec vivit, patris. d. §. 1. I. per quas perſ. cuique acq. l. 6. l. ult. §. 5. C. de bon. quæ lib.*

§. 22. *Peculium* vero *Adventitium Extraordinarium*, ſeu *Irregulare*, & *Plenum* eſt, *quod pleno jure, & quoad proprietatem, & quoad uſumfructum filii eſt.*

§. 23. Quale eſt I. Si filiusfam. hereditatem renuente patre adierit. *l. ult. §. 1. C. de bon. quæ lib.*

II. Si princeps filio aliquid donaverit. *l. 7. C. eod.*

III. Si filio quid relictum ſit, ſub ea conditione, ne pater uſumfructum habeat. *N. 117. c. 1. pr.*

IV. Si ei relictum ſit legatum Militiæ. *l. 3. §. 7. in f.* D. *de min.*

V. Si fratri una cum patre ſuccedat ab inteſtato. *N. 118. c. 3.*

VI. Si pater, in bonis filio reſtituendis, doloſe verſatus ſit. *l. 50.* D. *ad SC. Treb.*

§. 24. *Et ſi quid dolo malo ejus, in cujus poteſtate eſt, factum erit, quo minus in peculio eſſet, Judicium dabo;* concedendo ſcil. *Actionem de Peculio:* Quæ eſt *Actio Prætoria, perſonalis, adjectitia, in rem ſcripta, quæ ex contractu ſervi vel filii datur, contra Dominum, vel Patrem,* (ratione ſc. peculii profectitii) *ad id quatenus eſt in peculio, §. 10. I. de act. §. 4. I. quod cum eo, qui in alien. pot. l. 32. pr. in f.* D. *h. t. l. 9. §. ult.* D. *de interr. in jur. fac. vel dolo Domini vel Patris eſſe deſiit; l. 21. 36. D. h. t.* deducto tamen prius quod inde Domino vel patri debetur. *l. 9. §. 2. 3.* D. *h. t.*

TITU-

TITULUS II.

QUANDO DE PECULIO ACTIO ANNALIS EST.

§. 1.

Et quidem, quamdiu ſervus vel filius in poteſtate eſt, *Actio de Peculio* perpetua eſt; poſt mortem autem ejus, vel poſtquam emancipatus, manumiſſus, alienatusve fuerit, temporaria eſſe incipit, i. e. *Annalis. l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 2. Prætor ait: „*Poſt mortem ejus, qui in alterius poteſtate fuerit, poſteave quam is emancipatus, manumiſſus, alienatusve fuerit, duntaxat de peculio, & ſi quid dolo malo ejus, in cujus poteſtate eſt, factum erit, quo minus peculii eſſet, in anno, quo primum de ea re experiundi poteſtas erit, judicium dabo.*„ *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 3. Merito autem temporariam in hoc caſu fecit Prætor Actionem; nam, cum morte vel alienatione exſtinguitur peculium, ſufficiebat usque ad *annum* (utilem ſcil. *l. 1. §. 3. D. h. t.*) produci obligationem. *l. 1. §. 3. D. h. t.*

TITULUS III.

DE IN REM VERSO. C. IV. 26.

§. 1.

Si hi, qui in aliena poteſtate ſunt, nihil in peculio habent, vel habeant, non in ſolidum tamen, tenentur, qui eos habent in poteſtate, *ſi in Rem eorum*, quod acceptum eſt, *converſum ſit*, quaſi cum ipſis potius contractum videatur, *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 2. De quo Prætor ita edixiſſe videtur: „*Si quid in Rem alicujus verſum eſſe dicetur, ex eo, quod is accepit, qui in ejus eſt poteſtate, quatenus verſum erit, eatenus Actionem dabo*, arg. *d. l. 1. D. h. t. §. 4. I. quod cum eo, qui in alien. pot.*

§. 3. Ait Prætor, *Si quid in Rem alicujus verſum eſſe dicetur, ex eo, quod is accepit, qui in ejus eſt poteſtate*; in *Rem verſum* videtur, quicquid neceſſario vel utiliter impenſum eſt. *l. 3. §. 1. 2. & ſeqq. D. h. t. d. §. 4. I. quod cum eo, qui in alien. pot.*

§. 4. Non etiam, quod magis ad voluptatem pertinet, quam utilitatem: niſi forte ſervus vel filius mandatum aut voluntatem Domini vel Patris habuit. *l. 3. §. 4. 6. D. h. t.*

§. 5. *Quatenus verſum erit, eatenus Actionem dabo*; ſcil. *De In Rem Verſo*: Quæ eſt *Actio Prætoria, perſonalis, adjectitia, quæ datur ex contractu ſervi vel filii*,

filii, contra Dominum vel Patrem, quatenus in rem Domini vel Patris aliquid verſum eſt. l. 1. pr. §. 4. D. h. t. §. 4. I. quod cum eo, qui in alien. pot.

§. 6. Quæ, licet *Actio de Peculio* hoc caſu etiam locum habeat, tamen non fruſtra introducta eſt; quia fieri poteſt, ut & *In Rem verſum* ſit, & ceſſet *Actio de Peculio;* ſi ſcil. peculium ſine dolo ademtum vel exſtinctum ſit. *l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 7. Non tantum autem *Actio de In Rem verſo* datur, cum ex contractu ſervi vel filii, in rem Domini vel Patris, quid verſum, ſed etiam, cum ex contractu negotiorum geſtoris, qui ſui juris eſt, in rem Domini negotiorum pecunia proceſſit: quo caſu *Utilis* Actio locum habet. *l. 7. §. 1. C. quod cum eo, qui in alien. pot.*

TITULUS IV.

QUOD JUSSU. C. IV. 26.

§. 1.

Quod ſi vero *Juſſu* Domini vel Patris cum ſervo vel filio negotium geſtum eſt, *Actio Quod Juſſu* locum habet.

§. 2. Quam Prætor his verbis pollicitus videtur: *Quod Juſſu Domini vel Patris geſtum eſſe dicetur, de ea re adverſus eos in ſolidum judicium dabo.* arg. *l. 1. D. h. t. §. 1. I. quod cum eo, qui in alien. pot.*

§. 3. Ait Prætor, *Quod Juſſu Domini vel Patris geſtum eſſe dicetur; Juſſum* accipiendum eſt, ſive teſtato quis, ſive per epiſtolam, ſive verbis, aut per nuncium, ſive ſpecialiter in uno contractu juſſerit, ſive generaliter. *l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 4. Sed & ſi mandavit Pater Dominusve, vel chirographo filii ſervive ſubſcripſit, vel ratum habuit, *juſſiſſe* videtur. *l. 1. §. 3. 4. 6. D. h. t.*

§. 5. *De ea re adverſus eos in ſolidum judicium dabo;* concedendo ſcil. *Actionem Quod Juſſu,* ſeu *De Juſſu: l. ult. pr. D. h. t.* Quæ eſt *Actio Prætoria, perſonalis, adjectitia, quæ datur ex contractu ſervi vel filii, qui juſſu Domini vel Patris contraxit, contra Dominum vel Patrem, in ſolidum. §. 1. I. quod cum eo, qui in alien. pot.*

§. 6. Merito autem ex Juſſu Domini vel Patris in ſolidum adverſus eos judicium datur, quia, qui ita contrahit, quodammodo cum ipſo Domino vel Patre contraxiſſe videtur. *l. 1. pr.* D. *h. t. §. 1. I. quod cum eo, qui in alien. pot.*

§. 7. Plane, cum per interpretationem JCtorum (ut videtur) poſtmodum receptum ſit, ut, quod ex iſtis cauſis, ex quibus hæ naſcuntur Actiones, debetur, directo ſtatim a Domino vel Patre condici poſſit, *§. ult. I. quod cum eo, qui in alien. pot.* adjectitiis illis Actionibus amplius opus non eſt.

LIBER XVI. TITULUS I.

Ad Senatusconsultum Vellejanum.

C. IV. 29.

§. 1.

Imperfectis eorum Obligationibus, qui in poteſtate ſunt, ſimiles ſunt Obligationes *Mulierum*, pro aliis *intercedentium*, quæ jure noſtro ſunt invalidæ, propter *SCtum Vellejanum*, quo pleniſſime comprehenſum eſt, ne pro ullo fœminæ intercederent. *l. 1. pr.* D. *h. t.*

§. 2. Et primo quidem temporibus Divi Auguſti, mox deinde Claudii, Edictis eorum erat interdictum, ne fœminæ pro viris ſuis intercederent. *l. 2. pr. D. h. t.*

§. 3. Poſtea factum eſt SCtum, (quod & Edicto poſtea incluſum eſt, *v. l. 19. C. h. t.*) quo pleniſſime fœminis omnibus ſubventum. Cujus SCti verba hæc ſunt: „*Quod Marcus Silanus & Vellejus Tutor Conſules verba fecerunt, de* „*Obligationibus feminarum, quæ pro aliis reæ fierent, quid de ea re fieri* oporteret? (ſic leg. v.) *De ea re ita conſuluerunt. Quod ad fidejuſſiones, & mutui* „*dationes*, quibus pro aliis (ſic leg. v.) *interceſſerunt feminæ, pertinet; Tametſi* „*ante videtur ita jus dictum eſſe, ne eo nomine ab his petitio, neve in eas actio* „*detur; Cum eas virilibus officiis fungi, & ejus generis obligationibus obſtringi,* „*non ſit æquum; Arbitrari Senatum, recte atque ordine facturos, ad quos de ea* „*re in jure aditum erit, ſi dederint operam, ut in ea re Senatus voluntas ſerve-* „*tur.*„ *l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 4. Verba itaque SCti excutiamus, prius providentia ampliſſimi Ordinis laudata; quia opem tulit mulieribus, propter ſexus imbecillitatem multis hujuscemodi caſibus ſuppoſitis atque objectis, adeoque ob infirmitatem læſis. Si enim callide ſint verſatæ, Senatus ipſis non ſubvenit; nam deceptis, non decipientibus, opitulatur. *l. 2. §. 2. 3.* D. *h. t. l. 110. §. ult. D. de R. J.*

§. 5. Ait autem Senatus, „*Quod Marcus Silanus & Vellejus Tutor Conſu-* „*les verba fecerunt, de Obligationibus feminarum, quæ pro aliis reæ fierent, quid* „*de ea re fieri oporteret? De ea re ita conſuluerunt;*„ Latum enim eſt hoc SCtum M. Silano & Vellejo Tutore Coſſ. a quo poſteriori etiam nomen accepit.

§. 6. „*Quod ad fidejuſſiones & mutui dationes, quibus pro aliis interceſſe-* „*runt feminæ, pertinet;*„ Senatusconſultum enim hoc interceſſiones mulierum pro aliis prohibet: *l. 1. pr.* D. *h. t.* unde & *SCtum de Interceſſionibus* dicitur. *l. 40. D. de cond. indeb.* add. *l. 29. pr. D. h. t.*

§. 7. Eſt autem *intercedere* hic nihil aliud, quam alienam *Obligationem*, qua-

lencumque, ſive *Veterem*, ſive *Novam*, in ſe ſuſcipere. *l. 2. §. 4. 5. l. 8. §. 1. D. l. 4. & 18. C. h. t.*

§. 8. *Obligationem Veterem* in ſe ſuſcipit mulier, eam vel participando. *l. 4. C. h. t.* veluti fidejubendo; *l. 2. §. 1. l. 25. §. 1. D. h. t. l. 3. & 48.* D. *de fidej.* conſtituendo. *l. 1. §. 1.* junct. *l. 28. D. de pec. conſt.* & mandando; *l. 6. 7. D. h. t. l. 19. C. de fidej. l. 32. D. mand.* vel in ſe transferendo, *d. l. 4. C. h. t.* expromittendo ſcil. & novando. *l. 8. §. 8. D. h. t.* add. *l. 2. §. ult. D. h. t.*

§. 9. *Novam* vero in ſe ſuſcipit, ſi, cum alius pecuniam accipit, ipſa ſe ab initio reum conſtituit; *l. 4. C. h. t.* e. gr. ſi cum alio contracturus mulieris fidem elegerit, & ipſi pecuniam, quam alteri traditura eſt, dederit, vel alio modo cum ipſa in alterius utilitatem contraxerit; *l. 8. §. 14. l. 11. 12. D. h. t. l. 19. C. h. t.* aut ſi colluſorie obligatio in perſona mulieris primordium capiat. *l. 12. & 28. §. 1. D. d. l. 19. C. h. t.*

§. 10. Ad alias mulierum Obligationes, quæ in interceſſionis ſpeciem non incidunt, SCtum non pertinet. *l. 2. & 6. C. h. t.* Adeoque donare, *l. 4. §. 1. l. 21. §. 1. D. h. t.* pro alio ſolvere, *d. l. 4. §. 1. l. 5. & 8. §. 3. D. l. 1. 4. C. h. t.* debitorem ſuum alieno creditori delegare. *l. 5. 8. §. 5. l. 19. §. f. verſ. ſicuti.* D. *h. t.* pignora accepta reddere, *l. 8. pr. D. h. t.* (cum in his non ſint tam faciles, *l. 4. §. 1.* D. *h. t. l. 33. D. de don. int. vir. & ux. l. 16. C. de don. ant. nupt.*) mulieres non prohibentur.

§. 11. „*Tametſi videtur ante ita jus dictum eſſe, ne eo nomine ab his petitio, neve in eas actio detur;*„ v. *l. ult. §. 3. D. h. t.* i. e. ne eo nomine in eas detur Actio in rem, hypothecaria ſcil. neque in perſonam. arg. 1. *l. 78. §. 2. D. de V. S.*

§. 12. „*Cum eas virilibus officiis fungi, & ejus generis obligationibus adſtringi, non ſit æquum;*„ nam ſicut moribus civilia officia adempta ſunt fœminis, & pleraque ipſo jure non valent, ita multo magis eis adimendum fuit id officium, in quo non ſola opera nudumque miniſterium earum verſaretur, ſed etiam periculum rei familiaris. *l. 1. §. 1.* D. *h. t.*

§. 13. „*Arbitrari Senatum, recte atque ordine facturos, ad quos de ea re in jure aditum erit;* i. e. Prætores & Præſides.

§. 14. „*Si dederint operam, ut in ea re Senatus voluntas ſervetur;*„ concedendo ſcil. *Exceptionem Senatusconſulti Vellejani.* v. *l. 25. §. 1. l. 27. §. 1. l. 30. §. 1.* D. *h. t.*

§. 15. *Senatusconſultum* enim *Vellejanum* interceſſiones mulierum non reddit ipſo jure nullas, nec actiones inde deſcendentes impedit, ſed illas quoad effectum irritas reddit. *l. 7. 8. §. 12. l. 23.* D. *l. 9. C. h. t.* v. *l. 112.* D. *de R. J.*

§. 16. Eſt autem *Exceptio SCti Vellejani perpetua ſeu peremtoria, l. 40.* D. *de cond. indeb. & realis; l. 7. §. 1.* D. *de exc. Competens fœminis pro aliis intercedentibus, earumque heredibus, d. l. 7. §. 1.* D. *de exc. l. 7. 20. C. h. t. nec non fide-*

Digitized by Google

fidejuſſoribus, l. 8. §. 4. l. 16. §. 1. D. *l. 14. 15. C. h. t. & mandatariis; l. 6. 7. 8. §. 4. l. 19. §. ult. l. ult. §. 3.* D. *d. l. 15. C. h. t.* (non etiam iis, qui una cum muliere interceſſerunt, qui ſubducta fœmina in ſolidum tenentur; *l. 48. D. de fidej.*) *Contra creditores, eorumque heredes; l. 1. 10.* D. *h. t. Ad elidendas actiones, ex probibita interceſſione competentes. l. 7. 23. 25. §. 1. l. 30. §. 1. D. l. 9. C. h. t.*

§. 17. Quæ non tantum ante & poſt litem conteſtatam locum habet, ſed & poſt ſententiam, ad impediendam executionem, opponi poteſt. *l. 11. D. de SC. Maced.*

§. 18. Plane duobus caſibus Interceſſiones fœminarum ipſo jure nullæ ſunt: ſi ſcil. mulier interceſſit pro marito, *Auth. Si qua mulier. C. h. t.* vel aliter interceſſit, quam in inſtrumento publico. *l. 23. §. ult. C. h. t.*

§. 19. Quod ſi fœmina rem ſuam pro alio pignori dederit, eam una cum fructibus a quocunque poſſeſſore vindicat. *l. ult. §. 1. D. h. t. l. 39. §. 1. D. de R. V.*

§. 20. Si vero ex interceſſione, contra SCtum facta, aliquid per errorem, ſive juris, ſive facti, ſolverit, per *Condictionem indebiti* repetere poteſt. *l. 9. C. h. t. l. 40. D. de condict. indeb.*

§. 21. Non tamen in totum Actio creditori competens exſtinguitur. Æquum enim viſum eſt, ita mulieri ſuccurri, ut in veterem debitorem, aut in eum, qui pro ſe conſtituiſſet mulierem ream, actio daretur; magis enim ille quam creditor mulierem decepit. *l. 1. §. ult. l. 14. D. l. 23. pr. in f. C. h. t.*

§. 22. Quod ſi itaque mulier *Veterem* obligationem in ſe ſuſceperit participando, creditor actionem contra principalem debitorem ſalvam retinet; *l. 1. §. ult.* D. *l. 23. pr. in f. §. 1. C. h. t.* ſin transferendo, reſciſſa interceſſione, priſtina actio creditori contra debitorem reſtituitur: *l. 8. §. 7. 8. 11. 12. 13. l. 13. in f. l. 14. 16. §. 1. in f. l. ult. §. pen. D. l. 8. 16. C. h. t.* unde & *Reſtitutoria, l. 8. §. 9. 12. 13. l. 13. §. 2. l. 8. C. h. t. Reſciſſoria, l. 16. C. h. t.* & *Utilis* dicitur. *l. 8. §. 8.* D. *h. t.*

§. 23. Si vero *Novam* obligationem in ſe ſuſceperit, *Nova Utilis actio* contra eum datur, cujus cauſa mulier contraxit; quæ inſtituit magis obligationem, quam reſtituit: *l. 8. §. 14. D. h. t.* unde & *Inſtitutoria* quibusdam dicitur.

§. 24. Sunt etiam caſus, quibus *SCtum Vellejanum* fœminis non prodeſt; *Ceſſat* enim vel *Ratione ipſius Mulieris*, vel *Ratione Creditoris*, vel *Ratione Cauſæ.*

§. 25. *Ratione Mulieris* I. Si Mulier non intercedat, ſed ipſa contrahat, vel aliud agat, puta donet, vel pro alio ſolvat; *l. 4. 5. 8. §. 1. l. 32. D. h. t.* v. ſupr. §. 10. dummodo nihil in fraudem SCti factum ſit. *l. 29. §. f. D. h. t.* Ita acc. *l. fin. §. 3. D. h. t.*

II. Si mulier callide verſata ſit, *l. 2. §. 3. l. 23. 30. pr. D. l. 5. 18. C. h. t.* v. ſupr. §. 4.

III. Si in rem ſuam interceſſerit. *l. 3. 13. 21. 22. D. h. t* v. *l. 95. §. 2. in f. D. de ſolut.*

IV. Si debitum a debitore acceperit. *l. 16. D. h. t.*

V. Si pretium interceſſionis acceperit. *l. 23. pr. §. 1. C. h. t.*

VI. Si de beneficio hujus SCti edocta, ei, vel judicialiter, vel extrajudicialiter, ſpecialiter renunciaverit. *l. f. §. pen. D. l. 22. C. h. t. l. pen. C. de pact.* Excepto caſu *l. ult. C. quand. mul. off. tut. Nov. 118. c. 5.* quo judicialis renunciatio neceſſaria eſt.

VII. Si mulier perfectæ ætatis interceſſionem pro extraneo (ſi pro marito fiat, ſecus eſt, *Auth. Si qua mulier. C. h. t. N. 134. c. 8.*) factam poſt biennium reiteraverit. *l. 22. C. h. t. N. 61. c. 1. §. 1.*

§. 26. *Ratione Creditoris* I. Si creditor ignoraverit mulierem intercedere. *l. 4. 11. 12. 17. pr. l. 27. pr. l. 28. §. 1. D. h. t.*

II. Si creditor minor ſit: *l. 12.* D. *de minor.* quo caſu major ætatis, quam ſexus habetur ratio. *d. l. 12. 32. pr.* D. *h. t.*

§. 27. *Ratione* denique *Cauſa* I. Si fœmina major annis XXV. intercedat pro dote. *l. 12. l. ult. C. h. t. l. 41. pr. D. de jur. dot.*

II. Si pro ſervo manumittendo manumiſſionis pretium promiſerit. *l. pen. C. h. t.*

TITULUS II.

De Compensationibus, C. IV. 31.

§. 1.

Cum autem in controverſiis de Rebus creditis frequens *Compenſationum* uſus ſit, neque tamen in *Depoſito* illæ locum habeant, *l. ult. §. 1. C. h. t. §. 30. I. de act.* hoc loco *de Compenſationibus* ante caput *de Depoſito* ſimul agitur.

§. 2. *Compenſatio* (a vetuſto æs non ſignatum appendendi ritu ſic dicta, v. Geneſ. XXIII, 16. Ariſt. 1. *Pol.* 6. Plin. *L. XXXIII. c. 3.* Varr. de *LL. L. IV.* Feſt. *in voc. pendere. l. 34.* D. *de jur. dot. l. 52. §. 15.* D. *pro ſoc.*) *eſt debiti & crediti inter ſe contributio. l. 1.* D. *h. t.*

§. 3. Quæ ideo neceſſaria eſt, quia intereſt noſtra, potius non ſolvere, quam ſolutum repetere. *l. 3. D. h. t.*

§. 4. Ut autem locum habeat *Compenſatio*, requiritur I. *Ut utrimque ſit debitum, l. 1. 2.* D. *l. 9. C. h. t.* juſtum ſcil. & verum, quodque per exceptionem elidi nequeat *l. 14. D. l. 2. C. h. t.*

§. 5. Quale ſit debitum, an Civile mixtum, an mere Naturale, nihil intereſt; *l. 6.* D. *l. 5. 6. C. h. t.* dummodo non ſit debitum naturale inefficax. *l. 39. 40. pr. in f. l. 41. D. de cond. indeb.*

§. 6. Non

§. 6. Non etiam intereſt, an ex contractu debeatur, an ex delicto; quotiens enim ex maleficio naſcitur actio, ſi quidem pecuniarie agitur, compenſatio locum habet. *l. 10. §. 2. l. 17. D. h. t. l. 36. D. de dol. l. 39. D. ſol. matr. l. 4. §. 13. de dol. & met. exc.*

§. 7. Cæteroquin mutui criminis compenſatio non admittitur. *l. 2. §. 4. l. 13. §. 5. D. ad L. Jul. de adult.*

§. 8. II. Ut debitum utrimque ſit *Purum;* quod enim in diem, vel ſub conditione debetur, non compenſabitur, antequam dies venerit, vel conditio extiterit. *l. 7. 16. §. 1.* D. *h. t.*

§. 9. III. Ut debitum utrimque ſit *Liquidum & Apertum*, i. e. tale, quod vel in confeſſo eſt, vel facile & ſtatim probari poteſt. *l. ult. §. 1. C. h. t. §. 30. I. de act.*

§. 10. Debiti illiquidi cum liquido non eſt compenſatio: *d. l. ult. §. 1. C. h. t.* licet audiendus videatur, qui cauſam etiam non liquidam, initio litis, per modum exceptionis opponit, eamque teſtatur.

§. 11. IV. Ut debitum utrimque ſit *Rerum fungibilium, & ejusdem generis. l. 4. 8. C. h. t.* arg. *l. 2. §. 1. D. de reb cred.*

§. 12. Unde neque certum corpus ſeu ſpecies cum ſpecie, vel genere; *l. 18. pr. de pign. act. l. 13. §. 2. D. de pign.* neque diverſum genus cum diverſo genere compenſari poteſt. arg. *l. 2. §. 1. D. de reb. cred. l. 16. C. de ſolut.*

§. 13. Locum habet Compenſatio inter mutuos debitores, *l. 1. 2. D. l. 4. C. h. t.* cujuscunque ſint ſexus, ætatis, vel conditionis, v. *l. 11. C. h. t. l. 3. C. de contr. tut. jud* ut & Fiſco, *l. 46. §. 5.* D. *de jur. fiſc.* (modo eadem *ſtatio* debeat, *l. 1. C. h. t.*) & Civitati opponi poſſit. *l. 3. C. h. t.*

§. 14. Niſi quis a Fiſco quid emerit, *l. 7. C. h. t.* vel ex cauſa *Calendarii* vectigalium, frumenti vel olei publici, tributorum, alimentorum, pecuniæ, quæ ſtatutis ſumtibus ſervit, vel fideicommiſſi, Civitatis debitor ſit. *d. l. 3. C. h. t.*

§. 15. Non etiam inter eos, qui mutui debitores non ſunt: *l. 16. 18. §. 1.* D. *l. 9. C. h. t.* licet v. c. Tutor debeat, & debeatur Pupillo; *l. 23. D. h. t.* vel Procurator debeat, & debeatur Domino. arg. *d. l. 9. C. h. t.*

§. 16. Niſi Procurator ſit in rem ſuam; qui & compenſare poteſt, & compenſationem pati debet, ſi modo ante ceſſionem compenſationi locus eſſe potuerit. *l. 18. pr. l. 21. D. h t.*

§. 17. Quales ſint Actiones, ſive in rem, ſive in perſonam, nihil intereſt. *l. ult. pr. C. h. t. §. 30. I. de act.*

§. 18. Excepta (præter Caſus *d. l. 3. 7. C. h. t.*) I. Cauſa depoſiti, cui aliquid compenſationis nomine opponi iniquum viſum eſt. *d. l. ult. §. 1. C. h. t. §. 30. I. de act. l. pen. C. depoſ.* v. *l. 1. §. 45. D. depoſ.* Paul. *L. I. Sent. T. XII. §. 3.*

II. Pol-

II. Poſſeſſionis injuſte occupatæ. *d. l. ult. §. 2. C. h. t.*

§. 19. Et olim quidem *Compenſatio* in *b. f.* judiciis ipſo jure locum habebat, in *ſtricti juris* judiciis vero oppoſita doli mali exceptione inducebatur. *§. 30. I. de act.*

§. 20. Sed poſtea conſtitutum, ut compenſationes, quæ aperto jure nituntur, omnes actiones, etiam ſtricti juris, ex eo momento, ex quo invicem deberi cœpit, ad concurrentem quantitatem, ipſo jure minuant, *d. §. 30. I. de act. l. ult. pr. C. h. t. l. 4. 21.* D. *l. 4. C. h. t.*

§. 21. Ut adeo *Compenſatio* effectum habeat ſolutionis; *d. l. 4. C. h. t. l. 4.* D. *qui pot. in pign.* & tum ipſam obligationem, *§. 30. I. de act. l. ult. pr. C. h. t.* tum acceſſiones ejus exſtinguat. *l. 4. D. l. 12. C. h. t.*

§. 22. Licet autem *Compenſatio* Actiones ipſo jure minuat, *§. 30. I. de act.* alleganda tamen eſt in judicio, ab eo, qui compenſatione uti velit. *l. 2. 6. 7. 8. 10. l. f. §. 1. C. l. 13. 15. l. pen. D. h. t. §. 39. I. de act.* Quod non tantum ante & poſt litem conteſtatam, ſed & poſt ſententiam in ipſa executione fieri poteſt. *l. 2. C. h. t.*

TITULUS III.

DEPOSITI, VEL CONTRA. C. IV, 34.

§. 1.

Supereſt ex *Contractibus, qui re perficiuntur, Depoſitum.*

§. 2. De quo Prætor ita edixit: „*Quod neque tumultus, neque incendii, neque ruinæ, neque naufragii cauſa, depoſitum ſit, in ſimplum: Earum autem rerum, quæ ſupra comprehenſæ ſunt, in ipſum, in duplum, in heredem ejus, quod dolo malo ejus pactum eſſe dicetur, qui mortuus ſit, in ſimplum, quod ipſius, in duplum, judicium dabo.*„ *l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 3. Ait Prætor, „*Quod neque tumultus, neque incendii, neque ruinæ, neque naufragii cauſa depoſitum ſit, in ſimplum.*„ *Depoſitum* eſt, *quod cuſtodiendum alicui datum eſt*, dictum ex eo, quod *ponitur;* præpoſitio enim *de* auget *depoſitum*, ut oſtendat totum fidei ejus commiſſum, quod ad cuſtodiam rei pertinet. *l. 1. pr.* D. *h. t.*

§. 4. Adeoque *Depoſitum*, pro *Contractu* acceptum, eſt *Contractus realis, quo quis alicui rem mobilem, gratis cuſtodiendam tradit, ea lege, ut quandocunque repetenti eadem in ſpecie reſtituatur.*

§. 5. Dicitur *Contractus realis;* quia is, apud quem res aliqua deponitur, re obligatur. *§. 3. I. quib. mod. re cont. obl.*

§. 6. *Quo quis alicui rem mobilem; l. 1. pr.* D. *h. t.* ſi res immobilis commendetur, non *Depoſitum*, ſed *Mandatum* eſt. *l. 5. §. 4. D. de P. V.*

§. 7. Gra-

Digitized by Google

§. 7. *Gratis;* ſi merces, vel aliud quid intercedat, *Locatio Conductio* eſt, vel *Contractus innominatus. l. 1. §. 8. 9. 10.* D. *h. t.*

§. 8. *Cuſtodiendam tradit;* ſolius enim cuſtodiæ cauſa res traditur depoſitario. *l. 1. pr.* D. *h. t. §. 3. I. quib. mod. re cont. obl.*

§. 9. Proprietas rei depoſitæ apud deponentem manet; ſed & poſſeſſio: niſi apud ſequeſtrem depoſita ſit, nam tum demum ſequeſter poſſidet. Id enim fere agitur ea depoſitione, ut neutrius poſſeſſioni id tempus procedat. *l. 17. §. 1. D. h. t.*

§. 10. Si vero aliud actum ſit, & ſolius cuſtodiæ cauſa res litigioſa apud ſequeſtrem depoſita ſit, ſecus eſt. *l. 39. D. de acq. vel om. poſſ.*

§. 11. Imo ne uſus quidem rei depoſitæ depoſitario conceditur; ut, ſi ea utatur, furti teneatur. *§. 6. I. de obl. quæ ex del. l. 29.* D. *h. t.*

§. 12. *Ea lege, ut quandocunque repetenti;* adeo quidem, ut dolo faciat, qui rem depoſitam repoſcenti ſtatim non reddit, *l. 1. §. 22. D. h. t.* neque pacto aliud conveniri poſſit. *l. 1. §. 45. 46.* D. *h. t.* Excepta tamen *Sequeſtratione*, in qua res depoſita, ante rem judicatam, non reſtituitur. Ita acc. *l. 1. §. 22.* D. *h. t. l. 9. §. 3. D. de dol.*

§. 13. *Eadem in ſpecie reſtituatur; §. 3. I. quib. mod. re contr. obl.* niſi aliud conventum ſit, v. *l. 24. 26. D. h. t.* vel quantitas non obſignata depoſita ſit: *l. 25. §. 1.* D. *h. t. l. 31. D. locat. cond.* quo caſu Depoſitum *Irregulare* eſt.

§. 14. *Depoſitum Regulare* vero eſt vel *Depoſitum in ſpecie* ſic dictum, vel *Sequeſtratio.* arg. *l. 5. §. 1. l. 6. 12. §. 2. l. 17. pr. & §. 1. D. h. t.*

§. 15. *Depoſitum in Specie* ſic dictum, eſt vel *Simplex*, vel *Miſerabile; quod* ſcil. *tumultus, incendii, ruinæ*, vel *naufragii cauſa, depoſitum eſt. l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 16. Ait enim Prætor, „*Earum autem rerum, quæ ſupra comprehenſæ ſunt,*„ (ſcil. ſi quid tumultus, incendii, ruinæ, vel naufragii cauſa, depoſitum ſit, *d. l. 1. §. 1.*) „*in ipſum, in duplum, in heredem ejus, quod dolo malo ejus factum eſſe* „*dicetur, qui mortuus ſit, in ſimplum, quod ipſius, in duplum. d. l. 1. §. 1. l. 18. D. h. t.*

§. 17. Quæ ſeparatio juſtam rationem habet; quippe cum quis fidem elegit, nec depoſitum redditur, contentus eſſe debet ſimplo; cum vero extante neceſſitate deponat, creſcit perfidiæ crimen, & publica utilitas coërcenda eſt, vindicandæ Reip. cauſa. *l. 1. §. 2. 4.* D. *h. t.*

§. 18. *Eum* autem *deponere tumultus, vel incendii, vel ceterarum cauſarum gratia*, intelligendum eſt, qui nullam aliam deponendi cauſam habet, quam imminens ex cauſis ſupra ſcriptis periculum. *l. 1. §. 3. D. h. t.*

§. 19. *Sequeſtratio* eſt *Depoſitum rei litigioſæ. l. 5. §. 1. l. 6. & 17. D. h. t. l. 9. §. 3. D. de dol.*

§. 20. Eaque duplex eſt, *Voluntaria*, & *Neceſſaria.*

§. 21. *Voluntaria* eſt, *cum partes mutuo conſenſu rem litigioſam apud alium deponunt. l. 6. & 17. pr. D. h. t.*

Digitized by Google

§. 22. *Neceſſaria* vero, *quæ fit ad mandatum Judicis; l. 7. §. f. D. qui ſatisdare cog.* quæ non tantum ratione pecuniæ numeratæ, ſed & aliarum rerum, *v. l. 5. D. de V. S.* ordinario eſt prohibita. *l. un. C. de probib. ſequeſtr. pec.*

§. 23. Niſi metus fugæ, *d. l. 7. §. ult. D. qui ſatisd. cog.* dilapidationis, *l. 21. §. ult. D. de appell. l. ult. C. de ord. cogn. l. 22. §. 8. D. ſol. matr.* aliave juſta cauſa aliud ſuadeat. *v. l. ult. in f. C. quib. ad libert. l. 5. C. quor. appellat. l. 20. §. 1. C. de agric. & cenſit.*

§. 24. „*Judicium dabo.*„ Concedendo ſcil. *Actionem Depoſiti;* quæ *Directa* eſt, & *Contraria. Inſcr. l. 5. pr. D. h. t.*

§. 25. *Actio Depoſiti Directa,* eſt *Actio perſonalis, Civilis, bonæ fidei; Quæ datur Deponenti, ejuſque heredi; Contra Depoſitarium, ejuſque heredem; Ad rem depoſitam cum omni cauſa reſtituendam, præſtandumque dolum & latam culpam.*

§. 26. Eſt hæc Actio *perſonalis* & *Civilis;* quia naſcitur ex Contractu: *§. 3. I. quib. mod. re contr. obl.* licet Prætor eam etiam hoc Edicto polliceatur. *l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 27. *Bonæ fidei; l. 1. §. 23. D. h. t. §. 28. I. de act.*

§. 28. *Quæ datur Deponenti;* etiam prædoni, & furi. Nam intereſt eorum, eo quod teneantur. *l. 1. §. 39. l. 31. D. h. t.* Quod ſi plures ſint, ſingulis datur pro rata, niſi aliud actum ſit. *l. 1. §. 44. l. 17. pr. D. h. t.*

§. 29. *Ejuſque heredi; l. 1. §. 19. 46. l. 14. D. h. t.* qui ſi plures ſint, ſingulis datur pro portione hereditaria. *l. 1. §. 36. D. h. t.*

§. 30. *Contra Depoſitarium; §. 3. I. quib. mod. re cont. obl.* omnem ſcil. eum, qui valide obligari poteſt: *v. l. 1. §. 15. l. 21. D. h. t.* & ſi plures ſint, contra ſingulos in ſolidum. *l. 1. §. 43. D. h. t.*

§. 31. *Ejuſque heredem;* etiam ex dolo defuncti in ſolidum. *l. 7. §. 1. l. 12. & 49. D. de O. & A. l. 157. §. 2. D. de R. J.* Sed ſi plures ſint, pro ea parte, qua quisque heres eſt. *d. l. 7. §. 1. in f. l. 9. D. h. t.*

§. 32. *Ad rem depoſitam; §. 3. I. quib. mod. re contr. obl.* adeo quidem, ut depoſitarius rem depoſitam illico reddere modis omnibus compellatur, nullamque compenſationem, vel deductionem, vel doli exceptionem opponat, quaſi & ipſe quasdam, contra eum, qui depoſuit, Actiones perſonales, vel in rem, vel hypothecariam prætendens: cum non ſub hoc modo depoſitum acceperit, ut non conceſſa ei retentio generetur, & contractus, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam retrahatur. *l. pen. C. h. t. l. f. §. 1. C. de compenſ.*

§. 33. Niſi tamen in ipſam rem depoſitam neceſſariæ impenſæ factæ ſint; ob quas *Retentio* Depoſitario concedenda videtur. *v. l. 23. D. h. t. l. 18. §. ult. D. commod. l. un. §. 5. verſ. Sed nec. C. de rei ux. act.*

§. 34. Et ſi quidem ciſta ſignata depoſita ſit, non tantum ad ciſtam, ſed & ad ſingulas res reſtituendas competit. *l. 1. §. 41. D. h. t.*

§. 35. *Cum omni cauſa reſtituendam;* i. e. una cum fructibus, *l. 1. §. 24. D. h. t.*

Digitized by Google

h. t. l. 38. §. 10. D. de uſur. v. *l. 22. & 35. D. de V. S.* & quandoque cum uſuris, *l. 24. 25. §. 1. l. 26. §. 1. D. h. t.* vel ex conventione, vel ex mora debitis. *l. 2. & 4. C. h. t.*

§. 36. *Præſtandumque dolum & latam culpam.* v. *l. 1. §. 7. 16. 20. 21. 22. 47. D. h. t. §. 3. I. quib. mod. re contr. obl. l. 32. D. h. t.* Eſt enim contractus, in quo ordinario utilitas eſt ſolius deponentis. v. *l. 5. §. 2. D. commod. l. 23. D. de R. J.*

§. 37. Niſi I. De culpa levi & leviſſima etiam præſtanda convenerit; *l. 1. C. h. t.* Contractus enim legem ex conventione accipiunt. *l. 1. §. 6. 35. D. l. 1. C. h. t. l. 23. D. de R. J.*

II. *Depoſitarius* depoſito ſe obtulerit; qui culpam etiam præſtat leviſſimam. *l. 1. §. 35. D. h. t.*

III. Depoſitum in utilitatem utriusque, vel ſolius *Depoſitarii*, contractum ſit. arg. *l. 2. §. 24. D. de vi bon. rapt. l. 4. pr. D. de reb. cred.*

§. 38. De caſu fortuito *Depoſitarius* non tenetur. *l. 14. §. 1. l. 20. D. l. 1. C. h. t. §. 3. I. quib. mod. re cont. obl.*

§. 39. Niſi I. Ita convenerit. *l. 1. §. 35. D. h. t. l. 23. D. de R. J.*

II. Depoſitarius in mora ſit. *l. 12. §. ult. D. h. t.*

III. Depoſitum ſit Irregulare. v. *l. 24. D. h. t. l. 31. D. locat. cond. l. 4. D. de reb. cred.*

§. 40. Et ita quidem in *Depoſito Simplici*. Quod ſi vero *Depoſitum* ſit *Miſerabile*, in ipſum *Depoſitarium Actio Depoſiti* datur *in duplum*, in *heredem* vero ejus, de dolo defuncti in ſimplum, ſed de dolo proprio etiam in duplum. *l. 1. §. 1. l. 18. D. h. t. §. 23. 26. I. de act.*

§. 41. Illud autem in omni *Actione Depoſiti Directa* ſingulare eſt, quod ob dolum vel latam culpam ſuo nomine condemnatum ſequatur infamia. *l. 10. C. h. t. l. 1. §. 1. D. de his qui not. infam. §. 2. I. de pæn. tem. lit.* v. Cic. *pro Roſc. Am. c. 39.* Plin. *L. X. Ep. 97.*

§. 42. *Actio Depoſiti Contraria eſt, quæ datur Depoſitario, contra Deponentem, ut indemnis ſervetur. l. 5. pr. D. h. t.*

§. 43. Si quas enim neceſſarias impenſas fecerit *Depoſitarius*, æquum eſt, ut eas recipiat; v. *l. 12. pr. l. 23. D. h. t.* ne ſcil. officium ei damnoſum ſit. *l. 61. §. 5. D. de furt.*

§. 44. Quemadmodum autem ex *Depoſito in Specie* ſic dicto naſcitur *Actio Depoſiti*, ita ex *Sequeſtratione* naſcitur *Actio Sequeſtraria, Directa*, & *Contraria. l. 12. §. 2.* D. *h. t. l. 9.* §. *3.* D. *de dol.*

§. 45. *Actio Sequeſtraria Directa* eſt, *quæ, finita lite, datur Victori, contra Sequeſtrem,* (v. *l. 110. D. de V. S.* Gell. *L. XX. c. 10.) ad rem depoſitam cum omni cauſa reſtituendam. l. 5. §. 1. l. 12. §. 2. D. h. t. l. 9. §. 3.* D. *de dol.*

§. 46. *Actio Sequeſtraria Contraria* eſt, *quæ datur Sequeſtri, contra victorem, ut indemnis ſervetur.* arg. *l. 5. pr.* §. *1.* D. *h. t.*

Digitized by Google

LIBER XVII. TITULUS I.

MANDATI, VEL CONTRA. C. IV. 35.

§. 1.

EXpoſitis *Contractibus, qui re perficiuntur*, ſequuntur *Contractus Conſenſuales, qui ſolo conſenſu perficiuntur.* Qui vel circa *operas* alterius maxime verſantur, uti *Mandatum*, & *Societas*; vel circa *res*, uti *Emtio & Venditio, Locatio & Conductio.*

§. 2. De *Mandato* Prætor ita edixiſſe videtur: *Quod quis mandaſſe & alter ſuſcepiſſe dicetur, de eo judicium dabo.* arg. *l. 1. §. 1. l. 22. §. ult. D. h. t.*

§. 3. Ait Prætor, *quod quis mandaſſe & alter ſuſcepiſſe dicetur; Mandatum* eſt *Contractus Juris Gentium, conſenſualis, bonæ fidei, quo negotium aliquod honeſtum alicui gratis gerendum committitur, & ab altero ſuſcipitur.*

§. 4. Eſt hic Contractus *Juris Gentium*; arg. *l. 7. §. 1. D. de pact. l. 5. D. de J. & J. §. 2. in f. I. de J. N. G. & C.*

§. 5. *Conſenſualis*; *§. un. I. de oblig. ex conſenſ.* obligatio enim mandati conſenſu contrahentium ſubſiſtit. *l. 1. pr. D. h. t.* Et ideo per nuncium quoque, vel per epiſtolam, mandatum ſuſcipi poteſt. *l. 1. §. 1. D. h. t.* neque intereſt, an quis ſcripſerit *rogo, volo, mando*, an alio verbo uſus ſit. *l. 1. §. 2. D. h. t.*

§. 6. *Bonæ fidei*; *l. 29. §. 4. D. h. t. §. un. I. de obl. ex conſenſ. §. 28. I. de act.*

§. 7. *Quo negotium aliquod*; *l. 2. §. 1. & ſeqq. D. §. 1. & ſeqq. I. h. t.* quod ſi quis amicum v. c. ſuum alicui tantum *commendaverit*, mandati non obligabitur. *l. 12. §. 12. D. h. t.*

§. 8. *Honeſtum*; rei turpis enim mandatum nullum eſt. *l. 6. §. 3. l. 22. §. 6. l. 12. §. 11.* D. *h. t.* Adeo ut neque *Mandatarius*, ſi negotium inhoneſtum ſuſceperit, obligetur ad perficiendum; neque *Mandans* conveniri poſſit, ſi forte perfecerit Mandatarius, & ejus rei nomine pœnam ſolverit: quia proprii delicti pœnam præſtitit. *§. 7. I. h. t.* Licet uterque eo caſu alteri ex delicto obligatus ſit. *l. 7. §. ult.* D. *de jurisd. l. 1. §. 13.* D. *de vi & vi arm. l. 11. §. 3. D. de injur. §. pen. I. eod. l. 15. §. 1. D. ad L. Corn. de ſicar. l. 5. C. de accuſ.*

§. 9. *Gratis*; Mandatum enim, niſi gratuitum ſit, nullum eſt: nam originem ex officio atque amicitia trahit. Contrarium ergo eſt officio merces; interveniente enim pecunia, res ad locationem & conductionem potius reſpicit. *l. 1. §. 4. D. §. ult. I. h. t.*

§. 10. Plane honorarium aliquod intercedere nihil prohibet; *l. 6. pr.* D. *h. t.* quod, ſi certum promiſſum ſit, *extra ordinem* peti poteſt: *l. 7.* D. *l. 1. C. h. t.*

Digitized by Google

h. t. l. 1. D. de extraord. cognit. ſed ſi nihil certi promiſſum eſt, nihil peti poteſt. *l. 56. §. pen.* D. *l. 17. C. h. t.*

§. 11. *Gerendum committitur;* non enim facta, ſed facienda & futura mandantur. *l. 12. §. 14.* D. *h. t.* Quæ facta ſunt, ratihabentur; *l. 9. D. l. 9. C. de neg. geſt.* licet *Ratihabitio* quoad effectum pro mandato habeatur. *l. 50. D. h. t. l. 60. D. de R. J. l. ult. pr. C. ad SC. Maced.*

§. 12. *Et ab altero ſuſcipitur;* v. *l. 1. §. 1. l. 6. §. 1. l. 12. §. 7. l. 22. §. ult. D. h. t.*

§. 13. Eſt autem *Mandatum* I. vel *Expreſſum*, vel *Tacitum. l. 6. §. 2. l. 18. 53. D. l. 6. C. h. t.*

II. *Generale*, (cujus ſubdiviſionem in *Generale cum Libera*, & *Sine Libera* non agnoſcimus) vel *Speciale. l. 6. §. 6. D. h. t. l. 1. §. 1. l. 58. 60. 63.* D. *de proc.* v. ſupr. *ad t. de proc.* §. 4. & *ſeqq.*

III. *Negotiorum Judicialium*, vel *Extrajudicialium. l. 33. pr. §. 1. l. 35. §. 3. l. 43. D. de proc.* v. ſupr. *ad t. de proc. §. 8.*

IV. *Purum*, *in Diem dilatum*, vel *Conditionale. l. 1. §. 3.* D. *h. t. §. 12. I. h. t.*

V. *Mandantis tantum;* vel *Aliena tantum;* vel *Mandantis & Aliena;* vel *Mandantis & Mandatarii;* vel *Mandatarii & Aliena;* vel *Mandatarii tantum gratia* contractum. v. *l. 2. pr. §. 1. & ſeqq. D. pr. §. 1. & ſeqq. I. h. t.*

§. 14. *Mandatum* quidem *Aliena tantum gratia* contractum, ab initio non eſt obligatorium, quia ab initio mandantis nihil intereſt; *l. 8. §. 6* D. *h. t.* ex poſt facto tamen fieri poteſt obligatorium, poſtquam ſcil. ex geſtu mandatarii mandans Titio obligari cœpit. *l. 28. D. de neg. geſt.*

§. 15. Sed *Mandatum Mandatarii tantum gratia* factum, conſilium magis eſt, quam mandatum, & ob id non eſt obligatorium; quia nemo ex conſilio obligatur: etiamſi non expediat ei, cui dabatur; quia liberum eſt cuique apud ſe explorare, an expediat ſibi conſilium. *l. 2. §. ult. D. §. 6. I. h. t. l. 2.* D. *de proxen. l* 47. D. *de R. J.*

§. 16. Niſi conſilium ſit fraudulentum; *d. l. 47. D. de R. J. d. l. 2. D. de proxen.* vel nudi conſilii terminos excedat. v. *l. 6. §. 5. l. 32. D. §. 6. in f. I. h. t.*

§. 17. D*e eo judicium dabo.* Concedendo ſcil. *Actionem Mandati:* Quæ duplex eſt, *Directa*, & *Contraria. Inſcr. l. 3. §. 1. l. 12. §. 7. 9. l. 19.* D. *h. t.*

§. 18. *Actio Mandati Directa*, eſt *Actio perſonalis, Civilis, bonæ fidei; Quæ datur Mandanti, ejusque heredi; Contra Mandatarium, ejusque heredem; Ad negotium ſuſceptum perficiendum, nec non rem, quam mandati nomine acquiſivit, cum omni fructu tradendam, præſtandumque dolum, & omnem culpam, etiam leviſſimam.*

§. 19. Eſt hæc Actio *Perſonalis*, *Civilis*; quia ex contractu *Mandati* naſcitur: licet Prætor eam Edicto etiam promiſerit.

§. 20. *Bonæ fidei*; §. 28. *I. de act. l.* 29. §. 4. *D. h. t.*

§. 21. *Quæ datur Mandanti*, *cujus intereſt*; *l.* 8. §. 6. *D. h. t.* adeoque & Mandatario, qui alium ſubſtituit. *d. l.* 8. §. 3. *D. h. t.*

§. 22. *Ejusque heredi*: arg. §. 1. *l. de perp. & temp. act.*

§. 23. *Contra Mandatarium*; *l.* 5. §. 1. *l.* 6. §. 1. *l.* 8. §. 6. 10. *D. h. t.* & ſi plures ſint, contra ſingulos in ſolidum: *l.* 60. §. 2. *D. h. t.* ita tamen, ut unius ſolutione reliqui liberentur. *d. l.* 60. §. 2.

§. 24. *Ejusque heredem*; *l.* 12. 49. D. *de O. & A.* arg. §. 1. *I. de perp. & temp. act.*

§. 25. *Ad negotium ſuſceptum perficiendum*, *vel id quod intereſt*; *l.* 5. §. 1. *D. h. t.* Sicut enim liberum eſt mandatum non ſuſcipere, ita ſuſceptum conſummandum, aut quam primum renunciandum eſt: *l.* 22. §. *ult. D. h. t.* alioquin, quanti *Mandatoris* intereſt, *Mandatarius* damnabitur. *l.* 27. §. 2. *l.* 8. §. 6. D. *h. t. l.* 16. *C. h. t.*

§. 26. Sive autem *Mandatarius* mandatum ſuſceptum non perfecerit, ſive egreſſus ſit, nihil intereſt. *l.* 41. 46. *D. h. t.* Diligenter enim fines mandati cuſtodiendi ſunt; nam qui exceſſit, aliud quid facere videtur. *l.* 5. *pr.* §. 3. 4. D. §. 8. *I. h. t.* add. *l.* 3. §. 15. D. *de re milit.* junct. Val. Max. *L. II. c.* 7. Liv. *L. VIII. c.* 7. *L. IV. c.* 29. Gell. *L. I. c.* 13.

§. 27. Adeo ut, ratione exceſſus, neque *Actio Mandati*, neque *Actio Negotiorum geſtorum*, contra *Mandantem*, locum habeat. *l.* 41. *D. h. t. l.* 31. §. 4. *D. l. ult. C. de neg. geſt*

§. 28. Plane, qui mandatum per alium, vel (ubi certa forma non eſt præſcripta) per æquipollens perficit, fines mandati excedere non videtur. *l.* 8. §. 3. *l.* 46. *l. ult.* §. *ult.* D. *h. t.* add. *l.* 1. §. 5. *D. de exerc. l.* 5. §. 3. *D. de adm. tut. l.* 48. *pr. D. locat.*

§. 29. *Nec non rem*, *quam Mandati nomine acquiſivit*, *cum omni fructu tradendam*; *l.* 8. §. *ult. l.* 10. §. 2. 8. 9. *l.* 20. D. *h. t.* adeoque & ad Actiones Mandanti cedendas. *l.* 8. §. 5. *l.* 43. 45. *pr.* §. 1. D. *h. t.*

§. 30. *Præſtandumque dolum*, *& omnem culpam*, *etiam leviſſimam. l.* 13. 21. *C. h. t.* Cic. *pro Roſc. Amerin. c.* 38. Similis enim eſt *Mandatarius* Depoſitario, qui depoſito ſeſe obtulit, v. *l.* 1. §. 35. *D. depoſ.* neque debet quis affectare, in quo vel intelligit, vel intelligere debet, infirmitatem ſuam alii periculoſam futuram. *l.* 8. §. 1. *D. ad L. Aquil.*

§. 31. Non vero ad caſum fortuitum; *l.* 13. *C. h. t.* niſi quis omne periculum in ſe ſuſceperit, *l.* 39. D. *h. t. l.* 23. D. *de R. J.*

§. 32. Illud tamen etiam in hac Actione ſingulare eſt, quod in ea, non pecuniæ ſolum, verum etiam exiſtimationis periculum ſit, *l.* 21. *C. h. t.* & ob dolum

vel

vel latam culpam damnatus infamia notetur. *l. 1. 6. §. 6. ſ.* D. *de his qui not. infam. §. 2. I. de pœn. tem. lit.* Cic. *pro Roſc. Am. d. c. 38.*

§. 33. *Actio Mandati Contraria eſt, Quæ, finito mandato, datur Mandatario, ejusque heredi; Contra Mandantem, ejusque heredem; Ad hoc, ut indemnis ſervetur.*

§. 34. Datur hæc Actio *Mandatario; l. 12. §. 7.* D. *h. t.*

§. 35. *Ejusque heredi; l. 14. D. h. t.*

§. 36. *Contra Mandantem; l. 3. §. 1. 2. l. 4. 12. §. 9.* D. *h. t.*

§. 37. *Ejusque heredem; l. 58. pr.* D. *h. t. l. 12. 49.* D. *de O. & A.*

§. 38. *Ad hoc, ut indemnis ſervetur.* Si quas enim impenſas fecerit *Mandatarius*, neceſſarias vel utiles, ipſi reſtitui debent: *l. 10. §. 9. l. 12. §. 9. l. 27. §. 4. l. 56. §. ult.* D. *h. t.* licet forte *Mandans* minus potuiſſet impendere; *d. l. 27. §. 4. D. h. t.* vel exitus non reſponderit. *l. 4. C. h. t.* arg. *l. 10. §. 1.* D. *de neg. geſt.* Ut & omnia, quæ Mandatario ratione mandati abſunt; *v. §. 8. I. h. t. l. 26. §. 2. 7.* D. *h. t.* ne ſcil. officium ipſi damnoſum ſit. *l. 15. 20. pr.* D. *h. t. l. 61. §. 5. D. de furt.*

§. 39. *Finitur* autem *Mandatum* I. *Contraria utriusque voluntate. §. ult. I. quib. mod. toll. obl. l. 58.* D. *de pact.*

§. 40. II. *Revocatione Mandantis. l. 12. §. pen. l. 15. D. h. t. l. 9. I. h. t.* Quod ſi tamen res amplius integra non ſit, *Mandans* mandati obligatus erit. *d. l. 15.*

§. 41. III. *Renunciatione Mandatarii. l. 22. §. ult. D. §. 11. I. h. t.*

§. 42. Dummodo tempeſtive renunciatum ſit; ut integra cauſa Mandatori reſervetur, eandem rem per alium æque commode explicandi. *d. l. 22. §. ult. d. §. 11. I. h. t.*

§. 43. Niſi juſta cauſa interceſſerit, aut non renunciandi, aut non tempeſtive renunciandi; *d. §. 11.* puta adverſæ valetudinis, inimicitiarum capitalium, vel ſimilis. *l. 23. 24. 25.* D. *h. t.*

§. 44. IV. *Morte* tum *Mandantis, l. 26. 58. D. §. 10. I. h t.* tum *Mandatarii, l. 27. §. 3. l. 57.* D. *h. t. d. §. 10. I. h. t.* neutrius enim perſonam mandatum egreditur. *dd. ll.* Ut, neque mortuo Mandatore Mandatarius mandatum implere, neque mortuo Mandatario heres ejus id ſuſcipere cogatur; neque, ſi utroque caſu impletum ſit, actio detur. *d. l. 26. 27. §. 3.* D. *h. t.*

§. 45. Niſi I. Actio ceſſa ſit. *l. 1. C. de O. & A.*

II. Aliquid mandatum ſit, quod non niſi poſt mortem Mandantis perfici poteſt. *l. 12. §. ult. l. 13. D. h. t. l. 14. §. 2. D. de relig. l. 18. §. 2.* D. *de mort. cauſ. don. l. ult.* D. *de ſol.*

III. Mandatarius, ignorans Mandantem deceſſiſſe, mandatum exſecutus ſit. *l. 26. 58. D. h. t. §. 10. I. h. t.*

§. 46.

Digitized by Google

§. 46. Summa ſane æquitatis ratione: neque enim in hoc judicio, in quo de bona fide agitur, de apicibus juris diſputandum eſt. *l. 29. §. 4. D. h. t.*

TITULUS II.

Pro Socio. C. IV. 37.

§. 1.

De *Societate* Prætor tale Edictum propoſuiſſe videtur: *Si Societas inter aliquos coita eſſe dicetur, de eo quod communi nomine geſtum erit pro ſocio actionem dabo.* arg. *infr. l. 1. 2. 3. 5. 29. 32. 52. §. 1. & ſeqq.* D. *§. ult. I. h. t.*

§. 2. Ait Prætor, *Si Societas inter aliquos coita eſſe dicetur; Societas* hic eſt *Contractus Juris Gentium, Conſenſualis, bonæ fidei, quo res vel operæ licitæ communicantur, lucri in commune faciendi gratia.*

§. 3. Eſt hic *Contractus Juris Gentium; l 7. §. 1.* D. *de pact.* arg. *l. 5.* D. *de J. & J. §. 2. I. de J. N. G. & C.*

§. 4. *Conſenſualis;* quia ſolo conſenſu perficitur. *§. un. I. de obl. ex conſenſ.*

§. 5. *Bonæ fidei; l. 51. §. 1. D. h. t. §. un. I. de oblig. ex conſenſ. §. 28. I. de act.* unde ſi dolo malo aut fraudandi animo coita ſit ſocietas, ipſo jure nullius momenti eſt, quia fides bona contraria eſt fraudi & dolo. *l. 3. §. ult.* D. *h. t.*

§. 6. *Quo res, vel operæ;* unde ſocietas coiri poteſt, & valet etiam inter eos, qui non ſunt æquis facultatibus: cum plerumque pauperior opera ſuppleat, quantum ei per comparationem patrimonii deeſt. *l. 5. §. 1.* D. *h. t.* Imo & ita contrahi poteſt, ut unus tantum pecuniam, alter tantum operam conferat, & tamen lucrum inter eos commune ſit: quia ſæpe opera alicujus pro pecunia valet; pretium enim operæ artis eſt velamentum. *l. 52. §. 2.* D. *l. 1. C. h. t. §. 2. I. h. t.* add. *l. 69. D. h. t.*

§. 7. *Licitæ;* ſi maleficii ſocietas coita ſit, conſtat nullam eſſe ſocietatem. Generaliter enim traditum eſt, rerum inhoneſtarum nullam eſſe ſocietatem. *l. 57. 53. 52. §. 17.* D. *h. t. l. 70.* §. *ult. in f.* D. *de fidej. l. 1.* §. *14.* D. *de tut. & rat. diſtr.*

§. 8. *Communicantur;* i. e. id agitur, ut ſocietatis cauſa communicentur. Non enim ſufficit rem eſſe communem: quia communiter res agi poteſt etiam citra ſocietatem, ut puta, cum non affectione ſocietatis incidimus in communionem, uti evenit in re duobus legata, ſimilibusque. *l. 31. 32. 34. D. h. t.*

§. 9. *Lucri in commune faciendi gratia; l. 29. §. 2. D. h. t.* unde donationis cauſa Societas recte non contrahitur, *l. 5. §. ult.* D. *h. t.* & *Societas Leonina* nulla eſt. *d. l. 29. §. 2. D. h. t.* v. *infr. §. 31.*

§. 10.

§. 10. Eſt autem *Societas* I. *Expreſſa*, vel *Tacita*. Societatem enim non tantum verbis & per nuncium, ſed & re coire nos poſſe dubium non eſt. *l. 4. pr. D. h. t.*

§. 11. II. *Univerſalis*, vel *Singularis*. *l. 5. pr. D. pr. I. h. t.*

§. 12. Societas *Univerſalis* eſt, vel *omnium omnino bonorum*, vel *eorum, quæ ex quæſtu veniunt*. *l. 1. §. 1. l. 3. §. 1. l. 73. pr. §. 1. l. 7.* D. *h. t.*

§. 13. In *Societate omnium omnino bonorum*, omnes res, quæ coëuntium ſunt, continuo communicantur; *l. 1. §. 1. D. h. t.* Quint. *Decl. 320.* quia, licet ſpecialiter traditio non interveniat, tacita tamen creditur intervenire. *l. 2.* D. *h. t.*

§. 14. Exceptis nominibus, quæ in ſuo ſtatu manent; ſed Actiones invicem præſtare debent. *l. 3. pr. D. h. t.*

§. 15. Neque præſentia tantum bona communicantur, ſed etiam futura, hereditas ſcil. & legatum, & quod donatum eſt, aut quacunque ratione acquiſitum, *l. 3. §. 1. l. 73. pr. D. h. t.*

§. 16. Quemadmodum autem in hac Societate omnia omnino bona communicantur, ſic & ſi quid erogetur, communis impendii eſt; adeoque & ea, quæ in honorem alterius liberorum, puta in ſtudia vel dotem, erogata ſunt: *l. 73. §. 1.* D. *h. t.* licet alter liberos non habeat. arg. *d. l. 73. §. 1.*

§. 17. In *Societate Univerſali eorum, quæ ex quæſtu veniunt*, (quæ in dubio coita eſſe videtur,) communicatur tantum lucrum, quod ex opera & negotiatione provenit; *l. 7. & 71. §. 1.* D. *h. t.* non etiam hereditates, legata, & donationes: *l. 9. & ſeqq. D. h. t.* quia *quæſtus* intelligitur, qui ex opera cujusque deſcendit. *l. 8. D. h. t.*

§. 18. *Societas Singularis* ſeu *Particularis*, eſt vel unius rei, vel certæ negotiationis. *l. 5. pr. l. 52. §. 5. D. pr. I. h. t.*

§. 19. III. Denique *Societas* coiri poteſt vel *in perpetuum*, i. e. dum vivunt, v. *d. l. 70.* vel *ad tempus*, vel *ex tempore*, vel *ſub conditione*. *l. 1. pr. l. 14. & 70. D. l. pen. C. h. t.*

§. 20. *De eo, quod communi nomine geſtum erit, Pro Socio actionem dabo.* Quæ eſt *Actio Perſonalis, Civilis, bonæ fidei, utrimque directa; Quæ datur ſocio contra ſocium; Ad conferenda bona communia, lucrum communicandum, præſtandumque dolum, latam, & levem culpam.*

§. 21. Eſt hæc Actio, *Perſonalis*, & *Civilis*; quia naſcitur ex contractu *Societatis*. *§. ult. I. h. t.* licet & Prætor eam Edicto complexus ſit.

§. 22. *Bonæ fidei; l. 52. §. 1. l. 45. 78. 79. D. h. t. §. 28. I. de act.*

§. 23. *Utrimque Directa; §. 2. I. de pœn. tem. litig.*

§. 24. *Quæ datur Socio, contra Socium;* nec non heredi, & contra heredem. *l. 35. 63. §. 8.* D. *h. t. l. 49. D. de O. & A. §. 1. l. de perp. & temp. act.*

§. 25. *Ad conferenda bona communia;* v. *l. 1. 2. 14. 15. & 52. §. 8. l. 73. 74. D. h. t.*

Digitized by Google

§. 26. *Lucrum communicandum; l. 29. §. 2. in f.* D. *h. t.*

§. 27. Et ſi quidem non fuerint partes lucri & damni Societati adjectæ, æquas eas eſſe conſtat: *l. 29. pr. D. §. 1. I. h. t.* dummodo æqualiter collatum ſit. Si enim inæqualis eſt collatio, lucrum pro rata ejus, quod quisque contulit, communicandum eſt. arg. *l. 6. & 80. D. h. t.*

§. 28. Quod ſi vero in conventione expreſſæ fuerint partes, (ſive in lucro, ſive in damno, *§. 3. I. h. t.*) hæ ſervari debent; *§. 1. I. h. t.* pacta enim adjecta dant legem contractui. *l. 1. §. 6. D. depoſ. l. 23. D. de R. J.*

§. 29. Dum tamen non ſint naturæ hujus contractus contraria, qui æqualitatem, tanquam jure quodam fraternitatis, deſiderat. *l. 63. pr. D. h. t.*

§. 30. Valet itaque pactum, ut unus duas partes lucri vel tres habeat, alius unam; ut nullam partem damni alter ſentiat, lucrum verò commune ſit: ſi modo alter utroque caſu, vel ratione rei, vel operæ, plus contulerit. *l. 29. pr. §. 1. D.* junct. *§. 2. I. h. t.* Nec non, quo partium definitio arbitrio tertii nominatim committitur: cujus ſi manifeſta appareat iniquitas, corrigi poteſt per judicium bonæ fidei. *l. 76. & ſeqq. D. h. t.*

§. 31. Non autem valet pactum, ut alter lucrum tantum, alter damnum ſentiat: qualis Societas *Leonina* veteribus dicta eſt; *l. 29. §. 2. D. h. t.* ex Æſopi Fabula de Leone, Aſino, & Vulpe. Add. Phædr. *L. I. Fab. 5.* Iniquiſſimum enim genus Societatis eſt; ex qua quis damnum, non etiam lucrum ſpectet. *d. l. 29. §. 2. D. h. t.*

§. 32. Lucrum autem non niſi omni damno deducto, neque damnum niſi omni lucro deducto, intelligitur. *l. 30. D. §. 2. in f. I. h. t.*

§. 33. Quod ſi unus tantum pecuniam, alter tantum operam conferat, lucrum quidem exinde redactum commune eſt, ſed pecuniam collatam ille, qui contulit, præcipuam habet. arg. *§. 2. I. h. t. l. 52. §. 2. D. h. t.* Quia opera (niſi aliud actum ſit) non cum ipſa ſorte ſeu pecunia collata, ſed cum uſu ejus compenſatur. *dd. ll.* v. Cic. *pro Roſc. Com. c. 10.*

§. 34. *Præſtandumque dolum, latam, & levem culpam. l. 52. §. 2. 3. l. 72. D. §. ult. I. h. t. l. 5. §. 2. D. commod.* Ut & ad impenſas, in cauſam Societatis factas, omneque id, quod Socio ratione Societatis abeſt. *l. 38. §. 1. l. 52. §. 10. 15. l. 67. §. pen. D. h. t.*

§. 35. Non etiam ad culpam leviſſimam, arg *dd. ll.* neque ad præſtandum caſum fortuitum: *l. 52. §. 3. 4. D. h. t.* ſive in re communi, *l. 58. pr. §. 1. D. h. t.* ſive in re unius ex ſociis propria contigerit. *d. l. 52. §. 4. D. h. t.*

§. 36. Unde & eo caſu, quo alter tantum pecuniam, alter tantum operam confert, ſi pecunia collata caſu fortuito perierit, ſolius conferentis damnum eſt arg. *§. 2. I. h. t. l. 9. C. de pign. act.*

§. 37. Non tamen hæc Actio contra Socium competit in ſolidum, ſed gaudet Socius (non etiam fidejuſſor ejus, vel heres, *l. 63. §. 1. 2. D. h. t.*) beneficio *Com-*

Competentiæ, neque in plus condemnari poteſt, quam in id, quod tempore rei judicandæ facere poteſt: *l. 63. pr.* §. *6. D. h. t.* §. *38. I. de act.* ſive Socius ſit *Univerſalis*, *l. 16. D. de re jud.* ſive *Particularis*; *d. l. 63. pr. D. h. t.* dummodo judicio Societatis agatur. *d.* §. *38. I. de act.*

§. 38. Niſi Socius conventus dolum admiſerit, *l. 63. pr. D. h. t. l. 22.* §. *1. D de re jud.* vel ſe Socium eſſe negaverit. *l. 67.* §. *f. D. h. t. l. 22.* §. *1.* D. *de re jud.*

§. 39. Illud etiam in hac Actione ſpeciale eſt, quod, ſi Socius ob dolum vel latam culpam damnatus ſit, infamia notetur. *l. 1. 6.* §. *ult. D. de his qui not. infam.* §. *2. I. de pœn. tem. lit.* Cic. *pro Roſc. Com. c. 6. pro Roſc. Amerin. c. 40.*

§. 40. Quod ſi Extraneus contra Socios, cum quibus contraxit, agere velit, non *Actio pro Socio*, ſed quæ ex contractu illo deſcendit, locum habet. v. *l. 69. D. h. t.*

§. 41. Qui ſi omnes contraxerunt, ſinguli tenentur pro rata. arg. *l. 4. pr. D. de exerc. act. l. 9. C. ſi cert. pet.*

§. 42. Si unus ex Sociis; & quidem ſuo nomine, reliqui non tenentur; arg. *l. 28. & 52.* §. *5. l. 63.* §. *3. l. 67.* §. *1. D. h. t. l. 13. C. ſi cert. pet.* niſi in rem Societatis aliquid verſum ſit. *l. 82. D. h. t. l. 4.* §. *1. D. de exerc. act. l. 13. in f. D. de inſtit. act.*

§. 43. Si vero nomine Societatis, tanquam Inſtitor, ſinguli obligantur in ſolidum: arg. *l. 1.* §. *f. l. 2. D. de exerc. act.* modo legem præpoſitionis ſervaverit. *l. 5.* §. *11. l. 11.* §. *5. D. de inſtit. act. l. 69. D. h. t.*

§. 44. Finitur autem Societas variis modis. v. *l. 4.* §. *1. l. 63.* §. *ult. D. h. t.* Et quidem I. *Contraria Sociorum voluntate*, ſeu mutuo diſſenſu. *l. 63.* §. *ult. l. 65.* §. *3. D. h. t.* §. *ult. I. quib. mod. toll. obl. l. 58. D. de pact.*

§. 45. II. *Renunciatione* unius ex Sociis: *l. 4.* §. *1. l. 63.* §. *ult. l. 65. pr.* §. *3. D.* §. *4. I. h. t.* v. *l.* 77. §. *20. D. de leg. 2.* ſive ea expreſſa ſit, ſive tacita; *l. 64. D. h. t.* ſive per ipſum Socium, ſive per Procuratorem facta: *l. 65.* §. *7. 8. D. h. t.* licet Societas ab initio in perpetuum contracta ſit. *l. 14. & 70. D. h. t.*

§. 46. Niſi I. Quis renunciaverit abſenti. *l. 17.* §. *1. D. h. t.*

II. Intempeſtive. *l. 14. 15. 16. 17.* §. *2. l. 65.* §. *5. 6. D. h. t.*

Vel III. Callide & doloſe. Ut ſcil. obveniens aliquod lucrum ſolus habeat: quo caſu Socios quidem a ſe, non vero ſe a Sociis liberat; adeoque lucrum perceptum communicare debet, damnique particeps, lucri, quod alii faciunt, expers manet. *l. 65.* §. *3. & ſeq.* D. §. *4. I. h. t.*

§. 47. III. *Morte naturali* unius ex Sociis. *l. 4.* §. *1. l. 52.* §. *9. l. 63.* §. *ult. l. 65.* §. *9.* D. *h. t.* §. *5. I. h. t.* Adeo ut heres in Societatem (excepta Societate vectigalium, *l. 59. pr.* D. *h. t.*) non ſuccedat; etiamſi tale pactum adjectum ſit. *l. 35. & 59. pr. l. 65.* §. *9. 11.* D. *h. t.*

Digitized by Google

§. 48. Licet ex geſto defuncti obligatus ſit, *l. 35. 36. & 63. §. 8. l. 65. §. 9. D. h. t.* eaque, quæ a defuncto inchoata ſunt, explicare debeat. *l. 40.* D. *h. t.*

§. 49 Imo & unius morte inter omnes ſolvitur Societas, licet plures ſuperſint: niſi in coëunda Societate aliter convenerit. *l. 65. §. 9.* D. *§. 5. I. h. t.*

§. 50. IV. *Morte Civili*, i. e. maxima & media capitis deminutione unius ex Sociis; *l. 4. §. 1. l. 63. §. ult. D. §. 7. I. h. t.* non vero minima. *l. 58. §. 2. l. 65. §. 11.* D. *h. t.*

§. 51. V. *Egeſtate*, ſeu ceſſione bonorum. *l. 4. §. 1. l. 65. §. 1.* D. *§. 8. I. h. t.* Sed hoc caſu, ſi adhuc conſentiant in Socieatem, nova videtur incipere Societas. *d. §. 8. I. h. t.*

§. 52. VI. *Rei interitu*, ſuper qua Societas contracta eſt. *l. 63. §. ult. D. h. t.* VII. *Exacto tempore. l. 65. §. 6. D. h. t.* Et VIII. *Fine* negotiationi impoſito. *l. 65. §. 10.* D. *§. 6. I. h. t.*

* *

LIBER XVIII. TITULUS I.

DE CONTRAHENDA EMTIONE: ET DE PACTIS INTER EMTOREM ET VENDITOREM COMPOSITIS: ET QUÆ RES VENIRE NON POSSUNT.

C. IV. 38. 54. 40.

DE CONTRAHENDA EMTIONE; ET QUÆ RES VENIRE NON POSSUNT.

§. 1.

DE *Emtione Venditione* Prætor tale Edictum propoſuiſſe videtur: *Si Emtio & Venditio contracta eſſe dicetur, Ex Emto Vendito Actionem dabo.* arg *l. 1. 17. 33. 35. 50. 51. 52.* D. *h. t. l. 11. pr. l. 13. §. 19. D. de act. emt.*

§. 2. Ait Prætor: *Si Emtio & Venditio contracta eſſe dicetur; Emtio* & *Venditio* eſt *Contractus Juris Gentium, conſenſualis, bonæ fidei, quo id agitur, ut res ſeu merx, pro certo pretio tradatur.*

§. 3. Ut adeo tria hujus Contractus ſint ſubſtantialia; v. *l. 72.* D. *l. 3. C. h. t. Conſenſus* ſcil. *l. 11. C. h. t. Merx, l. 8. pr. D. h. t.* & *Pretium; l. 2. §. 1. D. h. t.* uti ex ſequentibus patebit.

§. 4. Dicitur *Emtio Venditio Contractus Juris Gentium.* v. *l. 1. §. ult. D. h. t. l. 5.* D. *de J. & J. §. 2. l. de J. N. G. & C. l. 7. pr. §. 1. D. de pact.*

§. 5. Origo enim emendi vendendique antiquiſſima eſt, (v. Geneſ. XXII, 9. 16.

9. 16. 17.) & a permutationibus cœpit. Olim enim non ita erat *nummus*, neque aliud *merx*, aliud *pretium* vocabatur: ſed unusquiſque, ſecundum neceſſitatem temporum ac rerum, utilibus inutilia permutabat: Quando plerumque evenit, ut, quod alteri ſupereſt, alteri deſit. Sed quia non ſemper nec facile concurrebat, ut, cum tu haberes, quod ego deſiderarem, invicem haberem, quod tu accipere velles, electa materia eſt, cujus publica ac perpetua æſtimatio, difficultatibus permutationum, æqualitate quantitatis ſubveniret: eaque materia forma publica percuſſa, uſum dominiumque, non tam ex ſubſtantia præbet, quam ex *quantitate* ſeu valore; nec ultra *merx* utrumque, ſed alterum *pretium* vocatur. *l. 1. pr.* D. *h. t.* add. Ariſt. *L. I. Polit. c. 6.* & *L. V. Eth. c. 5.* Plin. *L. VII. c. 57.*

§. 6. *Conſenſualis; §. un. I. de oblig. ex conſenſ.* quemadmodum enim *Emtio Venditio* ſine conſenſu nulla eſt, *l. 9. pr.* D. *h. t.* ita ſolo conſenſu peragitur & perficitur, ſimul atque ſcil. de re & pretio convenerit: *l. 1. §. ult. l. 2. §. 1.* D. *pr. I. h. t.* quamvis nondum pretium numeratum, ac ne arrha quidem data ſit. *d. l. 2. §. 1. D. d. pr. I. h. t.*

§. 7. Adeo ut alteri, altero invito, a contrrctu' perfecto recedere non liceat: *l. 3. C. de reſc. vend. l. 5. C. de O. & A.* licet arrharum forte datarum damnum pati, vel intereſſe, vel imo duplum præſtare velit. *l. 6. C. de reſc. vend.*

§. 8. Quod & verum eſt, etſi *Emtio Venditio* ſit conditionalis, *l. 8.* D. *de per. & comm. r. v.* vel aliquid ad pondera, numerum, vel menſuram venditum, & necdum admenſum, adpenſum, adnumeratum ſit. *l. 35. §. 5. D. h. t.*

§. 9. Sed ſecus eſt, ſi convenerit, ut *Emtio Venditio* in ſcriptis celebraretur, neque inſtrumenta emtionis fuerint conſcripta, in mundum redacta, & ſubſcripta, ſeu omnibus partibus abſoluta. *pr. I. h. t. l. 17. C. de fid. inſtr.* Donec enim aliquid deeſt ex his, & pœnitentiæ locus eſt, & poteſt Emtor ſine pœna recedere ab *Emtione Venditione. d. pr. I. h. t. l. 17. C. de fid. inſtrum.*

§. 10. Niſi *arrharum* nomine jam aliquid datum ſit; hoc enim caſu, licet contractus imperfectus ſit, ſi quidem eſt Emtor, perdit quod dedit, ſi vero Venditor, duplum reſtituere compellitur, licet ſuper arrhis nihil expreſſum ſit. *d. pr. d. l. 17.*

§. 11. *Conſenſum* impediunt *Vis*, *Dolus*, & *Error*.

§. 12. Hinc ad emendum vendendum nemo cogi poteſt; *l. 11. 14. C. h. t. l. 6. pr.* D. *de off. Præſ.* ne quidem juſto pretio. *l. 9. D. rer. amot.* Adeo ut, ſi quis coactus emat vel vendat, *Emtio Venditio* reſcindatur. *l. 1. C. de reſcind. vend. l. 1. pr. l. 9. §. 3. D. quod met. cauſ.*

§. 13. Niſi utilitas publica, vel ſimilis juſta cauſa, aliud exigat. v. *l. 2. D. de*

 his

Digitized by Google

bis qui ſunt ſui vel alien. jur. §. *ult. I. eod. t. t. C. ut nem. lic. in emt. ſpec. l. 12.* D. *de religioſ. l. 14.* §. *1. D. quemadm. ſerv. am.*

§. 14. Quo caſu tamen juſtum pretium domino ſolvendum eſt. *d.* §. *2. I. de bis qui ſunt ſui vel alien. jur. l. 13.* §. *1.* D. *comm. præd. l. 7. C. de prec. Imp. off.*

§. 15. Si *Dolus* dederit cauſam *Emtioni Venditioni*, reddit eam ipſo jure nullam. *l. 7. pr.* D. *de dol. l. 16.* §. *1.* D. *de min.*

§. 16. Si vero inciderit, ratione damni illati, vel *Actioni Emti Venditi*, vel *Exceptioni doli* locum facit. *l. 13.* §. *4. 5.* D. *de act. emt. l. 9. pr.* D. *de dol.* v. ſupr. *ad t. de dol.* §. *9. & ſeqq.*

§. 17. Si *Error* ratione *Contractus* intercedat, *Emtio Venditio* nulla eſt; *l. 9. pr. D. h. t.* arg. *l. 18. pr. D. de reb. cred. l. 55.* D. *de O. & A.* ut & ſi in *Perſona*, vel in *Re* ſeu corpore, erratum ſit. *d. l. 9. pr.* D. *h. t.* arg. *l. 2. pr. in f.* D. *de jud. l. 2.* §. *16.* D. *pro emt. l. 4. C. de hered. inſt.*

§. 18. Non etiam, ſi erratum ſit in *Nomine proprio*; *l. 9.* §. *1. D. h. t.* arg. §. *29. I. de legat. l. 4. pr.* D. *de legat. 1.* vel *Qualitate d. l. 9.* §. *1. 2. l. 11.* §. *1. D. h. t.*

§. 19. Niſi error in *Qualitate* ſimul errorem in corpore involvat; puta, ſi quis id, quod revera æs eſt, aurum eſſe putaverit. *d. l. 9.* §. *2. l. 41.* §. *1.* D. *h. t.*

§. 20. Quo caſu, ſi quidem in totum erratum eſt, *Emtio Venditio* nulla eſt, & id, quod datum eſt, condici poteſt: *d. l. 9.* §. *2. l. 14. 41.* §. *1. D. h. t.* ſi vero pro parte tantum, *Emtio* ſubſiſtit, *l. 14. 45. D. h. t.* ſed Venditor partem pretii remittere debet, *l. 13.* §. *4. 5. D. de act. emt.* & ad intereſſe tenetur. *l. 21.* §. *2. D. de act. emt.*

§. 21. Si in *Parte rei majore* erratum ſit, *Emtio Venditio* nulla eſt; ſin *minore*, ſubſiſtit, ſed pretium arbitrio boni viri deminuitur, *l. 57. pr. D. h. t.*

§. 22. Si in *Quantitate*, & *Venditio per averſionem* ſeu *ad corpus* facta ſit, (v. ſupr. ad *t. de exerc. act.* §. *13.*) *Venditio* ſubſiſtit, & erroris nulla habetur ratio. Si vero *Venditio ad menſuram* facta ſit, & vel plus vel minus, quam dictum eſt, inveniatur, pretium pro rata augetur vel minuitur. *l. 40.* §. *2.* D. *h. t. l. 4.* §. *1. l. 13.* §. *14. l. 42.* D. *de act. emt. l. 45. 69.* §. *ult.* D. *de evict.*

§. 23. Si denique in *Acceſſionibus* rei venditæ erratum ſit, *Emtio Venditio* ſimiliter valet; & *Acceſſionum* nomine præſtandum, non quod Emtor, ſed quod Venditor intellexit: *l. 33. 34. 60. D. h. t.* licet alias in dubio contra Venditorem interpretatio facienda ſit. *l. 21. 33. D. h. t. l. 39. D. de pact. l. 172.* D. *de R. J.*

§. 24. In hujusmodi autem quæſtionibus perſonæ Ementium & Vendentium

tium ſpectari debent; non eorum, quibus ex eo contractu actio acquiritur. *l. 12. D. h. t. l. 2. D. de litigioſ.*

§. 25. *Bonæ fidei; l. 6. §. 1. D. h. t. l. 5. C. de reſc. vend. §. un. I. de obl. ex conſenſ. §. 28. I. de act.*

§. 26. *Quo id agitur, ut res ſeu merx;* ſine *Re* enim, quæ veneat, *Emtio Venditio* intelligi non poteſt. *l. 8. pr. D. h. t.*

§. 27. *Res* autem *emi vendi poſſunt* omnes, quas quis habere, vel poſſidere, vel perſequi poteſt. *l. 34. §. 1. D. h. t.*

§. 28. Non tantum Præſentes, ſed & Futuræ: quales ſunt quaſi alea & ſpes, puta captus piſcium, avium, vel miſſilium; *l. 8. §. 1. D. h. t. l. 11. §. ult. l. 12. D. de act. emt.* fructus futuri, *d. l. 8. pr.* veluti olivæ pendentes, *l. 39. §. 1. D. h. t.* frumenta, quæ in herbis ſunt; *l. 78. §. ult. D. h. t. l. 25. D. de act. emt.* & reditus annui, etiam in pecunia conſiſtentes. *Nov. 72. c. pen. N. 160. c. 1. c. 1. 2. de emt. vend. in extrav.*

Non tantum Corporales, ſed & Incorporales; v. *l. 80. §. 1. D. h. t.* puta hereditas, & actio, *tt. D. & C. de hered. vel act. vend.*

Non denique tantum res Propriæ, ſed & Alienæ. *l. 28. D. h. t.*

§. 29. Licet enim talis venditio vero rei domino non præjudicet, neque Venditor rem Emtoris præciſe facere teneatur; *l. 30. §. 1. D. de act. emt.* tenetur tamen Venditor, re evicta, ad id, quod intereſt. *d. l. 30. §. 1. tt. D. & C. de evict.*

§. 30. Res vero, quas natura, vel Gentium jus, vel mores Civitatis commercio exemerunt, earum nulla venditio eſt. *l. 34. §. 1. l. 6. 62. §. 1. D. §. ult. I. h. t.*

§. 31. Quales ſunt, Res extinctæ. *l. 15. pr. D. h. t. §. 1. I. de inut. ſtip.*

Liber homo. *l. 6. 34. §. 2. l. 70. D. h. t. §. 2. I. de inut. ſtip.*

Res ſacræ, religioſæ, & ſanctæ. *d. l. 6. 34. §. 2. D. l. 62. §. 1. D. §. ult. I. h. t. §. 2. I. de inut. ſtip.*

Res publicæ, ſeu uſibus populi perpetuo expoſitæ. *d. l. 6. 62. §. 1. D. h. t. §. ult. I. h. t. §. 2. I. de inut. ſtip.*

Venena mala. *l. 35. §. 2. D. h. t. v. l. 3. §. 2. D. ad L. Corn. de ſic. l. 4. §. 1. D. fam. erciſc. l. 236. D. de V. S.*

Libri improbatæ lectionis. *d. l. 4. §. 1. D. fam. erciſc. l. 3. §. 1. 3. C. de ſumm. Trin. l. 16. C. de Ep. aud. l. 6. §. 1. l. 8. §. 5. C. de hæret. Nov. 42. c. 1. §. 2 Act. XIX, 19.*

Res furtivæ. *l. 35. §. 3. D. h. t.*

Res litigioſæ. *l. 2. l. ult. C. de litigioſ.*

Purpura; *l. 1. C. quæ res venir. non poſſ.* ſoli Principi dedicata. *l. pen. C. de veſt. olob.*

Seri-

Sericum; cujus a Barbaris comparandi facultas ſoli Comiti commerciorum conceſſa eſt. *l. 2. C. quæ res ven. non poſſ.*

Frumenti publici canonis, *l. 3. C. quæ res ven. non poſſ.* & id, quod exercitui mittitur. *l. ult. C. eod.*

Arma; quorum uſus inſcio Principe interdictus eſt. *l. un. C. ut armor. uſ. inſc. Princ. interd. ſit. N. 85. c. 1. & ſeqq.* Quæque, ut & vinum, & oleum, barbaris vendi prohibentur. *l. 2. 1. C. quæ res exportar. non deb.*

Officia publica; *Nov. 6. c. 1. §. 5. N. 8. c. 7.* & ſi quæ ſunt ſimilia.

§. 32. Sed nec res propria emi poteſt; *l. 15. §. 2. D. h. t. §. 2. I. de inut. ſtip.* niſi ab initio agatur, ut quis poſſeſſionem emat, quam forte Venditor habuit, ut in judicio poſſeſſionis potior eſſet, *l. 34. §. 4. D. h. t.* vel ſub conditione, *ſi ſua eſſe deſierit*, ematur. *l. 61. D. h. t.*

§. 33. *Pro certo pretio;* ſine *pretio* enim nulla Venditio eſt: *l. 2. §. 1. D. pr. in f. I. l. 9. C. h. t.* quoniam *Emtionis* ſubſtantia ex *pretio* conſiſtit. *l. 72. pr. D. h. t.*

§. 34. Debet autem *Pretium* I. Eſſe *Verum; d. l. 2. §. 1.* D. *l. 9. C. d. pr. in f. I. h. t.* unde Emtio, quæ fit donationis cauſa, *l. 36. 38. D. l. 3. C. h. t.* & imaginaria, non valet: *l. 55. D. h. t.* qualis eſt uno nummo contracta, quæ re ipſa in donationem incidit. *l. 46. D. locat. cond. l. 10. §. ult. D. de acq. vel amit. poſſ. l. ult. C. de don.*

§. 35. II. *Juſtum;* i. e. tantum, ut Venditor non minus quam dimidiam partem juſti pretii accipiat. Propter læſionem enim ultra dimidium *Emtio Venditio* reſcindi poteſt *l. 2. C. de reſc. vend.* Usque ad dimidium autem, in pretio Emtionis Venditionis, ſi quidem dolus abſit, *l. 43. §. f. D. h. t. l. 13. §. 4. 5.* D. *de act. emt. naturaliter* ſeu negotiative licet contrahentibus ſe circumvenire. *l. 16. §. 4. D. de min. l. 22. §. ult.* D. *loc. cond. l. 8. C. de reſc. vend. Nov. 97. c. 1.*

§. 36. III. *Certum; §. 1. I. h. t.* vel per ſe, vel per relationem ad aliam quantitatem: veluti ſi emtor dicat, *quanti tu emiſti*, *quantum pretii in arca habeo. l. 7. §. 1. 2.* D. *h. t.* add. *l. 6. D. de reb. cred.*

§. 37. Quod ſi pretium conferatur in arbitrium tertii, non incerti, ſi quidem ille pretium definiverit, valet Emtio, & ſtandum eſt ejus definitioni omni modo, licet pluris vel minoris, quam valet, rem æſtimaverit. *l. ult. C. §. 1. I. h. t.*

§. 38. Niſi manifeſta ejus ſit iniquitas, quæ corrigi poteſt per judicium bonæ fidei; v. *l. 78. & ſeq. pro ſoc. l. 19. C. de transact.* vel alteruter ultra dimidium læſus ſit: quo caſu remedio *l. 2. C. de reſc. vend.* locus eſt.

§. 39. Sin autem ille, qui nominatus eſt, vel noluerit, vel non potuerit pretium definire, tunc pro nihilo eſt venditio, quaſi nullo pretio ſtatuto. *d. l. ult. C. d. §. 1. I. h. t.*

§. 40. Quod ſi dictum ſit, *quanti velis*, *quanti æquum putaveris*, *quanti æſtimaveris*

maverit, pretiumque in arbitrium unius ex contrahentibus, vel tertii incerti, collatum ſit, Emtio ſimiliter nulla eſt. *l. 35. §. 1. D. l. 13. l. ult. C. h. t. l. 8. D. de O. & A. l. 108. D. de V. O.*

§. 41. IV. Debet *Pretium* in *pecunia numerata* conſiſtere; *l. 1. §. 1. D. §. 2. I. h. t. l. 1.* D. *de rer. perm.* ſi enim res pro re detur, *Permutatio* eſt: *dd. ll.* inter *quam & Emtionem Venditionem* multum intereſt. *d. l. 1. D. de rer. permut.*

§. 42. Si pro re, partim pecunia, partim res alia detur, videndum, quid actum ſit? arg. *l. 6. §. 1.* D. *h. t. l. 21. §. 4. l. 28.* D. *de act. emt. l. 79.* D. *h. t.* De quo ſi non conſtet, ſi plus ſit in pecunia, *Emtio.* erit; ſi in re, *Permutatio.* arg. *l. 1. C. de rer. perm. l. 6. C. de pact. int. emt.* Si vero pecunia & res æquales ſint, potius *Emtio Venditio* cenſenda eſt.

§. 43. Plane ſi *pretium* ab initio ſtatutum ſit, ratio juris non obſtat, quo minus volenti Venditori res quædam loco pretii in ſolutum dari poſſit. *l. 9. C. de reſc. vend. l. 17. C. de ſolut.* arg. *l. 8. pr. D. mand.*

§. 44. *Tradatur*; *l. 11. §. 2.* D. *de act. emt. §. 2. I. de don.* i. e. dominium ejus in emtorem transferatur, ſi quidem Venditor eſt dominus: ſi vero dominus non eſt, ut emtori præſtetur eam rem habere licere. *d. l. 11. §. 2. l. 30. §. 1. D. de act. emt. l. 25. §. 1. D. h. t.*

§. 45. Ut nemo poſſit videri eam rem vendidiſſe, de cujus dominio id agitur, ne ad emtorem tranſeat. *l. pen. §. 3. D. h. t.*

§. 46. Dividi poteſt *Emtio Venditio* I. Quod ſit *Perfecta*, vel *Imperfecta. l. 8. pr. D. de peric. & comm. rei vend.*

II. *Pura, in Diem concepta*, vel *Conditionalis. l. 50.* D. *h. t. §. 4. I. h. t.*

III. *In Scriptis*, vel *Sine Scriptis* celebrata. *pr. I. h. t. l. 17. C. de fid. inſtrum.*

IV. *Privata*, vel *Publica*; quæ ſcil. publica fit auctoritate, intercedente Auctione publica.

§. 47. Quæ quandoque neceſſaria eſt. Si ſcil. vendantur res Minorum, *l. 1. pr. §. 1. 2. D. de reb. eor. qui ſub tut. l. 22. C. de admin. tut.* Eccleſiæ, vel alterius venerabilis domus, *N. 120. c. 6. §. 2.* Principis vel fiſci, *l. ult. C. de fid. & jur. haſt. fiſc. l. 1. C. de vend. reb. civ.* Civitatis; *l. 1. 2. C. de vend. reb. civ.* nec non debitorum, in executione rei judicatæ. *l. 3. C. de exec. rei jud. l. 15. §. 2. & ſeqq. D. de re jud.*

§. 48. *Emere Vendere poſſunt*, quicunque ex contractu poſſunt obligari, neque ſpecialiter prohibentur. Quales ſunt Prodigi, *l. 26. D. h. t.* Pupilli & Minores, *l. 13. §. 29.* D. *de act. emt.* Tutores & Curatores, qui res minoris emere nequeunt; *l. 34. §. ult.* D. *h. t.* niſi palam & bona fide vendantur: *l. 5. C. h. t.* Magiſtratus Provinciales, *l. 46. & 62. D. h. t. l. 46. §. 2.* D. *de jur. fiſc. l. un. C. de contr. jud. l. 11. C. de his quæ vi met. c.* Nobiliores & ditiores, qui pernicioſum

Digitized by Google

urbibus mercimonium exercere prohibentur: *l. 3. C. de commerc. & mercat.* nec non Apoſtatæ, *l. 4. C. de apoſtat.* & Hæretici improbiores. *l. 4. §. 3. C. de hæret.*

§. 49. *Ex Emto Vendito actionem dabo;* de quibus *Actionibus* plenius agetur infr. ad *t. de act. emt. vend.*

De Pactis Inter Emtorem Et Venditorem Compositis.

§. 50. *Emtioni Venditioni* autem non raro adjiciuntur *Pacta.*

§. 51. Quæ, ſi naturæ contractus non ſint contraria, v. *l. 23.* D. *de R. J.* & in continenti adjecta, *Emtioni Venditioni* inſunt; *l. 7. §. 5.* D. *de pact.* ſive ſint detrahentia, ſive adjicientia: v. *l. 72. pr. D. h. t.* non etiam, ſi ex intervallo ſint appoſita, niſi ſint detrahentia, quæ contractu etiam continentur. *d. l. 72. pr.* D. *h. t.* add. ſupr. *ad t. de pact. §. 30. & ſeqq.*

§. 52. Qualia ſunt v. c. I. Ut dolia, ruta, cæſa &c. quæ in fundo vel ædibus ſint, accedant, *l. 40. §. 5. l. 66. §. 2. D. h. t. l. 17. §. 6. l. 18. §. 1. D. de act. emt.* v. *l. 241. D. de V. S.*

II. Ne ancilla proſtituatur. *l. 56. D. h. t. t. t. C. ſi mancip. ita vend.*

III. Ut venditor fundum, vel ædificium, certa mercede conductum habeat, *l. 75. D. h. t. l. 21. D. loc. cond.* add. *l. 21. §. ult. D. de act. emt.*

IV. Ut caſus fortuitus præſtetur. *l. 78. §. ult. D. h. t.*

V. Ut, ſi intra certum tempus res non tradatur, pœna ſolvatur. *l. 47. D. de act. emt.*

VI. Ut, ſi intra certum tempus pretium non ſolvatur, arrha amittatur. *l. 1. C. de pact. int. emt. & vend. compoſ.*

VII. Ut, ſi vel ipſe venditor, vel ejus heres, idem pretium, quandocunque, vel intra certa tempora, obtuliſſet, res reſtituatur. *l. 2. C. eod.* add. *l. 7. C. eod.* & infr. *ad t. de reſc. vend. §. 16. & ſeqq.*

VIII. Ut pretii tardius ſoluti uſuræ præſtentur. *l. 3. C. eod.*

IX. Ne liceat emtori rem emtam humano jure eximere. *l. ult. C. eod.*

Et quæ principem fere locum obtinent, *Pactum Addictionis in diem, & Lex Commiſſoria;* de quibus *tt. ſeqq.*

TITULUS II.

De In Diem Addictione.

§. 1.

In diem Addictio ita fit: *Ille fundus centum eſto tibi emtus, niſi ſi quis intra calendas Januarias proximas meliorem conditionem fecerit. l. 1. D. h. t. l. 2. §. 4. D. pro emt.*

§. 2. Quo

§. 2. Quo caſu *Emtio Venditio* vel *Pura* eſt, vel *Conditionalis*. *l. 2. pr. D. h. t.*

§. 3. *Pura* eſt, ſi hoc actum ſit, ut meliore allata conditione ab emtione diſcedatur. *d. l. 2. pr. D. h. t. d. l. 2. §. 4. D. pro emt.*

§. 4. *Conditionalis* vero, ſi hoc actum ſit, ut, niſi melior conditio afferatur, emtio perficiatur. *d. l. 2. pr. D. h. t.*

§. 5. Ubi *Pura* Venditio eſt, emtor interim dominus eſt, *l. 41. D. de R. V.* vel rem emtam uſucapere poteſt, adeoque & fructus lucratur, & periculum ad eum pertinet, ſi res interierit; *l. 2. §. 1. l. 6. pr. D. h. t.* quoniam poſt interitum rei melior conditio afferri nequit. *l. 3. D. h. t.*

§. 6. Ubi autem *Conditionalis* eſt Venditio, emtor non fit dominus, nec uſucapere poteſt, neque fructus ad eum pertinent. *l. 4. pr.* D. *h. t.*

§. 7. Quod ſi vero melior conditio afferatur, *Pura* venditio reſolvitur, emtorque rem emtam una cum fructibus reſtituere debet: *l. 4. §. 4. in f. l. 6. pr. l. 14. §. 1. l. 16. D. h. t. Conditionalis* autem pro non contracta habetur. arg. *l. 2. pr. D. h. t.*

§. 8. Quem in finem Venditori, non tantum, vi pacti adjecti, *Actio Venditi* contra emtorem, *l. 7. §. 5. D. de pact. d. l. 4. §. 4. in f. l. 14. §. 1.* D. *h. t.* ſed & *Rei vindicatio* contra quemcunque poſſeſſorem competit. arg. *l. 41. pr.* D. *de R. V. l. 4. C. de pact. int. emt. & vend.*

§. 9. Dummodo alius verus non falſus emtor meliorem conditionem afferat, *l. 4. §. 5. l. 6. pr. D. h. t.* & Venditor priorem Emtorem de meliore allata conditione certiorem faciat; neque ille *adjicere*, i. e. tantundem præſtare velit. *l. 7. 8. & 6. §. 1.* D. *h. t.*

§. 10. *Melior* autem *conditio afferri* videtur, ſi pretio ſit additum, vel ſolutio pretii facilior vel maturior offeratur, vel locus oportunior ſolvendo pretio dicatur, vel perſona idoneior ad emtionem accedat. *l. 4. §. ult. D. h. t.*

§. 11. Quicquid enim ad utilitatem venditoris pertinet, pro meliore conditione haberi debet. *l. 5. D. h. t.*

§. 12. Plane licet Venditori meliorem conditionem oblatam, ſi velit, *abjicere*, ſequique primam quaſi meliorem; niſi aliud actum ſit. *l. 9.* D. *h. t.*

TITULUS III.

De Lege Commissoria.

§. 1.

Lex *Commiſſoria*, ſeu *Pactum Commiſſorium*, *v. l. 22. 33. 77. 78. D. de contr. emt. l. 39. D. l. 10. C. de pact. l. 1. §. 6. D. depoſ. l. 23. D. de R. J. §. 5. I. de loc. cond.* eſt, cum Venditor ita cavet, *Ut, ſi ad diem pecunia ſoluta non ſit, fundus* v. c. *inemtus ſit. l. 2. 4. pr. l. 5. D. h. t.*

Digitized by Google

§. 2. Dicitur *Lex Commiſſoria*, quia ſi quis contra Legem contractus commiſerit, res fit inemta. *l. ſ. l. 2. 4. pr. l. 5.* D. *h. t.*

§. 3. Magis enim eſt, ut hoc caſu ſub conditione reſolvi, quam ſub conditione contrahi videatur. *l. 1. D. h. t.*

§. 4. Unde & dominium rei Venditæ interim in Emtorem tranſit, & Emtor fructus ex ea re perceptos ſuos facit. *l. 5. D. h. t.*

§. 5. Quod ſi igitur pretium intra dictum tempus ſolutum non ſit, poteſt Venditor, ſi velit, *l. 2. 3. D. h. t. Legem Commiſſoriam* exercere. *dd. ll.* Non tantum, ſi emt . interpellatus non ſolvat, ſed & ſi intra illud tempus ultro non obtulerit. *l. 4. §. ult. D. h. t.*

§. 6. Dummodo ſtatim, atque commiſſa lex eſt, ſtatuat Venditor, utrum velit *Commiſſoriam* exercere, an potius pretium petere. *l. 4. §. 2. D. h. t.*

§. 7. Si enim poſt diem, *Commiſſoriæ Legi* præſtitutum, pretium petat, *Legi Commiſſoriæ* renunciatum videtur, neque poſtea variare licet. *l. 7. d. l. 4. §. 2. D. h. t.*

§. 8. Ubi autem Venditor *Legem Commiſſoriam* elegit, Emtor rem Venditam una cum fructibus reſtituere, damnumque in re vendita datum reſarcire debet. *l. 4. pr. l. 5. D. h. t.*

§. 9. Niſi partem pretii jam dederit; quo caſu, quia quod dedit emtor, ut & arrham, amittit, *l. 6. pr. D. h. t.* fructus eum lucrari æquum eſt. *l. 4. §. 1. D. h. t.*

§. 10. Quem in finem Venditori vel *Actio Venditi* contra emtorem; *l. 4. pr. D. h. t. l. 6. §. 1. D. de contr. emt.* vel *Rei Vindicatio* contra quemlibet poſſeſſorem competit. *l. ult. D. h. t. l. 4. C. de pact. int. emt. & vend. compoſ.*

TITULUS IV.

De Hereditate, Vel Actione Vendita.

C. IV. 39.

§. 1.

Cum autem res non tantum corporales, ſed & incorporales, adeoque & *Hereditas* & *Actio* vendi poſſint, v. ſupr. *ad t. de contr. emt. §. 28.* in iisque quædam ſint ſpecialia, de *Hereditate* & *Actione vendita*, hic & in Cod. ſub ſpeciali titulo agitur.

§. 2. De quibus, hiſce ſimilibusve verbis, Prætorem Edictum propoſuiſſe probabile eſt: *Si Hereditas aut Actio veniſſe dicetur, quicquid pecuniæ, ex ea hereditate, aut actione, ad venditorem, ejusve heredem, perveniſſe dicetur, aut dolo malo factum erit, quo minus pervenerit: Item quæcunque actio, petitio, perſecutio, inde dari debuit, ea omnia emtori præſtari ac reſtitui jubebo.* arg. *l. 1. 2. §. 3. Inſcr. l. 4. 5. 9. 11. 14. 16. 17. D. h. t.*

§. 3. Sed

§. 3. Sed de ſingulis, ſecundum inſcriptionem, ſeparatim paulo accuratius videndum.

De Hereditate Vendita.

§. 4. Ait Prætor, *Si Hereditas veniſſe dicetur;* quæ ſcil. revera eſt, & delata eſt. Si enim hereditas venierit ejus, qui vivit, aut nullus eſt, nihil eſt actum: quia in rerum natura non eſt, quod veniit. *l. 1. 7. D. h. t.*

§. 5. Quo caſu emtor pretium, & ſi quid in eam rem inpenſum eſt, nec non id quod intereſt, a venditore conſequitur. *l. 8. 9. D. h. t.*

§. 6. Niſi dictum ſit, *Si qua ſit hereditas, eſt tibi emta;* adeoque ſpes tantum hereditatis veneat. *l. 11.* D. *h. t.*

§. 7. Quod ſi quidem aliqua ſit hereditas, ſed ad venditorem non pertineat, illa æſtimanda eſt. *d. l. 8. D. h. t.*

§. 8. Niſi in venditione hereditatis id actum eſt, *Si quid juris eſſet venditoris, venire;* quo caſu, quamvis ad venditorem hereditas non pertinuerit, nihil tamen ab eo præſtabitur. *l. 10. D. h. t.*

§. 9. Quod tamen ſic intelligendum eſt, niſi ſciens ad ſe non pertinere ita vendiderit; nam tunc ex dolo tenebitur. *l. 12.* D. *h. t.*

§. 10. *Quicquid pecuniæ ex ea hereditate, ad venditorem, ejusve heredem, perveniſſe dicetur; Effectus* enim *Venditæ Hereditatis* eſt, ut Venditor id jus, quod tempore venditionis habet, in emtorem transferat, & quicquid ad eum pervenit. *l. 2. pr. §. 1. D. h. t.* Quam in rem *Stipulatio Emtæ hereditatis* inter Emtorem & Venditorem interponi ſolebat. v. *l. 50. §. 1. D. de V. O.* junct. *d. l. 2. pr. §. 1. & ſeqq. l. 18. D. h. t. l. 97. 178. pr. §. 1. 2.* D. *de V. S.*

§. 11. Unde & res hereditarias, quas habet, tradere debet, vel actiones emtori mandare. *l. 14. §. 1. D. l. 4. C. h. t.*

§. 12. *Perveniſſe* enim ad venditorem hereditatis non tantum videtur, ubi corpora nactus eſt, vel debita exegit; ſed etiam antequam corpora rerum hereditariarum nactus eſt, quatenus ſcil. poteſt earum rerum perſecutionem actionesque tribuere. *l. 2. §. 3.* D. *h. t.*

§. 13. Sed & ſi rerum venditarum, ante hereditatem venditam, pretia fuerit conſecutus, palam eſt, ad ad eum pretia perveniſſe. *d. l. 2. §. 3. D. h. t.*

§. 14. Plane illud tenendum, *cum effectu* debere *perveniſſe*, non prima ratione: & idcirco, quod legatorum nomine quis præſtitit, vel ſi quid æris alieni eſt, vel cujus alterius oneris hereditarii, ad Venditorem perveniſſe non videri. *d. l. 2. §. 3.* D. *h. t.*

§. 15. *Ejusve heredem;* non tantum enim quod ad venditorem hereditatis, ſed & quod ad heredem ejus ex hereditate pervenit, emtori reſtituendum eſt: & non ſolum, quod jam pervenit, ſed &, quod quandoque pervenerit, reſtituendum eſt. *l. 2. §. 4.* D. *h. t.*

§. 16.

Digitized by Google

§. 16. *Aut dolo malo factum erit, quo minus perveniret: l. 2. §. 5.* D. *h. t. Feciſſe* autem *dolo malo, quo minus perveniat,* videtur, ſi alienavit aliquid, vel etiam accepto aliquem liberavit, vel id egit dolo malo, ne de hereditate acquireretur, vel ne poſſeſſionem, quam adipiſci poſſet, adipiſceretur. *l. 2. §. 5. D. h. t.*

§. 17. Sed etſi non dolo, ſed lata culpa admiſerit aliquid, utique tenebitur. *d. l. 2. §. 5.* D. *h. t.*

§. 18. *Item quæcunque actio, petitio, perſecutio, inde dari debuit, ea omnia emtori præſtari ac reſtitui jubebo. d. l. 2. §. 3. l. 4. C. h. t.*

§. 19. Non ſolum autem hereditarias actiones, ſed etiam eas obligationes, quas ipſe conſtituit, veluti ſi a debitore hereditario fidejuſſorem accepit, emtori præſtare debet. *l. 2. §. 8. D. h. t.*

§. 20. Licet & ante ceſſionem Emtor hereditatis *Utilibus* actionibus, contra debitores hereditarios, experiri poſſit. *l. 5. C. h. t. l. 16. pr. D. de pact.*

§. 21. Non etiam præſtat Venditor ſingularum rerum evictionem; *l. 1. C. de evict. l. 2. pr. D. h. t.* nec ea, quæ ſpecialiter excepit; *l. 2. §. 12. & ſeqq. D. h. t.* neque quæ ex alia cauſa, quam ex hereditate vendita, acquiſivit, veluti, ſi quid poſt venditam hereditatem ex ſubſtitutione pupillari conſecutus eſt; *l. 2. §. 2. D. h. t.* vel pars deficientis coheredis ei accrevit; arg. *l. 88. D. de hered. inſt. l. 9. D. de ſuis & legit. hered. l. 31. 53. §. 1.* D. *de acq. vel om. her. l. un. §. 10. C. de caduc. toll. l. 2. §. 1.* D. *h. t.* vel indebitum occaſione hereditatis accepit. *l. 2. §. 7. D. h. t.*

§. 22. Quin & ſicuti lucrum omne ad emtorem hereditatis reſpicit, ita damnum quoque ad eundem reſpicere debet. *l. 2. §. 9. D. h. t. l. 10. D. de R. J.* Quam in rem *Venditæ hereditatis* Stipulatio interponi ſolebat. v. *l. 2. §. 10. & ſeqq. l. 18.* D. *h. t. l. 178 §. ult. D. de V. S.*

§. 23. Unde ſi quas impenſas in funus defuncti, *l. 2.* §. *17.* D. *h. t.* vel ipſam hereditatem, vel res hereditarias fecit, *l. 2.* §. *11. 16.* D. *h. t.* vel æs alienum hereditario nomine ſolvit, vel retinere, vel ab emtore repetere poteſt. *l. 2. §. 17. 18. D. h. t.*

§. 24. Cum enim Venditor hereditatis ſummo jure heres maneat, *l. 88. D. de hered. inſt.* adeoque a creditoribus, legatariis, & fideicommiſſariis, conveniri poſſit; *l. 2. C. h. t. l. 2. C. de legat.* æquiſſimum ſane eſt, ſi quid eo nomine præſtiterit, eum indemnem ſervari. *d. l. 2. §. 9. 18. D. h. t.*

§. 25. Imo & id, quod venditori hereditatis a defuncto debebatur: licet per aditionem hereditatis confuſione exſtinctum ſit; *l. 2. §. 18.* D. *h. t. l. 75. D. de ſol.* ut & ſervitutes, Venditor ab Emtore petere poteſt. *d. l. 2. §. 18. 19. D. h. t.*

DE

De Actione Vendita.

§. 26. Quemadmodum autem *Hereditas*, ſic & *Actio* vendi poteſt. *l. 17. D. h. t.*

§. 27. Et quidem *omnis*, ſive ea in rem ſit, ſive in perſonam, *l. f. C. h. t.* quæ ſpecialiter non eſt excepta: quales ſunt Accuſationes publicæ, *l. pen. §. 1. D. de publ. jud.* actiones Populares, arg. *l. 7. §. 1. l. 5. de pop. act. l. 42.* D. *de proc.* & Litigioſæ. *l. 1. §. 1.* D. *l. 2. l. f. C. de litigioſ.*

§. 28. Non etiam intereſt, an obligatio ſit pura, in diem concepta, an conditionalis; *d. l. 17.* an volente debitore venditio fiat, an eo invito. *l. 3. C. h. t.*

§. 29. *Effectus* autem *Actionis Venditæ* eſt, ut Venditor, quicquid compenſatione, vel exactione fuerit conſecutus, vel poſtea acceperit, emtori reſtituat; *l. 23. §. 1. l. 6.* D. *h. t.* & omne jus, quod ex ea cauſa ei competit, tam adverſus ipſum reum, quam adverſus interceſſores, cedat, *d. l. 23. pr.* pignorisque perſecutionem præſtet. *l. 6.* D. *h. t.*

§. 30. Quæ *Ceſſio* nihil aliud eſt, quam *Actionis*, *cedenti competentis*, *per mandatum, ex juſto titulo, in alium facta translatio. l. 76. D. de ſolut. l. 1. in f. C. de Mag. conv. l. 8. §. ult. D. mandat. l. 2. §. ult.* D. *fam. erciſc. l. 4. C. de proc. l. 2. in f. C. de divid. tut. l. 35. §. 4. in f. D. de contr. emt.*

§. 31. Qua facta Emtor non tantum *Actione Utili*, (quam & ante ceſſionem habet, *l. 1. C. de Mag. conv. l. 16. pr. D. de pact.*) nomine proprio; *l. 7. 8. l. ult. C. h. t. l. 2. C. de O. & A.* ſed & *Directa*, nomine cedentis, contra debitorem experiri poteſt. *l. 8. C. h. t. l. 8. §. ult.* D. *mand. l. 4. C. de proc.*

§. 33. Locupletem debitorem Venditor præſtare non cogitur; *l. 4. C. h. t. l. 74. §. ult.* D. *de evict.* niſi aliud convenerit, *d. l. 4.* vel Venditor doloſe verſatus ſit. arg. *l. 74. §. ult. D. de evict. l. 22. §. 2.* D. *ſol. matr. l. 4. C. h. t.*

§. 33. Et quidem olim, cum omne jus venditoris in emtorem tranſeat, *l. 23. pr.* D. *h. t.* Emtor Actionis integrum debitum a debitore exigere poterat.

§. 34. Cum autem Anaſtaſius Imp. comperiſſet, redemtores alienarum litium vili ſæpe pretio alienas actiones emere, eoque jure abutentes alios vexationibus afficere, conſtituit, ut, ſi quis actiones emerit, ei, usque ad ipſam tantummodo ſolutarum pecuniarum quantitatem, & uſurarum ejus, actiones exercere permittatur. *l. 22. C. mand.*

§. 35. Exceptis I. Ceſſionibus, quas inter coheredes, pro actionibus hereditariis, fieri contingit.

II. Quas

II. Quas vel creditor, vel is, qui res aliquas poſſidet, pro debito, ſeu rerum apud ſe conſtitutarum munimine ac tuitione, accepit.

III. Quas inter legatarios ſeu fideicommiſſarios, quibus debita vel actiones, ſeu res aliæ relictæ ſunt, pro his fieri neceſſe ſit. *d. l. 22.*

§. 36. Si vero per donationem ceſſio fiat, antiqua jura ſervari voluit. *d. l. 22. in f.*

§. 37. Quam Conſtitutionem Anaſtaſianam Imp. Juſtinianus ceu juſtiſſimam confirmavit. *l. 23. C. mand.* Sed cum eam etiam redemtores litium eluderent, invenientes machinationem, ut partem quidem debiti venditionis titulo transferant in alium creditorem, reliquam autem partem per coloratam cedant donationem, ulterius ſanxit, ut nulli liceat partem debiti cedere, pecuniis acceptis & venditione actionum habita, partem autem donationis titulo transferre; ſed ut, ſi voluerit, debitum totum pure donet, & per donationem actiones transferat. *d. l. 23. C. mand.*

§. 38. Si quis autem occulte aliud agere conetur, & pecunias pro parte accipiat, partem autem donare ſimulet: ſtatuit, ut emtor nihil amplius accipiat, quam ipſo vero contractu re ipſa perſolvit, & omne, quod ſuperfluum eſt, inutile ſit; & neque ei, qui ceſſit actiones, neque ei, qui eas ſuſcepit, lucro ſit, vel a debitore exigi poſſit. *d. l. 23. §. 1. C. mand.*

§. 39. Ut adeo ſuperfluum neque Fiſco, v. *l. 10. D. de jur. fiſc.* neque Credenti, neque Ceſſionario, ſed ſoli *Debitori* adjudicandum ſit. *d. l. 23. §. 1. 2.* junct. *l.* 47. D. *de O. & A.*

TITULUS V.

DE RESCINDENDA VENDITIONE, ET QUANDO LICEAT AB EMTIONE DISCEDERE.

C. IV. 44. 45.

§. 1.

Et hæc quidem de *Emtione Contrahenda;* ſequitur de *Venditione Reſcindenda;* varii enim ſunt modi, quibus Emtio Venditio contracta reſcindi poſſit.

§. 2. Et quidem I. *Reſcinditur Emtio Venditio mutuo* contrahentium *diſſenſu; §. ult. I. quib. mod. toll. obl.* ſicut enim ſolo conſenſu contrahitur, ita contrario conſenſu reſolvitur: *l. 3. pr. l. 2. 5. §. 1.* D. *h. t. l. 58. D. de pact.* quia nihil tam naturale eſt, quam eo genere quidque diſſolvere, quo colligatum eſt. *l. 35. D. de R. J.*

§. 3. Dummodo res nondum ſit ſecuta, i. e. neque pretium ſolutum, neque fundus

fundus v. c. traditus ſit. *d. l. 3. 5. §. 1. D. h. t. §. ult. I. quib. mod. toll. obl. l. 58. D. de pact. l. 1. 2. C. quand. lic. ab emt. reced.*

§. 4. Nam poſt traditionem interpoſitam nuda voluntas non reſolvit emtionem; niſi ſimul reſtituantur, quæ prius tradita erant. *d. l. 1. C. quand. lic. ab emt. reced. l. 58. D. de pact.*

§. 5. Alter altero invito a contractu Emtionis Venditionis recedere nequit: *l. 3. C. h. t. l. 5. C. de O. & A.* ne quidem ex Principis reſcripto, *d. l. 3. C. h. t.* neque ſi venditor duplum pretium offerat emtori. *l. 6. C. eod.* arrhamve duplicatam reſtituere, vel emtor eam amittere velit. arg. *d. l. 3. d. l. 6. C. h. t. l. 17. C. de fid. inſtrum. pr. I. de emt. vend.* v. ſupr. *ad t. de contr. emt. §. 7. & ſeqq.*

§. 6. II. Reſcindi poteſt Venditio, *Si quis per vim coactus* rem quandam *vendidit. l. 1. 8. C. h. t. l. 1. D. quod met. cauſ.*

§. 7. III. Si *dolus interceſſerit; l. 5. 8. 10. C. h. t.* niſi læſus id ſciverit, ſciensque conſenſerit. *l. 11. C. h. t.* ſupr. *ad t. de dol. §. 12. 13.*

§. 8. IV. Si *Venditor ultra dimidium læſus ſit*, i. e. ne dimidia quidem pars veri pretii ei ſoluta ſit. *l. 2. C. h. t.*

§. 9. Quo caſu *Venditori* contra Emtorem *Actio* datur *Venditi*, ad id, ut vel recepto pretio rem reſtituat, vel quod juſto pretio deeſt, adjiciat. *d. l. 2. C. h. t.*

§. 10. Non tantum, ſi venditio ſit privata, ſed & ſi ſub haſta vel publica auctoritate facta ſit. arg *l. 16. C. h. t. l. 1. 2. C. de fid. & jur. haſt. fiſc. l. 11. C. de præd. min. l. ult. C. ſi in cauſ. jud. pign. cap. l. 2. C. ſi tut. vel cur. interv.*

§. 11. Niſi auctoritas Magiſtratus, non ſolennitatis cauſa, ſed tollendæ controverſiæ ſuper æſtimatione, interceſſerit. *l. 1. C. de præd. decur.* v. *l. 36. D. fam. erciſc.*

§. 12. Idem & eadem *humanitatis*, i. e. æquitatis, v. *l. 36. de jud. l. 37. D. de fidei lib.* ratione dicendum, ſi *Emtor ultra dimidium læſus ſit*, i. e. ſi res emta ne quidem dimidiam partem dati pretii valeat. arg. *d. l. 2. C. h. t.*

§. 13. Quin & *d. l. 2.* ad alia negotia bonæ fidei, Emtioni Venditioni ſimilia, puta *Permutationem*, arg. *l. 2. D. de rer. perm. Diviſionem*, arg. *l. 1. C. comm. utr. jud. Dationem in ſolutum, l. 4. C. de evict.* & *Locationem Conductionem, pr. I. l. 2.* D. *loc. cond.* recte extenditur. add. *l. 3. C. comm. utr. jud.*

§. 14. Non etiam ad *Donationem*; arg. *l. 22. D. de don.* neque *Transactionem; l. 78. §. ult. in f. D. ad SC. Treb.* v. ſupr. *ad t. de tranſact. §. ult.* neque *Dotem:* quia quælibet læſio, etiam minor, in dote reformatur. *l. 6. §. ult. l. 12. §. 1.* D. *de jur. dot.*

§. 15. Ceſſat etiam *d. l. 2.* ſi Venditor rem ſciens viliori pretio vendiderit, vel Emtor majori pretio emerit; arg. *l. 11. C. h. t. l. 9. C. de act. emt. l. 1. C. ſi maj. fact. l. 1. §. 5. D. de injur. l. 145. & 203. D. de R. J.* vel contrahentes beneficio *d. l. 2.* renunciaverint. arg. *l. 46.* D. *l. pen. C. de pact. l. 69.* D. *de R. J.*

§. 16. V. Si *adjectum ſit Pactum de Retrovendendo:* ut, ſi vel ipſe Venditor, vel ejus heres, idem pretium quandocunque, vel intra certa tempora, offerat; res vendita reſtituatur. *l. 2. C. de pact. int. emt. & vend. compoſ.* v. ſupr. *ad t. de contr. emt. §. 51. n. VII.*

§. 17. Quo caſu Venditori ejusque heredi, eodem oblato pretio, *quandocunque*, vel intra dictum tempus, datur *Actio* ex *Vendito* vel *Præſcriptis verbis*, contra Emtorem ejusque heredem, (etiam minorem, *l. 2. C. quand. decr. op. non eſt.*) ad rem venditam reſtituendam: habita ratione eorum, quæ, poſt oblatam ex pacto quantitatem, ex ea re ad adverſarium pervenerunt; *d. l. 2. C. de pact. int. emt. & vend.* vel, ſi rem alienavit, ad id quod intereſt. arg. *d. l. 2.*

§. 18. Rei Vindicatio enim, contra tertios poſſeſſores, Venditori non competit. arg. *d. l. 2. 7. §. 5. D. l. 20. C. de pact. l. 4. C. de ad. act.*

§. 19. VI. *Si Jus Retractus locum habeat.*

§. 20. Eſt autem *Jus Retractus*, v. *l. 9. §. 2. D. de adm. rer. ad civ. pert.* (quod & *προτιμήσεως* & *Prælationis* dicitur) *Jus, quo alius, eodem oblato pretio, emtori, reſciſſa venditione præfertur.*

§. 21. Idque vel *Conventionale* eſt, vel *Legale*, vel *Conſuetudinarium.*

§. 22. *Conventionale* eſt, cum inter venditorem & emtorem convenit, ut ſi emtor rem emtam vendere velit, non alii quam venditori diſtrahat. *l. 75. D. de contr. emt. l. 21. §. 5. de act. emt. l. 122. §. 3. D. de V. O.*

§. 23. Ex quo naſcitur obligatio, qua Emtor rem hac lege emtam venditurus, tenetur denunciare venditori, an ipſe velit emere; & ſi contra fecerit, *Actio venditi* ad rem reſtituendam, vel id quod intereſt. *d. l. 75. D. de contr. emt. d. l. 122. §. 3. D. de V. O.*

§. 24. *Legale* vero, vel *Conſuetudinarium*, quod ſingulari Lege vel conſuetudine, certis perſonis, vel propter *Dominium*, vel propter *Creditum*, vel propter *Conſanguinitatem*, vel propter *Communionem*, vel propter *Vicinitatem*, tribuitur. *l. 14. C. de contr. emt. L. V. Feud. T. 13.*

§. 25. Propter *Dominium Jus Retractus* competit Domino Emphyteuſeos, in prædio emphyteutico. *l. ult. C. de jur. emph.*

§. 26. Propter *Creditum* competit Creditoribus, interque eos ei, cui major pecunia debetur. *l. 16. D. de reb. auct. jud. poſſ.* v. infr. *ad d. t. §. 3.*

§. 27. Propter *Conſanguinitatem* Conſanguineis; *d. l. 16. L. V. Feud. T. 13.* qui & *Retractus Gentilitius* dici, & ex ſacris paginis derivari ſolet. v. Lev. XXV, 23. *& ſeqq.* Ruth. IV, 3. *& ſeqq.* Jerem. XXXII, 7.

§. 28. Propter *Communionem* Sociis. *d. L. V. Feud. T. 13.*

§. 29. Et denique propter *Vicinitatem* Convicaneis, *l. un. C. non licer. habitator. metrocom. loc. ſua ad extran. transferr.* & Vicinis. *d. L. V. Feud. T. 13.*

TITU-

TITULUS VI.

De Periculo, Et Commodo Rei Venditæ.
C. IV. 48.

§. 1.

Non etiam reſcinditur Emtio Venditio ob ſolum damnum, quod in re vendita forte contigit. De quo tamen, cum inter Emtorem & Venditorem non raro moveantur controverſiæ, *de Periculo & Commodo Rei Venditæ* ſeparatim agendum viſum eſt.

§. 2. *Periculi* nomine (quod non ſemper eodem modo accipitur, v. *l. 13. §. 1. D. de lib. cauſ. l. 40. D. locat. l. 25. D. pro ſoc. l. 14. §. 16. D. de furt. l. 1. §. 35. D. depoſ. l. 3. pr. D. naut. caup. ſtab.* v. ſupr. *ad t.* D. *commod. §. 37.)* hic maxime venit damnum fatale, ſeu quod caſu fortuito datum eſt. *l. 1. 7. 15. D. h. t. §. 3. I. de emt. vend. l. 17. §. 1. 2. 4. D. de P. V. l. 9. §. 3. D. locat. l. 9. C. de pign. act.*

§. 3. Ut autem ſciamus, an Emtoris, an Venditoris periculum ſit, videndum, an emtio venditio *Perfecta* ſit, an *Imperfecta?* Nam *Perfecta emtione periculum ad Emtorem reſpicit*, tametſi res vendita adhuc emtori tradita non ſit. *l. 8. pr. D. h. t. §. 3. I. de emt. vend.*

§. 4. Licet enim Venditor ante traditionem dominus maneat, *d. §. 3. circ. fin. I. de emt. vend.* & periculum rei ordinario ad dominum pertineat; *l. 9. C. de pign. act.* aliud tamen eſt, ſi dominus ejusdem rei ſit debitor, & cauſa dominii transferendi jam exiſtat. v. *§. 40. I. de R. D.*

§. 5. *Perfecta* autem eſt *Emtio*, ſi id, quod venierit, appareat quid, quale, quantum ſit, & de pretio pure convenerit. *d. l. 8. pr. D. h. t. d. §. 3. I. de emt. vend.*

§. 6. Hinc ſi vinum venditum acuerit, vel quid aliud vitii ſuſtinuerit; *l. 1. pr. l. 15. D. h. t.* ſi ager poſt emtionem flumine occupatus deterior factus ſit, vel totus perierit; *l. 7. pr. D. h. t. §. 3. I. de emt. vend.* ſi inſula combuſta ſit; *l. 11. D. h. t. d. §. 3.* vel ſervus animalve venditum mortuum ſit, Emtoris damnum eſt. *d. §. 3. I. de emt. vend.*

§. 7. Quod tamen ita demum procedit, niſi I. Venditoris dolus, lata vel levis culpa præceſſerit. *d. §. 3. I. de emt. vend. l. 35. §. 4. D. de contr. emt. l. 5. §. 2. D. commod. l. 23. D. de R. J. l. 4. 5. C. h. t.*

II. Venditor periculum & caſum in ſe ſuſceperit. *l. 1. pr. D. h. t. §. 3. I. de emt. vend. l. 23. D. de R. J.*

III. Res vendita ex præcedente vitio perierit. *l. 1. & ult. C. h. t.*

§. 8. *Si vero Imperfecta eſt emtio venditio*, periculum rei venditæ ordinario ad Venditorem pertinet. *l. 8. pr. D. h. t. §. 3. I. de emt. vend.*

§. 9. Eſt autem *Imperfecta Emtio Venditio*, I. Si non pure, ſed ſub conditione contracta ſit, & conditio adjecta nondum exiſtat. *d. l. 8. 1. & 10. D. h. t.*

§. 10. II. Si in ſcriptis celebretur, neque ſcriptura perfecta ſit, *pr. §. 3. I. de emt. vend. l. 17. C. de fid. inſtrum. l. 4. C. h. t.*

§. 11. III. Si quid ad pondus, numerum, vel menſuram ſit venditum, & necdum admenſum, adpenſum, adnumeratum ſit. *l. 35. §. 5. D. de contr. emt. l. 1. §. 1.* D. *l. 2. C. h. t.*

§. 12. Quo caſu res jacet periculo venditoris: *l. 1. §. 1. l. 5. D. l. 2. C. h. t.* licet vinum fuerit deguſtatum, & dolium ſignatum. *l. 1. pr. §.* 2. D. *h. t.*

§. 13. Niſi aliud conveniret, *d. l. 1. pr. in f. l. 23. de R. J.* vel res citra admenſionem emtori tradita ſit, *l. 2. C. h. t.* aut per emtorem ſteterit, quo minus menſura facta ſit. *l. 2. C. h. t. l. 1. §. 3. l. 5.* D. *h. t.*

§. 14. Poſt moram enim venditor tantum de dolo & lata culpa tenetur: *l. 5. & 17. D. h. t.* quin & vinum v. c. effundere poteſt, ſi ipſe doliis indigeat, & teſtando denunciaverit emtori, ut aut tollat vinum, aut ſciat futurum ut effunderetur. *l. 1. §. 3. 4. l. 2. pr. l. 4. §. ult. D. h. t.* Licet, ſi, cum poſſet effundere, non effudit, laudandus ſit. *d. l. 1. §. 3. D. h. t.*

§. 15. Idem Juris eſt, ſi vinum ita venierit, ut in ſingulas amphoras; oleum, ut in ſingulas metretas; frumentum, ut in ſingulos modios pretium diceretur. *l. 35. §. 5. D. de contr. emt.*

§. 16. Non etiam, ſi omne vinum, vel oleum, vel frumentum, quantumcunque eſſet, uno pretio, ſeu *per averſionem* (v. ſupr. *ad t. de exerc. act. §. 13. & ad t. de contr. emt. §. 22.*) venierit. Quo caſu emtio perfecta eſt, & periculum ad emtorem pertinet. *d. l. 35. §. 5. l. 4. §. 1. 2. l. 15. D. h. t.*

§. 17. IV. Si res ad guſtum ſit vendita. Quo caſu periculum ante *deguſtationem* eſt Venditoris. *l. 1. 4. §. 1.* D. *h. t. l. 34. §. 5. D. de contr. emt.* Niſi certum tempus deguſtationi præſtitutum ſit, & emtor in mora deguſtandi fuerit. *d. l. 4. §. 1. l. 15. D. h. t.*

§. 18. V. Si Vendita ſit res in genere, ipſo individuo non demonſtrato. arg. *l. 8. pr. D. h. t. l. 11. C. ſi cert. pet.*

§. 19. VI. Si Venditio ſit alternativa. *l. 34. §. 6. D. de contr. emt.* Quo caſu ante electionem periculum ejus rei, quæ prius periit, ad Venditorem reſpicit; ejus vero, quæ poſterius, ad Emtorem. Quod ſi utraque res ſimul periit, pretium Venditori debetur; quia una res periculo emtoris fuit. *d. l. 34. §. 6. D. de contr. emt.*

§. 20. Quemadmodum autem Emtione Venditione perfecta periculum rei venditæ ordinario eſt Emtoris, ſic & commoda & acceſſiones ejusdem eſſe æquum eſt. *l. 7. D. l. 1. C. h. t. §. 3. I. de emt. vend.*

TITU-

TITULUS VII.

De Servis Exportandis; Vel Si Ita Mancipium Venierit, Ut Manumittatur, Vel Contra.

C. IV. 55. 57.

§. 1.

Reſcinditur tamen nonnunquam in ſpecie Venditio Servorum, ſi pacta venditioni adjecta non ſint ſervata.

§. 2. Quale eſt I. Pactum, (quod in ſecuritatem dominorum adjici ſolebat.) *Ut Servus venditus exportetur ex Urbe, vel Italia. l. 1. 2. 7. 9.* D. *h. t. t. t. C. ſi ſerv. export. ven.*

§. 3. Quod ſi non ſervatur ab Emtore, Venditor manus injectione (ſi ita convenerit) Servum nondum manumiſſum aſſerere poteſt: manumiſſum autem neque exportatum Fiſcus in ſervitutem vindicat. *l. 9.* D. *h. t. l. 1. 2. C. ſi ſerv. export. ven.*

§. 4. Poteſt etiam Venditor *Actione ex Vendito* pœnam promiſſam petere, non tantum ſi ejus interſit, ſed etiam ſi ejus non interſit pactum ſervatum fuiſſe; *l. 6. §. 1.* D. *h. t.* ubi mutat Papinianus ſententiam priorem, quæ exhibetur in *l. 7.* D. *h. t.* add. *l. ult. §. 3. C. de furt.*

§. 5. II. *Ut Servus intra certum tempus manumittatur. l. 3. 8.* D. *h. t. t. t. C. ſi mancip. ita fuerit alien. ut man.*

§. 6. Quod ſi non fiat, ſervus ex eo tempore ipſo jure liber fit. *l. 3. l. ult.* D. *h. t. l. 2. 3. 4. C. ſi mancip. ita fuer. alien. ut man.*

§. 7. III. *Ne Servus manumittatur. l. 6. pr. D. h. t. d. t. C. ſi mancip. ita fuer. alien. ut man. vel cont.*

§. 8. Quod, ſi contra fiat, manumiſſionem reddit inutilem. *l. 5. C. ſi mancip. ita fuer. alien. l. 9.* D. *de manum. l. 9. §. 2.* D. *qui & a quib. man.*

§. 9. IV. *Ne ancilla proſtituatur. l. 6. pr. l. 9. D. h. t. t. t. C. ſi mancip. ita ven. ne proſt.*

§. 10. Quod ſi contra factum fuerit, libertatem tribuit ancillæ proſtitutæ, vel manus injectionem ei, qui vendidit. *d. l. 5. d. l. 9. D. h. t. l. 1. C. ſi manc. ita ven. ne proſtit.*

§. 11. Quod ſi vero pacta adjecta ſint turpia, veluti, *ut ſervus cum beſtiis depugnet*, vel ſimilia, nullius momenti ſunt. *l. 42.* D. *de contr. emt. l. 26. D. de V. O. l. 15. D. de cond. inſt.*

Digitized by Google

LIBER XIX. TITULUS I.

DE ACTIONIBUS EMTI ET VENDITI.
C. IV. 49.

DE ACTIONE EMTI.

§. 1.

Ex *Emtione Venditione* autem valida naſcitur *Actio Emti*, & *Venditi*.

§. 2. *Actio Emti* ſeu *Ex Emto, l. 11. pr. §. 5. 6. D. h. t.* (quæ quandoque & *Ex Emto Vendito, l. 19. in f. D. de her. vel act. vend.* nec non *Ex Vendito* vocatur, *l. 26. 66. §. pen* D. *de evict.*) eſt *Actio Perſonalis, Civilis, bonæ fidei; Quæ datur Emtori, ejusque heredi, pretio integro ſoluto vel oblato; Contra Venditorem ejusque heredem; Ad rem venditam tradendam, cum fructibus, acceſſionibus & omni cauſa, præſtandumque dolum, & levem culpam.*

§. 3. Eſt hæc Actio *Perſonalis, Civilis; l. 33. D. de ædil. ed.* naſcitur etiam ex Contractu *Emtionis Venditionis;* licet & Prætor eam in Edicto propoſuiſſe videatur.

§. 4. *Bonæ fidei; l. 6. §. ult. l. 11. §. 1.* D. *h. t. §. 28. I. de act.*

§. 5. *Quæ datur Emtori; l. 11. pr. D. h. t.* ſive ipſe, ſive per procuratorem emerit, quo caſu *Utilis* actio locum habet. *l. 13. §. 25.* D. *h. t.*

§. 6. *Ejusque heredi; l. 10. D. h. t.* arg. *§. 1. I. de perp. & temp. act.*

§. 7. *Pretio integro ſoluto, vel oblato; l. 11. §. 2. in f. l. 13. §. 8. 9.* D. *h. t.* cujus tamen loco etiam cedit quælibet ſatisfactio, volenti venditori facta: *l. 11. §. 2.* D. *h. t. l. 19. 53. D. de contr. emt. §. 41. I. de R.* D. *l. 5. §. 15. D. de tribut.* ut &, ſi fides de pretio ſit habita. *d. l. 19.* D. *de contr. emt. d. §. 41. I. de R.* D.

§. 8. *Contra Venditorem;* ſive ipſe, ſive per Procuratorem vendiderit: quo caſu *Utilis* actio competit. *l. 13. §. 25. D. h. t.*

§. 9. *Ejusque heredem; l. 47. 52. §. 1. D. h. t. l. 49. D. de O. & A.* arg. *§. 1. I. de perp. & temp. act.* non vero contra tertium poſſeſſorem. *l. 15. C. de R. V.*

§. 10. *Ad rem venditam tradendam;* in primis enim ipſam rem præſtare Venditorem oportet, id eſt tradere. Quæ res, ſi quidem dominus fuit venditor, facit & emtorem dominum: ſi non fuit, tantum evictionis nomine venditorem obligat. *l. 11. §. 2.* D. *h. t.*

§. 11. Non enim cogitur Venditor rem Emtoris facere, *l. 25. §. 1. D. de contr. emt.* ſed ſatisfacit, ſi emtori præſtet *habere licere, l. 30. §. 1. D. h. t.* vacuamque

que ejus poſſeſſionem tradat, i. e. ut venditor in lite de poſſeſſione potior ſit. *l. 2. §. 1. l. 3. pr. l. 11. §. 13. 17. 18.* D. *l. 8.* C. *h. t.*

§. 12. Et ſi quidem Venditor facultatem tradendi habet, tenetur ad rem præciſe tradendam, adeo ut invito emtori non ſatisfaciat ſolvendo id, quod ejus intereſt. *d. l. 11. §. 2. l. 50. 46. D. h. t.* junct. Paul. *L. I. Sent. T. XIII.* §. 4. *§. 2. I. de don.* junct. *l. 35. §. 4. 5. C. eod. l. 6. C. de reſc. vend.* junct. *l. un. C. de ſent. quæ pro eo quod intereſt prof.*

§. 13. Si vero res vendita non tradatur, & emtor hoc malit, ad id, quod rem habere ſua intereſt, agere poteſt. *l. 1. pr. l. 11. §. 9. D. h. t.*

§. 14. *Cum fructibus;* ſive ſint naturales, iique vel pendentes, *l. 13. §. 10. D. l. 16. C. h. t. l. 38. §. 8.* D. *de uſur. l. 44. D. de R. V.* vel poſt perfectum contractum percepti, arg. *l. 2. 13. 16. C. h. t. l. 13. §. 18.* D. *h. t.* ſive Civilis. v. *l. 13. §. 11. 13. D. h. t. l. 26. 58. D. de uſufr.*

§. 15. *Acceſſionibus & omni cauſa; l. 7. pr. D. de peric. & comm. rei vend. §. 3. I. de emt. vend.*

§. 16. Unde ædibus diſtractis illa quoque debentur, quæ quaſi pars ædium, vel propter ædes, perpetui uſus cauſa, habentur, quæve affixa ſunt, aut terra continentur. *l. 13. §. ult. l. 14. 15. 16. 17. pr. §. 7. 8. l. 38. §. 2.* D. *h. t.*

§. 17. Ut & fundo vendito, quæ terra ſe tenent, vel ad uſum fundi comparata ſunt. *l. 17. pr. §. 2. ult.* D. *h. t.*

§. 17. Non etiam *Ruta* ſeu eruta, uti arena, creta, & ſimilia, & *Cæſa*, uti arbores cæſæ, carbones, & ſimilia; *l. 17. §. 6. l. 18. §. 1.* D. *de act. emt. l. 241.* D. *de V. S.* v. Feſt. in voc. *Ruta cæſa.* Non. Marcell. *c. XI. §. 728.* quia neque ædium, neque fundi ſunt. *l. 66. §. ult. D. de contr. emt.*

§. 19. *Præſtandumque dolum, & levem culpam. l. 5. §. 2. D. commod. l. 23. D. de R. J. l. 1. §. 1. l. 13. pr. §. 4. 14. 16. D. h. t. l. 35. §. 4. l. 68. D. de contr. emt. §. 3. I. de emt. vend.*

§. 20. Niſi emtor ſit in mora, quo caſu venditor tantum dolum præſtat & latam culpam. *l. 5. 17. D. de peric. & commod. rei vend.*

§. 21. Licet autem hæc Actio ordinario ad implendum contractum, vel id, quod intereſt, competit, nonnunquam tamen & ad diſtrahendam Emtionem *Actio ex emto* utilis eſt. v. *l. 11. §. 6. l. 13. §. 27. D. h. t. l. 2. C. de reſc. vend.*

De Actione Venditi.

§. 22. *Actio Venditi*, ſeu *ex Vendito*, *l. 13. §. 19.* D. *h. t. l. 4. pr.* D. *de leg. commiſſ.* (quæ quandoque & *ex Emto* vocatur, *l. 13. §. 25. D. h. t. l. un. C. ſi ſerv. exter. ſe em. mand.*) eſt, *quæ datur Venditori, ejusque heredi, re vendita tradita vel oblata; Contra Emtorem, ejusque heredem; Ad pretium*

una

una cum uſuris poſt tempus traditionis ſolvendum, & quicquid ex bono & aequo praſtandum eſt.

§. 23. Datur haec Actio *Venditori; l. 13. §. 19. D. h. t.* ſive ipſe vendiderit, ſive per Procuratorem: quo caſu *Utilis* actio locum habet. *l. 13. §. 25. D. h. t.*

§. 24. *Ejusque heredi; l. 2. C. de pact. int. emt. & vend. compoſ.* arg. §. *1. I. de perp. & temp. act.*

§. 25. *Re vendita tradita, vel oblata; l. 25. D. h. t. l. 5. C. de evict.* caeteroquin enim obſtat *Exceptio rei non traditae. d. l. 25. D. h. t. l. 5. §. 4.* D. *de dol. mal. & met. exc.*

§. 26. *Contra emtorem;* ſive ipſe, ſive per Procuratorem emerit: quo caſu Actio *Utilis* competit. arg. *l. 13. §. 25. D. h. t.*

§. 27. *Ejusque heredem; l. 1. C. h. t. l. 2. C. de pact. int. emt. & vend. compoſ. l. 49. D. de O. & A.* arg. *§. 1. I. de perp. & temp. act.*

§. 28. *Ad pretium ſolvendum;* venit enim in hoc judicium in primis pretium, quanti res venit. *l. 13. §. 20. D. h. t.*

§. 29. Quod ita ſolvendum, ut emtor nummos venditoris faciat. *l. 11. §. 2. in f.* D. *h. t.*

§. 30. Adeo ut, nummis alienis ſolutis, emtor non liberetur. *l. 7. C. h. t.*

§. 31. Licet dominium rei venditae & traditae transeat in emtorem, *l. 8. C. ſi quis alt. vel ſib.* nec nummorum dominus rem venditam vindicare poſſit. *l. 6. C. de R. V. l. 1. 8. 9. C. ſi quis alt. vel ſibi.*

§. 32. Niſi dominus nummorum ſit miles, *l. 8. C. de R. V.* vel tutor pecunia pupilli aliquid emerit; *l. 2. C. quand. ex fact. tut.* quibus *Utilis* Vindicatio conceditur. *dd. ll.*

§. 33. *Una cum uſuris poſt tempus traditionis; l. 13. §. 20.* D. *l. 5. 13. C. h. t. l. 18. §. 1.* D. *de uſur. l. 2. C. eod.* nam cum re emtor fruatur, aequiſſimum eſt eum uſuras pendere. *d. l. 13. §. 20.* D. *l. 5. C. h. t.*

§. 34. *Poſſeſſionem* autem *traditam* accipere debemus, etſi precaria ſit poſſeſſio, hoc enim ſolum ſpectare debemus, an emtor habeat facultatem fructus percipiendi. *l. 13.* §. *21. D. h. t.*

§. 35. Idemque dicendum, ſi emtor alia ratione in mora fuerit. *l. 32. §. 2. D. de uſur. l. 2. 13. C. eod.*

§. 36. *Et quicquid ex bono & aequo praſtandum eſt; l. 13. §. 19. D. h. t.* v. c. ad impenſas neceſſarias, & utiles in rem venditam factas, *l. 13.* §. *22. D. l. pen. C. h. t*

§. 37. Plane non ſemper ad implendum contractum, ſed nonnunquam etiam ad reſcindendam venditionem, haec Actio competit. v. *l. 16.* D. *de in diem addict. l. 4.* D. *de leg. commiſſ. l. 2. C. de pact. int. emt. & vend. compoſ. l. 2. C. de reſc. vend.*

TITU-

TITULUS II.

Locati Conducti. C. IV. 65.

§. 1.

Supereſt ex Contractibus Conſenſualibus *Locatio Conductio.*

§. 2. De qua Prætor ita edixiſſe videtur: *Si Locatio Conductio contracta eſſe dicetur, Ex Locato Conducto actionem dabo.* arg. *l. 1. 7. 9. 11. 13. 14. 15. 19. l. 22. pr. l. 15. pr. h. t.*

§. 3. Ait Prætor, *Si Locatio Conductio contracta eſſe dicetur; Locatio Conductio* eſt *Contractus Juris Gentium, Conſenſualis, bonæ fidei, quo id agitur, ut pro uſu alicujus rei vel operæ, certa merces ſolvatur.* v. Iſid. L. *V. c. 25.*

§. 4. Quæ *Emtioni Venditioni* proxima eſt, iisdemque fere juris regulis conſiſtit; nam, ut *Emtio* & *Venditio* contrahitur, ſi de pretio convenerit, ſic & *Locatio Conductio* contrahi intelligitur, ſi de mercede convenerit: *l. 2. pr. D. pr. I. h. t.* uti ex ſequentibus manifeſtum fiet.

§. 5. Dicitur *Locatio Conductio Contractus Juris Gentium; l. 1. D. h. t. l. 5. D. de J. & J. §. 2. in f. I. de J. N. G. & C.*

§. 6. *Conſenſualis;* non enim verbis, ſed ſolo conſenſu, ſicut *Emtio* & *Venditio,* contrahitur. *l. 1. 2. pr. l. 14. D. h. t. pr. I. h. t. §. un. I. de oblig. ex conſenſ.*

§. 7. *Bonæ fidei;* v. *d. §. un. I. de oblig. ex conſ. §. 28. I. de act.*

§. 8. *Quo id agitur, ut pro uſu rei vel operæ;* ſine uſu enim rei, vel operæ, hic contractus non ſubſiſtit. arg. *l. 15. §. 1. 2. l. 24. §. 4. D. h. t.*

§. 9. Qualis res ſit, ſive corporalis, ſive incorporalis, ſive mobilis, ſive immobilis, nihil intereſt; dummodo res talis ſit, quæ eſt in rerum natura, & hominum commercio, v. *l. 34. §. 1. D. de contr. emt. l. 9. §. 1. D. h. t. l. 12. §. 2.* D. *d. uſufr. §. 1. 5. I. de uſ. & habit. l.* 4. *C. vect. nov. inſt. non poſſ.* neque uſu conſumitur. arg. *l. 31. D. h. t. l. 3. §. f. D. commod.*

§. 10. Adeo ut, & res aliena, & ipſa conducta, alteri locari poſſit. *l. 7. 8. 9. pr. §. ult. l. 24. §. 1. D. l. 6. C. h. t.*

§. 11. Non etiam intereſt, qualis ſit opera, dummodo ſit honeſta, *l. 26. D. de V. O. l. 15. D. de cond. inſt.* & locari ſolita. *l. 5. §. 2.* D. *de P. V.* v. *l. 13. §. 1. l. 22. §. 1. 2. l. 24. pr. l. 25. §. 7. 8. l. 26. 31.* D. *h. t. §. 1. 4. I. h. t.*

§. 12. Quo caſu idem diverſo reſpectu & *Locator* eſt, & *Conductor;* nam qui *Locator* eſt *operis,* idem *Conductor* eſt *operarum:* & contra, qui *Conductor* eſt *operis, Locator* eſt *operarum. l. 22. §. 2. l. 25. §. pen. D. h. t. l. un. pr. D. de æſtimator.*

§. 13. *Certa merces ſolvatur;* ubi enim *Merces* non intercedit, Locatio Conductio nulla eſt. *l. 2. pr. D. pr. I. h. t. l. 23. in f. D. comm. div.*

§. 14. Debet autem *Merces* (quæ & nonnunquam *pretii* nomine venit, *l. 28.*

§. 2. l. 51. §. 1. l. 58. pr. D. h. t. l. ult. §. ult. D. ad L. Rhod. de jact.) I. eſſe *Vera; d. l. 2. pr. D. h. t. d. pr. I. h. t. d. l. 23. in f.* D. *comm. div.* Locatio enim Conductio donationis cauſa contrahi nequit: *l. 20. §. 1.* D. *h. t.* adeo ut, ſi quis uno nummo conduxerit, Conductio nulla ſit, quia & hoc donationis inſtar inducit. *l. 46.* D. *h. t. l. 10. §. 2.* D. *de acq. vel am. poſſ.*

§. 15. II. *Juſta;* i. e. tanta, ut Locator non minus quam dimidiam partem juſtæ mercedis accipiat. Propter læſionem enim ultra dimidium *Locatio Conductio* reſcindi poteſt: arg. *l. 2. C. de reſc. vend.* uſque ad dimidium autem, uti in pretio emtionis venditionis, ſic & in mercede locationis conductionis, *naturaliter* ſeu negotiative ſeſe circumſcribere licet. *l. 22. §. ult. l. 23.* D. *h. t. Nov. 97. c. 1.* v. ſupr. *ad t. de contr. emt. §. 35.*

§. 16. III. *Certa;* vel per ſe, vel per relationem in arbitrium alterius. *§. 1. I. h. t.*

§. 17. Quo caſu, ſi *merces* promiſſa ſit generaliter alieno arbitrio, *Locatio* & *Conductio* contrahi non videtur. *l. 25. pr. D. h. t.*

§. 18. Sin autem *Quanti Titius æſtimaverit*, ſub hac conditione ſtabit Locatio; ut, ſi quidem ipſe, qui nominatus eſt, mercedem definierit, omnimodo ſecundum ejus æſtimationem, & mercedem perſolvi oporteat, & conductionem ad effectum pervenire: ſin autem ille vel noluerit, vel non potuerit mercedem definire, tunc pro nihilo ſit conductio, quaſi nulla mercede conſtituta. *d. l. 25. pr. D. h. t. l. ult. C. de contr. emt. & vend.*

§. 19. Quod ſi promittatur *Quantum juſtum erit*, vel *Quantum inter eos poſtea conveniet*, Locatio Conductio ſimiliter nulla eſt. *§. 1. I. h. t. l. 22. D. de P. V.*

§. 20. IV. *In pecunia numerata conſiſtens.* arg. *l. 25. §. 6. D. §. 2. I. h. t. l. 5. §. 2. D. de P. V. l. 1. §. 9. D. depoſ. l. 1. §. ult. D. mand. l. 26. §. 1. D. de furt.*

§. 21. Niſi res locata talis ſit, quæ fructus ex ſe producit: quo caſu pars fructuum mercedis loco conſtitui poteſt; *l. 19. §. 3. l. 35. §. 1. D. l. 8. 18. 21. C. h. t.* & Conductor *Colonus partiarius* dicitur. *l. 25. §. 6. D. h. t.* add. *l. 8. C. de pact.*

§. 22. Dividi poteſt *Locatio Conductio* I. in *Expreſſam*, & *Tacitam;* non quidem ratione initii, arg. *l. 2. pr. D. pr. I. h. t. l. 23. D. comm. div.* ſed quatenus *Tacita Reconductio* locum habet.

§. 23. Si quis enim, impleto tempore conductionis, remanſit in conductione, tacite reconduxiſſe videtur; ita quidem, ut in *Prædiis Ruſticis*, in ipſo anno, quo tacuerunt, videantur eandem locationem renovaſſe; non etiam in ſequentibus annis, etſi luſtrum forte ab initio fuerat conductioni præſtitutum. In *Urbanis* autem prædiis, prout quisque habitaverit: niſi in ſcriptis certum tempus conductionis comprehenſum eſt. *l. 13. §. ult. l. 14. D. l. 16. C. h. t.*

§. 24. II. Dividi poteſt in *Puram*, *in Diem conceptam*, & *Conditionalem. l. 20. pr. D. h. t.* Ut & III. In *Regularem*, & *Irregularem.* v. *l. 31. D. h. t.*

§. 25.

§. 25. *Locare Conducere poſſunt*, quicunque contrahendo ſe obligare, neque ſpecialiter prohibentur. arg. *l. 43. §. 1. D. de proc.* Quales ſunt Decuriones, *l. 30. C. h. t.* Milites, *l. 31. C. h. t.* Tutores & Curatores, qui rationibus nondum redditis, ob majorem minorum ſecuritatem, prædia fiſcalia & Cæſaris patrimonialia conducere prohibentur; *l. 49. pr. §. 1.* D. *h. t. l. un. C. ne tut. vel cur. vect. cond.* Fabri, Vietores, & ſimiles, qui artem ſuam cum ſtrepitu exercent, qui domum juxta literatorum ædes, iis invitis, conducere, & ibi artem ſuam exercere nequeunt, arg. *l. un. in f. C. de ſtud. liberalib.* nec non Clerici, qui publicarum, aut alienarum poſſeſſionum conductores fieri non poſſunt. *N. 123. c. 6.*

§. 26. *Ex Locato Conducto Actionem dabo.* Seu *Locati* & *Conducti. h. t. pr. in f. I. h. t.*

§. 27. *Actio Locati*, ſeu *ex Locato*, *l. 22. pr. l. 48. pr. D. h. t.* eſt *Actio Perſonalis, Civilis, bonæ fidei; Quæ datur Locatori, ejusque heredi; Contra Conductorem, ejusque heredem; Ad mercedem, conſtituto tempore, vel ſolito, ſolvendam, & rem finita locatione reſtituendam, præſtandumque dolum, & levem culpam.*

§. 28. Eſt hæc Actio *Perſonalis, Civilis;* quia naſcitur ex contractu *Locationis Conductionis: pr. I. h. t.* licet & Prætor Edicto eam complexus videatur.

§. 29. *Bonæ fidei; l. 54. D. l. 17. C. h. t. §. 28. I. de act.*

§. 30. *Quæ datur Locatori;* & ſi duo pluresve ſint rei locationis, ſingulis in ſolidum, *l. 13. §. 9. D. h. t.*

§. 31. *Ejusque heredi;* arg. *l. 19. §. 8. D. h. t. §. 1. I. de perp. & temp. act.*

§. 32. *Contra Conductorem;* & ſi plures ſint rei conducendi, contra ſingulos in ſolidum. *l. 47.* D. *l. 13. C. h. t.*

§. 33. *Ejusque heredem; l. 10. 24. 29. C. h. t. §. ult. I. h. t.*

§. 34. *Ad mercedem ſolvendam; pr. I. h. t. l. 27. §. 1. l. 55. §. 2. l. 54. §. 1. l. 56. D. l. 16. C. h. t.* & quidem integram, *l. 3. D. fam. erciſc.* una cum uſuris ex tempore moræ. *l. 2. & 17. C. h. t.*

§. 35. Niſi conductor, ob culpam locatoris, inſignem calamitatem, ſterilitatem, aliamve cauſam, re conducta frui non potuerit; v. *l. 15. §. 1. 2. 3. 4. l. 25. §. 6. 2. l. 33. D. h. t.* vel, ob juſtam cauſam, rem conductam, ante tempus, deſeruerit. *l. 27. §. 1. l. 55. §. ult. D. h. t. l. 184. D. de R. J.*

§. 36. Qualis eſt metus incurſionis hoſtilis, *l. 13. §. 7. D. h. t.* incendii, *l. 49. §. 1. D. ad L. Aquil.* damni infecti, *l. 13. §. 6. l. 28. 35.* D. *de damn. inf.* peſtis, arg. *d. l. 27. §. 1. D. h. t.* vel ſimilis.

§. 37. Quibus caſibus, remiſſio mercedis, pro rata, facienda eſt. *d. l. 15. §. 4. & 7. D. h. t.*

§. 38. Idemque dicendum, ſi operæ non ſint præſtitæ. *l. 15. §. 6. l. 38. pr. D. h. t.*

§. 39. Niſi quis operas ad certum tempus locaverit, & per locatorem non

 ſtete-

Digitized by Google

ſteterit, quo minus operas præſtet; puta, ſi morte conductoris, ſimilive caſu, impeditus ſit. v. *l. 19. §. 9. 10. l. 38. pr. §. 1.* D. *h. t.* add. *l. 4. §. 5. D. de ſtat. lib.*

§. 40. *Conſtituto tempore, vel ſolito; l. 54. §. 1. D. h. t. l. 34. D. de R. J.* vel ſi de eo non conſtet, finito uſu, *dd. ll.* operisve præſtitis, & opere perfecto ac probato. arg. *l. 24. pr. l. 36. 37. D. h. t.*

§. 41. Niſi Locatio in plures annos ſit facta, & merces in ſingulos annos conſtituta; quo caſu in fine cujusque anni merces ſolvenda eſt: arg. *l. 29. & 140. D. de V. O.* vel merces ad menſuram, vel in ſingulos dies ſit conſtituta; quo caſu etiam imperfecto opere præſtanda eſt. *l. 30. §. pen. D. h. t.*

§. 42. *Et rem finita locatione reſtituendam;* eandem ſcil. in ſpecie, *l. 31. & 39. D. h. t.* & quidem ſtatim: adeo, ut ſi *Conductor* litem usque ad definitivam ſententiam exſpectaverit, non ſolum rem locatam, ſed etiam æſtimationem ejus victrici parti, ad ſimilitudinem invaſoris alienæ poſſeſſionis, præbere compellatur; *l. pen. C. h. t.* neque quæſtionem dominii *Locatori* referre queat, ſed poſſeſſionem prius reſtituere debeat, & tunc de proprietate litigare. *l. 25. C. h. t.*

§. 43. Ante finitam locationem *Conductor* rem conductam reſtituere, vel ea excedere non cogitur. *l. 3. C. h. t.*

§. 44. Niſi I. toto biennio mercedem non ſolverit. *l. 54. §. 1. l. 56. D. h. t.*

II. Ipſe dominus re ſua indigeat. *l. 3. C. h. t.*

III. Dominus eam reficere velit. *d. l. 3.*

Vel IV. Conductor rem deteriorem faciat. *d. l. 3. C. h. t*

§. 45. *Finitur* autem *Locatio Conductio* tum dictis caſibus, tum maxime *Soluto jure auctoris; l. 9. §. 1. D. h. t.* nec non *Tempore conſtituto præterlapſo,* arg. *l. 13. §. f. l. 14. D. h. t.*

§. 46. Non etiam morte contrahentium; heres enim conductoris eodem jure in conductione ſuccedit, & heres locatoris locationem ſervare tenetur. *§. ult. I. h. t. l. 10. C. l. 19. §. 8. D. h. t. l. 49. D. de O. & A.*

§. 47. Quod ſecus eſt in ſucceſſore particulari; *Emtor* enim vel *Legatarius* ſtare locationi, niſi aliud actum ſit, non tenetur. *l. 25. §. 1. D. l. 9. C. h. t.* adeoque Conductorem expellere poteſt.

§. 48. Qui ſi ex ea re damnum ſentiat, contra Locatorem regreſſum habet, ad præſtandum id, quod intereſt. *d. l. 25. §. 1. D. h. t.*

§. 49. *Præſtandumque dolum, & levem culpam. l. 5. §. 2. D. commod. l. 23. D. de R. J. l. 13. §. 1. l. 25. §. 3. 4. l. 31. in f. D. h. t.*

§. 50. Quæ tamen non præſumitur, arg. *l. 51. D. pro ſoc.* ſed a Locatore probanda eſt. arg. *l. 18. §. 1. D. de prob.*

§. 51 Unde ſi ædes conductæ incendio conſumtæ ſint, Locatori, de damno contra Conductorem agere volenti, probandum erit, incendium culpa conductoris contigiſſe. arg. *dd. ll. l. 11. D. de peric. & comm. rei vend.*

§. 52.

§. 52. *Actio Conducti*, ſeu *ex Conducto, l. 15. pr. l. 19. §. 4. 6. 8. D. h. t.* eſt *Actio bonæ fidei; Quæ datur Conductori, ejusque heredi; Contra Locatorem, ejusque heredem; Ad præſtandum uſum rei conductæ, vel operas, refundendas impenſas neceſſarias & utiles, nec non reſarciendum damnum dolo, vel levi culpa datum.*

§. 53. Eſt hæc Actio *bonæ fidei; l. 17. C. h. t. §. 28. I. de act.*

§. 54. *Quæ datur Conductori; l. 15. pr.* D. *pr. I. h. t.*

§. 55. *Ejusque heredi; l. 19. §. 8. D. l. 10. C. §. ult. I. h. t.*

§. 56. *Contra Locatorem; pr. I. h. t. l. 15. §. 1. 2.* D. *h. t.*

§. 57. *Ejusque heredem;* arg. *§. ult. I. l. 10. C. h. t. l. 49. D. de O. & A.* niſi Locatio ſit facta, *Quoad Locator vellet:* quo caſu Locatio morte Locatoris exſtinguitur. *l. 4.* D. *h. t.*

§. 58. *Ad præſtandum uſum rei conductæ; l. 9. pr. l. 15. §. 1. 2. in f. l. 33. D. h. t.* adeoque & ad rem tradendam, *d. l. 15. §. 1.* una cum inſtrumentis & acceſſoriis. *l. 19. §. 2. D. h. t.*

§. 59. Non etiam ad transferendum dominium, *l. 39* D. *h. t.* vel Poſſeſſionem Civilem. *l. 60. §. 1. l. 10. §. 1. D. de acq. vel am. poſſ.*

§. 60. Niſi inſula ædificanda ea lege locata ſit, ut ſua impenſa conductor omnia faceret. *l. 22. §. 2.* D. *h. t.* vel Locatio Conductio ſit Irregularis. v. *l. 31. D. h. t.*

§. 61. *Vel operas; l. 22. §. 2. l. 38. pr.* D. *h. t.*

§. 62. Quod ſi vero non præſtetur uſus rei, vel operæ, tenetur Locator ad id quod intereſt, *l. 15. §. 8. l. 33. in f. D. h. t. l. 13. §. f. D. de re jud.*

§. 63. *Refundendas impenſas neceſſarias, & utiles; l. 55. §. 1. l. 61. D. h. t.* quas & exceptione retinere, *d. l. 61. D. h. t. l. 5. D. de impenſ. in rem dot. fact. l. 14. D. de dol. mal. & met. except.* & in mercedem imputare poteſt, *d. l. 61. D. h. t. l. un. §. 3. D. de via publ.*

§. 64. *Nec non reſarciendum damnum dolo, vel levi culpa datum. l. 19. §. 1. l. 60. §. 7. D. h. t.*

TITULUS III.

De Æstimatoria.

§. 1.

Et quidem hucusque actum de *Contractibus Nominatis*, & *Actionibus* ex iis deſcendentibus: ſequuntur *Contractus Innominati*.

§. 2. Ex quibus *Contractus Æſtimatorius* & *Permutatio* etiam ſunt bonæ fidei, & *Emtioni Venditioni* ſimiles; unde de iis ſeparatim priori loco agitur.

§. 3. De *Contractu Æſtimatorio* Prætor edixiſſe videtur: *Si res æſtimata vendenda data fuerit, de æſtimato Actionem dabo.* arg. *l. 1.* D. *h. t.*

 §. 4. Ait

Digitized by Google

§. 4. Ait Prætor, *Si res æſtimata vendenda data fuerit;* Eſt ſcil. *Contractus Æſtimatorius contractus innominatus, bonæ fidei, quo res æſtimata vendenda alicui datur, ea lege, ut accipiens vel rem ipſam, vel æſtimationem conventam reddat. l. 1. pr. §. 1.* D. *h. t.*

§. 5. De *Æſtimato actionem dabo.* Quæ Actio proponitur tollendæ dubitationis cauſa. Dubitatum enim fuit, utrum hoc caſu *ex Vendito* ſit *Actio*, propter æſtimationem; an *ex Locato*, quaſi res vendenda locata ſit; an *Conducti*, quaſi operæ conductæ ſint; an *Mandati*? Melius itaque viſum eſt hanc Actionem proponere. *l. 1. pr.* D. *h. t.*

§. 6. Poteſt autem *Actio de Æſtimato, l. 1, pr. D. h. t.* ſeu *Æſtimatoria, h. t.* dividi, in *Directam*, & *Contrariam.*

§. 7. *Actio de Æſtimato* ſeu *Æſtimatoria* Dir*ecta*, eſt *Actio perſonalis, bonæ fidei; l. 1. pr. D. h. t. §. 28. I. de act. Quæ datur ei, qui rem æſtimatam vendendam dedit; Contra accipientem; Ad rem ipſam incorruptam reddendam, vel æſtimationem conventam præſtandam. l. 1. pr. §. 1.* D. *h. t.*

§. 8. Æſtimatio enim facit periculum ejus, qui ſuſcepit; *l. 1.* §. *1.* D. *h. t.* ſi quidem ipſe dantem rogaverit *l. 17. §. 1. D. de præſcr. verb.* Si enim dans rogaverit accipientem, periculum eſt dantis; ſi vero neuter rogaverit, accipiens tantum dolum præſtat & culpam levem. *d. l. 17. §. 1.* D. *de P. V.*

§. 9. *Actio* vero *de Æſtimato* ſeu *Æſtimatoria Contraria eſt, quæ datur ei, qui rem æſtimatam vendendam accepit; Contra dantem; Ad mercedem, ſi qua intervenit, ſolvendam, l. 2. D. h. t, & præſtandum id quod forte ratione hujus contractus ei abeſt.* arg. *l. 1. pr. in f. D. h. t. l. 28.* D. *de contr. emt. l. 30. D. de act. emt.*

TITULUS IV.

DE RERUM PERMUTATIONE.

C. IV. 64.

§. 1.

De *Rerum Permutatione* Prætor ita edixiſſe videtur: *Si permutatio facta eſſe dicetur, in factum Actionem dabo.* arg. *l. 1. D. h. t.*

§. 2. Ait Prætor, *Si Permutatio facta eſſe dicetur; Permutatio* eſt *contractus Innominatus, quo quis rem ſuam dat alicui, ea lege, ut accipiens pro illa aliam reddat.*

§. 3. Eſt hic *Contractus Innominatus; l. 1. §. 2. D. h. t. l. 7. §. 1. 2. D. de pact.* in quo, licet *Emtioni Venditioni* valde ſit affinis, *l. 2. D. h. t.* ab eadem maxime differt. *d. l. 1. §. 2. D. h. t.*

§. 4. *Quo quis rem ſuam;* qui enim rem alienam dat, permutationem non con-

contrahit: *l. 1. §. 3.* D. *h. t.* licet uſucapiendi conditionem in accipientem transferat. *l. 4.* §. *17.* D. *de uſurp. & uſuc.*

§. 5. D*at alicui;* Permutatio enim ex re tradita initium obligationi præbet: *l. 1. §. 2 D. h. t.* in quo ſimiliter ab *Emtione Venditione* differt, quæ ſolo conſenſu perficitur. *d. l. 1. §. 2. D. h. t. pr. I. de emt. vend.*

§. 6. *Ea lege, ut accipiens pro illa aliam reddat; l. 5. §. 1. D. de P. V.* vel in ſpecie, vel in genere: arg. *d. l. 5. §. 1.* dummodo accipiens non det pecuniam numeratam. Ubi enim pecunia pro re datur, non *Permutatio* eſt, ſed *Emtio. d. l. 5.* §. *1. D. de P. V. l. 1. §. 1. D. de contr. emt. §. 2. I. de emt. vend.*

§. 7. *In Factum Actionem dabo.* v. *l. 1. §. 1. D. h. t.* Actionem ſcil. *Præſcriptis verbis ex Permutatione. §. 28. I. de act.*

§. 8. Quæ eſt *Actio perſonalis, bonæ fidei; d.* §. *28. I. de act. l. 2. C. h. t. Competens ei, qui dedit, l. 4. 5. C. h. t. ejusque heredi; l. 1. C. h. t. Contra accipientem, d. l. 5. C. h. t. l. 5. §. 1.* D. *de P. V. ejusque heredem; l. 4. C. h. t. l. 49.* D. *de O. & A. Ad dandam rem promiſſam, vel id quod intereſt. l. 5. §.* 1. *l. f.* D. *de P. V. l. 4. 5. C. h. t.*

TITULUS V.

De Præſcriptis Verbis, Et In Factum Actionibus.

C. IV. 64.

§. 1.

Poſſunt cæteroquin *Contractus Innominati* fere ad quatuor ſumma referri genera: I. ſcil. *Do ut Des.* (ſub quo articulo *Permutatio* continetur.) II. *Do ut Facias.* III. *Facio ut Des.* (quo *Suffragium* pertinet. v. *t. C. de ſuffr.* Diſſert. *N. IV. de Cauſ. Obl. C. III. §. 5. 6. 7.*) & IV. *Facio ut Facias.* v. *l. 5. pr. §. 1. 2. 3. 4.* D. *h. t.* Licet articuli iſti & aliter concipi poſſint, & præter illos alias ſimiles cauſarum figuras reperire liceat. v. *l. 13. pr. §. 1. l. 17. §. 2. 3. 5. l. 20. 22. 23. D. h. t.*

§. 2. Ex quibus omnibus, etiam ex contractu innominato *Facio ut des, Actio* naſcitur *Præſcriptis verbis; l. 5. §. 1. & ſeqq. D. h. t.* niſi dolus concurrat, quo caſu *Actio de Dolo* locum habet. *l. 15.* junct. *l. 5. §. 2. 3. D. h. t.*

§. 3. Quæ *Actio Præſcriptis verbis*, vel *Ordinaria* & *Regularis* eſt, vel *Extraordinaria* & *Irregularis.*

§. 4. *Actio Præſcriptis verbis Ordinaria* & *Regularis* eſt, *quæ naſcitur ex contractu innominato, & datur ei, qui dedit vel fecit, contra eum, qui viciſſim ſe daturum vel facturum promiſit, ad implendum contractum, vel id quod intereſt. l. 5. §. 1. & ſeqq.* D. *h. t.*

§. 5. *Extraordinaria* ſeu *Irregularis* vero, quæ naſcitur ex variis cauſarum figu-

figuris, & ex ſola æquitate oritur. v. *l.* 2. *§.* 2. *l.* 19. *§.* 2. D. *de precar.* junct. *l.* 14. D. *eod.* Diſſert. N. V. *de Cauſ. Obl.* C. III. *§* 12. *& ſeqq.*

§. 6. Dicitur autem hæc Actio *Præſcriptis verbis*, (non *Perſcriptis verbis*,) quia certo nomine ſignificari nequit, ſed *præſcriptis verbis rem geſtam demonſtrat.* *l.* 1. *D. h. t. l.* 6. *C. de transact.* v. *d.* Diſſert. V. C. 1. §. 2. *& ſeqq.*

§. 7. Nam cum deficiunt vulgaria atque uſitata Actionum nomina, *Præſcriptis verbis* agendum eſt; in quam neceſſe eſt confugere, quoties contractus exiſtunt, quorum appellationes nullæ jure civili proditæ ſunt. Natura enim rerum conditum eſt, ut plura ſint negotia, quam vocabula. *l.* 2. 3. 4. *D. h. t.*

§. 8. Unde & alio nomine *Actio in Factum*, & plene *Præſcriptis verbis in factum* vocari ſolet. *l.* 24. D. *h. t.*

§. 9. Plane non eſt hæc perpetua *Actionum in Factum* ſignificatio,

§. 10. Aliquando enim *Actiones in Factum* appellantur, quæ alio nomine dicuntur *Utiles:* quæ ſcil. non ex verbis, & eo, quod ſcriptum eſt, ſed, deficientibus verbis, ex mente & ſententia Legislatoris, vel Prætoris, ad exemplum *Directarum* conceduntur. v. *l.* 7. *§.* 3. 6. *l.* 9. *pr.* §. 2. *l.* 11. §. 5. 8. *l.* 29. §. 7. D. *ad L. Aquil.* junct. §. *ult.* *I. eod.*

§. 11. Nonnunquam *Actiones in Factum* dicuntur *Prætoriæ*, maxime ex delicto deſcendentes. v. *l.* 10. *§.* 1. 8. *l.* 14. D. *quæ in fraud. cred.* *l.* 7. D. *de jurisd.* *l.* 12. *D. de in jus voc.* *l.* 5. *§.* 1. *D. ne quis eum &c.* *l.* 1. D. *de alien. jud. mut. c. ſ.* *l.* 1. D. *ſi menſ. falſ. mod. dix.* *l.* 2. *D. de ſep. viol.* *l.* 3. §. 1. 6. 7. D. *naut. caup. ſtab.* *l.* 25. §. 1. *D. de O. & A.*

§. 12. Denique *Actiones in Factum* non raro vocantur *Actiones Subſidiariæ*, quæ in defectum aliarum Actionum Civilium & Prætoriarum, Directarum & Utilium, iis caſibus, quibus ex ſtricta juris ratione omnis agendi via præcluſa videbatur, ex ſola æquitate, introductæ ſunt. v. *l.* 11. *D. h. t.* Diſſert. N. V. *de Cauſ. Obl.* C. II. *& ſeqq.*

PARS

PARS QUARTA.

LIBER XX. TITULUS I.

De Pignoribus Et Hypothecis, Et Qualiter Ea Contrahantur: Et De Pactis Eorum.

C. VIII. 14.

De Pignoribus Et Hypothecis, Et Qualiter Ea Contrahantur.

§. 1.

Expoſitis *Contractibus*, quibus in creditum itur, tum *Nominatis*, tum *Innominatis*, & Actionibus, quæ inde proficiſcuntur, abſolutis, ſubjiciuntur (interrupto Edicti Perpetui Ordine, v. *Conſt. de conf. dig. ad Sen. & omnes pop. §. 5. Conſt. de conf. dig. ad magn. Sen. §. 5.*) *Aceeſſoria* & *Adminicula Contractuum*: quæ vel ad ſecuritatem contractuum pertinent, uti *Pignora* & *Hypothecæ*; vel ad implementum & indemnitatem, uti *Ædilitium Edictum, Evictio*, & *Uſuræ*; vel denique ad probationem, uti *Teſtes* & *Inſtrumenta*. v. *d. Conſt. de conf. dig. ad Sen. & omn. pop. §. 5. Conſt. de conf. dig. ad magn. Sen. §. 5.*

§. 2. Inter *Pignus* & *Hypothecam*, quantum ad hanc cauſam attinet, nihil intereſt, ſed tantum nominis ſonus differt. *l. 5. §. 1. D. h. t. §. 7. I. de act.*

§. 3. Licet in aliis ſit differentia. Nam *Pignoris* appellatione eam proprie rem contineri dicimus, quæ ſimul etiam traditur creditori, *maxime* ſi mobilis ſit. At eam, quæ ſine traditione, nuda conventione tenetur, proprie *Hypothecæ* appellatione contineri dicimus. *d. §. 7. I. de act. l. 9. §. 2. D. de pign. act. l. 238. §. 2. D. de V. S.*

§. 4. Eſt autem hoc loco *Pignus* ſeu *Hypotheca*, *Jus in re, creditori, in ſecuritatem debiti, conſtitutum. l. 30. D. de action. nox. l. 19. pr. D. de damn. inf. l. 15. C. h. t. l. 18. §. 2. D. de pign. act. l. 12. de diſtr. pign.*

§. 5. Quod varie dividi poteſt.

§. 6. Eſt enim I. *Pignus* vel *Publicum*, *quod auctoritate publica*; vel *Privatum, quod privata auctoritate conſtituitur.*

§. 7. *Publicum*, quod & *Neceſſarium* dici poteſt, eſt vel *Legale*, vel *Prætorium.*

§. 8. *Legale* eſt, *quod ab ipſa Lege conſtituitur. l. 1. in med. C. comm. de legat.*

§. 9. *Prætorium, quod juſſu Prætoris conſtituitur.* Idque eſt vel *Prætorium in Specie*, vel *Judiciale.*

§. 10. *Pignus Prætorium in Specie* eſt, *quod Decreto Prætoris conſtituitur ante ſententiam, per miſſionem in poſſeſſionem bonorum debitoris factam. l. 26. D. de pign. act. l. 1. 2. C. de prætor. pign.*

§. 11. *Judiciale, quod in cauſa judicati conſtituitur, poſt ſententiam, in bonis debitoris condemnati*, qui ſententiæ parere recuſat, *per pignorum capionem*, vel *per miſſionem in bonorum poſſeſſionem. l. 15. §. 2. D. de re jud. l. 2. 3. C. ſi in cauſ. jud. l. 2. 3. C. qui pot. in pign.*

§. 12. *Privatum*, quod & *Voluntarium* dici poteſt, eſt vel *Teſtamentarium*, vel *Conventionale.*

§. 13. *Teſtamentarium* eſt, *quod a teſtatore in teſtamento alicui conſtituitur. l. 26. pr. D. de pign. act. l. 12. D. de alim. legat. l. 1. C. comm. de legat.*

§. 14. *Conventionale* vero, *quod* vel *Contractu & traditione*; *l. 1. pr. D. de pign. act. §. ult. I. quib. mod. re contr. obl. l. 2. C. de præt. pign.* vel *ſine traditione, Nuda conventione* & pacto conſtituitur. *d. l. 1. pr. D. de pign. act. l. 17. §. 2. D. de pact.*

§. 15. Contrahitur enim etiam *Hypotheca* per *pactum conventum*, cum quis paciſcitur, ut res ejus propter aliquam obligationem ſint hypothecæ nomine obligatæ. Nec ad rem pertinet, quibus fit verbis, ſicuti eſt in his obligationibus, quæ conſenſu contrahuntur: unde & inter præſentes ſine ſcriptura, *l. 4. pr.* D. *h. t.* & inter abſentes per nuntium, *l. 23. §. 1.* D. *h. t.* vel per epiſtolam contrahi poteſt. *l. 34. §. 1. D. h. t.*

§. 16. *II. Pignus* vel *Generale* eſt, vel *Speciale. l. 2. C. h. t. l. 4. C. quæ res pign. obl.*

§. 17. *Pignus Generale* eſt, *cum quis generaliter bona ad ſe pertinentia, quæ habet habiturusve eſt, pignori obligavit. l. 1. 6. 29.* D. *h. t. l. ult. C. quæ res pign.*

§. 18. Quod afficit omnia bona debitoris, mobilia & immobilia, præſentia & futura, *l. 1. pr. l. 29. pr.* D. *h. t. l. ult. C. quæ res pign. obl.* etiam incorporalia; dummodo *omnium bonorum*, non vero *Mobilium* & *Immobilium* tantum, mentio facta ſit. *l. 4. & ult. C. quæ res pign. obl. l. 21. D. de V. S.* junct. *l. 15. §. 2. D. de re jud. l. 7. §. 4. D. de pec. l. 25.* D. *de prob. l. 22. D. de don.*

§. 19. Adeo, ut debitor ex eo tempore bona ſua, non niſi ſalvo jure pignoris, poſſit alienare, eaque alienata cum ſuo onere ad poſſeſſores tranſeant. *l. 4. C. de evict. l. un. C. rem alien. ger.*

§. 20. Exceptis tamen I. Iis, quæ pignori obligari nequeunt. *l. 9. §. 1. D. h. t.*

II. Quæ veriſimile non eſt quemquam ſpecialiter obligaturum fuiſſe; qualis eſt ſupellex, veſtis, aliaque, quæ in uſum quotidianum habentur. *l. 6. 7. 8. D. h. t.*

III. Quæ

Digitized by Google

III. Quæ ex bonis defuncti non fuerunt, ſed poſtea ab herede ejus ex alia cauſa acquiſita ſunt. *l. 29. pr. D. h. t.*

§. 21. *Speciale* vero, *cum res quædam ſpecialiter pignori obligatæ ſunt. l. 2. C. h. t. l. 15. §. 1. l. 16. pr.* D. *h. t.*

§. 22. Quod res tantum pignoratas, non alias, afficit, *d. l. 15. §. 1.* earumque acceſſiones. *l. 16. pr. §. 4. D. h. t. l. 1. C. de part. pign.*

§. 23. Adeo, ut debitor eas res, ſine vitio furti, *l. 66. D. de furt.* vel utique ſtellionatus, alienare nequeat. *l. 3. §. 1. D. ſtellion.*

§. 24. *Poſſunt* autem *Pignori obligare*, quicunque ſunt domini, & alienandæ rei poteſtatem habent; *l. f. C. de reb. alien. non alien.* etiam Socii, quantum attinet ad partem in re communi ipſis competentem: *l. un. C. ſi comm. res pign.* non tantum per ſemet ipſos, ſed & per procuratores, ſpeciale mandatum habentes. *l. 1. C. ſi res al. pign.*

§. 25. Et quidem pro quocunque debito, ſeu obligatione: ſive mutua pecunia datur, ſive dos, ſive emtio venditio contrahatur, vel etiam locatio & conductio, vel mandatum; ſive pura eſt obligatio, vel in diem, vel ſub conditione; ſive civilis, ſive honoraria, vel tantum naturalis. *l. 5. pr. l. 14. §. 1. D. h. t.*

De Pactis Pignorum.

§. 26. Cum autem Pignus *Conventionale* conſtituitur, varia ſæpenumero adjiciuntur Pacta; *h. t. t. C. de pact. pign.* eaque *Licita*, vel *Illicita*.

§. 27. *Pactum Licitum* eſt I. *Pactum* Ἀντιχρήσεως, ſeu *Antichreſticum*, i. e. *de mutuo pignoris uſu pro credito*; *l. 11. §. 1. D. h. t.* cum res ita pignori datur, ut creditori re pignorata, in vicem uſurarum, uti & frui liceat. *d. l. 11. §. 1. l. 8. D. in quib. cauſ. pign. vel hyp. tac. l. 14. & 17. C. de uſur.*

§. 28. Quæ Ἀντίχρησις vel *Expreſſa* eſt, vel *Tacita*.

§. 29. *Expreſſa* eſt, *quæ expreſſa conventione contrahitur: l. 1. §. 3. l. 11. §. 1. D. h. t. l. 17. C. de uſur.* quo caſu, ſi fructus ſunt certi, ad legitimum uſurarum modum redigendi ſunt; *l. 1. 2. 12. C. de pign. act.* niſi forte exceſſus ſit modicus. Si vero incerti, unius anni ubertas cum alterius ſterilitate compenſanda eſt; *l. 17. C. de uſur.* niſi exceſſus ſit nimius, ut faciat contractum uſurarium, in fraudem *l. 26. C. de uſur. l. 13. §. 26. D. de act. emt.*

§. 30. *Tacita* vero, *quæ tacita conventione contrahitur;* cum ſcil. creditor uſuras non eſt ſtipulatus, & res fructifera pignori ſimpliciter obligata eſt. *l. 8. D. in quib. cauſ. pign. vel hyp. tac. contr.*

§. 31. Quo caſu fructus ad legitimum uſurarum modum indiſtincte redigendi ſunt. *d. l. 8. D. quib. mod. pign. vel hyp. tac.*

§. 32. II. Ut, ſi intra certum tempus non ſit ſoluta pecunia, creditor jure emtoris poſſideat rem, juſto pretio tunc æſtimandam. *l. 16. §. f.* D. *h. t. l. 1. C. de pact. pign. l. 34. D. de pign. act.*

Tt 2 §. 33.

Digitized by Google

§. 33. III. Ut amiſſio ſeu interitus pignorum liberet debitorem. *l. 6. C. de pign act.*

§. 34. IV. Ne Debitori vel Creditori pignus vendere liceat. *l. 7. §. ult. D. de diſtr. pign. l. 4. D. de pign. act.*

§. 35. *Pactum* vero *Illicitum* eſt I. *Pactum Commiſſorium*, quo convenit, *ut debito ſuo die non ſoluto, pignus pro quantitate debita, pleno jure creditori cedat.* Cujus cum creſceret aſperitas, Imp. Conſtantinus per ſaluberrimam Conſtitutionem prohibendum cenſuit, quæ extat in *l. ult. C. de pact. pign.* & cum præteritis præſentia quoque repellit, & futura prohibet.

§. 36. II. Ut Creditori liceat poſſeſſionem pignoris ingredi, & propria auctoritate occupare. *l. 3. C. h. t. l. pen. C. de pign. act. l. 13. D. quod met. cauſ.*

§. 37. III. Ut Debitor, ſoluto debito, pignus propria auctoritate recuperare poſſit. arg. *d. l. pen. C. de pign. act. l. 3. C. h. t. l. 13. D. quod met. cauſ. l. 176. D. de R. J.*

TITULUS II.

IN QUIBUS CAUSIS PIGNUS VEL HYPOTHECA TACITE CONTRAHITUR.

C. VIII. 15.

§. 1.

III. **P***ignus* eſt vel *Expreſſum*, vel *Tacitum.*

§. 2. *Pignus Expreſſum* eſt, *quod expreſſa voluntate contrahentium conſtituitur. l. pen.* D. *h. t.*

§. 3. *Tacitum*, (quod & *Legale* quandoque dicitur,) *quod ſine expreſſa conventione, ob præſumtam voluntatem partium, vel aliam juſtam cauſam, a Lege conſtitutum eſt. l. 1. C. comm. de leg l. un. §. 1. C. de rei ux. act. l. 6. §. f. C. de bon. quæ lib.*

§. 4. *Ob præſumtam voluntatem partium, Tacitum pignus* datur I. Ex SCto, quod ſub Marco Imp. factum eſt, creditori, qui pecuniam ob reſtitutionem ædificii exſtruendi mutuam dedit. *l. 1. D. h. t. l. 24. §. 1. D. de reb. auct. jud. poſſ.*

§. 5. Quod ad eum quoque pertinet, qui redemtori, domino mandante, nummos miniſtravit. *d. l. 1. D. h. t. l. 24. §. 1. D. de reb. auct. jud. poſſ.*

§. 6. Non etiam ad eum, qui ad novum ædificium exſtruendum vel emendum, vel navem reficiendam, pecuniam credidit. *l. 17. C. de pign. l. 7. C. qui pot. in pign. N. 136. c. 3.*

§. 7. II. Locatori in iis, quæ in prædium urbanum, (non ruſticum) ut ibi perpetuo ſint, *l. 7. §. 1. D. h. t.* invecta & illata ſunt. *l. 2. 3. 4. 5. pr. l. 6. 7. §. 1. D. h. t. l. 5. & ult. C. h. t. l. 4. pr. D. de pact.* v. ſupr. *ad t. de pact. §. 17.*

§. 8.

§. 8. Quod & in invectis & illatis ſecundi conductoris, *l. 11. §. 5. D. de pign. act.* & ſupellectile libraria ſtudioſorum, locum habet.

§. 9. III. Locatori in fructibus, qui in prædio ruſtico naſcuntur. *l. 7. pr. D. h. t.*

§. 10. Citra præſumtam vero voluntatem partium, *ſola Legis diſpoſitione Tacitum pignus* datur I. Fiſco, 1. Ratione tributorum, in bonis eorum, qui cenſentur. *l. 1. C. h. t. l. 1. C. ſi propt. publ. penſ.*

2. In bonis eorum, qui cum eo contrahunt; *l. 2. C. h. t.* non etiam eorum, qui ex delicto ad pœnam obligati ſunt. *l. 17. 73. D. de jur. fiſc.*

3. In bonis debitoris primipilaris, ejusque uxoris. *l. 4. C. h. t.*

4. In bonis adminiſtratoris rei fiſcalis. *l. 1. C. de priv. fiſc. t. C. ſi propt. publ. penſ.*

§. 11. II. Reip., Civitati, & Eccleſiæ, in bonis adminiſtratorum; arg. *l. 20. C. de admin. tut.* junct. *l. 3. C. de jur. Reip. l. 23. §. 1. C. de SS. Eccleſ.* non etiam uti creditrici, in bonis debitorum. *l. 2. C. de jur. Reip. l. 8. D. qui pot. in pign.*

§. 12. III. Liberis prioris matrimonii, 1. In bonis vitrici, ratione tutelæ maternæ; ſi ſcil. mater, alio tutore non petito, neque rationibus redditis, ei nupſerit. *l. 6. C. h. t.*

2. In bonis parentum, ad ſecundas nuptias tranſeuntium, ratione eorum, quæ ex priori matrimonio ad eos pervenerunt. *l. 6. §. 2. C. de ſec. nupt.*

3. In bonis patris, ratione bonorum maternorum, aliorumque adventitiorum, quæ pater adminiſtravit. *l. 6. §. ult. C. de bon. quæ lib. l. 8. §. ult. C. de ſec. nupt.*

§. 13. IV. Pupillis & minoribus, eorumque heredibus, 1. In bonis tutorum & curatorum. *l. 20. C. de adm. tut. l. 19. §. 1. D. de reb. auct. jud. poſſ. N. 22. c. 40. l. 196. D. de R. J.*

2. In rebus pecunia eorum emtis, *l. 7. D. qui pot. in pign.* non aliis. *l. 17. C. de pign. l. 7. C. qui pot. in pign.*

§. 14. V. Marito pro dote præſtanda, in bonis ejus, qui dotem promiſit. *l. un. §. 1. C. de rei ux. act.*

§. 15. VI. Uxori pro dote repetenda, in bonis mariti, ejusve, qui dotem ſuſcepit; *d. l. un. §. 1. C. de rei ux. act.* ut & pro dotis augmento, *N. 97. c. 2.* paraphernis, *l. ult. C. de pact. conv.* & donatione propter nuptias. *l. 29. C. de jur. dot.*

§. 16. VII. Legatariis & Fideicommiſſariis, pro legatis & fideicommiſſis conſequendis, in bonis teſtatoris. *l. 1. C. comm. de legat.*

§. 17. VIII. Redemtori, in perſona ab hoſtibus capta & redemta, pro pretio redemtionis. *l. 15. D. de capt. l. 2. C. de poſtl. rev. l. 20. §. 1. D. qui teſt. fac. poſſ. l. 43. §. ult. D. de leg. 1.*

TITULUS III.

QUÆ RES PIGNORI VEL HYPOTHECÆ DATÆ, OBLIGARI NON POSSUNT.

C. VIII. 17.

§. 1.

Poſſunt autem *pignori obligari* res omnes, quæcunque vendi poſſunt. *l. 9. §. 1. D. de pign. & hyp. l. 1. §. 2.* D. *h. t.*

Sive illæ ſint Mobiles, ſive Immobiles.

Sive Corporales, ſive Incorporales: veluti Uſusfructus; *l. 11. §. 2. D. de pign. & hyp.* Servitutes Reales, tum Urbanæ, tum Ruſticæ, necdum ſcil. conſtitutæ; *l. 11. §. ult. l. 12.* D. *de pign & hyp.* Jus pignoris, *l. 13.* D. *de pign. t. C. ſi pign. pignor. dat. ſit.* ut & Nomen ſeu Obligatio. *l. 4. C. h. t.*

Sive Præſentes, ſive Futuræ; puta fructus futuri. *l. 15. pr.* D. *de pign. & hyp.*

§. 2. Quas res vero quis emere non poteſt, quia commercium earum non eſt, jure pignoris etiam accipere non poteſt. *l. 1. §. 2.* D. *h. t.*

§. 3. Quales ſunt, Res litigioſæ; *d. l. 1. §. 2.* D. *h. t.* Religioſæ; *l. 3. C. h. t.* Liber homo; *l. 6. C. h. t.* v. *l. 1. C. de patr. qui fil. diſtr.* Spes præmiorum, quæ pro coronis Athletis præſtanda ſunt; *l. 5. C. h. t.* Fundus dotalis; *l. 4. D. de fund. dot. pr. I. quib. alien. lic.* Arma militum; arg. *l. 14. §. 1.* D. *de re mil.* & ſimilia.

§. 4. Porro pignori obligari nequeunt res pupillorum & minorum, ſine tutorum curatorumque auctoritate, *l. 1. pr. D. h. t. l. 3. C. de in int. reſt. min.* vel Decreto Prætoris, ſi ſcil. res ſint majoris momenti. *l. 1. §. 2. 4. l. 2. D. de reb. eor. qui ſub tut. vel cur. ſunt. ſine decr. non alien.* l. *22. C. de adm. tut.*

§. 5. Res peculiares, quæ a filio vel ſervo, ſine voluntate patris vel domini, pro alio pignori datæ ſunt. *l. 1.* §. *1. D. h. t.*

§. 6. Res alterius, pro muliere intercedente, vel filiofam. contra SCtum pecuniam mutuam accipiente, pignori data. *l. 2.* D. *h. t.*

§. 7. Res alienæ. *l. 2. C. ſi alien. res pign. dat. ſit. t. t. C. de reb. alien. non alien. & prohib. rer. alien. vel hyp. l. 16. §. 1. 7. D. de pign. & hyp.* Adeo, ut, ſi debitor rem alienam creditori pignori dederit, non tantum pignus non valeat, ſed & ob eam rem *Actione pignoratitia contraria* teneatur, & in crimen ſtellionatus incidat. *l. 6. C. ſi res alien. pign. dat. ſit. l. 16.* §. *1.* D. *de pign. act.*

§. 8. Niſi I. res aliena voluntate domini pignori data ſit, *l. 20. pr. D. de pign. act.* vel dominus id ratum habuerit. *d. l. 20. pr. l. 16. §. 1.* D. *de pign. & hyp.*

II. De-

II. Dominus, ſciens rem ſuam pignori obligari, in fraudem creditoris ignorantis, taceat. *l. 2. C. ſi alien. res pign. dat. ſit.*

III. Res aliena ſub conditione pignori data ſit, *ſi debitoris facta fuerit. l. 16. §. 7. D. de pign. & hyp.*

IV. Debitor ejus rei poſtea dominus factus ſit: quo caſu *Utilis Actio pignoratitia* ſeu *hypothecaria* creditori conceditur. *l. 41. D. de pign. act. l. 5. C. ſi alien. res pign. dat. ſit.* Sive ignoraverit, ſive ſciverit rem alienam eſſe; ita tamen, ut tum *difficilius* detur, i. e. cauſa cognita. *l. 1. pr. D. de pign. & hyp. l. 25. D. d. t.*

V. Dominus debitori, qui rem pignori obligavit, heres extiterit: quo caſu creditori ſimiliter actio *Utilis* competit; *l. 22.* D. *de pign. & hyp.* dummodo domino *ignorante*, & non *invito* res obligata ſit. Ita acc. *l. 41. D. de pign. act.*

§. 9. Executores denique pignori capere nequeunt ſervos aratores, boves aratorios, inſtrumenta aratoria, aliaque ad agriculturam neceſſaria; ne agricultura impediatur, & exinde tributorum illatio retardetur. *l. 7. 8.* & *Auth ſeq. C. h. t.* Adeo, ut, ſi quis contra fecerit, in quadruplum ablata reſtituere debeat, & infamiæ notam ipſo jure incurrat; Imperiali animadverſione ſeu pœna extraordinaria nihilominus puniendus. *d. Auth. Agricultores. C. h. t.*

TITULUS IV.

Qui Potiores In Pignore, Vel Hypotheca Habeantur: Et De His, Qui In Priorum Creditorum Locum Succedunt.

C. VIII. 18. 19.

§. 1.

Cum autem jus pignoris ſæpe plures habeant creditores, quibus omnibus ex bonis debitoris ſatisfieri nequit; videndum, *Quinam potiores in Pignore vel Hypotheca habeantur?*

§. 2. Et quidem, ſi debitor res ſuas duobus ſimul *eodem tempore* pignori obligaverit, ita, ut utrique in ſolidum obligatæ eſſent, ſinguli in ſolidum adverſus extraneos *Serviana* utentur; inter ipſos autem ſi quæſtio moveatur, poſſidentis melior eſt conditio. *l. 10. 16. §. 8.* D. *de pign. & hyp. l. 128.* D. *de R. J.*

§. 3. Si autem id actum fuerit, ut pro partibus res obligarentur, *Utilis* actio competit, & inter ipſos, & adverſus extraneos, per quam dimidiam partem poſſeſſionis ſinguli apprehendent. *dd. ll.*

§. 4. Si vero *diverſis temporibus* (ut fere fieri ſolet) creditoribus pignus con-

conſtitutum ſit, Regula inter eos obtinet, *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure. l. 2. 4. 7. 8. C. h. t.*

§. 5. In quo tempus pignoris conſtituti, etiam ipſum momentum, inſpiciendum eſt; ut *prior tempore* cenſeatur, qui prior hypothecam accepit: licet alter prior contraxerit, *l. 11. pr. l. 12. §. 2. D. h. t.* vel ei priori res tradita fuerit. *d. l. 12. §. ult. D. h. t.*

§. 6. Eaque Regula locum habet, ſive pignus Expreſſum ſit, ſive Tacitum; *l. 2. C. de priv. fiſc.* arg. *N. 97. c. 4.* ſive Prætorium, ſive Judiciale; ſive Teſtamentarium, ſive Conventionale: *l. 10. D. l. 2. 4. C. h. t. l. 11. pr.* D. *l. 8. C. h. t.* ſive Generale, ſive Speciale. *l. 2. 11. 12. 18.* D. *h. t.*

§. 7. Adeo, ut, qui generaliter bona debitoris pignori accepit, eo potior ſit, cui poſtea prædium ex his bonis ſpecialiter pignori datur; quamvis ex cæteris pecuniam ſuam redigere poſſit. *l. 2. D. h. t.*

§. 8. Niſi ſpecialiter quædam, & in ſubſidium univerſa bona generaliter pignori acceperit; quo caſu, ſi certum eſt, poſſe eum, ex his, quæ nominatim ei pignori obligata ſunt, univerſum redigere debitum, ea, quæ aliis poſtea ſpecialiter obligata ſunt, iis non ſunt auferenda *l. 2. C. de pign. & hyp.*

§. 9. Interdum tamen hæc regula ceſſat, & poſterior potior eſt priori. *l. 5. D. h. t.* Scil. I. Si poſterior hypothecam habeat privilegiatam; qualem habet 1. Fiſcus ratione tributorum & debiti primipilaris. *l. 1. 2. C. ſi propt. publ. penſit. l. 1. 4. C. in quib. cauſ. pign. vel hyp. tac. l. 3. 4. C. de primipil.* v. Veget. *de re mil. L. II. c. 8.*

2. Qui credidit in Militiam emendam, & de hypotheca ſibi ſpecialiter proſpexit. *N. 97. c. 4.*

3. Uxor ratione dotis; ob ſummum dotis favorem, v. *l. 1.* D. *ſol. matr.* ob quem mulier præfertur aliis mariti creditoribus, etiam anteriorem expreſſam hypothecam habentibus. *l. 12. §. 1. C. h. t.* Non heres. *l. un. C. de priv. dot.* v. infr. *ad t. ſol. matr. §. 6. n. IV.*

4. Qui credidit in reſtitutionem ædificii. *l. 1. D. in quib cauſ. pign. vel hyp. tac. contr.* v. ſupr. *ad d. t. §. 4.*

5. Qui in rem conſervandam credidit, eamque pignori accepit; *l. 5. 6. pr. §. 1. D. h. t.* hujus enim pecunia ſalvam fecit totius pignoris cauſam. *d. l. 6. pr.*

6. Pupillus, cujus nummis res fuit comparata. *l. 7. D. h. t.*

7. Aliique, quorum pecunia res emta eſt; ſi eadem iis ſpecialiter pignori obligata ſit. *l. 7. C. h. t.*

§. 10. *II.* Si pignus priori in inſtrumento privato, poſteriori vero in inſtrumento publico conſtitutum ſit. *l. 11. C. h. t.* Pro quo & illud habetur, quod trium vel plurium teſtium ſubſcriptione firmatum eſt. *d. l. 11. & ſeq. Auth. Si quis. N. 73. c. 1.*

§. n. III.

§. 11. *III.* Si Creditor poſterior in locum prioris ſuccedat. *Inſcr. h. t. & t. C. de his, qui in prior. cred. loc. ſucr.*

§. 12. Et quidem, ſi creditor *Hypothecarius* poſterior, priori, ſive volenti, ſive invito, pecuniam ſolvat, vel offerat, eoque non accipiente, obſignatam legitime deponat, jus prioris in ſe transfert, & in locum prioris, quantum ad exſolutum debitum attinet, ſuccedit. *l. 12. §. 6. D. h. t. l. 1. & ult. C. de his qui in prior. cred. loc. l. 12. C. de pign.*

§. 13. Si vero *Chirographarius* poſterior, priori hypothecario ſolvat, non ſuccedit in locum prioris; niſi convenerit, ut eadem res ſibi obligata ſit, & in locum ejus ſuccedat. *l. 3.* D. *quæ res pign. dat. l. 12. §. 8. D. h. t. l. 1. C de his qui in prior. cred. loc. ſucced.*

TITULUS V.

De Diſtractione Pignorum, Et Hypothecarum.

C. VIII. 28.

§. 1.

Effectus Pignoris conſtituti* eſt, quod producat *Actionem in rem,* ad pignus perſequendum; *l. 17. D. l. 18. C. de pign. & hyp.* &, ſi debitor ſit in mora ſolvendi, *Diſtractioni pignoris locum faciat. l. 7. §. 1. D. de reb. eor. qui ſub tut.*

§. 2. *Actio ad perſequendum pignus* datur *Serviana*, & *Quaſi Serviana* ſeu *Hypothecaria. §. 7. I. de act.*

§. 3. *Actio Serviana* eſt *Actio Prætoria in rem; Quæ datur Locatori prædii ruſtici; Contra colonum, & quemcunque poſſeſſorem; Ad perſequendas res, pro mercede fundi ſibi pignori obligatas.*

§. 4. Eſt hæc *Actio Prætoria; §. 7. I. de act. l. 17. §. 2. D. de pact.* a *Servio* ſcil. Prætore, unde & nomen habet, introducta *d. §. 7. I. de act.* Quem in hunc ſenſum edixiſſe, probabile eſt: *Quod quis pro mercede fundi ſibi pignori obligatum eſſe dicet, a colono, cujus in bonis erat, niſi arbitrio Judicis reſtituatur, de eo, adverſus eum, qui poſſidebit, judicium dabo.*

§. 5. *In rem; l. 66. D. de evict. l. 17. D. l. 18. C. de pign. & hyp. l. 14. C. de O. & A.* naſcitur enim ex jure pignoris, quod reale eſt. *l. 30. D. de noxal. act. l. 19. D. de damn. inf.*

§. 6. *Quæ datur Locatori prædii ruſtici; §. 7. I. de act.*

§. 7. *Contra colonum; d. §. 7. I. de act. l. 36. D. de nox. act.*

§. 8. *Et quemcunque poſſeſſorem; l. 16. §. 3. D. de pign. & hyp. l. 14. C. de O. & A.* excuſſo tamen, ſecundum jus novum, prius debitore Principali. *v. Nov. 4. c. 2. & Auth. Sed hodie. C. de obl. & act. Auth. Hoc ſi. C. de pign.*

§. 9. *Ad perſequendas res, pro mercede fundi ſibi pignori obligatas. §. 7. I. de*

Digitized by Google

de act. ſive illæ expreſſe pignori obligatæ ſint, ſive tacite: quales ſunt fructus in prædio ruſtico nati; *l. 7. pr. D. in quib. cauſ. pign. vel hyp. tac.* non etiam invecta & illata, quæ in prædio urbano tantum tacite pignori obligata ſunt. *l. 4. pr. D. in quib. cauſ. pign. vel hyp. tac.* v. ſupr. *ad t. in quib. c. pign. vel hyp. tac. contr. §. 7.*

§. 10. *Quaſi Serviana* ſeu *Hypothecaria*, v. *§. 7. I. de act. l. 3. §. 3. D. ad exhib.* (quæ & quandoque *Serviana utilis, l. 1. C. de prec. l. 1. C. comm. de leg.* & *Pignoratitia* dicitur, *l. 7. §. 12. D. comm. div. l. 19. D. de exc. rei jud.*) eſt *Actio Prætoria, in rem; Quæ datur cuilibet creditori; Contra debitorem, & quemcunque poſſeſſorem; Ad res ſibi pignori obligatas perſequendas.*

§. 11. Eſt hæc *Actio* etiam *Prætoria, §. 7. I. de act. l. 17. §. 2. D. de pact.* tali forte Edicto, ad exemplum ſuperioris propoſita: *Quod quis pro pecunia debita ſibi pignori hypothecave obligatum eſſe dicet, ab eo, cujus in bonis erat, niſi arbitrio judicis reſtituatur, de eo, adverſus eum, qui poſſidebit, judicium dabo. Si ſoluta pecunia ſit, aut per creditorem ſteterit, quo minus ſolvatur, judicium non dabo.* arg. *l. 19. C. de uſur. l. 11. §. ult. D. qui pot. in pign.*

§. 12. *In rem; l. 17. D. l. 18. C. de pign. & hyp.* naſcitur enim ex jure pignoris, quod reale eſt: *l. 30. D. de noxal. act. l. 19. D. de damn. inf.* qualecunque illud ſit; *§. 7. I. de act. l. 15. C. de pign.* ſive publicum, ſive privatum, *d. §. 7. d. l. 15. & 1. C. comm de legat. l. 2. C. de præt. pign.*

§. 13. *Quæ datur cuilibet creditori;* excepto Locatore prædii ruſtici, qui *Serviana* experitur. *§. 7. I. de act.*

§. 14. *Contra debitorem; §. 7. I. de act. l. 36. D. de nox. act. l. 21. §. ult. D. de pign.* ejusque heredes, & quidem ſingulos in ſolidum, ſi in ſolidum poſſeſſores ſint. *l. 2. C. ſi unus ex plurib. hered.* Qui enim partem tantum poſſidet, eam cedendo ſatisfacit. *d. l. 2.*

§. 15. *Et quemcunque poſſeſſorem; l. 16. §. 3. l. 21. §. ult. D. de pign. & hyp. l. 14. C. eod. l. 14. C. de O. & A.*

§. 16. Et quidem jure Codicis etiam antequam debitor Principalis ſit conventus; *l. 14. 24. C. de pign. & hyp. l. ult. C. de O. & A.* Jure Novellarum autem, non niſi excuſſo debitore Principali, ejusque fidejuſſoribus & mandatoribus; *Nov. 4. c. 2. Auth. Sed hodie. C. de O. & A. Auth. Hoc ſi. C. de pign. & hyp.* ſive hypotheca generalis ſit, ſive ſpecialis. *dd. ll.*

§. 17. *Ad res ſibi pignori obligatas perſequendas. §. 7. I. de act.* Easque, ſive mobiles ſint, ſive immobiles, *d. §. 7. l. 34. & 6. D. de pign. & hyp. l. 1. D. h. t.* (niſi poſſeſſor debitum ſolvere malit, *l. 16. §. 3. D. de pign. l. 12. §. 1. D. quib. mod. pign. vel hyp. ſolv.*) una cum fructibus & acceſſionibus reſtituendas. *l. 16. pr. §. 3. 4. l. 1. §. 2. D. de pign. & hyp. l. 66. D. de evict.*

§. 18. Ut itaque Actor tum *Serviana*, tum *Quaſi Serviana* agens vincat, ſi

quidem

Digitized by Google

quidem contra ipſum *Debitorem* experiatur, probare debet, rem pignori vel hypothecæ obligatam eſſe. *l. 23. D. de prob.* arg. *l. 41. D. de pign. act.*

§. 19. Si vero contra *tertium poſſeſſorem*, non tantum probare debet, rem pignori obligatam eſſe; ſed &, ſi pignus ſpeciale ſit, rem eo tempore, quo pignus contrahebatur, in bonis debitoris fuiſſe; vel, ſi generale ſit, poſtea in dominium ejus perveniſſe: *l. 3. pr. l. 15. §. 1. D. de pign. & hyp.* nec non adverſarium poſſidere, vel dolo malo feciſſe, quo minus poſſideat. *l. 16. §. 3. D. de pign. & hyp.*

§. 20. Præſcribitur autem hiſce Actionibus ab *Extraneo*, ſi bona fide poſſideat, longo tempore, i. e. decem annis inter præſentes, viginti inter abſentes; *l. 1. 2. C. ſi adverſ. cred. præſcr. opp. l. ult. C. de O. & A.* ſin mala fide, XXX. annis. *l. 3. & 7. pr. C. de præſcr. XXX. vel XL. ann.* A *Debitore* vero ipſo pignus poſſidente, annis XL. *d. l. 7. §. 1. 2. C. de præſc. XXX. vel XL. ann.*

§. 21. Ubi vero Creditor pignus ex contractu habet, vel poſſeſſionem ejus per dictas Actiones conſecutus eſt, & debitor in mora eſt ſolvendi, *l. 7. & 14. C. h. t. Pignoris Diſtractioni* locus eſt. *h. t. D. & C. de diſtr. pign.*

§. 22. Ut poſſit Creditor, vel omnes res ſibi pignori obligatas, vel quas ex iis velit, non tantum judicialiter, ſed & propria auctoritate extrajudicialiter diſtrahere; *l. 8. 4. 11. & ſ. D. l. 6. 7. 9. C. h. t.* neque debitor, niſi univerſum debitum & ſortis & uſurarum offerat, eam venditionem impedire poſſit. *l. 2. C. debit. vendit. pignor. imped. non poſſ.*

§. 23. De quo, *ſi pactum* aliquod *intervenerit*, illud ſervandum, neque ulla denunciatione opus videtur. *l. 4. D. de pign. act. l. ult. §. 1. C. de jur. dom. imp.*

§. 24. Si modo pactum non ſit, *Ne liceat diſtrahere;* quo caſu (cum pactum tale naturæ pignoris ſit contrarium, v. *§. ult. I. quib. mod. re contr. obl.*) diſtractio nihilominus eſt licita, ſi ſcil. creditor debitori ter denunciaverit, ut ſolvat, & ceſſaverit. *l. 4. D. de pign. act.*

§. 25. *Si* vero *nullum pactum interceſſit*, creditori pignus diſtrahere licet, ſi debitori ſemel teſtato denunciaverit, & inſuper biennium expectaverit. *l. 4. C. h. t. l. ult. §. 1. C. de jur. dom. imp.*

§. 26. Dummodo Venditio fiat ſolenniter (facta ſcil. proſcriptione) & bona fide; *l. 4. & 9. C. h. t.* & proinde pignus, ſine fraude & colluſione, *l. 4. 7. 10. C. h. t.* tanti vendatur, quanti vendi poteſt. *l. 14. 22. §. ult. D. de pign. act. l. 3. C. ſi vend. pign. ag.*

§. 27. Si emtor inveniatur, Venditionis legitime factæ effectus eſt, ut ex pretio rerum venditarum creditori ſatisfiat; *l. 8. D. h. t. l. 9. C. h. t.* ſuperfluum vero debitori reſtituatur; *l. 24. §. 2. D. de pign. act. l. 31. in ſ. D. de re jud.* & dominium rei venditæ in emtorem transferatur. *l. 46. D. de A. R. D. §. 1. I. quib. alien. lic.*

§. 28. Adeo, ut debitor eam pretio poſtea oblato evincere nequeat; *l. 18. C. h. t.*

C. h. t. l. 2. 3. C. ſi antiq. cred. niſi ſecundus vel poſterior creditor emerit, cui debitor pecuniam offerre poteſt. *l. 5. §. 1. l. 6. D. h. t. l. 1. C. ſi antiq. cred.*

§. 29 De Evictione tamen Creditor non tenetur; *l. 50. D. de evict. t. t. C. cred. evict. pign. non deb.* niſi forte creditor evictionem promiſerit, vel ſciens rem alienam diſtraxerit. *l. 1. 2. C. cred. evict. pign. non deb.*

§. 30. Sed ſi res vendita evincatur, Emtori vel *Utili actione Emti* conſulitur contra debitorem, *l. 12. §. 1. D. h. t. l. 4. C. de evict.* quaſi ipſe debitor vendidiſſet. *l. 13. C. de evict.* vel *Actione Pignoratitia Contraria*, a creditore cedenda. *l. 13. D. h. t. l. 38. D. de evict.*

§. 31. Si vero emtor non inveniatur, debitori iterum denunciandum, vel, ſi debitor abſit, Judex rogandus, ut certum tempus ſtatuatur, intra quod luat. Quo præterlapſo creditor a Principe jus dominii impetrare poteſt; ita tamen, ut poſt eam impetrationem, debitor adhuc intra biennium debitum una cum uſuris offerre, & pignus luere poſſit. *l. ult. §. 2. 3. C. de jur. dom. impetr.*

§. 32. Quod ſi Creditor pignus illegitime vendat, ſi quidem jus vendendi non habeat, (veluti ſi debitor non ſit in mora, v. *l. 7. 14. C. h. t.*) venditio nulla eſt, & poteſt debitor rem venditam, niſi jam uſucapta ſit, a poſſeſſore per *Rei Vindicationem* repetere. *l. 2. C. ſi vend. pign. ag. l. 65. D. de R. V.* v. *l. 8. C. h. t.*

§. 33. Si vero jus vendendi quidem habuit, ſed vel non ſolenniter, vel non bona fide pignus diſtraxit, poteſt debitor vel *Actione Pignoratitia* agere contra creditorem, ad id quod intereſt; *l. 7. 4. C. h. t.* vel *Utili ex Emto* contra emtorem, ſi fraudis conſcius ſit, ut, oblata pecunia cum uſuris, rem cum fructibus reſtituat. *l. 1. 4. C. ſi vend. pign. ag.*

§. 34. *Pignus* autem *Judiciale* non niſi publica auctoritate diſtrahi poteſt. In quo capiendo, & diſtrahendo, hic modus præſcriptus eſt; Primum Debitori quatuor menſes ad ſolutionem conceduntur; *l. 2. & ult. §. 1. C. de uſur. rei jud.* quibus elapſis, neque ſolutione facta, pignora capiuntur, eaque, ſi intra duos alios menſes non ſolvatur, ſub haſta venduntur: *l. 31. in f. D. de re jud. l. 1. C. ſi in cauſ. jud.* emtore non exiſtente, ipſe creditor admittitur; *l. 2. C. ſi in cauſ. jud.* vel ſi emere nolit, in poſſeſſionem mittitur, *l. 3. C. de exec. rei jud.* & tandem ipſi dominium addicitur. *l. ult. C. ſi in cauſ. jud.*

§. 35. Quod ſi tamen plus ſit in pignore, quam in debito, ſuperfluum debitori reſtituendum eſt. *l. ult. §. 4. C. de jur. dom. impetr.*

TITU-

TITULUS VI.

QUIBUS MODIS PIGNUS VEL HYPOTHECA SOLVITUR.

§. 1.

Quemadmodum autem pignus & hypotheca variis modis conſtituitur, ſic & variis modis ſolvitur.

§. 2. Et quidem *I. Solvitur* & liberatur pignus *exſtincta Obligatione principali*, qua ſublata & acceſſorium tolli neceſſe eſt: *l.* 43. D. *de ſol. pr. I. quib. mod. toll. obl.* ſive ſolutum ſit debitum, ſive creditori eo nomine ſatisfactum. *l. 6. pr. D. h. t. l. 9. §. 3. D. de pign. act.* ſive Obligatio per Acceptilationem, *l. 11. §. 2. D. de pign. act. §. 1. I. quib. mod. toll. obl.* Novationem, *d. l. 11. §. 1. D. de pign. act. l. 18. D. de nov. §. 3. I. quib. mod. toll. obl.* Confuſionem, *l. 75.* D. *de ſol.* debiti oblati Obſignationem & Depoſitionem, *l. 19. C. de uſur. l. 9. C. de ſol.* vel Compenſationem ſublata ſit. *l. 4.* D. *qui pot. in pign. l. 12. C. de compenſ.*

§. 3. *II. Infirmato debito principali, per exceptionem Pacti de non petendo*, ſive expreſſi, *l. 5. pr.* D. *h. t. l. 17. §. 2. D. de pact.* ſive taciti, quod ex redditione chirographi oritur; *l. 2. §. 1.* D. *de pact. l. 7. C. de remiſſ. pign. Jurisjurandi, l. 5. §. f. l. 13. D. h. t.* vel *Rei judicatæ: d. l. 13. D. h. t.* quibus caſibus & pignus ope exceptionis liberatur. *l. 5. pr.* D. *h. t. l. 17. §. 2.* D. *de pact.*

§. 4. *III. Remiſſione pignoris*, vel expreſſe, *l. 5. pr. l 7. §. 2. l. 8. §. 1. D. h. t.* vel tacite facta.

§. 5. *Fit* autem *Remiſſio tacite*, I. Si creditor, pecunia non ſoluta, pignus debitori reddat. *l. 3.* D. *de pact.* v. ſupr. *ad t. de pact. §. 16.*

II. Si creditor in venditionem, vel alienationem, *l. 4. §. 1. l. 7. pr. & §§. ſeqq. l. 8. §. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 13. l. 10. D. h. t. l. 2. 4. l. ult. C. de remiſſ. pign. l. 158.* D. *de R. J.* adeoque etiam, ſi in ulteriorem oppignorationem, conſenſerit. *l. 12. pr. D. h. t. l. 12. §. 4.* D. *qui pot. in pign.*

§. 6. Non videtur autem conſenſiſſe creditor, ſi tantum ſciente eo debitor pignus vendiderit; cum ideo paſſus eſt venire, quod ſciebat ubique pignus ſibi durare. *l. 8. §. 15. D. h. t.*

§. 7. Niſi I. Non deceptus ſubſcripſerit in tabulis emtionis. *d. l. 8. §. 15.*

II. Publico programmate, vel fiſcalis haſtæ ſolennitate admonitus tacuerit, & jus ſuum exſecutus non ſit. *l. 6. 8. C. de remiſſ. pign.*

III. Servus pignori obligatus ſciente creditore manumiſſus ſit. *l. 1. C. de remiſſ. pign.*

§. 8. *IV.* Pignus ſolvitur, *ſoluto jure conſtituentis. l. 31. D. de pign. & hyp. l. 4. §. 3.* D. *de in diem addict.*

§. 9. *V. Lapſu temporis*, ſi ad certum tempus conſtitutum eſt. *l. 6. pr. D. h. t.*

§. 10. *VI. Exſtincta re pignorata*, ſive corporali, ſive incorporali, veluti uſufructu: *l. 8. pr. D. h. t.* dummodo res tota exſtincta ſit; nam parte tantum exſtincta, pars, quæ ſupereſt, obligata manet. *l. 16. §. 2. l. 29. §. 2.* D. *de pign. & hyp. l. 21. D. de pign. act.*

§. 11. Non etiam, ſi res pignorata tantum mutata ſit; *l. 16. §. 2. l. 29. §. 2.* D. *de pign. & hyp. l. 21. D. de pign. act.* niſi tanta mutatio ſit, ut ex ea nova ſpecies facta ſit. *l. 18. §. pen. D. de pign. act.*

* *

LIBER XXI. TITULUS I.

DE ÆDILITIO EDICTO, ET REDHIBITIONE, ET QUANTI MINORIS.

C. IV. 18.

§. 1.

Ad *Implementum Contractuum*, & *Indemnitatem*, pertinet *Ædilitium Edictum*, *Evictio*, & *Uſuræ*.

§. 2. *Ædilitium Edictum* eſt, quod ab *Ædilibus Curulibus*, v. *l. 2. §. 26. D. de O. J.* Liv. *L. VI. c. 42.* eſt propoſitum. *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 3. Cum enim inter alia, annonæ, rerumque venalium, nec non fori, & nundinarum cura ad eos pertineret, v. Cic. *L. III. de Leg. c. 3.* Plaut. *Rud. Act. II. Sc. III. verſ. 43. 44.* Perſ. *Sat. I. 130.* Juv. *Sat. X. 101. 102. l. 13. §. 8.* D. *locat.* de iis etiam jus dixerunt, Edicta propoſuerunt, Actioneſque dederunt. v. Plaut. *Captiv. Act. IV. Sc. II. 43.* Dion Caſſ. *L. LIII. §. 7. I. de J. N. G. & Civ. §. 2. I. de diviſ. ſtip. l. 12. D. de decur. l. un. §. 2. D. de via publ.*

§. 4. Ex quibus Edictis Unum reliquum nobis fecit hic noſter *Titulus*, quo tria ejus exhibentur capita.

§. 5. *Primo capite* ajunt Ædiles: „*Qui mancipia vendunt, certiores faciant „emtores, quid morbi, vitiive cuique ſit: Quis fugitivus errove ſit, noxave ſolutus „non ſit. Eademque omnia, cum ea mancipia venibunt, palam recte pronuncianto. „Quod ſi mancipium adverſus ea veniſſet; ſive adverſus quod dictum promiſſumve fuerit, cum veniret, fuiſſet: Quod ejus præſtari oportere dicetur, emtori, omnibusque, ad quos ea res pertinet, judicium dabimus, ut id mancipium „redhibeatur.*„

„*Si quid autem poſt venditionem traditionemque deterius, emtoris opera, „familiæ, procuratoriſve ejus factum erit; Sive quid ex eo poſt venditionem natum,*

„tum, adquiſitum fuerit; Et ſi quid aliud in venditione ei acceſſerit; ſive quid „ex ea re fructus pervenerit ad emtorem: ut ea omnia reſtituat. Item ſi quas „acceſſiones ipſe præſtiterit, ut recipiat.„

„Item ſi quod mancipium capitalem fraudem admiſerit; mortis conſciſcendæ „ſibi cauſa quid fecerit; inve harenam depugnandi cauſa ad beſtias intromiſſus „fuerit; ea omnia in venditione pronuncianto. Ex his enim cauſis judicium da„bimus. Hoc amplius, ſi quis adverſus ea ſciens dolo malo vendidiſſe dicetur, „judicium dabimus.„ l. 1. §. 1. D. *h. t.*

§. 6. Cauſa hujus Edicti proponendi eſt, ut occurratur fallaciis vendentium, & emtoribus ſuccurratur, quicunque decepti a venditoribus fuerint. Dummodo ſciamus, venditorem, etiam ſi ignoravit ea, quæ Ædiles præſtari jubent, tamen teneri debere. Nec eſt hoc iniquum, potuit enim ea nota habere venditor: neque enim Emtoris intereſt, cur fallatur, ignorantia venditoris, an calliditate. *l. 1. §. 2. D. h. t.*

§. 7. Ajunt Ædiles, „*Qui mancipia vendunt;*„ pertinet enim hoc Edictum ad *Emtiones Venditiones*, tum privatorum, tum Rerumpublicarum, exceptis tantum Venditionibus fiſcalibus; *l. 1. pr. §. 3. 4. 5.* D. *h. t.* ut & ob paritatem rationis ad *Permutationes*: *l. 19. §. 5.* D. *h. t.* non etiam ad Donationes, *l. 62. D. h. t.* neque Locationes Conductiones. *l. 63. D. h. t.*

§. 8. „*Certiores faciant emtores, quid morbi vitiive cuive ſit;*„ *Morbus* apud Sabinum definitus eſt, *Habitus cujusque corporis contra naturam, qui uſum ejus ad id facit deteriorem, cujus cauſa natura nobis ejus corporis ſanitatem dedit: l. 1. §.* 7. D. *h. t.* Gell. *L. IV. c. 2.* & a *Vitio* multum differt. *d. l. 1. §. 7. Morbus* enim proprie eſt temporalis corporis imbecillitas: *Vitium* vero perpetuum corporis impedimentum. *l. 101. §. 2.* D. *de V. S.* Sed Ædiles *Morbum Vitiumque* pro eodem acceperunt, & tollendæ dubitationis gratia bis idem dixerunt. *l. 1. §. 7. in f. D. h. t.* add. Gell. *L. VII. c. 4.*

§. 9. Proinde ſi quid tale fuerit vitii, ſive morbi, quod uſum miniſteriumque hominis impediat, id dabit redhibitioni locum; *l. 1. §. 8. D. h. t.* ſive Morbus perpetuus ſit, ſive temporalis. *l. 6 pr.* D. *h. t.*

§. 10. Dummodo 1. *Morbus vitiumve Corporis ſit*, non animi, quod huc non pertinet: *l. 1. §. 9. 10. l. 4. §. 3. 4. D. h. t.* veluti ſi ſervus inter fanaticos aliquando caput jactet, ſi ſit levis, ſuperſtitioſus, iracundus, contumax, avarus, melancholicus, ſimilive vitio laboret. *l. 1. §. 9. 11. l. 2. 4. §. 2. l. 65. pr. D. h. t.*

§. 11. Niſi vitium animi tale ſit, quod uſum corporis impediat; veluti ſi phreneticus ſit, ſi fugitivus errove ſit, de quibus & nominatim excipitur; *l. 1. §. 9. 10. l. 4. §. 1. 3.* D. *h. t.* vel animi vitium abeſſe dictum ſit. *d. l. 4. §. 3. 4.* D. *h. t.*

§. 12. 2. *Morbus vitiumve gravius* ſit, ob quod quis uſui minus aptus ſit,

non

non leve vel mediocre: qualis eſt levis lippitudo, levis dentis auriculæve dolor, mediocre ulcus, levis febricula, & ſimilia. v. *l. 1. §. 8. l. 3. 4. pr. l. 4. §. 6. l. 5. 6. §. 1. 2. l. 10. §. 2. D. h. t.*

§. 13. 3. *Vitium ſit latens*, quod emtor ignoravit, vel ignorare potuit. *l. 1.* §. *6. l. 14.* §. *ult. l. 55. D. h. t.* Adeo, ut Venditor vitia manifeſta, & in oculos incurrentia, non tantum exprimere non cogatur, *dd. ll. l. 48. §. 3. 4.* D. *h. t.* ſed &, ſi quid commendandi vel laudandi cauſa dixerit, de eo non teneatur *l. 43. pr. D. de contr. emt. l. 19. D. h. t.*

§. 14. „*Quis fugitivus, Errove ſit;*„ *Fugitivus* non eſt, qui nocte aliqua ſine voluntate domini emanſit: *l. 17. §. 4. in f.* D. *h. t.* ſed qui extra domini domum fugæ cauſa, quo ſe a domino celaret, manſit: *d. l. 17. §. 1.* ſeu qui ea mente diſcedit, ne ad dominum redeat. *d. l. 17. pr. l. 225.* D. *de V. S.*

§. 15. Quod tum ab affectu animi, tum a fuga æſtimandum eſt, *d. l. 17. §. 3. 4. & ſeqq. l. 43. §. 1. 2. 3. D. h. t.*

§. 16. *Erro*, Labeone auctore, puſillus fugitivus eſt; ſeu potius, qui non quidem fugit, ſed frequenter ſine cauſa vagatur, &, temporibus in res nugatorias conſumtis, ſerius domum redit. *l. 17. §. 14. & ſeqq.* D. *h. t.*

§. 17. „*Noxave ſolutus non ſit;*„ quod non ita intelligendum, quaſi pronunciari debeat ſervum nullam noxam commiſiſſe, ſed *noxa ſolutum eſſe*, hoc eſt noxali judicio ſubjectum non eſſe. *l. 17. §. 17. D. h. t.*

§. 18. *Noxas* autem accipere debemus privatas, hoc eſt eas, quæcunque committuntur ex delictis privatis, ex quibus agitur judiciis noxalibus, non publicis; de Capitalibus enim fraudibus infra cavetur ſpecialiter. *l. 17. §. 18.* D. *h. t. l. 200.* D. *de V. S.* add. *pr. I. de noxal. act.*

§. 19. „*Eademque omnia, cum ea mancipia venibunt, palam recte pronun-„cianto. Quod ſi mancipium adverſus ea veniſſet; ſive adverſus quod dictum „promiſſumve fuerit, cum veniret, fuiſſet;*„ ſi quid enim præterea vel adeſſe vel abeſſe *dictum promiſſum* ſit, præſtandum eſt. *l. 17. §. ult. l. 4. §. 3. 4. D. h. t.*

§. 20. *Dictum* autem a *Promiſſo* ſic diſcernitur: *Dictum* accipimus, quod verbo tenus pronunciatum eſt, nudoque ſermone finitur; *Promiſſum* autem poteſt referri & ad nudam promiſſionem ſive pollicitationem, vel ad ſponſum ſeu ſtipulationem: quæ ſi interceſſerit, & *Actio ex ſtipulatu* locum habet. *l. 19. §. 2.* D. *h. t.*

§. 21. Plane id, quod *dictum promiſſumve* eſt, non amare exigendum, ſed cum temperamento quodam ex bono & æquo accipiendum eſt. *l. 18. pr. §. 1. 2. l. 19. §. 4. D. h. t.*

§. 22. Imo & quædam, quæ dicta promiſſa ſunt, non præſtantur, ea ſcil. quæ ad nudam laudem ſervi pertinent, & magis commendandi cauſa, quam ut præſtentur, adjecta ſunt. *l. 19. pr. §. 3. D. h. t.*

§. 23.

§. 23. „*Quod ejus præſtari oportere dicetur, Emtori omnibusque ad quos ea* „*res pertinet, judicium dabimus, ut id mancipium redhibeatur;*„ pollicentur ſcil. Ædiles *Emtori Actionem Redhibitoriam*, ut & ſucceſſoribus ejus, qui in univerſum jus ſuccedunt, *l. 19. §. 5.* D. *h. t. in eum, qui vendidit, cujusve maxima pars in ea venditione fuit. l.* 44. *§. 1.* D. *h. t.*

§. 24. *Emtorem* accipere debemus eum, qui pretio emit; ſed, ſi quis permutaverit, dicendum eſt, utrumque emtoris & venditoris loco haberi, & utrumque poſſe ex Edicto experiri. *l. 19. §. 5.* D. *h. t.*

§. 25. *Redhibere* autem eſt facere, ut rurſus habeat venditor, quod habuerit. Et quia reddendo id fiebat, idcirco *Redhibitio* eſt appellata, quaſi redditio. *l. 21. pr. D. h. t.* Idque tum proprie fit, auctore Feſto, in voc. *Redhibitum*, cum redditur, quod improbatum eſt, & qui dedit, idem rurſus habere cogitur, quod ante habuit.

§. 26. „*Si quid autem poſt venditionem traditionemque deterius emtoris ope-* „*ra, familiæ, procuratorisve ejus, factum erit;*„ cum enim Redhibitio fit, ſi deterius mancipium, ſive animo, ſive corpore, poſt venditionem traditionemque, ab emtore factum eſt, id emtor venditori præſtare debet. *l. 23. pr. l. 25. pr. §. 6.* D. *h. t.*

§. 27. Sive ipſe *Emtor* deterius fecerit; ſive *Familia* ejus, i. e. qui in ſervitio ſunt; *l. 25. §. 1. 2. D. h. t. l. 195. §. 3. D. de V. S.* v. *t. D. ſi fam. furt. fec. dic. §. un. I. de Leg. Fuſ. Can. toll. §. 2. I. de his qui ſui vel al. jur. ſunt.* ſive *Procurator:* univerſalis ſcil. vel cui id ipſum, propter quod deterius factum ſit, mandatum eſt, nihil intereſt. *d. l. 25. §. 3. 4. & ſeqq. D. h. t.*

§. 28. „*Sive quid ex eo poſt venditionem natum, acquiſitum fuerit; & ſi* „*quid aliud in venditione ei acceſſerit; ſive quid ex ea re fructus pervenerit ad* „*emtorem; ut ea omnia reſtituat. Item, ſi quas acceſſiones ipſe præſtiterit, ut re-* „*cipiat;*„ ſcil. jubent Ædiles reſtitui, & quod venditioni acceſſit, & ſi quas acceſſiones ipſe præſtiterit, ut uterque reſoluta emtione nihil amplius conſequatur, quam haberet, ſi venditio facta non eſſet. *l. 23. §. 1. 7. 9. l. 24. & 60. D. h. t.*

§. 29. Unde & pecunia, quæ venditori pro mancipio ſoluta, vel acceſſionis nomine data eſt, emtori reſtituenda eſt. De quo Ædiles ſubjeciſſe videntur: „*Et quanta pecunia pro eo homine ſoluta, acceſſionisve nomine data erit, non red-* „*detur; cujusve pecuniæ quis eo nomine obligatus erit, non liberabitur,*„ tantæ pecuniæ ut in duplum venditor condemnetur. v. *l. 25. §. 9. 10. l. 26. 27. 29. §. 1. l. 45. D. h. t.*

§. 30. „*Item ſi quod mancipium capitalem fraudem admiſerit;*„ *Capitalem fraudem admittere* eſt, tale aliquid delinquere, propter quod capite puniendus ſit. *l. 23. §. 2. D. h. t.*

§. 31. *Capitalem* autem *fraudem admiſiſſe* accipiemus *dolo malo* & per nequitiam. Cæterum, ſi quis errore, ſi quis caſu fecerit, ceſſabit Edictum; unde

neque impubes, neque furioſus capitalem fraudem admittere videtur. *d. l. 23. §. 2. D. h. t.*

§. 32. „*Mortis conſciſcendæ ſibi cauſa quid fecerit;*„ malus enim ſervus creditus eſt, qui aliquid fecit, quo magis ſe rebus humanis extrahat: ut puta laqueum torſit, ſive medicamentum pro veneno bibit, præcipitemve ſe ex alto miſerit, aliudve quid fecerit, quo facto ſperavit mortem perventuram; tanquam non nihil in alium auſurus, qui hoc adverſus ſe auſus eſt. *l. 23. §. 3. l. 43. §. 4. D. h. t.*

§. 33. „*Inve harenam depugnandi cauſa ad beſtias intromiſſus fuerit, ea „omnia in venditione pronuncianto;*„ ut & *cujus nationis ſit mancipium, quod venditur.* Plerumque enim natio ſervi aut provocat, aut deterret emtorem. Quia præſumtum eſt, quosdam ſervos bonos eſſe, quia natione ſunt non infamata; quosdam malos videri, quia ea natione ſunt, quæ magis infamis eſt. *l. 31. §. 21. D. h. t.*

§. 34. Quin & præceperunt Ædiles, „*Ne Veterator pro novitio veneat;*„ præſumtum enim eſt, ea mancipia, quæ rudia ſunt, ſimpliciora eſſe, & ad miniſteria aptiora, & dociliora: trita vero mancipia & veterana difficile eſt reformare, & ad ſuos mores formare. *l. 37. D. h. t.*

§. 35. „*Ex his enim cauſis judicium dabimus. Hoc amplius, ſi quis adver„ſus ea ſciens dolo malo vendidiſſe dicetur, judicium dabimus.*„ Qua parte etiam voluerunt Ædiles, ut Venditor de his, quæ hoc Edicto continentur, poſtulante emtore, in duplum caverent; v. *l. 31. §. 20. D. h. t. l. 37. §. 1. D. de evict.* & ſi de iis non caveatur, *ad Redhibendum* judicium intra duos menſes, vel *Quanti emtoris interſit* intra ſex menſes: *l. 28.* D. *h. t.* de cæteris autem rebus *Actionem Redhibitoriam* intra ſex menſes, *Æſtimatoriam* autem ſeu *Quanti minoris* intra annum utilem, polliciti ſunt. *l. 18. pr. l. 19. §. ult. l. 55. D. h. t.*

§. 36. *Secundo Capite* ajunt Ædiles: „*Qui jumenta vendunt, palam recte „dicunto, quid in quoque eorum morbi vitiique ſit: Uti quæ optime ornata ven„dendi cauſa fuerint, ita emtoribus tradentur. Si quid ita factum non erit, de „ornamentis reſtituendis, jumentisve ornamentorum nomine redhibendis, in die„bus ſexaginta: Morbi autem vitiive cauſa inemtis faciendis in ſex menſibus, „vel quo minoris cum venirent fuerint, in anno judicium dabimus. Si jumenta „paria ſimul venierint, & alterum in ea cauſa fuerit, ut redhiberi debeat, judi„cium dabimus, quo utrumque redhibeatur.*„ *l. 38. pr. D. h. t.*

§. 37. Loquuntur Ædiles in hoc Edicto de *Jumentis redhibendis. l. 38. §. 1. D. h. t.*

§. 38. Cauſa autem hujus Edicti eadem eſt, quæ mancipiorum redhibendorum. *l. 38. §. 2.* D. *h. t.*

§. 39. Et fere eadem ſunt in his, quæ in mancipiis, quod ad morbum vitiumve

tiumve attinet; unde quicquid illic diximus, & huc transferendum eſt. *l. 38. §. 3.* D. *h. t.*

§. 40. *Jumentorum* autem appellatione licet boves & pecora non contineantur, *l. 38. §. 4. D. h. t. l. 65. §. 5. D. de leg. 3.* Gell. *L. XX, c. 1.* hoc Edicto tamen comprehenduntur, propter elogium huic Edicto ſubjectum, cujus verba hæc ſunt: „*Quæ de jumentorum ſanitate diximus, de cætero quoque pecore omni venditores faciunto.*„ *l. 38. §. 5. & ſeqq. D. h. t.*

§. 41. *Vendendi cauſa* vero *ornatum* jumentum videtur, non ſi ſub tempus venditionis, hoc eſt biduo ante venditionem, ornatum ſit, ſed ſi in ipſa venditione, & ob id quod venale eſſet, ornatum ſit. *l. 38. §. 11. D. h. t.*

§. 42. Quod ſi tamen plura jumenta venierint, non omnia propter unius ornamentum erunt redhibenda; nam & ſi vitioſum ſit unum jugum, non tamen propter hoc cætera juga redhibebuntur. *l. 38. §. 12.* D. *h. t.*

§. 43. Quod ſi jugum mularum ſit, quarum altera vitioſa eſt, non ex pretio tantum vitioſæ, ſed ex utriusque erit componendum, quanti minoris ſit. Cum enim uno pretio utræque venierint, non eſt ſeparandum pretium, ſed quanto minoris cum veniret utrumque fuit, non alterum, quod erat vitioſum. *l. 38. §. 13. D. h. t.*

§. 44. Cum autem jumenta paria veniunt, Edicto expreſſum eſt, ut, cum alterum in ea cauſa ſit, ut redhiberi debeat, utrumque redhibeatur. In qua re tam emtori, quam venditori conſulitur, dum jumenta non ſeparantur. Idemque in triga & quadriga juris eſt. *d. l. 38. §. ult.* D. *h. t.*

§. 45. Et ita quidem hoc Edictum de Venditione *Mancipiorum* & *Jumentorum* conceptum eſt; ſed cum & aliarum rerum uſus ob vitium impediri poſſit, ex eadem ratione & ad venditiones aliarum rerum (exceptis *ſimplariis* ſeu vilioribus, *l. 48. §. ult. D. h. t. l. 54. D. de contr. emt.*) productum eſt. v. *l. 63. 49. 61. D. h. t. l. 4. C. de ædil. act.* Cic. *L. III. de Offic. c. 16. 17.*

§. 46. Quod ſi itaque quis mancipia, jumenta, aliasve res vitioſas vendiderit, Ædiles, ob cauſas in Edicto expreſſas, duplicem concedunt Actionem, *Redhibitoriam* ſcil. & *Quanti minoris*, *Inſcr. l. 18. pr. l. 44. §. 2. l. 47. 48. §. 2. D. h. t.*

§. 47. *Actio Redhibitoria* eſt *Actio perſonalis, Ædilitia; Quæ datur Emtori, contra Venditorem, eumve, cujus maxima pars in venditione fuit, l. 44. §. 1. D. h. t. ejusque heredem; l. 23. §. 5. l. 48. §. 5 D. h. t. Ad id, ut rem vitioſam, cum fructu & omni cauſa oblatam, reſtituto pretio, recipiat. l. 21. pr. §. 1. l. 23. pr. l. 24. & 25. pr. §. 1. & ſeqq. §. 8. l. 27. 28. pr. §. 1.* D. *h. t.*

§. 48. Quo caſu omnia in integrum reſtituuntur, ac ſi neque emtio, neque venditio interceſſiſſet. *l. 23. §. 1. l. 60.* D. *h. t. l. 19. D. de uſurp. & uſuc.*

§. 49. Quod ſi vero Venditor, neque pretium, neque acceſſionem ſolvat, neque eum, qui eo nomine obligatus eſt, liberet, dupli pretii & acceſſionis condemnari jubetur. *l. 45. D. h. t.*

Digitized by Google

§. 50. *Tempus* autem *redhibitionis faciendæ ſex menſes utiles* habet, ex die venditionis, vel dicti, promiſſive, numerandos; *l. 19. §. ult. l. 55. D. h. t. niſi* agatur ob cautionem non præſtitam, vel ornamenta: quo caſu *Actio Redhibitoria* intra duos menſes inſtituenda eſt. *l. 28. & 38. pr. D. h. t.*

§. 51. Actio *Quanti minoris* eſt *Actio Perſonalis, Ædilitia; Quæ datur Emtori, adverſus Venditorem; Ad id, ut tantum de pretio reſtituat, quanti minoris res ob vitium cum venderetur fuit. l. 18. pr. l. 61. D. h. t.*

§. 52. Vocatur hæc Actio modo *Quanti minoris, Inſcr. l. 47. D. h. t.* modo *Quanto minoris, l. 18. 19. §. ult. l. 38. pr. D. h. t.* modo *Æſtimatoria; l. 43. §. 6. l. 44. §. 2. l. 48. §. 2. D. h. t.* eo quod ad æſtimationem, quanti minoris res, cum venderetur, valuit, reſpiciatur, tantumque de pretio ſoluto repetatur.

§. 53. Eaque *Ordinario* intra *annum utilem* inſtituenda; *l. 19. §. ult. l. 38. pr. D. l. 2. C. h. t.* niſi agatur ob cautionem non præſtitam, vel ornamenta; quo caſu Actio *Quanti minoris* ſeu *Æſtimatoria*, intra ſex menſes, proponenda eſt. *l. 28. D. h. t.*

§. 54. Concurrunt hæ Actiones electivè, ut in electione ſit emtoris, an *Redhibitoria*, an *Æſtimatoria* agere velit: Sed ſi alterutra actum ſit, ad alteram non datur regreſſus. *l. 25. §. 1. D. de exc. rei jud.*

§. 55. Introductæ autem ſunt ex mera æquitate, ne ſcil. emtores rerum vitioſarum damnum ſentiant. *l. 1. §. 2. 6. l. 37. D. h. t.*

§. 56. Et minime ſunt ſupervacuæ, licet *Actio Emti* ad has cauſas poſtmodum etiam extenſa ſit. *l. 11. §. 2. 5. D. de act. emt.* v. Diſſert. *N. VIII. de Cauſ. Obl. §. 17. & ſeqq.*

§. 57. Quod ſi vero res ſit redhibita, pretium autem a venditore non ſit reſtitutum; ad reciperandum pretium *Actio* competit *in factum;* in qua non hoc quæritur, an res redhibita in cauſa redhibitionis fuerit, ſed hoc tantum, an ſit redhibita? Nec immerito; iniquum enim eſt, poſteaquam venditor agnovit, eſſe rem in cauſa redhibitionis, tunc quæri, an debuerit redhiberi? Nec de tempore quæretur, an intra tempora redhibita eſſe videatur. *l. 31. §. 17.* D. *h. t.*

§. 58. Illud plane hæc Actio exigit, ut res ſit redhibita. Cæterum niſi fuerit redhibita, deficit iſta actio, etiamſi nudo conſenſu placuerit, ut redhibeatur. Conventio enim de redhibendo non facit locum huic actioni, ſed ipſa redhibitio. *d. l. 31. §. 18. D. h. t.*

§. 59. *Tertio* denique *Capite* ajunt Ædiles: „*Ne quis canem, verrem, vel* „*minorem aprum, lupum, urſum, pantheram, leonem, aliudve quod noceret ani-* „*mal; ſive ſoluta ſint, ſive alligata; ut contineri vinculis, quo minus damnum* „*inferant, non poſſint; qua vulgo iter fiet, ita habuiſſe velit, ut cuiquam nocere* „*damnumve dare poſſit. Si adverſus ea factum erit, & homo liber ex ea re perie-* „*rit, ſolidi ducenti: ſi nocitum homini libero eſſe dicetur, quanti bonum æquum* „*judici*

Digitized by Google

„*judici videbitur, condemnetur: cæterarum rerum, quanti damnum datum fa-*
„*ctumve ſit, dupli.*„ *l. 40. §. 1. l. 41. 42.* D. *h. t. §. 1. I. ſi quadr. paup. ſec. dic.*

§. 60. Quod cum apertum ſit, ulteriorem interpretationem non deſiderat.

TITULUS II.

De Evictionibus, Et Duplæ Stipulatione.

C. VIII. 45.

§. 1.

Evictio eſt *rei, ab emtore, aliove, juſto titulo poſſeſſæ, ex jure dominii, ſimilive, per judicem facta ablatio. l. 16. §. 1. l. 22. §. ult. l. 24. 57. 34. §. 1. D. h. t.*

§. 2. *Præſtare Evictionem* vero, *emtorem, aliumve poſſeſſorem, a quo res ablata eſt, indemnem ſervare. l. 39. §. 2. D. h. t. l. 8. §. 1.* D. *de pign. act. l. 10. D. de act. emt.*

§. 3. Ad quam præſtandam, licet Venditor ex natura contractus, etiam citra ſpecialem conventionem, obligatus ſit, *l. 11. §. 2. D. de act. emt. l. 6. C. h. t. Stipulationes* tamen in eam rem intercedere moris erat, *l. 31. §. 20. D. de ædil. ed.*

§. 4. Quæ *Stipulationes* & promiſſiones, vel *Voluntariæ* ſunt, vel *Neceſſariæ*.

§. 5. *Stipulatio Voluntaria* eſt, *quæ pendet ab arbitrio & voluntate partium*, & concipi poteſt in ſimplum, duplum, triplum, & quadruplum. *l. 56. pr. D. h. t. l. 5.* D. *de jur. fiſc.*

§. 6. *Neceſſaria* vero, *quæ ex juris neceſſitate præſtanda eſt in duplum l. 37. pr. D. h. t. l. 31. §. 20.* D. *de Æd. ed.* Si ſcil. res ſint pretioſiores, veluti ſi margarita, aut ornamenta pretioſa, vel veſtis ſerica, vel quid aliud non contemtibile veneat. *l. 37. §. 1. D. h. t.*

§. 7. Adeo, ut licet duplæ promiſſio fuerit omiſſa, *Actione ex emto* nihilominus peti poſſit. *l. 2. D h. t. l. 31. §. 20.* D. *de Æd. ed.*

§. 8. Non tamen, ut vulgus opinatur, etiam ſatisdare debet, qui duplum promittit, ſed ſufficit nuda repromiſſio. *l. 4. pr. l. 37. 56. pr.* D. *h. t.*

§. 9. Niſi aliud nominatim convenerit; *d. l. 4. pr. l. 37. pr. l. 56. pr. D. h. t.* vel ſtatim in limine contractus immineat evictio; *l. 24. C. h. t.* vel alia ſit conſuetudo. *l. 6. D. h. t.*

§. 10. *Præſtant* autem *Evictionem* non tantum Venditores, ſed omnes *Auctores*, qui rem, venditionis, aliove titulo, in alium, ſuo nomine tranſtulerunt, *l. 11. §. 2. D. de act. emt. l. 28. 51. pr. D. l. 6. 7. 8. 9. 10. 16. 17. 22. 4. 29. C. h. t.* eorumque heredes; *l. 51. §. 3.* D. *l. 8. 9. 18. C. h. t.* nec non fidejuſſores, (qui vul-

go *ſecundi Auctores* vocantur, *l. 4. pr.* D. *h. t.)* eorumque heredes. *l. 7. 8. 18. C. h. t. §. 2. I. de fidej.*

§. 11. Non etiam Creditores pignora diſtrahentes, *l. 1. 2. C. cred. evict. pign. non deb.* v. ſupr. *ad t. de diſtr. pign. §. 29.* neque Judices, *l. 50.* D. *h. t.* neque Tutores vel Curatores, *l. 1. 3. C. quand. ex fact. tut*, neque Procuratores, arg. *l. ult. §. ult.* D. *de inſt. act.*

§. 12. *Praſtatur Evictio* non tantum in *Venditione; l. 60. D. l. 6. C. h. t. l. 11. §. 2.* D. *de act. emt.* ſed & in *Datione in ſolutum; l. 4. C. h. t.* in *Permutatione; l. 29. C. h. t. l. 2. C. de rer. perm.* in *hereditatis diviſione; l. 66. §. f.* D. *h. t.* ſi quidem facta ſit a judice, vel partibus, vel ab ipſo teſtatore abſque animo prælegandi. *l. 7. C. comm. utr. jud.* Si enim diviſerit teſtator animo prælegandi, ſecus eſt. *l. 77. §. 8. D. de leg. 2.* in *Singularis rei diviſione; l. 10. §. f. D. comm. div.* in *Emphyteuſi;* arg. *§. 3. I. de locat. cond.* in *Locatione conductione; l. 9. pr.* D. *de loc. cond.* nec non in *Transactione*, ratione rei transactionis cauſa datæ. *l. 33. C. de transact.*

§. 13. Non etiam in Donatione: *l. 2. C. h. t. l. 18. §. ult.* D. *de don.* niſi evictio per expreſſam ſtipulationem promiſſa ſit, *d. l. 2.* vel Donatio ſit remuneratoria. arg. *l. 1. C. de don. quæ ſub mod.* Neque Legato ſpeciei, cujus teſtator ſe dominum eſſe credidit. *l. 40.* D. *h. t. l. 45. §. 2.* D. *de leg. 1.*

§. 14. *Præſtatur ratione rerum evictarum. l. 3. C. h. t.* Sive res corporales ſint, ſive incorporales; veluti ſi Actio vel Hereditas vendita evicta ſit: *l. 74. §. ult. D. h. t. l. 4. 8. 13.* D. *de hered. vel act. vend.* ſive res tota, ſive pars tantum evicta ſit. *l. 1. pr. l. 13. 39. §. 2. l. 45. 53. D. l. 16. C. h. t.*

§. 15. Dummodo *pars homogenea*, ex. gr. pars fundi, evicta ſit; *d. l. 1. pr. l. 39. §. 2. D. h. t.* non etiam, ſi *pars heterogenea*, veluti columnæ, cæmenta, tabulæ, evincantur: *l. 36. 42. 43. 56. §. 2. D. h. t.* quo caſu non *Actio de Evictione*, ſed tantum *ex Emto* locum habet. *l. 23. §. 1. D. de uſurp. & uſuc. l. 8. 41. §. 1. D. h. t.*

§. 16. Idem dicendum, ſi uſusfructus, aliave ſervitus evicta ſit; *l. 66.* D. *de contr. emt. l. 15. §. 1. l. 49. 62. §. 2. D. h. t. l. 38. §. 3.* D. *de V. O.* ſi ſcil. fundus *ut optimus maximus* venditus eſt. *l. 48. l. pen.* D. *h. t.*

§. 17. Quin & ſi ex pluribus rebus venditis una evicta ſit, ejus rei nomine evictio præſtanda eſt; *l. 47. 72. D. h. t.* licet ea res, quæ ſupereſt, tanti valeat, quanti v. c. utraque emta eſt: *l. 47. D. h. t.* niſi forte res plures uno confuſo & non diviſo pretio ſint venditæ. Ita acc. *l. 42. D. de act. emt.*

§. 18. Ad quam præſtationem conſequendam duplex competit Actio: *Actio* ſcil. *ex Stipulatu*, ſi ſtipulatio intercesſerit, in ſimplum, duplum, triplum, vel quadruplum; *l. 37. §. 2. l. 56. 60.* D. *l. 8. 25. C. h. t.* & *Actio ex emto*, ſi ſtipulatio non intercesſerit, ad id quod intereſt: *l. 8. 60. 70. D. l. 25. C. h. t. l. 43.* D. *de act. emt*, adeoque & ad impenſas, tum in ipſam rem, tum in litem factas; *l. 9. 17 C. h. t.*

Digitized by Google

h. t. vel *Utilis ex Emto*, ſi non venditio, ſed datio in ſolutum, aliudve negotium emtioni ſimile celebratum ſit. *l. 4. C. h. t. l. 24.* D. *de pign. act.*

§. 19. Ut autem hæ Actiones locum habeant; Requiritur 1. Ut *Emtor*, ſimilisve poſſeſſor, *Auctori denunciet*, ſibi de re tradita litem motam eſſe; *l. 29. §. 2. l. 53. §. 1. l. 63. §. 1.* D. *h. t. l. 8. 9. 23. C. h. t.* ſimulque deſideret, ut ſibi adſiſtat, ſeque in judicio contra evincentem defendat. *l. 20. 21. 29. C. h. t.*

§. 20. Eaque denunciatio adeo neceſſaria eſt, ut licet Auctor in judicio præſens ſit, litemque motam non ignoret, nihilominus tamen facienda ſit. *l. 51. §. 1. D. l. 7. 20. 23. C. h. t.*

§. 21. Niſi forte ea remiſſa ſit; *l. 63. D. h. t.* vel Auctor in cauſa ſit, ut denunciatio ei fieri nequeat. *l. 55. §. 1. D. h. t.*

§. 22 Tempus tamen, quo facienda ſit denunciatio, non eſt præfinitum, ut quolibet tempore fieri poſſit; dummodo ante ſententiam, & non prope condemnationem fiat. *l. 29. §. ult. D. h. t.* v. *l. 29. §. 3.* D. *de leg. 3.* junct. *l. 1. C. ſi adv. rem jud.*

§. 23. Sive autem Auctori Majorenni, ſive Pupillo, tutore ſc. non apparente, *l. 56. §. ult. D. h. t.* ſive Procuratori, *l. 56. §. 4.* D. *h. t.* ſive Heredibus ejus denuncietur, nihil intereſt. *l. 51. §. 1. D. l. 9. 23. C. h. t.*

§. 24. Qui ſi plures ſint, omnibus denunciandum, ut omnes defendere teneantur; ita tamen, ut unus litem ſuſcipiens omnibus vincatur, aut vincat. *l. 62. §. 1. D. h. t.*

§. 25. Effectus enim denunciationis eſt, ut Auctor emtoris forum ſequatur, *l. 49. D. de jud.* eumque ibidem defendere cogatur. *l. 29. §. 2. l. 53. §. 1. l. 74. §. pen. D. l. 8. 20. 21. 23. 29. C. h. t.*

§. 26. 2. Requiritur, *ut res ſit evicta*, ut emtori rem habere non liceat, & omnis ſpes eam habendi abſciſſa ſit. *l. 16. §. 1. l. 34. §. 1. l. 35. D. l. 3. C. h. t.*

§. 27. Unde litem motam, ad hoc, ut de evictione agatur: *l. 74. §. 2.* D. *h. t.* imo ne quidem ſententiam, qua emtor condemnatus eſt, pronuntiatam eſſe, ſufficit, quamdiu ea executioni nondum mandata, vel res ablata, vel abducta eſt. *l. 57. pr. §. 1. D. h. t*

§. 28. 3. *Ut per judicem evicta ſit. l. 24.* D. *h. t.*

§. 29. Unde ſi emtor compromiſit, & adverſus eum data eſt ſententia, *l. 56. §. 1.* D. *h. t.* vel res tradita caſu periit, *Actio de evictione* non competit. *l. 21. pr. D. l. 26. C. h. t.*

§. 30. 4. *Ut res evicta ſit jure*, & ex cauſa contractum præcedente. *l. 34. §. 1. 2,* D. *l. 15. C. h. t. C. de rer. perm.*

§. 31. Si enim per imprudentiam, aut injuriam judicis, *l. 51. pr.* D. *l. 8. 15. C. h. t*

C. h. t. propriamve culpam emtor victus eſt, venditor non tenetur. *l. 27. 29.* §. *1. l. 55. pr. l. 56. §. 3.* D. *h. t.*

§. 32. *Ceſſat* itaque *Evictionis præſtatio* I. Si emtor, cum poſſet, Auctori non denunciaverit. *l. 53. §. 1. D. h. t.*

II. Si compromiſerit, & contra eum data fuerit ſententia. *l. 56. §. 1.* D. *h. t.*

III. Si res non evicta ſit, ſed caſu perierit. *l. 11. 21. pr. D. l. 26. C. h. t.*

IV. Si emtor per imprudentiam vel injuriam judicis victus ſit. *l. 51. pr. D. l. 8. 15. C. h. t.*

V. Si ob propriam culpam victus ſit: veluti ſi exceptiones ſibi competentes non oppoſuerit; *l. 27. 29. §. 1. l. 56. §. 3. D. l. 19. C. h. t.* ſi contumax fuerit; *l. 55. pr. D. l. 8. C. h. t.* & rem pro derelicto habuerit; *l. ult. D. h. t.* vel condemnatus non appellaverit. arg. *l. 63. §. ult. D. h. t.*

VI. Si per vim a tertio expulſus ſit. *l. ult. C. de act. emt.*

VII. Si ſpes, vel hereditas vendita, & ſingulæ res evictæ ſint. *l. 8. §. 1. D. de contr. emt. l. 14. §. 1. l. 15.* D. *de hered. vel act. vend.*

VIII. Si emtor ſciens rem alienam vel obligatam comparaverit. *l. 27. C. h. t.*

Nec non IX. Si pacto convento præſtatio evictionis remiſſa ſit. *l. 11.* §. *ult. D. de act. emt.*

§. 33. Quibus duobus poſtremis caſibus tamen pretium emtori reddendum videtur. *l. 1. C. ſi vend. pign. d. l. 11. §. ult. de act. emt. l. ult. §. ſ. C. comm. de legat. N. 7. c. 5. pr. & §. 2.*

TITULUS III.

De Exceptione Rei Venditæ Et Traditæ.

§. 1.

Quod ſi vero Venditor vel Auctor, ejusve heres, rem traditam ab emtore vindicet, Emtor eligere poteſt, an rem reſtituere, & ex cauſa ſtipulationis, vel ad id quod intereſt, contra Auctorem agere, an potius, per *Exceptionem rei venditæ & traditæ*, eundem repellere velit. *l. 17. 73. D. de evict. l. 1. pr.* D. *h. t. l. 4. §. 32. D. de dol. mal. & met. exc.* Quem enim de Evictione tenet actio, eum agentem multo magis repellit exceptio. *dd. ll.*

§. 2. Quæ *Exceptio* datur *Emtori*, ſive res tradita ſit, ſive ejus poſſeſſionem ſine vitio nactus fuerit, *l. 1. §. ult. D. h. t. ejusque ſucceſſoribus, nec non emtori ſecundo; l. ult. pr. D. h. t. Contra Venditorem*, ſive ipſe vendiderit, ſive id alii mandaverit, *l. 1.* §. 2. D. *h. t. ejusque ſucceſſores*, tum univerſales, tum particulares, *l. 1. §. 1. l. 3. §. 1. D. h. t. l. 14. 23. C. de evict. nec non fidejuſſores; l. 11. C. de evict. Ad elidendam intentionem Actoris. l. 17. 73. D. de evict. l. 1. pr.* D. *h. t.*

§. 3. *Ceſ-*

§. 3. *Ceſſat* autem 1. Si Dominus mandans rem vendi adjecerit, ne traderetur, antequam pretium ſolvatur, & id non ſit ſolutum. *l. 1. §. 2. D. h. t.*

2. Si Mandatarius rem minoris vendidit, quam ei mandatum eſt. *l. 1. §. 3. D. h. t.*

3. Si Venditor juſtam vindicandi cauſam habeat, *l. 1. §. ult. D. h. t. l. ult. §. 2. D. ad SCt. Vellej.*

* *

LIBER XXII. TITULUS I.

De Usuris, Et Fructibus, Et Causis, Et Omnibus Accessionibus, Et Mora.

C. IV. 32.

De Usuris.

§. 1.

Usura (quæ ab *uſu* ſic dicta, Varr. *de L. L. L. 4.* Iſid. *L. V. c. 25.* cujuslibet rei uſum ſæpe ſignificat, v. Plaut. *Amph. prolog. verſ. 108. Act. I. Sc. II. verſ. ult. Trinum. Act. I. Sc. II. verſ. 144.* Cic. *Tuſc. Quæſt. l. I. c. 39.*) hic eſt *Incrementum, quod ſorti accedit, propter uſum, in eodem genere præſtandum.*

§. 2. Dicitur *Incrementum;* v. *l. 24. D. depoſ.* Iſid. *L. V. c. 25;*

§. 3. *Quod accedit;* eſt enim *Acceſſio. l. 12. C. h. t.* Varr. *de L. L. L. IV.* Non tamen naturalis, ſed civilis; non enim natura provenit, ſed jure percipitur. *l. 62. D. de R. V. l. 121. D. de V. S.*

§. 4. *Sorti;* i. e. Pecuniæ vel quantitati principaliter debitæ, uti pecuniæ numeratæ, frumento, vino, oleo. Corporum enim vel ſpecierum uſuræ non præſtantur; *l. 58. §. 6. D. ad SC. Trebell. l. un. §. 7. C. de rei ux. act.* niſi corpus æſtimatum ita datum ſit, ut pretium ejus cum uſuris recipiatur. v. *l. 3. §. ult D. h. t.* Ita acc. *l. 25. C. h. t.*

§. 5. *Propter uſum;* non enim ſufficit uſuram definiri *quantitatis acceſſionem,* cum & *intereſſe* quantitatis acceſſio eſſe poſſit: ſed addendum *propter uſum,* quia uſura propter uſum præſtatur. *l. 58. §. 6. D. ad SC. Treb.*

§. 6. *In eodem genere præſtandum.* Cujus genis enim ſors eſt, ejusdem & uſura eſſe debet. *l. 23. C. h. t.* Nam ſi alterius generis ſors ſit, alterius uſura, proprie non erit uſura, ſed aliquid datum vel promiſſum loco uſuræ. *l. 14. & 16. C. h. t. l. 1. §. 3. l. 11. §. 1. D. de pign. & hyp.*

Digitized by Google

§. 7. Vocatur alio nomine *Fœnur. l. 4. D. de naut. fœn. l. 58. §. 2. D. ad SC. Trebell. l. 26. D. de pecul. legat. l. 11. §. 15. D. de leg. 3.*

§. 8. Quod duplex eſt, *Terreſtre* ſcil. de quo *h. t.* & *Nauticum*, de quo *tit. ſeq. de naut. fœn.*

§. 9. Dividi etiam ſolent *Uſuræ* in *Compenſatorias*, quæ præſtantur ob uſum æris alieni; *l. 60. pr. D. pro ſoc. Punitorias*, quæ ob moram vel fidem contractus violatam; *l. 1. §. 1. l. 17. §. 3.* D. *h. t.* & *Lucratorias*, quæ ob ſolum lucrum exiguntur.

§. 10. Qualescunque autem ſint uſuræ, Jure non tantum Civili, ſed & Naturali, & Divino, dummodo modum non excedant, permiſſæ ſunt. *Deut. XXIII, 20.* arg. *Matth. XXV, 27.*

§. 11. Debentur vero uſuræ vel ex *Conventione*, *l. 121. D. de V. S.* vel ex *Mora. l. 17. §. 3. 4. l. 32. §. 2. D. h. t.*

§. 12. *Conventio* eſt vel *Pactum*, vel *Stipulatio.*

§. 13. Ex *Stipulatione* debentur uſuræ in omnibus contractibus, ſive bonæ fidei ſint, ſive ſtricti juris; Paul. *L. V. Sent. T. 7.* in quibus citra vinculum ſtipulationis peti nequeunt. *l. 1. 3. C. h. t. l. 24. D. de præſcr. verb.*

§. 14. Adeo, ut uſuræ in ſtricti juris judiciis non debeantur ex pacto, quantumvis in continenti adjecto; *l. 3. C. h. t. l. 6. in f. C. ſi cert. pet.* neque ex mora; *l. 32. D. h. t. l. 5. C. de pact. int. emt. & vend.* imo ne quidem poſt litem conteſtatam. *l. 1. C. de condict. indeb.* arg. *d. l. 3. C. h. t. l. 24. D. de præſcr. verb. l. 38. §. 7. D. h. t.*

§. 15. Excipitur I. Fiſcus, cui ex omnibus contractibus uſuræ debentur, non modo citra ſtipulationem, ſed etiam ſine ullo pacto. *l. 17. §. 5. l. 43. D. h. t.* Si modo mora a debitore facta fuerit, i. e. ſi debitor tardius, quam debebat, pecuniam fiſco intulerit. *d. l. 17. §. 5.*

II. Civitates, quibus etiam ex nudo pacto debentur uſuræ creditarum ab eis pecuniarum. *l. 30.* D. *h. t.*

III. Mutuum Pecuniæ trajectitiæ. *l. 5. §. 1. l. 7. D. de naut. fœn.*

IV. Mutuum liquidorum, & rerum fungibilium, extra pecuniam numeratam. *l. 12. 23. C. h. t.*

V. Mutuum Argentariorum; *N. 136. c. 4.* in quibus etiam nudum pactum ſufficit.

VI. Dos promiſſa marito, cujus, poſt biennium, a die contracti matrimonii, ipſo jure præſtantur uſuræ: *l. ult. §. 2. C. de jur. dot.* qua derogatur *l. 2. C. de dot. prom.*

VII. Actio rei judicatæ, in qua uſuræ centeſimæ debentur ex mora. *l. 2. C. de uſur. rei jud.*

Nec non VIII. Legata & Fideicommiſſa, quorum uſuræ etiam præſtantur

poſt

poſt moram, & litem conteſtatam. *l. 3. §. ult. l. 34. D. h. t. l. 1. 2. C. de uſur. & fruct. legat.*

§. 16. Nuda autem uſurarum præſtatio, vi pacti, pluribus annis facta, debitorem non obligat, ut easdem in poſterum ſolvat. *l. 28. C. de pact. l. 7. C. h. t.*

§. 17. Licet, ubi de cauſa principalis debiti conſtat, ex continua ſolutione longi temporis oriatur præſumtio, inter contrahentes de uſura legitime conveniſſe. *l. 6. pr. D. h. t.*

§. 18. Ex *Pacto* debentur uſuræ *in Contractibus bonæ fidei*, ſi ſcil. iis in continenti adjectum ſit. *l. 7. §. 5. D. de pact. l. 24. in f. l. 26. §. 1. D. depoſ. l. 5. C. de pact. int. emt. & vend.*

§. 19. Ut & ex *Mora. l. 32. §. 2. D. h. t. l. 13. §. 20. D. de act. emt. l. 5. C. de pact. int. emt. & vend. l. 16. §. 1. D. l. 2. C. h. t. l. 17. §. 4. D. h. t. l. 54. D. locat. cond. l. 24. C. h. t.* Excepto tamen Fiſco, qui ex contractibus ſuis uſuras quidem accipit, ſed non dat. *l. 17. §. 5. D. h. t.*

§. 20. Quantum autem ad *modum uſurarum* attinet, Duodecim Tabulis primum ſanctum: *Ne quis unciario fœnore amplius exerceret;* Tacit. *Ann. L. VI. c. 16.* dein Rogatione Tribunicia ad *ſemuncias* redacta; Tacit. *d. l.* Liv. *L. VII. c. 27.* tandem vero receptum videtur, ut omnibus indiſtincte uſuram ſtipulari liceret *centeſimam.* arg. *l. ult. C. de uſur. rei jud. l. 40. D. de reb. cred.* Cic. *Ep. ad Att. L. V. ep. ult.* Supra centeſimam vero nulli, niſi in pecunia trajectitia. v. Paul. *L. II. Sent. T. XIV. §. 3. l. 26. §. 1. C. h. t.*

§. 21. Idque in uſu fuiſſe videtur usque ad tempora Juſtiniani Imp. qui uſurarum quantitatem, pro ratione damni & intereſſe, quod in negotiis, propter variam perſonarum conditionem, quæ pecunia ſua carent, verſari videtur, varie definivit in *l. 26. C. h. t.*

§. 22. Ita quidem, ut *Illuſtribus perſonis ad tertiam* duntaxat *partem centeſimæ*, i. e. uſuras trientes, ſtipulari & exigere liceat. *d. l. 26. §. 1. pr.* Cæteris, *qui quidem mercaturam exercent*, *beſſes uſuras* concedit, quia eorum magis intereſt. *d. l. 26. §. 1. verſ. Illos vero.*

Si Mercatores non ſint, permittit ſemiſſes, i. e. *dimidiam centeſimæ* partem. *d. l. 26. §. 1. verſ. Cæteros.*

Utrisque autem, tam negotiatoribus, quam minime negotiantibus, *centeſimam* uſuram concedit ſtipulari certis in cauſis, trajectitia ſcil. pecunia, & ſpeciebus fœnori datis; *d. l. 26. §. 1. verſ. In trajectitiis;* puta oleo, frumento, & cæteris id genus fungibilibus, propter incerti pretii rationem. *l. 23. C. h. t.*

§. 23. Quin & *ab agricolis* ex noviſſima Imp. conſtitutione, *ex cauſa frumenti crediti*, in ſingulos modios *octavi modii partem* exigere fas eſt, quæ uſura centeſima aliquanto major eſt. *Pecunia* autem *credita trientes* tantum *uſuras* ſtipulari licet. *N. 32. c. 1. N. 34. c. 1.*

§. 24. Sunt autem *Uſuræ Centeſimæ*, quæ centeſimo menſe ſortem æquant,

 ſeu

ſeu cum ſingulis menſibus centeſima pars ſortis uſurarum nomine præſtatur, adeoque ſingulis annis *duodecim* pro *centum*. Non illæ, quæ ſortem intra annum æquant, cum ſcil. centum pro centum ſingulis annis creditor lucratur: quales execrabiles uſuras Jura nusquam permiſerunt.

§. 25. Romani enim non in ſingulos annos, ſed ſingulos menſes, uſuras ſtipulari, & ſingulis menſibus a debitoribus exigere ſolebant. *l. 41. §. 2. D. h. t. l. 40. D. de reb. cred. l. 26. §. 1. D. depoſ.* Unde & *Calendarium* dicebatur Liber rationum, quo continentur nomina debitorum, quia pecunias in ſingulas calendas fœnerabantur. *l. 41. D. de reb. cred. l. 39. §. 14. D. de adm. tut. l. 41. §. 6. D. de legat. 3. l. 3. C. de compenſ.*

§. 26. Ratione *Centeſimæ* vero tanquam *Aſſis* (qui duodecim uncias continet, *§. 5. I. de hered. inſtit.*) conſideratæ, uſuræ *Trientes* dicuntur, quæ ſunt tertia pars centeſimæ, cum ſcil. quotannis quatuor præſtantur pro centum; *Semiſſes*, quæ dimidia ſunt pars centeſimæ, cum ſcil. ſex ſolvuntur pro centum; *Beſſes*, cum octo ſolvuntur pro centum, & ita ulterius, pro ratione nominum partium aſſis. v. *d. §. 5. I. de hered. inſtit.*

§. 27. Et hæc quidem de quantitate uſurarum, quæ ſortis nomine præſtantur, accipienda ſunt; uſuras enim uſurarum ſtipulari non licet. *l. 29. D. h. t. l. 26. §. 1. D. de cond. indeb. l. 27. D. de re jud. l. 2. §. 5. D. de admin. rer. ad civ. pertin.*

§. 28. Adeo, ut nec uſuras in ſortem redigere, earumque uſuras ſtipulari liceat. *l. 28. C. h. t.*

§. 29. Unde neque pœnam, neque ullam aliam uſuræ acceſſionem ſtipulari poſſumus; *l. 9. D. h. t.* neque uſuras fructuum petere licet: ſi modo tanquam fructus, i. e. acceſſorium, exigantur. *l. 15. D. h. t.*

§. 30. Plane, ſi uſuræ naturam uſurarum mutent, & aſſumant ſpeciem ſortis, aliud dicendum eſt.

§. 31. Id autem contingit, cum mutantur perſonæ debitorum: veluti, ſi aliena negotia gerens, exigat uſuras a debitoribus domini, easque in ſuos uſus convertat, hæ uſuræ ſors ſunt, earumque uſuræ domino debentur; *l. 7. §. 12. l. 58. §. 1. D. de adm. tut. l. 10. §. 3. D. mand.* & vice verſa, ſi aliena negotia gerens creditoribus ejus ſolvat uſuras, ne pignora diſtraherent, vel pœna committeretur, hæ uſuræ verbo uſuræ revera ſors ſunt: quas ſi geſtor de arca ſua numeraverit, vel ab alio mutuatus ſit, earum uſuras ipſi dominus refundere tenetur. *l. 37. D. h. t. l. 12. §. 9. 10. D. mand.*

§. 32. Quod ſi vero quis ſupra legitimum modum uſuras ſtipulari auſus fuerit, non tantum actionem non habebit ad eas exigendas, *l. 26. §. 1. C. h. t.* ſed & quod ultra legitimum modum exactum & ſolutum eſt, ſorti imputatur, eamque diminuit; *d. l. 26. §. 1.* ſi vero poſt ſortem jam reſtitutam datum ſit, ut in eam imputari non poſſit, indebiti condictione repeti poteſt. *l. 18. C. h. t.*

§. 33.

Digitized by Google

§. 33. Quin & pœnæ contra tales conſtitutæ ſunt: & olim quidem pœna quadrupli; Cat. I. *de Re Ruſt. pr. l. 2. C. Theod. h. t.* Jure novo vero pœna infamiæ; *l. 20. C. ex quib. cauſ. infam. irr.* nec non amiſſionis crediti, ſi quis ab agricolis uſuras ultra modum ſtipulatus ſit, *N. 32. in f.* & inſuper exauctorationis, ſi miles ſit. *N. 33. in f.*

§. 34. *Deſinunt* autem *deberi Uſuræ* I. *Exſtincta obligatione principali: l. 26. pr. C. h. t. l. 178. D. de R. J.* ſive ea per Solutionem; *pr. I. quib. mod. toll. obl.* Acceptilationem; *§. 1. I. eod.* Novationem; *§. 2. I. eod.* Compenſationem; *l. 11. 12. D. l. 4. C. de compenſ.* Præſcriptionem; *l. 26. C. h. t. l. 3. 4. C. de præſcr. 30. ann.* ſive per Oblationem, Conſignationem & Depoſitionem, teſtato & legitimo loco & tempore factam, ſublata ſit. v. *l. 1. in f. l. 7. & 41. §. 1. D. l. 6. 9. & 19. C. h. t. l. 9. C. de ſolut. l. 1. §. 36. D. depoſ. l. 12. C. de compenſ. l. ult. C. de pign. act.*

§. 35. Adeo, ut, ſi uſuræ debeantur ex mora, neque per ſententiam judicis adjudicatæ ſint, non tantum non debeantur in futurum, ſed ne præteritæ quidem peti poſſint. *l. 55.* D. *de re jud. l. 4. C. depoſ. l. 13. C. h. t.* Secus ac ſi per ſtipulationem promiſſæ ſint, quo caſu præteritæ peti poſſunt. *l. 1. C. de jud. l. 57. §. 1. in f. D. de evict. l. 75. §. pen. D. de V. O.*

§. 36. II. *Remiſſione* creditoris: arg. *t. C. de remiſſ. pign. l. pen. C. de pact.* eaque vel *expreſſa*, vel *tacita.*

§. 37. Si quis enim, cui majores uſuræ debentur, per multos annos minores a debitore acceperit, cum in majoribus exſolvendis per debitorem mora non eſſet, in poſterum quoque majores peti non poſſunt. *l. 13. D. h. t. l. 5. 8. C. h. t.*

§. 38. Quod ſi vero quis uſuras, quæ debebantur, in totum per longum tempus non petiit, non futuræ, ſed præteritæ tantum remiſſæ cenſentur. *l. 17. §. 1.* D. *h. t.*

§. 39. III. *Si quantitas uſurarum ad duplum ſortis pervenerit. l. 26. §. 1. D. de condict. indeb. l. 4. §. 1. D. de naut. fœn. l. 27. §. 1. C. h. t.*

§. 40. *Duplum* autem eſt ſors & uſuræ usque ad ſummam ſortis; in duplo enim ſors computanda eſt. *l. 10. C. h. t.*

§. 41. Idque adeo procedit, ut & in fœnore nautico locum habeat; *l. 4. §. 1.* D. *de naut. fœn.* & ne quidem per retentionem pignoris uſuræ ultra duplum obſervari poſſunt. *d. l. 4. pr. in f.*

§. 42 Cumque olim uſuræ per tempora ſolutæ, reo ad dupli computationem non proficerent, *l. 10. C. h. t.* Juſtinianus Imp. ſumma æquitatis ratione conſtituit, ut & particulares uſurarum ſolutiones in duplum computandæ ſint. *N. 121. c. 2. N. 138.*

Digitized by Google

De Fructibus.

§. 43. *Fructus* (qui a *ferendo*, ſeu potius *fruendo*, ſic dictus eſt, v. Varr. *de L. L. L. IV.*) eſt, *quicquid res ad uſum noſtrum profert, vel occaſione ejus percipitur. l. 59. §. 1.* D. *de uſufr.*

§. 44. Adeoque I. Vel *Naturalis* eſt, vel *Civilis*, ſeu *Proprius*, & *Improprius. l. 59. §. 1. D. de uſufr l. 53. D. de evict.* junct. *l. 29.* D. *de her. pet. l. 62.* D. *de R. V. l. 121. D. de V. S.*

§. 45. *Fructus Naturalis* ſeu *Proprius* eſt, *quem natura ex ipſa re producit.*

§. 46. Iſque vel *Naturalis tantum* eſt, vel *Induſtrialis. l. 45.* D. *de uſur.*

§. 47. *Fructus Naturalis tantum* eſt, qui ſola natura, & ſponte magis, quam diligentia hominum provenit, veluti poma, nuces, lignum, fœnum, & ſimilia. v. *§. 37. I. de R. D. l. 28. 45.* D. *h. t. l. 31. D. de V. S.*

§. 48. *Induſtrialis* vero, quem natura quidem producit, ſed multo intercedente labore & induſtria hominum. Quales ſunt ſegetes, & in agris ſata. *d. l. 45. D. de uſur. l. 78.* D. *de R. V.*

§. 49. *Fructus Civilis* autem ſeu *Improprius* eſt, *qui* non quidem ex ipſa re naſcitur, ſed *occaſione rei percipitur.* Quales ſunt uſuræ, mercedes, penſiones & reditus annui. *l. 62. pr.* D. *de R. V. l. 121. D. de V. S. l. 29.* D. *de her. pet. l. 34. 36. D. h. t.*

§. 50. Proprie enim fructus non ſunt; *d. l. 121.* D. *de V. S. l. 62.* D. *de R. V.* ſed in fructu numerantur, quia vicem fructuum obtinent. *l. 19. 34. 36.* D. *h. t. l. 29.* D. *de her. pet.*

§. 51. II. Dividi poſſunt *Fructus*, quod ſint vel *Pendentes* ſeu *Percipiendi*; *l. 44. D. de R. V. l. 12. §. 5. D. de uſufr.* vel *Separati* ſeu *Percepti*: iique vel *Extantes*, vel *Conſumti. l. 22. C. de R. V.*

§. 52. *Fructus Pendentes* ſeu *Percipiendi* ſunt, qui a corpore, quo tenentur, nondum ſeparati ſunt; *l. 44. D. de R. V. l. 12. §. 5.* D. *de uſufr. l. 61. §. 8.* D. *de furt.* & alio nomine *Stantes* appellari ſolent *l. 7. §. 15.* D. *ſol. matr. l. 26. § f. D. de furt.*

§. 53. *Separati* ſeu *Percepti* ratione *b. f. poſſeſſoris* non differunt; qui fructus percepiſſe dicitur, ſimul atque a corpore, quo tenebantur, quocunque modo ſeparati ſunt. *l. 78. D. de R. V. l. 13. D. quib. mod. uſusfr. am. l. 25. §. 1.* D. *h. t.* Ratione *fructuarii* autem differunt, qui, ſi ipſe non ſeparaverit, percepiſſe non videtur. *d. l. 25. §. 1. l. 12. §. ult.* D. *de uſufr. l. 13.* D. *quib. mod. uſusfr. am. §. 36. I. de R. D.*

§. 54. *Extantes* ſunt, qui quidem jam ſeparati & percepti ſunt, ſed in bonis poſſeſſoris adhuc reperiuntur. *l. 22. C. de R. V.*

§. 55.

Digitized by Google

§. 55. *Conſumti* vero, qui in bonis poſſeſſoris eſſe deſierunt: ſive naturaliter abſumti; ſive alienati ſint. arg. *l. 25. §. 11. D. de pet. her.*

§. 56. Et quidem *poſt Litem conteſtatam* fructus præſtandi veniunt in omnibus omnino judiciis, non tantum qui poſt eam percepti fuit, ſed & qui honeſte percipi potuerunt. *l. 40.* D. *de her. pet. l. 20.* D. *de R. V. l. 38. §. 7. D. h. t. l. 31. pr.* D. *de R. C.*

§. 57. *Si vero Lis conteſtata non ſit*, fructus in *Actionibus perſonalibus bonæ fidei*, & *Arbitrariis*, præſtantur ex tempore moræ; ut ſcil. petitor habeat omne id, quod habuiſſet, ſi mora facta non eſſet, arg. *l. 3. pr. §. 1. D. h. t. l. 62. §. 1.* D. *de R. V.*

§. 58. Non etiam in *Actionibus ſtricti juris*, in quibus tantum debentur poſt litem conteſtatam. *l. 2. 3. §. 1.* D. *l. 38. §. 7. D. h. t. l. 31. D. de R. C. l. 78. §. 1. D. de V. O.*

§. 59. Niſi Actio ſtricti juris competat ad repetendum id, quod noſtrum fuit, veluti *Condictio indebiti:* quo caſu fructus & ante litem conteſtatam, imo & ante moram percepti reſtituendi ſunt. *l. 15. pr. l. 65. §. 5. D. de cond. indeb. l. 35. §. 7. D. h. t.*

§. 60. In *Actionibus* autem *Realibus*, *malæ fidei poſſeſſor* omnes omnino fructus reſtituit; *l. 22. C. de R. V. §. 2. l. de. off. jud.* non tantum perceptos, ſed & qui honeſte percipi potuerunt. *l. 33. pr. l. 62. §. 1. D. de R. V. l. 1. in f. C. de her. pet. l. 2. C. de fruct. & lit. exp. Bonæ fidei* vero *poſſeſſor* nullos, niſi extantes. *d. l. 22. C. de R. V.* v. ſupr. *ad t. de R. V. §. 31. & ſeqq.*

De Cauſis.

§. 61. *Cauſæ* nomine hic venit omnis utilitas, quæ occaſione rei percipi poteſt; *l. 20. D. de R. V.* quicquid ſcil. Actor habiturus fuiſſet, ſi debito tempore res ſoluta fuiſſet: *l. 35.* D. *de V. S. l. 31.* D. *de reb. cred.* adeoque & fructus, tum Naturales, *l. 38. §. 7. D. h. t.* tum Civiles, *l. 2. 38. §. 7.* D. *h. t. l. 20. 35.* D. *de R. V.* & quæ in fructu non ſunt, ut ancillæ partus & fœtus ſecundus. *l. 8. D. h. t.*

§. 62. Præſtatur autem *Cauſa* poſt *litem conteſtatam* in *omnibus judiciis* indiſtincte; *l. 2. 38. §. 7. D. h. t. l. 31. D. de R. C. l. 20. D. de R. V.* poſt *moram* vero in *Judiciis bonæ fidei*. arg. *l. 8.* D. *h. t.*

De Acceſſionibus.

§. 63. *Acceſſiones* ſunt omnia commoda, quæ rei quocunque modo accedunt, veluti alluvio. *l. 34.* D. *de R. V. l. 4.* D. *de jur. dot.*

Digitized by Google

DE MORA.

§. 64. Mora eſt *ſolutionis debito tempore faciendæ, vel accipiendæ, fruſtratoria dilatio. l. 21. D. h. t. l. 37.* D. *mand.*

§. 65. Eaque vel *ex Re* eſt, *vel ex Perſona. l. 23. §. 1. l. 32. pr.* D. *h. t. l. f. C. de cond. ob turp. cauſ. l. 26. §. 1,* D. *de fideic. lib. l. 3. C. in quib. cauſ. in integr. reſt. nec. non eſt.*

§. 66. *Mora ex Perſona* fieri intelligitur, *ſi quis, opportuno loco & tempore, a creditore interpellatus, non ſolverit. l. 32. pr. D. h. t. l. 23.* D. *de V. O.*

§. 67. Sine interpellatione enim hæc mora non committitur. *l. 23. D. de V. O.*

§. 68. Sive autem unica tantum interceſſerit interpellatio, ſive plures, ſive judicialis, ſive extrajudicialis, nihil intereſt. *l. 32. pr.* D. *h. t. l. 23.* D. *de V. O. l. 87. §. 1. D. de leg. 2. l. 1.* §. *ult.* D. *de act. emt.*

§. 69. Niſi debitor juſtam ſeſe excuſandi cauſam habeat. *l. 21. 23. 24. D. h. t. l. 21.* D. *de re jud. l. 63. D. de R. J.*

§. 70. Quod ſi vero debitor creditorem in mora conſtituere velit, rem mobilem totam offerre debet: *l. 13. §. 8. D. de act. emt.* ſin res immobilis eſt, ſufficit, ſi creditorem interpellet, ſeu denunciet ei, ſeſe ad ſatisfaciendum paratum eſſe. *N. 91. c. 2.*

§. 71. *Mora ex Re* eſt, *quæ fit* ſine interpellatione, *ſolo temporis lapſu, vel tarda ſolutione*, juris interpretatione. *l. 46. §. 4. C. de Ep. & Cler.*

§. 72. *Solo temporis lapſu*, ſi obligatio ex die contracta ſit, & dies præterierit: quo caſu dies interpellat pro homine. *l. 12. C. de contr. ſtip. l. 2. C. de jur. emph. l. 114. D. de V. O.*

§. 73. *Tarda ſolutione* vero fit mora ex re I. Si quid pupillo vel minori debeatur. *l. 3. C. in quib. cauſ. in integr. reſt. nec. non eſt.*

II. Si fiſco debeatur. *l. 17. §. 5. l. 43. D. h. t.*

III. Si libertas per fideicommiſſum relicta ſit. *l. 26. §. 1.* D. *de fideic. lib.*

IV. Si emtor re tradita pretium non ſolvat. *l. 13. §. 20. D. l. 5. C. de act. emt.*

V. Si non extat qui conveniatur. *l. 23. §. 1. D. h. t.*

VI. Si debitor ſit fur vel prædo, qui ſemper moram facere videtur. *l. 8. §. 1. l. ult. D. de cond. furt.*

§. 74. *Effectus Moræ* in *genere* eſt, quod unicuique ſua mora noceat. *l. 173. §. 2. D. de R. J.*

§. 75. *In ſpecie* vero I. Quod in Judiciis bonæ fidei inducat obligationem uſurarum & fructuum. *l. 32. §. 2. l. 3. pr. l. 38. pr. §. 15.* D. *h. t.*

II. Perpetuet obligationem. *l. 91. §. 3. D. de V. O.*

Et III.

Et III. Periculum rei transferat in debitorem. *l. 5.* D. *de R. C. l. 23. 24. 82. §. 1. D. de V. O.*

§. 76. Qui tamen effectus ceſſant, ſi mora purgata ſit.

§. 77. Quod contingit I. Si creditor debitori moram remiſerit. *l. 32. §. 1. D. h. t. l. 7. §. 1. D. de lib. leg.*

II. Si creditor eandem rem a debitore, vel alio, novandi animo pure ſtipulatus ſit. *l. 8. pr. D. de nov. l. 29. §. 1. D. de V. O.*

III Si debitor debitum creditori, ante litem conteſtatam, *l. 84. D. de V. O* legitime obtulerit, & depoſuerit. *l. 73. §. ult. l. 91. §. 3. D. de V. O. l. 72. §. 2. D. de ſol. l. 8. pr. l. 17. D. de cond. furt. l. 9. C. de ſol. l. 19. C. de uſur.*

TITULUS II.

De Nautico Foenore. C. IV. 33.

§. 1.

Fœnus Nauticum eſt *Uſura, quæ ſolvitur pro pecunia Trajectitia.*

§. 2. Pecunia Trajectitia autem eſt *quæ periculo creditoris trans mare vehitur, l. 1. pr.* D. *h. t.*

§. 3. In qua ex ea die periculum ſpectat creditorem, ex quo navem navigare convenit, *l. 3. D. h. t.* usque dum ad portum deſtinatum navis appulerit. *l. 1. l. ult. C. h. t.*

§. 4. Niſi certum tempus expreſſum ſit, quousque periculum creditoris eſſe debeat. *l. 4. pr. l. 6. D. h. t. N. 106.*

§. 5. Sunt autem in hoc fœnore duo ſpecialia: I. Quod uſuræ etiam hic debeantur ex nudo pacto. *l. 5. §. 1. l. 7. D. h. t.* II. Quod pro periculi pretio uſuras ſtipulari liceat centeſimas. *l. 4. §. 1.* D. *h. t. l. 26. §. 1. C. de uſur.*

§. 6. Quod Jus ſingulare cum hic propter periculi ſuſceptionem admiſſum ſit, eademque ratio ſit, ſi pecunia data ſit, periculo creditoris per loca periculoſa terreſtria vehenda, idem jus eo caſu, ut & in omnibus cauſis, ex quibus *condictiones* (ſic leg.) naſcuntur, dummodo in aleæ ſpeciem non cadant, ſtatuendum eſt. *l. 5. pr.* D. *h. t. l. 32. pr. D. ad L. Aquil.*

TITULUS III.

De Probationibus, Et Præsumtionibus. C. IV 19.

De Probationibus.

§. 1.

Inter Adminicula Contractuum multum uſum etiam habet *Probatio.*

§. 2. *Quæ* nihil aliud eſt, quam *rei dubiæ, ab Actore, vel Reo, Judici legitime facta fides. l. 12. D. h. t. l. 3. §. 2. D. de teſtib.*

§. 3. Eſtque I. Vel *Artificialis*, vel *Inartificialis.* Ariſt. I. *Rhet. 2.* Quintil. *Inſt. Orat. L. V. c. 1. l. ult. C. h. t. l. 19. C. de R. V.*

§. 4. *Artificialis* ſeu *indirecta* eſt, quæ fit arte probantis, per argumenta ex ipſa cauſa ejusque circumſtantiis deducta. Quintil. *L. V. c. 8. & ſeqq.* Eaque vel neceſſaria, v. Cic. *de Invent. L. I. c. 29.* vel probabilia, quæ *Præſumtioni* locum faciunt, v. *l. 2. C. de teſtib. l. 19. C. de R. V. l. ult. C. h. t. l. 34. C. ad L. Jul. de adult. §. 11. I. de inut. ſtip. l. 14. C. de contr. ſtip.*

§. 5. *Inartificialis* ſeu *directa* eſt, quæ fit per tabulas ſeu Inſtrumenta, & teſtes. Quintil. *d. L. V. c. 1. 5. 7.* Paul. *Sent. L. V. T. 5. §. 3. l. 15. C. de fid. inſtrum.*

§. 6. II. *Probatio* eſt *Plena*, vel *Minus plena. l. 3. §. 2. D. de teſtib. l. 31. D. de jurej. l. 3. C. de reb. cred. l. 5. 6. C. h. t.*

§. 7. *Plena* eſt, quæ plenam judici fidem facit, tabulis ſcil. ſeu inſtrumentis, vel teſtibus, *l. 11. C. de fid. inſtrum.* aliove ſufficienti modo. v. *d. l. 3. §. 2. D. de teſtib. l. 14. de dot. præl. l. 37. §. 5. D. de leg. 3. §. ult. I. de fideic. her. l. ult. C. de fideic.*

§. 8. *Minus plena* eſt, quæ per ſe non facit plenam fidem, ſed alio indiget adminiculo. *d. l. 3. §. 2. D. de teſtib. l. 31. D. de jurej. l. 3. C. de reb. cred. l. 5. & 6. C. h. t.*

§. 9. Eaque eſt vel *Semiplena major*, quam faciunt v. c. duo teſtes, quorum unus omni exceptione major eſt, alter non eſt; vel *Semiplena*, quam facit v. c. unus teſtis omni exceptione major; vel *Semiplena minor*, quam facit v. c. unus teſtis non omni exceptione major.

§. 10. *Probatur factum dubium: l. 16. C. h. t. l. 9. C. de coll. l. 13. §. 2. D. de publician. in rem act.* non manifeſtum & notorium, quod probatione non indiget; Quint. *Inſt. L. V. c. 12. c. 3. X. de teſtib. cogend.* neque Jus, quod certum eſt, *l. 2. D. de jur. & fact. ign.* & Judici notum eſt, vel notum eſſe debet. *t. t. C. ut quæ deſ. advoc. part. Jud. ſuppl.*

§. 11. Niſi agatur de jure Partis ſeu Adverſarii; *l. 5. D. h. t.* vel Conſuetudine, de qua non conſtat: adeoque *Quæſtio de Jure* in *Quæſtionem facti* incidat.

§. 12. *Probat Actor & Affirmans: l. 9. & 18. §. 2. l. 21. 2. D. l. 23. C. h. t.* non Reus, maxime ſi poſſeſſor ſit; *l. 2. 8. 9. 23. C. h. t. l. 4. C. de edend.* neque qui factum negat, cujus per rerum naturam nulla eſt probatio. *l. 2. D. l. 23. C. h. t. l. 10. C. de non num. pec.*

§. 13. Niſi I. Reus excipiendo fiat Actor. *l. 19. D. l. 1. C. h. t. l. 1. D. de exc.*

Vel II. gravis contra reum militet præſumtio. *l. 3. 8. 12. D. h. t.*

Vel III. Reus onus probandi in ſe ſuſceperit. *l. 14. D. h. t.*

§. 14.

§. 14. Sed & qui negat, aliquando probare debet, ſi ſcil. contra negantem ſit præſumtio, & negatio talis ſit, quæ loco & tempore circumſcripta eſt; *§. 11. I. de inut. ſtip. l. 14. C. de contr. ſtip.* quæve affirmationem in ſe continet. v. *l. 5. §. 1. l. 8. 15. D. h. t. l. 5. C. de codicill.*

§. 15. *Probatio facienda* eſt *Judici*; *l. 12. in f.* D. *h. t. l. 3. §. 1. 2. D. de teſtib. l. 1. C. de cond. ob turp. cauſ. l. 79. §. 1. D. de jud.* in Judicio; arg. *l. 18. D. comm. div.* & tempore legitimo, a Judice ſcil. præſtituto, vel conſuetudine recepto. arg. *l. 1. C. de dilat. l. 3. §. ult. D. de teſt.*

§ 16. Et quidem plerumque poſt litem conteſtatam, ſed ante cauſæ concluſionem. *Auth. Jubemus. C. de jud. N. 115. c. 2. Auth. At qui. C. h. t.*

§. 17. Exceptis cauſis criminalibus, in quibus probatio innocentiæ etiam poſt ſententiam locum habet. *l. 1. §. ult. D. de quæſt. l. 6. D. de appell.*

§. 18. Facienda autem ordinario probatio clare & plene, *l. 6.* D. *h. t. l. 83. D. de cond. & dem.* maxime in criminalibus, in quibus accuſatio munita debet eſſe idoneis teſtibus, vel inſtructa apertiſſimis documentis, vel indiciis ad probationem indubitatis & luce clarioribus expedita. *l. ult. C. h. t. l. 22. C. ad L. Corn. de falſ. l. 34. C. ad L. Jul. de adult.*

§. 19. *Effectus Probationis Plenæ* eſt, ut Judex Reum condemnet; *l. 6. D. h. t.* arg. *§. 32. I. de act. l. 21. in f. D. de jud. l. 1. D. de re jud. Semiplenæ*, ut jusjurandum ſuppletorium locum habeat; *l. 31. D. de jurej. l. 3. C. de reb. cred. Minoris ſemiplenæ* vero, ut jusjurandum purgatorium Reo deferri poſſit. v. ſupr. *ad t. de jurej. §. 60. 61.*

§. 20. Actore vero non probante, Reus abſolvitur; licet ipſe nihil præſtiterit. *l. 4. C. de edend.*

De Præsumtionibus.

§. 21. *Præſumtio* eſt *probatio per argumenta probabilia facta.* v. ſupr. *§. 4.*

§. 22. Eaque vel *Juris* eſt ſeu *Legis*, vel *Hominis.*

§. 23. Præſumtio *Juris* eſt, *quæ a Jure per argumenta probabilia ex variis circumſtantiis inducitur*; & eſt vel *Juris & de Jure*, vel *Juris tantum.*

§. 24. *Præſumtio Juris & de Jure* eſt, *quæ a Jure ſeu Lege ita aliquid præſumitur, ut non admittatur probatio in contrarium.* v. *l. 53.* D. *de R. J. l. ult. C. arb. tut. l. 23. C. ad SC. Vellej. l. 4. C. de non num. pec. l. 34. C. ad L. Jul. de adult. N. 117. c. 2.*

§. 25. *Præſumtio Juris tantum* eſt, *qua a Jure ſeu Lege aliquid præſumitur, & pro vero habetur, usque dum probetur contrarium.* v. *l. 3. 8. 12. 24. 25. D. h. t. l. 51. D. pro ſoc. §. 11. 16. I. de inut. ſtip. l. 14. C. de contr. ſtip.*

§. 26. *Præſumtio* vero *Hominis* ſeu *Judicis* eſt, *qua ex probabilibus argumentis a judice aliquid præſumitur.* v. Auct. *Rhet.* ad Herenn. *L. II. c. 5.*

§. 27. Eaque ſimiliter onus probandi in eum transfert, contra quem militat; arg. *l. 3. 9. 12.* D. *h. t.* dummodo non levis, ſed alicujus momenti ſit: v. *l. 10. C. h. t.* qua in re multum arbitrio Judicis relinquendum eſt.

§. 28. Affinis Præſumtioni eſt *Juris Fictio*, quæ eſt *Legis, adverſus veritatem, in re poſſibili, ex juſtâ cauſa, diſpoſitio.* Qua id, quod quidem per rerum naturam ſe ita habere poſſet, ſed ita revera non eſt, Legis diſpoſitione, ob æquitatem, perinde habetur & accipitur, ac ſi ita eſſet, vel contra.

§. 29. Cujus tres conſtitui ſolent ſpecies. Ut ſcil. I. ſit *Affirmativa*, *Poſitiva*, ſeu *Inductiva*, qua aliquid ponitur ſeu inducitur, quod non eſt. v. *pr. in f. I. de excuſ. tut. l. 7. & 26. D. de ſtat. hom. §. 4. I. de tut. §. 4. I. de act. l. 4. §. f. D. de fidej. tut. l. 6. D. de mag. conv. l. 24. D. de cond. & dem. §. 5. I. de adopt. l. 3. §. pen. D. de don. int. vir. & ux. l. 14. §. 1. D. de peric. & comm. rei vend. §. 34. I. de R. D.*

II. *Negativa* ſeu *Privativa*, qua id, quod revera eſt, fingitur, ac ſi non eſſet. v. *§. 5. I. de act. l. 2. 5. §. 1. D. de inoff. teſt. pr. I. eod.*

III. *Translativa*, qua id, quod eſt in uno, transfertur in aliud.

§. 30. Quæ translatio fit I. *a Perſona in perſonam;* ſic dejeciſſe videtur, qui id fieri mandavit. *l. 1. §. 12. D. de vi & vi arm.*

II. *De re ad rem;* ſic inſtrumentis traditis res emta tradita cenſetur. *l. 1. C. de don.*

III. *De loco ad locum;* ſic poſtliminio reverſus creditur ſemper in Civitate fuiſſe. *§. 5. I. quib. mod. jus patr. pot. ſolv.*

IV. *De tempore ad tempus;* ſic mortuus apud hoſtes per L. Corneliam ſtatim in Civitate mortuus eſſe cenſetur. v. *l. 12. §. 1. l. 16. D. de capt. & poſtl. rev.*

§. 31. Fictio juris autem ultra intentionem non habet effectum, *l. 6. D. de mag. conv. l. 13. §. 1. C. de ſent. paſſ.* & reliqua veritati relinquit.

TITULUS IV.

DE FIDE INSTRUMENTORUM, ET AMISSIONE EORUM.

C. IV. 21.

§. 1.

Cum vero Probatio Inartificialis per *tabulas* ſeu *Inſtrumenta* fiat & *teſtes*, v. ſupr. *ad t. de prob. §. 5.* de iis ſpecialiter ſubjiciendum viſum eſt.

§. 2. *Inſtrumentum*, (quod ab *inſtruendo* dictum eſt, *l. 1.* D. *h. t. l. 99. §. 2. D. de V. S.)* in genere omne id ſignificat, quo aliquid inſtruitur. *d. l. 1. d. l. 99. §. 2. l. 12. pr. & 1. D. de inſtruct. vel inſtrum. leg.* Sed hoc loco denotat ea, *quæ cauſam controverſam inſtruunt*, & Judici fidem faciunt. *l. 1.* D. *h. t.*

§. 3. Quo ſenſu iterum vel *latius* accipitur, ut omnia contineat, quibus cauſa in-

inſtrui poteſt, non tantum tabulas, ſed & teſtimonia & teſtes; *l. 1. D. h. t. l. 99. §. 2. D. de V. S.* vel *ſtrictius*, ut tantum ſignificet *tabulas & ſcripturam: l. 15. 17. C. h. t. l. 5. C. de prob.* quæ ſignificatio hujus loci eſt

§. 4. Adeoque *Inſtrumentum* hic nihil aliud eſt, quam *ſcriptura ad rerum geſtarum fidem facta. d. l. 15. 17. C. l. 4. D. h. t. l. 4. D. de pign. & hyp.*

§. 5. Idque *Publicum* eſt, vel *Privatum. l. 23. §. 2. C. ad SCt. Vellej. l. 11. C. qui pot. in pign. l. 5. 6. C. de prob. l. 21. C. ad L. Corn. de falſ.*

§. 6. *Inſtrumentum Publicum* eſt, *quod publice ſeu publica auctoritate confectum eſt. d. l. 23. §. 2. C. ad SC. Vellej. l. 11. C. qui pot. in pign.*

§. 7. Qualia ſunt cenſus ſeu Tabulæ cenſuales, & monumenta ſeu Acta publica; *l. 10. D. de prob. §. ult. I. de adopt. §. 2. I. de don. l. 45. 46. D. de re jud. l. 2. C. de edend.* Alba; *l. 7. pr.* D. *de juriſd. t. t. D. de alb. ſcrib.* Apochæ publicæ; *t. C. de apoch. publ.* in Monumenta publica translata; *l. fin. C. de re jud.* quæque ex Archivo publico proferuntur: *Auth. Ad hæc. C. h. t.* nec non quæ a *Tabellionibus* legitime facta ſunt. *l. 17. C. h. t. Nov. 44. c. 1. 2. N. 47. c. 1. 2. N. 73. c. 5. & ſeq.*

§. 8. Sunt enim *Tabelliones* perſonæ publicæ, publica auctoritate ad hoc conſtitutæ, ut, ſuper negotiis honeſtis & licitis, v. *l. 14. §. 3. C. de SS. Eccl.* inſtrumenta conficiant. *l. 21. C. ad. L. Corn. de falſ. l. 15. C. de decur. N. 44. c. 1. 2. N 47. c. 1. 2. Nov. 73. c. 5. & ſeq.*

§. 9. A quibus, ut legitime fiant inſtrumenta publica, requiritur I. ut exprimatur Annus imperii regnantis Imperatoris. *N. 47. c. 1. pr. §. 1.*

II. Conſul, *d. N. 47. c. 1. pr. §. 1. N. 74. c. 4. §. 1.*

III. Indictio, (quæ hic ſpatium XV. annorum ſignificat,) menſis, & dies. *d. N. 47. c. 1. pr. §. 1. N. 74. c. 4. §. 1.*

IV. Accurata rei geſtæ ſeries. *d. N. 47. c. 1. §. 1.*

V. Teſtium præſentium nomina & cognomina. *N. 73. c. 1. 2. 5.*

VI. Subſcriptio & ſubſignatio tabellionis. arg. *l. 3. C. de tabular. N. 44. pr.*

VII. Omnia ſcribantur in chartis a Comite largitionum præparatis, ſeu brevi annotatione, quam *Protocollum* vocat Juſtinianus, munitis. *Nov. 44. c. 2.*

§. 10. Non etiam Invocatio Nominis Divini, neque teſtium ſubſcriptio, quæ nusquam deſiderantur.

§. 11. Sed & pro publico inſtrumento habetur, quod trium pluriumve teſtium ſubſcriptione firmatum eſt. *l. 11. C. qui pot. in pign.*

§. 12. *Inſtrumentum* vero *Privatum* eſt, *quod privata auctoritate factum eſt. l. 11. C. qui pot. in pign.*

§. 13. Cujus ſpecies ſunt I. *Chirographum;* quod in genere eſt ſcriptura privata in debiti & crediti fidem facta: *l. ult. C. de her. pet. l. 14. §. 1. C. de non num. pec.* in ſpecie autem, quo debitor ſe debere fatetur. *l. 14. C. de ſol. l. 30. D. de R. C. l. 3. C. de non num. pec.*

II. *Syngrapha;* quæ fit inter præſentes in rei geſtæ fidem. v. Suet. *in Caſ. c. 13.* Aſcon. Ped. *in Verr. 1.*

III. *Apocha;* qua creditor debitorem ſolviſſe fatetur. *l. 19. §. 1.* D. *de accept. l. 19. C. h. t. l. 14. §. 2. C. de non num. pec. l. 2. C. de jur. emph.*

IV. *Antapocha;* qua debitor ſe præſtationes ſolviſſe, & prædium præſtationi obnoxium fatetur. *l. 19. C. h. t.*

V. *Epiſtola;* qua abſenti aliquid nunciamus, ipſumque de re aliqua certiorem facimus. v. *l. 34. l. ult. D. mand. l. 26. §. 2. depoſ. l. 29.* D. *de prob.*

VI. *Liber Rationum: l. 6. C. de prob.* qui data & accepta continet, *l. 6. §. 3. D. de edend.* & adjectionem diei & conſulis habere debet: *l. 1. §. 2. D. de edend.* v. ſupr. *ad t. de edend. §. 25. & ſeqq.* quod in aliis inſtrumentis privatis non requiritur. *l. 34. §. pen. D. de pign. & hyp.*

§. 14. II. *Inſtrumenta* ſunt vel *Authentica*, vel *Exempla. l. 2. D. h. t. l. 4. §. ult. D. fam. erciſc. l. ult. D. teſtam. quemadm. aper.* Paul. *Sent. L. V. T. XII. §. 11.*

§. 15. *Authentica*, ſeu *Originalia*, ut nunc audiunt, ſunt, quæ primario & principaliter de negotio aliquo conſcripta ſunt.

§. 16. *Exempla* vero, quæ Authenticis deſcribuntur, & nunc fere *Copiæ* dici ſolent.

§. 17. III. Sunt vel *Propria*, quibus ordinario ad probandum quisque uti debet. *l. 7. C. de teſtib. l. 4. l. ult. C. de edend.*

Vel *Communia*, quorum promiſcuus & communis inter ſocios & conſortes eſt uſus. *l. 7. C. de ed.*

Vel *Aliena*, quæ ordinario a domino exigi nequeunt: niſi forte dominus nihil inde detrimenti vel incommodi ſentiat. *l. ult. C. h. t. l. 38. D. de R. V. l. 38. D. de evict.*

§. 18. *Effectus Inſtrumentorum Publicorum* eſt, quod plenam mereantur fidem, adeoque plenam probationem faciant. *l. 10. D. de prob. l. 31. C. de don. l. 14. in f. C. de teſtib.*

§. 19. Dummodo ſint Authentica, non exempla, quæ non probant; *l. 2. D. h. t. l. ult. D. de prob. l. 7. & Auth. Si quis. C. de edend.* niſi ex authenticis fide publica deſcripta ſint. arg. *l. 57. D. de admin. tut.*

§. 20. *Privatorum* vero, quod plene probent contra ſcribentem; *l. 25. §. ult. in f. D. de prob.* dummodo vel per propriam confeſſionem, vel per teſtes, vel per comparationem literarum, aliquem ſcripſiſſe conſtet, *l. 20. C. h. t. N. 73. c. 7.* & cauſam debendi contineant. *d. l. 25. §. ult. l. 26. §. 2. D. depoſ.*

§. 21. Pro ſcribente, ſcriptura privata, ſeu privata adnotatio, vel Rationes non probant; *l. 5. 6. C. de prob.* ne quilibet pro lubitu propria adnotatione aliquem debitorem ſibi conſtituat. *l. 7. C. eod.*

§. 22.

§. 22. Niſi I. Aliis adminiculis adjuventur. *l. 6. C. de prob.*

Vel II. Talia privata inſtrumenta ab adverſario producta ſint. arg. *l. 17. C. de teſtib.*

§. 23. Neque tantum cauſæ Civiles, ſed & Crimina per inſtrumenta probari poſſunt. *l. 22. C. ad L. Corn. de falſ. l. 2. C. quor. appell. non recip. l. ult. C. de prob.*

§. 24. Adeo, ut contra inſtrumenta teſtium auctoritate munita, ne quidem admittantur teſtes in contrarium. Paul. V. *Sent. T. XV.* §. 4. *l. 1. C. de teſtib.*

§. 25. Niſi I. Teſtes, quorum auctoritate inſtrumentum nititur, ejus fidem elevent. *N. 73. c. 3.*

II. Quinque teſtes pecuniam inſtrumento promiſſam ſolutam eſſe juraverint. *l. 18. C. de teſtib. N. 90. c. 2.*

Vel III. Teſtamentum coram tribus ad minimum teſtibus revocatum ſit, & lapſus decennii acceſſerit. *l. 27. C. de teſtam.*

§. 26. Sunt autem Inſtrumenta ſtrictæ interpretationis, ut, quod illis non continetur, pro omiſſo habendum ſit. *l. 21. C. de prob.*

§. 27. Producuntur ordinario inſtrumenta poſt litem conteſtatam, ante cauſæ concluſionem. arg. *Auth. Jubemus. C. de jud. Auth. At qui. C. de prob.*

§. 28. Non etiam poſt ſententiam; nam res judicata ſub prætextu inſtrumentorum noviter repertorum non reſcinditur. *l. 4. C. de re jud. l. 35. D. eod.*

§. 29. Infringitur fides inſtrumentorum, I. Si quis per teſtes vel alia inſtrumenta contrarium probet. *l. 14. C. h. t.*

II. Si ſimulatio interceſſerit. *t. t. C. plus val. quod ag. quam quod ſimulate concip.*

III. Si falſitas oſtendatur. *l. 42. C. de tranſact.*

IV. Si inſtrumenta cancellata vel raſa ſint. *l. 24. D. de probat.*

§. 30. Ob *amiſſionem* autem inſtrumentorum nemo jus ſuum amittit, neque obligatio intercidit, ſi modo aliter veritas probari & fides judici fieri poſſit. *l. 1. 4. 5. 6. 7. 8. 10. 11. C. h. t. l. 20. 21. C. de prob. l. 57. D. de admin. tut.*

§. 31. Inſtrumenta enim ad ſubſtantiam negotiorum non pertinent, ſed tantum ad fidem rei geſtæ, ut, quod actum eſt, per ea facilius probari poſſit. *l. 4. D. l. 10. C. h. t. l. 4. D. de pign. & hyp. l. 5. C. de tranſact. l. 17. C. de pact. l. 9. C. de locat. cond. l. 1. C. de dot. caut. non num.*

TITU-

TITULUS V.

DE TESTIBUS. C. IV. 20

§. 1.

Teſtes (quorum uſus frequens & neceſſarius eſt, *l. 1. pr. D. h. t.*) ſunt *Perſonæ, ad fidem de re dubia judici faciendam adhibitæ. d. l. 1. pr. l. 3. pr. §. 1. 2. 3. D. h. t.*

§. 2. Adhiberi autem teſtes poſſunt non ſolum in criminalibus cauſis, ſed etiam pecuniariis litibus, ſicubi res poſtulat: & hi, quibus non interdicitur teſtimonium, nec ulla lege excuſantur. *l. 1. §. 1.* D. *h. t.*

§. 3. *Impediuntur* Furioſi; *l. 2. §. 3. D. de jur. codicill. l. 40. 124. §. 1.* D. *de R. J. l. 20. §. 4.* D. *qui teſtam. fac. poſſ.* Mente capti; arg. *§. 4. I. de curat.* Infantes & infantiæ proximi. *§. 9. I. de inut. ſtip.*

§. 4. Non etiam pubertati proximi: arg. *l. 111.* D. *de R. J. l. 3. §. 5. l. 19. §. 1. D. h. t.* ſi ſcil. teſtentur de rebus, quæ in intellectum eorum caduut; *l. 1. C. de falſ. mon.* & non inviti teſtimonium dixerint. *l. 19. §. 1.* D. *h. t.*

§. 5. Quanta autem fides ipſis habenda ſit, arbitrio judicis relinquendum eſt. *l. 3. §. 1.* D. *h. t.*

§. 6. *Prohibentur* I. Servi; *l. 11. & Auth. Si teſtis. C. h. t.* Terent. *Phorm. Act. II. Sc. I. verſ. 62.* niſi alia probatio ad eruendam veritatem deficiat. v. *l. 7. D. h. t. l. 1. C. de quæſt. l. 53.* D. *de jud.*

II. Judicio publico damnati; *l. 3. §. 5. D. h. t.* veluti Adulterii, *l. 14. 18.* D. *h. t.* & Repetundarum. *l. 15.* D. *h. t. l. 6. §. 1. D. ad L. Jul. rep.*

III. Judicio publico accuſati, *l. 20.* D. *h. t.* quive in vinculis, vel publica ſunt cuſtodia. *d. l. 3. §. 5. D. h. t.*

IV. In publicis judiciis calumniæ damnati. *l. 13. D. h. t.*

V. Ob carmen famoſum damnati. *l. 21. pr. D. h. t.*

VI. Qui ad beſtias ut depugnaret ſe locaverit. *d. l. 3. §. 5.*

VII. Quæ palam quæſtum facit. *d. l 3. §. 5.*

VIII. Qui ob teſtimonium dicendum vel non dicendum pecuniam accepiſſe judicatus, vel convictus erit. *d. l. 3. §. 5. D. h. t.*

IX. Qui ob turpitudinem Senatu motus eſt. *l. 2. D. de Senat.*

X. Pagani, Apoſtatæ, & Hæretici improbiores. *l. 4. §. 5. l. pen. C. de hæret. & man.*

XI. Minores viginti annis in cauſis criminalibus. *l. 20. D. h. t.*

XII. Mulieres in teſtamentis. *l. 20. §. 6. D. qui teſtam. fac. poſſ. §. 6. I. de teſt. ord. l. 18. D. h. t.*

XIII. Omnes in re propria; *l. 10. D. l. 10. C. h. t.* cujus ſcil. emolumentum vel damnum ad eos ſuo nomine pertinet: *l. 1. §. 11. D. quand. appelland.* adeoque & illi, qui criminis ſunt ſocii & participes. *l. 11. C. h. t.*

XIV. Pa-

XIV. Pater in cauſa filii, & filius in cauſa patris. *l. 9. D. l. 6. C. h. t.*

XV. Quibus imperari poteſt, *l. 6. D. h. t.* aliique domeſtici, *l. 24. D. l. 3. C. h. t.*

XVI. Patroni in cauſa eui patrocinium præſtiterunt, aliique negotiorum executores, i. e. Procuratores, Tutores, & Curatores. *l. ult.* D. *h. t.*

XVII. Amici, & Inimici; *l. 3. pr. D. l. 5. 17. C. h. t. l. 1. §. 24.* D. *de quæſt. N. 90. c. 7.* adeoque & illi, qui ante in reum ſeu accuſatum teſtimonium dixerunt, *l. 23. D. h. t.*

XVIII. Viliores & pauperes, ſi aliorum ſit copia. *l. 3. pr.* D. *l. 18. C. h. t. N. 90. c. 1.*

§. 7. Qui vero neque impediuntur, neque prohibentur, non tantum volentes, ſed & inviti teſtes adhiberi poſſunt; *l. 16. 19. C. h. t.* ſive privati ſint, ſive Magiſtratus: *l. 21. §. 1. D. h. t.* ſive cauſa civilis ſit, ſive criminalis; *d. l. 16. C. h. t.* ut & mulctæ dictione, & pignorum capione, ad id compelli poſſint. arg. *l. 1. §. 3. D. de ventr. inſpic. l. 3. §. 9.* D. *de tab. exhib.* v. Diſſert. *N. VIII. ad Conſt. Marci §. 4. & ſeqq.*

§. 8. Niſi forte quis Lege quadam a dicendo teſtimonio excuſetur. *l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 9. Lege *Julia* enim *Judiciorum publicorum* cavetur, *ne invito denuncietur, ut teſtimonium dicat adverſus ſocerum, generum, vitricum, privignum, ſobrinum, ſobrinam, ſobrino natum, eosve, qui priore gradu ſint. Item ne liberto ipſius, liberorum ejus, parentium, viri, uxoris. Item Patroni, patronæ. Et ut ne patroni patronæ adverſus libertos; neque liberti adverſus patronum cogantur teſtimonium dicere. l. 4. D. h. t. l. 12. C. h. t.*

§. 10. In qua Lege *Generi* appellatione Sponſum quoque filiæ contineri placet; item *Soceri* Sponſæ patrem. *l. 5. D. h. t.* add. *l. 6. §. 1. D. de grad. & affin. l. 4. D. ad L. Pomp. de parr.* Virg. *L. II. Æn. verſ. 345. ſeqq.* & *ibid.* Serv.

§. 11. Producuntur teſtes ad dicendum teſtimonium ordinario poſt litem conteſtatam, ante cauſæ concluſionem. arg. *Auth. Jubemus. C. de jud. Auth. At qui. C. de prob. Auth. Sed & ſi quis. C. h. t.*

§. 12. Quem in finem vocantur a Judice, *l. 1. §. f. D. h. t.* parte petente; *l. 11. C. h. t. l. 4. §. 8.* D. *de damn. infect.* ſed ſumtibus producentis, pro cujusque teſtis dignitate præſtandis. *l. 3. §. 4. D. l. 11. C. h. t. l. 6. § 2. C. de appell.*

§. 13. Teſtes vocati ad judicium venire, *l. 11. 19. C. h. t.* &, ſi id exigatur, præſentiam ſuam jurejurando promittere debent; *d. l. 19. C. h. t.* ita tamen, ut intra XV. dies interrogandi & examinandi ſint, vel impune diſcedere poſſint. *d. l. 19. C. h. t.*

§. 14. Exceptis Perſonis Egregiis, *l. 15.* D. *de jurej. l. 16. C. h. t.* Senibus, *l. 8.* D. *h. t.* i. e. LXX. annis majoribus, arg. *l. un. C. qui ætat.* Valetudinariis, *d. l. 15.* D. *de jurej. d. l. 8.* D. *h. t.* Militibus, aliisque ex juſta cauſa abſentibus: *d. l. 8. 19.* D. *h. t.* qui ad judicium venire non coguntur, & ſi ita res ferat, domi ſuæ examinandi ſunt. arg. *d. l. 15. D. de jurej l. 3. §. 5.* D. *h. t.* v. *d.* Diſſ. *N. VIII. ad Conſt. Marci §. 11.*

§. 15. Priusquam autem perhibeant teſtes teſtimonium, jusjurandum de veritate dicenda præſtare debent; *l. 9. pr. l. 16. 18. C. h. t.* etiam Clerici, qui nusquam excipiuntur: *dd. ll.* niſi Judex conſentientibus partibus jurisjurandi gratiam fecerit. arg. *l. 13. D. de jurej. l. 7. §. 14. D. l. pen. C. de pact.*

§. 16. Præſtito jurejarando, examinantur teſtes a Judice in *Secreto,* i. e. auditorio, ſeu loco judicii; *l. 14. C. h. t.* præſentibus partibus: *l. pen. C. h. t. l. 18. C. de fid. inſtrum. N. 90. c. ult.* quibus & interrogandi facultas conceſſa eſt. arg. *l. 27. §. 7. D. ad L. Jul. de adult.* Matth. XXVI, 62. Marc. XIV, 57. *& ſeqq.*

§. 17. Ad fidem autem rei geſtæ faciendam, etiam non rogatus teſtis idoneus eſt: *l. 11. D. h. t.* exceptis teſtamentis, in quibus teſtes ſpecialiter rogati adeſſe debent. *l. 21. §. 2.* D. *qui teſtam. fac. poſſ.*

§. 18. Et quidem, quantum ad numerum attinet, ordinario duo ſufficiunt; quia pluralis elocutio duorum numero contenta eſt. *l. 12. D. h. t.* Deut. XVII, 6. Matth. XVIII, 16. Joan. VIII, 17. II. Cor. XIII, 1. Hebr. X, 28. 1. Tim. V, 19.

§. 19. Unius teſtimonium ad plene probandum non admittitur; etiamſi præclaræ curiæ honore præfulgeat. *l. 9. §. 1. C. h. t.*

§. 20. Niſi Teſtator unius teſtimonio ſtari velit; v. *l. 14. D. de dot. præleg.* vel teſtis perſona ſit publica, & de iis, quæ ad officium ejus pertinent, teſtatus ſit. *l. 5. §. 13. D. de rebus eor. qui ſub tut. l. 21. in f. C. ad L. Corn. de falſ. Nov. 73. c. 7.*

§. 21. Sunt etiam caſus, quibus duo teſtes non ſufficiunt, ſed plures requiruntur. v. *l. 1. §. ult.* D. *h. t.*

§. 22. *Tres* enim requiruntur teſtes *I.* Si chirographum fiat ſuper pecuniis, L. libras auri excedentibus. *l. ult. C. ſi cert. pet.*

II. Si Teſtator dicat ſeſe nolle, ut teſtamentum factum ſubſiſtat, & hoc pacto teſtamentum infirmare velit. *l. 27. C. de teſtam.*

III. Si quis inſtrumentum velit eſſe quaſi publicum. *l. 11. C. qui pot. in pign.*

IV. Si quis caute velit deponere. *N. 73. c. 1.*

Digitized by Google

§. 23. *Quinque requiruntur I.* In probatione ſoluti debiti inſtrumento comprehenſi. v. *l. 1.* junct. *l. 18. C. h. t.*

II. In Codicillis aliaque ultima voluntate minus ſolenni. *l. ult. C. de codicill. l. ult. C. de fideic.*

III. In contractu imperiti literarum in ſcriptis celebrando, libram auri excedente. *Nov. 73. c. 8.*

§. 24. *Septem* in Divortio, *l. 9.* D. *de divort.* & teſtamento. §. *3. I. de teſtam. ord. l. 21. C. de teſtam.*

§ 25. *Octo* vero in teſtamento a cœco faciendo. *l. 8. C. qui teſtam. fac. poſſ.*

§. 26. Quanta autem fides habenda ſit teſtibus, arbitrio judicis relinquendum eſt; qui optime ſcire poteſt, qui, & cujus dignitatis, & cujus exſtimationis ſint? & qui ſimpliciter viſi ſint dicere; utrum unum eundemque meditatum ſermonem attulerint, an ad ea, quæ interrogata ſunt, ex tempore veriſimilia reſponderint? an dicta teſtium naturæ negotii conveniant? ut &, an inimicitiæ aut gratiæ ſuſpicione careant? *l. 3. pr. §. 1. & ſeqq. l. 21. §. ult. D. h. t.*

§. 27. Ita tamen, ut major ſemper teſtium affirmantium quam negantium, oculatorum quam auritorum, digniorum quam humiliorum & viliorum, ratio habenda ſit. *d. l. 3. pr. §. 1. & ſeqq. N. 90. c. 1.*

TITULUS VI.

De Juris Et Facti Ignorantia.

C. I. 18.

§. 1.

Eſt etiam vice probationis, quatenus ſcil. ab onere probandi relevat, Præſumtio *Ignorantiæ. l. 21.* D. *de prob.*

§. 2. *Quæ* proprie eſt cognitionis, quam quis habere poteſt, privatio; & ab *Errore* differt, qui nihil aliud eſt, quam opinio veritati contraria.

§. 3. Sed *Ignorantia* & *Error* JCtis eodem loco habentur. *l. 7. 8. D. h. t.*

§. 4. Quo ſenſu *Ignoratia* ſeu *Error* dividitur, quod ſit vel *Juris*, vel *Facti. Inſcr. l. 1. 8. 9. D. l. 10. C. h. t.*

§. 5. *Ignorantia* ſeu *Error Juris* eſt, *cum quis jus, & quid ſibi de Jure competat, ignorat;* veluti, ſi quis bonorum poſſeſſionem, vel jus ſuccedendi ſibi competere neſciat. *l. 3. C. h. t. l. 1. pr. §. 1. & ſeqq. D. h. t.*

§. 6. De qua duæ traditæ ſunt *Regulæ*, quarum *prior* hæc eſt; *Ignorantia Juris, in lucro quærendo, omnibus, etiam fœminis, nocet. l. 7. 8. 9. pr. §. 3. D. h. t.*

Altera vero: *Juris ignorantia ſuum petentibus, ſeu in damno rei amittendæ non nocet. d. l. 7. 8.* D. *h. t.*

§. 7. Neque ſine ratione receptum, ut Juris ignorantia noceat; Jus enim ignorare ſubditis non licet: *l. 12. C. h. t.* qui, ſi ipſi id non intelligant, conſulere debent prudentiores. *l. 10. D. de bon. poſſ.*

§. 8. Exceptis tamen quibusdam, quibus Jus Civile ignorare permittitur.

§. 9. Quales ſunt *I. Minores;* quibus Juris ignorantia non nocet in lucro, damnis, & delictis contra jus Civile commiſſis. *l. 9. pr. D. l. 11. C. h. t.*

II. Fœminæ; quibus etiam Juris ignorantia non nocet in damnis, & delictis contra jus Civile commiſſis. *l. 9. pr.* D. *l. 11. l. ult. C. h. t. l. 1. C. de cond. ob cauſ. dat. l. 9. C. ad SCt. Vellej.*

III. Milites; v. *l. 9.* §. *1.* D. *l. 1. C. h. t.*

IV. Ruſtici; quibus iisdem fere caſibus Jus ignorare licet. v. *l. 1. §. f. de edend. l. 25. §. 1. D. de prob.*

§. 10. *Ignorantia* ſeu *Error Facti* vero eſt, *quando, quod in caſu vel natura contingente poſitum eſt, accidiſſe ignoratur;* veluti, ſi quis neſciat mortuum eſſe, cujus hereditas ſibi lege defertur: vel teſtamentum, quo heres inſtitutus eſt, conditum eſſe. v. *l. 1. pr. §. 1. & ſeqq. D. h. t.*

§. 11. De qua hæc Regula tradita eſt; *Facti ignorantia neque in compendiis, neque damnis nocet. l. 9. pr. D. h. t.*

§. 12. Quæ Regula locum habet in *Errore facti alieni; l. 3. pr. l. 5.* D. *h. t.* dummodo non ſit ſupinus. Nec enim ſupina ignorantia ferenda eſt factum ignorantis; ut nec ſcrupuloſa inquiſitio exigenda. *Scientia* enim hoc modo æſtimanda eſt: ut neque negligentia craſſa, aut nimia ſecuritas ſatis expedita ſit, neque delatoria curioſitas exigatur. *l. 6. 9.* §. *2. l. 3. §. 1.* D. *h. t.*

§. 13. Non etiam in *Ignorantia facti proprii*, quæ plerumque ſupina eſt, & vix ulla ratione prætendi poteſt. *l. 7. D. ad SCt. Vellej. l. ult. §. 1. in f. D. pro ſuo*

§. 14. Niſi forte factum & negotium antiquum ſit, *l. 44.* D. *de acq. poſſ.* vel intricatum, qualis eſt calculus rationum reddendarum, v. *l. 47.* §. *1. D. de pact. l. 7. D. de confeſſ.* ut oblivio veniam mereatur.

LIBER

LIBER XXIII. TITULUS I.

De Sponsalibus. C. V, 1.

§. 1.

Expoſitis Contractibus & Actionibus ex iis deſcendentibus, eorumque Adminiculis, ſequuntur Actiones, quæ ratione *Matrimonii*, *Tutelæ* & *Succeſſionis* locum habent.

§. 2. *Matrimonium* præcedunt *Sponſalia*, quæ ſunt *Mentio & Repromiſſio futurarum nuptiarum. l. 1. D. h. t.*

§. 3. Dicta ſunt *Sponſalia* a *ſpondendo*; nam moris fuit veteribus ſtipulari & ſpondere ſibi uxores futuras. *l. 2.* D. *h. t.* Plaut. *Aulular. Act. II. Sc. II. verſ. 77. 78. Curcul. Act. V. Sc. II. verſ. 74. Pœn. Act. V. Sc. III. verſ. 37. 38. Trinum. Act. V. Sc. II. verſ. 33. 34.* Gell. *L. IV. c. 4.* Unde & *Sponſi Sponſæque* appellatio nata eſt. *l. 3. D. h. t.* Gell. *d. l.*

§. 4. Sed jure novo nudus conſenſus ſufficit ad conſtituenda Sponſalia; *l. 4. 11. pr. D. h. t.* ut & inter præſentes ſine ſcriptura, *l. 7.* D. *h. t.* & inter abſentes per nuncium, vel per epiſtolam, contrahi poſſunt. *l. 4. §. 1. l. 5. l. ult.* D. *h. t.*

§. 5. Dividi ſolent *Sponſalia* in *Sponſalia de præſenti*, ſcil. tempore, & *de futuro*, v. *c. pen. X. de ſponſal. c. 1. X. de ſponſ. duor.*

§. 6. Sed Jure Romano omnia Sponſalia ſunt de futuro, *l. 1. 6. D. h. t.* & *Sponſalia de Præſenti* ipſum conſtituunt matrimonium. arg. *l. 30. D. de R. J.*

§. 7. *Contrahere poſſunt Sponſalia*, quicunque conſentire poſſunt, *l. 7. §. 1. l. 11. D. h. t.* neque legibus prohibentur; etiam impuberes. In Sponſalibus enim contrahendis ætas contrahentium definita non eſt, ut in matrimoniis: quapropter & a primordio ætatis Sponſalia effici poſſunt, ſi modo id fieri ab utraque perſona intelligatur, i. e. ſi ſeptem annis non ſint minores. *l. 14.* D. *h. t.*

§. 8. Sine conſenſu contrahentium enim Sponſalia fieri nequeunt; *l. 7. §. 1. l. 11. 13.* D. *h. t.* ut & liberos, qui in poteſtate ſunt, vel expreſſe, vel tacite, conſentire oporteat. *l. 11. 12. pr. D. h. t.*

§. 9. *Impediuntur* itaque Furioſi, & Mente capti, *l. 8.* D. *h. t.* nec non Infantes. *l. 14. D. h. t. §. 9. I. de inut. ſtip.*

§. 10. *Prohibentur* autem Tutores & Curatores, qui neque ſibi, neque filio ſuo, Sponſalia cum pupilla, vel adulta, contrahere poſſunt; *l. 14. D. h. t.* junct. *l. 36. 59.* D. *de rit. nupt. l. 1. C. de interdict. matr. int. pup. & tut.* omnesque,

Digitized by Google

que, inter quos nuptiæ interdictæ ſunt. *l. 15. 16.* D. *h. t. l. 60. §. 5. D. de rit. nupt.*

§. 11. Plane ſolus conſenſus contrahentium ſemper non ſufficit. In Sponſalibus enim omnium eorum conſenſus exigitur, quorum in nuptiis deſideratur. *l. 7. §. 1. D. h. t.*

§. 12. Unde, ſi liberi ſint in poteſtate patris, conſenſus patris etiam neceſſarius eſt; *d. l. 7. §. 1.* junct. *pr. I. de nupt.* qui tamen, niſi evidenter diſſentiat, conſentire videtur. *d. l. 7. §. 1.* junct. *l. 5. C. de nupt.*

§. 13. Quod ſi pupilli ſint, tutorum quoque conſenſus requiritur; *l. 6. D. h. t.* non vero etiam curatorum, ſi adulti ſint. arg. *l. 20. D. de R. N. l. 8. C. de nupt.*

§. 14. *Effectus Sponſaliorum* eſt, quod inducant ſpem nuptiarum, *l. 1. 6. D. h. t.* adeoque & quibusdam caſibus vim matrimonii obtineant. v. *l. 1. D. de his qui not. infam. l. 13. §. 3. D. ad L. Jul. de adult. l. 5. C. de bon. quæ lib.*

§. 15. Dabatur etiam olim, ſi ſponſa uxor non dabatur, aut non ducebatur, ſtipulantibus *Actio ex Sponſu*, contra ſpondentem aut ſtipulantem, ad id quod interfuerat eam uxorem accipi, aut dari. Gell. *L. IV. c. 4.* Sed poſtea apud Romanos receptum, ut Sponſalibus libere renunciare liceret; *l. 1. C. h. t. l. 2. §. 1. 2.* D. *de div. l. 2. C. de repud.* adeo, ut ne pœnæ quidem in ſtipulatum deductæ petitio daretur. arg. *dd. ll. l. 2. C. de inut. ſtip.*

§. 16. Diſſolvuntur itaque Sponſalia; *I.* Renunciatione. *l. 1. C. h. t. l. 2. §. 1. 2. D. de div. l. 2. C. de rep.* Quod poſtea mutavit Imp. Leo *Nov. 74.*

II. Ob Fornicationem, arg. *Deut. XXII. 20. 21. Nov. Leon. 93.* Furorem, arg. *l. 22. §. 7.* D. *ſol. matr.* ſimilesve cauſas.

III. Morte ſponſi, vel ſponſæ. Quo caſu arrhæ Sponſaliorum nomine datæ reſtituendæ ſunt; niſi cauſam, ut nuptiæ non celebrarentur, defuncta perſona præbuit. *l. 3. C. h. t.*

IV. Si ſponſus in eadem provincia intra biennium, in diverſis intra triennium, nuptias exequi ſuperſederit; *l. 2. C. h. t. l. 2. C. de rep. c. 5. X. h. t.* niſi juſtæ cauſæ excuſationi locum faciant. *l. pen.* D. *h. t.*

TITULUS II.

DE RITU NUPTIARUM.

C. V. 4.

§. 1.

Nuptiæ (quæ a *nubendo* ſeu *obnubendo*, eo quod caput nubentis flammeo obvolvebatur, ſic dictæ ſunt, Varr. *de L. L. L. IV.* Feſt. *in voc. Nuptiar.*

Digitized by Google

ptias. Obnubit. & *Flameo.* Iſidor. *L. IX. c. 8.)* non ſemper eodem modo accipiuntur.

§. 2. Aliquando enim feſtivitatem ſignificant nuptialem. *l. 22. 24. C. h. t.* Phædr. *L. I. Fab. 6.*

Nonnunquam conjunctionem Corporum. Apul. 7. *Metam.* Plaut. *Ciſt. Act. I. Sc. I. 45. 46. Caſ. prol.* Horat. *L. III. Od. II.*

Plerumque vero conjunctionem animorum.

§. 3. Quo ſenſu *Nuptiæ* & *Matrimonium* pro eodem accipiuntur, *l. 10. 65. §. 1. D. h. t. §. 1. I. de patr. pot.* & a Modeſtino in *l. 1. D. h. t.* deſcribuntur, *Conjunctio maris & faminæ, & conſortium omnis vitæ, divini & humani juris communicatio:* ab Imp. Juſtiniano vero in *§. 1. I. de patr. pot. Viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem continens.* add. *l. 1.* D. *rer. amot. l. 22. §. 7. D. ſolut. matr.*

§. 4 Dicuntur *Nuptiæ* ſeu *Matrimonium Conjunctio;* maxime ſcil. animorum. Nuptias enim non concubitus, ſed conſenſus facit: *l. 30.* D. *de R. J. l. 15* D. *de cond. & dem.* licet per conſequentiam ad conſummandum Matrimonium corporum conjunctio accedat.

§. 5. *Viri & Mulieris;* prohibita enim eſt nefanda libido, *l. 31. C. ad L. Jul. de adult.* & Polygamia ſimultanea. v. *Matth. XIX, 8.* junct. *Geneſ. II, 18 & ſeqq. Maleach. II, 14. & ſeqq. Lev. XVIII, 18. 1 ad Cor. VII, 14. §. 6. 7. I. h. t. l. 1. D. de his qui not. inf. l. 2. C. de inc. nupt. l. 7. C. de Judæis.*

§. 6. *Individuam vitæ conſuetudinem continens;* quoad votum ſcil. contrahentium: v. *l. 1. D. de jur. dot.* cui contrarium eſt, ſi fiat divortium.

§. 7. Excluditur autem per ultima hæc verba *Concubinatus,* qui eſt conjunctio maris cum fœmina libera eaque unica, *N. 18. c. 5. circ. fin. l. un. C. de concub.* citra affectionem maritalem; *l. 4.* D. *de concub.* ut & *Contractus,* cæteraque negotia.

§. 8. Sed *communionem bonorum* non inferunt, quæ jure noſtro eſt incognita; adeo, ut & conſtante matrimonio acquiſita ſolius ſint mariti. *l. 51. D. de don. int. vir. & ux.*

§. 9. Niſi forte Societas omnium bonorum inter conjuges expreſſe contracta ſit. *l. 16. §. ult. D. de alim. legat. l. 17. §. 1.* D. *ſolut. matr.*

§. 10. In *Nuptiis* contrahendis olim ſolennis obſervabatur *Ritus, h. t.* maxime *deductionis ſponſæ in domum mariti; l. 5. D. h. t.* ſed ſucceſſu temporis abiit in deſuetudinem, neque ad ſubſtantiam matrimonii pertinet.

§. 11. Ut autem *Nuptiæ* ſint *juſtæ*, i. e. legitimæ, requiritur *I. Ut contrahentes ſint Civis; pr. I. h. t.* inter ſervos enim non nuptiæ ſunt, ſed contubernium. *l. 14 §. 3.* D. *h. t. l. 3. C. de inceſt. nupt.*

§. 12. *II. Puberes*, & ad generandum habiles. *pr. I. h. t. l. 39. §. 1. D. de jur. dot. l. 14. §. 7.* D. *de Æd. ed. l. pen. D. quand. dies legat.*

§. 13.

Digitized by Google

§. 13. Sunt autem maſculi puberes poſt annum XIV. fœminæ poſt annum XII. *pr. I. quib. mod. tut. fin. Nov. 100. c. 2.* Sed Canones habitudinem corporum conſiderant. *c. 3. X. de deſponſ. impub.*

§. 14. *III. Conſentiant libere; l. 2. 21. D. h. t. l. 134. D. de V. O.* & proinde contrahentes non ſint furioſi; *l. 16. §. 2.* D. *h. t.* Abſit *Error Subſtantialis,* arg. *l. 15.* D. *de juriſdict.* in ſexu ſcil. perſona, vel virginitate; v. *Deut. XXII, 21. Matth. I, 19. & ſeqq. l. 11. §. 5. D. de act. emt. Nov. Leon. 93. (Accidentalis* in divitiis ſc. vel forma non nocet;) nec non *Vis* atque *Metus,* qui matrimonium reddit ipſo jure nullum. *l. 21. D. h. t. l. 14. C. h. t. l. 134.* D. *de V. O.*

§. 15. *IV. Ut. ſi in poteſtate parentum ſint, eorum conſenſum habeant. Exod. XXII, 17.* *Deut. VII, 3. 1. Cor. VII, 36. 38. l. 2. 3. 16. §. 1. l. 18. D. h. t. pr. I. h. t.*

§. 16. In tantum, ut patris conſenſus præcedere vel concomitari debeat, *d. pr. I. h. t. l. 5. C. h. t.* adeoque ratihabitio hic non ſufficiat.

§. 17. Si pater furioſus ſit, ut conſentire nequeat, adhibenda eſt auctoritas Curatorum, & Nobiliorum totius familiæ, nec non Magiſtratus vel Epiſcopi loci, *l. 25. C. h. t. l. 28. C. de Epiſc. aud. pr. I. h. t.*

§. 18. Si pater apud hoſtes ſit vel abſit, neque intra triennium revertatur, liberi matrimonium legitime contrahunt; *l. 9. §. 1. l. 10. D. h. t.* quin & aliquando ante triennium: dummodo eam filius ducat uxorem, vel filia tali nubat, cujus conditionem certum ſit patrem non repudiaturum. *l. 11. D. h. t.*

§. 19. Quod ſi parentes ſine cauſa conſentire nolint, & injuria liberos prohibeant ducere uxores, vel nubere, ex L. Julia & Papia & Conſtitutione Divorum Severi & Antonini, per Proconſules, Præſidesque Provinciarum, in *matrimonium* collocare, & dotare coguntur. *l. 19. D. h. t.*

§. 20. Conſenſus autem Matris, & Curatorum, ordinario non eſt neceſſarius. *l. 20. C. l. 20.* D. *h. t.*

§. 21. *V. Non obſit ratio Cognationis, Affinitatis, Honeſtatis, Delicti,* aliave *Civilis.*

§. 22. Ratione *Cognationis,* in *Linea Recta,* prohibentur nuptiæ inter *Parentes* & *Liberos,* in infinitum. *l. 53. D. h. t. §. 1. I. h. t. l. 17. C. h. t. Levit. XVIII, 7. & ſeq.*

§. 23. Et ſi tales perſonæ inter ſe coïerint, nefarias atque inceſtas nuptias contraxiſſe dicuntur. *§. 1. I. h. t. l. 39. §. 1. l. ult.* D. *h. t.*

§. 24. Neque intereſt ex juſtis nuptiis cognatio deſcendat, an non: *l. 54. D. h. t.* ut & ſerviles cognationes nuptiis impedimento ſint; *l. 8. 14. §. 2. D. §. 10. l. h. t.* quoniam in contrahendis matrimoniis naturale jus & pudor inſpiciendus eſt. *d. l. 14. §. 2.*

§. 25.

Google

§. 25. Quin etiam nefas exiſtimatur eam uxorem ducere, quæ per adoptionem filia neptisve eſſe cœperit: in tantum, ut, etſi per emancipationem adoptio diſſoluta ſit, idem juris maneat. *l. 55. pr. D. §. 1. I. h. t.*

§. 26. *In Linea Collaterali Æquali* nuptiæ prohibentur in gradu ſecundo, inter *Fratres & Sorores*, non tantum germanos, ſed & conſanguineos & uterinos: *§. 2. I. l. 17. C. h. t. Lev. XVIII, 9. 11.* non tantum legitimos, ſed & vulgo quæſitos: *l. 54. D. h. t.* imo & adoptivos, quamdiu conſtat adoptio. *l. 17. pr. §. 1. D. d. §. 2. I. h. t.*

§. 27. Inter Conſobrinos & Conſobrinas in gradu quarto, nuptiæ ſunt permiſſæ: *l. 3. D. §. 4. I. l. 19. C. h. t. Num. XXXVI, 11.* junct. *verſ. 6. l. 78.* §. 8. D. *ad SCt. Treb.* licet Jure Can. ſecus ſit. *c. 8. X. de conſang.*

§. 27. *In Linea Collaterali Inæquali* nuptiæ prohibentur inter eas perſonas, quæ ſibi liberorum & parentum loco ſunt. *§. 3. 5. I. l. 39. pr. D. h. t.*

§. 29. *Parentum* autem *loco ſunt*, non quicunque propius contingunt ſtipitem quam alter, ſed ii demum, qui ſtipiti, a quo alter originem trahit, immediate ſubſunt; Patruus ſcil. & Avunculus, Amita & Matertera: quos *Thios* vocat Imp. *N. 118. c. 3. pr.*

§. 30. Hinc nuptiæ ſunt prohibitæ inter *Patruos*, *Avunculos & neptes; Amitas, Materteras* & nepotes; *Lev. XVIII, 12. 13. l. 17. §. ult. l. 39. pr. D. §. 3. 5. I. h. t. l. 17. C. h. t.* ut & ulterius ſequentes. Cujus enim fratris vel ſororis filiam quis ducere non poteſt, ejus neque neptem permittitur. *d. §. 3. I. h. t.*

§. 31. Adeo, ut ne quidem concubinatus inter eas perſonas ſubſiſtere poſſit. *l. 56. D. h. t.*

§. 32. Licet ob errorem juris, aliasque circumſtantias, iis quandoque ignoſcatur; & ſtatus liberorum ex talibus nuptiis procreatorum confirmetur, perinde ac ſi legitime concepti fuiſſent. *l. 57. §. 1.* D. *h. t.* v. Diſſert. *N. IX. ad Conſt. Marci.*

§. 33. Sed & prohibitæ ſunt nuptiæ quædam ob *Cognationem Spiritualem;* inter Suſceptorem ſcil. & eam, quæ ex ſacro baptismate ſuſcepta eſt. *l. 26. C. h. t.*

§. 34. Ratione *Affinitatis* eodem fere gradu prohibentur nuptiæ, quo ratione cognationis: quia Vir & Uxor una ſunt caro. *Gen. II, 24. Matth. XIX, 5. c. 8. X. de conſang.*

§. 35. Hinc illicitæ ſunt nuptiæ inter *Vitricum & Privignam, Socerum & Nurum. l. 14. §. 4. D. §. 6. I. h. t. l. 17. C. h. t. Novercam & Privignum, Socrum & Generum. d. l. 14. §. 4. D. h. t.* §. 7. *I. l. 17. C. h. t. Levit. XVIII, 15. 17. 1. Cor. V, 1.*

§. 36. Ut & inter *Fratrem & Fratris Viduam, Affinem & defunctæ Uxoris Sororem. Levit. XVIII, 16. l. 5. l. pen. l. ult. C. de inceſt. nupt.*

§. 37. Nec non inter *Nepotem & defuncti Patrui Viduam; Levit. XVIII, 14. XX, 24.* eademque ratione, quantum quidem ad jus Divinum attinet, inter *Viduum & defunctæ Uxoris filiam.*

§. 38. Idemque, quod in ſervilibus cognationibus conſtitutum eſt, etiam in ſervilibus affinitatibus ſervandum eſt. *l. 14. §. 3. D. h. t.*

§. 39. Inter privignos autem, cum inter eos neque cognatio ſit, neque affinitas, nuptiæ contrahi poſſunt: etſi fratrem communem ex novo parentium matrimonio ſuſceptum habeant. *l. 34. §. 2. D. §. 8. I. h. t. l. 134. pr. D. de V. O.* Non obſt. *Levit. XVIII, 11.*

§ 40. Unde & Titius filiam Mæviæ ducere, & Mævia filio Titii nubere, & duo viri alter alterius filiam ducere poſſunt: *l. ult. §. 14. D. de grad. & aff.* licet hæ nuptiæ quandam nominum confuſionem pariant.

§. 41. *Ratione Honeſtatis* non licet ducere *quaſi privignam*, i. e. filiam uxoris per divortium dimiſſæ, ex alio procreatam; *quaſi nurum*, i. e. ſponſam filii; *quaſi novercam*, i. e. ſponſam patris; *§. 9. I. h. t. l. 12. §. 1. 2. 3. D. h. t.* intercedit enim Affinitas quaſi quædam imperfecta, & quod non vetat fieri Lex, hoc vetat fieri pudor. *l. 42.* D. *h. t.*

§. 42. *Ratione Delicti* non poteſt quis ducere adulterii ream vel damnatam; *l. 26.* D. *h. t. l. 29. §. 1. D. ad L. Jul. de adult. l. 9. C. eod.* nec de adulterio accuſatus accuſatam; *l. 11. §. 11. D. l. 34. C. ad L. Jul. de adult. N. 134. c. 12.* neque raptor raptam. *l. un. §. 1. in. f. C. de rapt. virg.*

§. 43. *Ratione* denique *Civili* prohibitæ ſunt Nuptiæ: *I.* Inter Senatores vel ampliſſimis dignitatibus præditos, & libertinas, aliasque humiles & abjectas perſonas. *l. 23. 27. 34. in f. l. 42. §. 1. l. 43. §. 10. l. 47. 49. D. l. 3. C. h. t. l. 7. C. de inceſt. & inut. nup.*

§. 44. De quo fragmentum *Legis Juliæ* & *Papiæ* ſupereſt, quod ita habet; „*Qui Senator eſt, quive filius, neposve ex filio, proneposve ex filio nato, cujus* „*eorum eſt, erit; Ne quis eorum ſponſam uxoremve ſciens dolo malo habeto liber-* „*tinam; aut eam, quæ ipſa, cujusve pater materve, artem ludicram facit, fece-* „*rit; Neve ſenatoris filia, neptisve ex filio, proneptisve ex nepote, filio, nato, nata,* „*libertino, eive, qui ipſe, cujusve pater, materve artem ludicram facit, fecerit;* „*ſponſa, nuptave ſciens dolo malo eſto. Neve quis eorum dolo malo ſciens ſponſam* „*uxoremve eam habeto.*„ v. *l. 44. pr. §. 1. & ſeqq. D. h. t.*

§. 45. Quo & ejus, quæ palam corpore quæſtum, vel lenocinium facit vel fecit, mentionem factam eſſe docet Ulp. *Fragm. Tit. 13. §. 1. l. 43. pr. §. 1. & ſeqq. D. h. t.* add. *l. 41. pr.* D. *h. t.*

§. 46. Sed Jus illud *Legis Juliæ* & *Papiæ*, licet per Orationem D. Marci, eamque ſecutum Senatusconſultum, *l. 16.* D. *h. t.* ut & Conſtantinum, *l. 1. C. de nat. lib.* confirmatum ſit, poſtea tamen per Juſtinum in *l. 23. C. h. t.* (ubi in

iuſer.

inſcr. leg. *Juſtinus*) & Juſtinianum in *l. ult. C. h. t.* & *Nov. 78. c. 3.* abrogatum eſt. add. *Auth. Sed novo. C. de nat. lib.*

§. 47. *II.* Prohibitæ ſunt nuptiæ *inter Eum, qui officium in aliqua Provincia adminiſtrat,* & *Provincialem; l. 38. 57.* D. *h. t.* ob rationem potentatus. *l. 63. D. h. t. l. un. C. ſi rect. prov. vel ad eum pertinent. ſponſalit. ded. arrh.*

§. 48. *III.* SCto, Antonini & Commodi temporibus facto, *inter Tutorem ejusque filios & nepotes* & *Pupillam,* nec non *Curatorem* & *Adultam; l. 36. 59. 60. 62. §. 2. l. 64. §. 1. l. 66. 67. D. h. t. t. t. C. de interdict. matr. int. pup. & tut. ſeu curat. filiosque eor.* ne pupillæ in re familiari circumſcribantur ab his, qui rationes eis geſſæ tutelæ vel curæ reddere compelluntur, & rationum redditio intervertatur. *d. l. 64. §. 1. D. h. t.*

§. 49. Niſi pupilla vel adulta a patre tutori vel curatori ejusve filio deſponſa, vel in teſtamento deſtinata ſit. *l. 36. 66. pr. D. h. t.*

§. 50. IV. Inter *Chriſtianos* & *Judæos. l. 6. C. de Judæis.*

§. 51. V. Ob clericatum, & votum caſtitatis; *Nov. 6. c. 1. §. 7. N. 123. c. 12. 14. 29. N. 89. c. 9. l. 44. C. de Ep. & Cler.* licet aliud obtinuerit ſub Conſtantino, *l. 2. §. 4. C. de Ep. & Cler.* & ſecundum Jus Divinum nulli hominum ordini matrimonio interdicendum ſit. Ep. ad *Hebr. XIII, 4. 1. Tim. III, 2.* & *IV, 3.* add. *Nov. Leon. 2. 3.*

§. 52. Benedictio Eccleſiaſtica jure noſtro ad nuptias non requiritur; ſed deinceps a Leone Imp. introducta eſt, *Nov. 89.* & Jure Can. *c. 1. cauſ. 30. q. 5. c. 13. X. de præſ.* ut & moribus fere recepta.

§. 53. *Effectus Nuptiarum* ſeu *Matrimonii* juſti & legitimi, alius eſt *utriusque conjugis communis,* alius *Mariti,* vel *Uxoris proprius.*

§. 54. *Communis utriusque* eſt cohabitatio, conjugalis debiti exhibitio. v. *1. Cor. VII, 3. 4. Geneſ. II, 24.* utriusque fortunæ participatio, *l. 22. §. 7. D. ſol. matr.* ut & bonorum communicatio, quantum ſcil. ad promiſcuum uſum rerum attinet. *l. 1. D. h. t. l. 1.* D. *rer. am. l. 4. C. de crim. expil. hered.*

§. 55. *Specialis* ſeu *proprius ratione Mariti* eſt, *I.* Poteſtas maritalis in uxorem. v. *Geneſ. III, 16. 1. Cor. XI, 3. & XIV, 34. Epheſ. V, 22. 1. Tim. II, 11. 12. Tit. II, 5. 1. Petr. III, 1. & ſeqq.*

§. 56. Quæ ex Lege Romuli maxima fuit, ut, ſi quid uxor peccaſſet, pœnam lueret ex mariti læſi arbitrio; Dion. Hal. *L. II. c. 26.* v. Plin. *L. XIV. c. 13.* Val. Max. *L. VI. c. 3. n. 9.* ſed ſucceſſu temporis imminuta & mitigata eſt.

§. 57. Hinc uxor marito debet obſequium & reverentiam, *l. 14. §. 1. D. ſol. matr. l. un. §. 7. C. de rei ux. act. l. 12. §. 1. C. qui pot. in pign.* nec non operas & auxilium; *l. 48. D. de op. lib.* ſequiturque maritum, tum ratione fori, *l. pen.* D. *de jurisd. l. ult. C. de incol.* tum ratione domicilii: *d. l. ult. l. 5.* D. *h. t. l. 65.*

Digitized by Google

D. de jud. l. 1. §. 15. D. ad SCt. Silan. ut, ſi ille domicilium mutaverit, & ipſa ſequi teneatur.

§. 58. *II.* Poteſtas patria in liberos, quæ ſoli patri non matri competit. v. ſupr. *ad t. de his, qui ſunt ſui vel alien. jur. §. 4. & ſeqq.*

§. 59. *Effectus* autem *ſpecialis ratione Uxoris* in eo maxime conſiſtit, quod maritus uxori alimenta præſtare debeat, *l. 22. §. 8. D. ſol. matr. c. 11. diſt. 31.* eam defendere, *l. 2. D. de injur.* ægrotam & furioſam curare, *d. l. 22. §. 8. D. ſol. matr.* &, ſi dotem non habeat, propriis ſumtibus ſepelire; *l. 16. D. de relig.* ut &, quod non tantum vivo marito, ſed & eo mortuo, quamdiu ad ſecunda vota non tranſit, dignitate mariti gaudeat. *l. 8. D. de Senat. l. 10. C. h. t. l. 13. C. de dign.* v. Diſſert. *N. VIII. de Cauſ. Obl. C. II. §. 3. & ſeqq.*

§. 60. Ad quæ conſequenda, cum non ſemper ſponte præſtentur, *Actio* competit *Extraordinaria*, quæ ex ſola æquitate naſcitur. *d.* Diſſert. *N. VIII. C. II. §. 18. & ſeqq.*

§. 61. Quod ſi vero adverſus præſcripta Legum aliqui coierint, nec vir nec uxor, nec nuptiæ nec matrimonium, nec dos intelligitur, *§. 12. I. h. t.* ſed matrimonium ipſo jure nullum eſt; *l. 5. C. de ll.* adeoque liberi non ſunt in poteſtate patris, ſed pro ſpuriis habentur, *d. §. 12. l. 23. D. de ſtat. hom.* & inſuper pœna arbitraria pro qualitate delicti locum habet. *d. §. 12. l. ult.* D. *h. t. N. 12. c. 1. Auth. Inceſtas nuptias. C. de inceſt. nup.*

§. 62. Sunt autem Nuptiæ vel *Primæ*, vel *Secundæ* ſeu poſteriores, poſt primas contractæ. *t. t.* & *l. 8. C. de ſec. nupt.* junct. *l. 4. pr. C. de bon. quæ lib.*

§. 63. Quæ, priori matrimonio legitime ſoluto, Jure tum Naturali, tum Civili ſunt licitæ. v. *Geneſ. XXV, 1. 1. Sam. XXV, 42. Rom. VII, 1. 2. 1. Cor. VII, 39. 1. Tim. V, 14. Matth. XXII, 25. & ſeqq. t. t. C. de ſec. nupt. l. 4. pr. C. de bon. quæ lib.*

§. 64. Non tamen ſimpliciter & indiſtincte, ſtatim ab omnibus contrahi poſſunt.

§. 65. Vidua enim intra annum luctus alteri nubere nequit, ſed maritum, tum propter ſanguinis turbationem, *l. 11. §. 2. D. de his qui not. infam.* tum propter reverentiam marito debitam, *l. 1. 2. C. de ſec. nupt. l. 4. C. ad SCt. Tertull. l. 14. §. 1. D. ſol. matr.* jure novo per integrum annum lugere debet. *l. 2. C. de ſec. nupt.* v. ſupr. *ad t. de his qui not. infam. §. 14. & ſeqq.*

§. 66. Si contra fecerit, & intra annum luctus alii nupſerit, ſi quidem ſui juris fuerit, *I.* Infamia notatur, *l. 1. pr. D. de his qui not. inf. l. 1. 2. C. de ſec. nupt. N. 22. c. 22.*

II. Secundo viro ultra tertiam partem bonorum in dotem dare nequit. *l. 1. C. de ſec. nupt. d. N. 22. c. 22.*

III. Neque ei teſtamento plus quam tertiam partem relinquere. *d. l. 1. d. N. 22. c. 22.*

IV. Omni-

IV. Omnium hereditatum, legatorum, fideicommiſſorum, ſuprema voluntate relictorum, ut & donationis mortis cauſa, expers eſt. *d. l. 1. d. N. 22. c. 22.*

V. Amittit, quæ prior maritus ei ſuprema voluntate reliquit, *d. l. 1.* vel ipſa jure ſponſalium acquiſivit. *l. 2. C. eod. d. N. 22. c. 22.*

VI. Neque hereditates ab inteſtato, vel legitimas, vel honorarias, ultra tertium gradum vindicare permittitur. *d. l. 1. C. de ſec. nupt. d. N. 22. c. 22.*

§. 67. Quæ pœnæ etiam locum habent, ſi mulier intra annum luctus ſtuprum paſſa peperit; modo indubitati juris ſit, partum ex priori marito non eſſe conceptum: qualis cenſetur undecimo menſe poſt mortem mariti editus. *Nov. 39. c. 2. Auth. Eisdem. C. de ſec. nupt. Auth. Quod hodie. C. de repud.*

§. 68. Sed & ſi viduus quandocunque, vel vidua poſt annum luctus ſecundas nuptias contrahat, beneficia quædam in favorem liberorum prioris matrimonii introducta ſunt, quæ minus accurate *pœnæ ſecundarum nuptiarum* dici ſolent.

§. 69. Secundas enim nuptias contrahens, ſive vir, ſive mulier, *I.* Amittit non ſolum proprietatem rerum a priore conjuge ſibi relictarum, ſive illæ donatæ ſint propter nuptias, ſive mortis cauſa, ſive ſimplici donatione inter vivos; ſed etiam earum rerum, quæ ex ſucceſſione liberorum ſibi acquiſivit: *l. 3. §. 1. C. de ſec. nupt. Auth. Ex teſtamento. C. eod.* ſolo uſufructu apud eum remanente. *d. l. 3. C. de ſec. nupt. Nov. 22. c. 32.*

§. 70. *II.* Non poteſt ex bonis ſuis, ullo titulo, ſive inter vivos, ſive per ultimam voluntatem, plus relinquere novo conjugi, quam in unum ex liberis prioris matrimonii contulit, cui minimum relictum eſt. *l. 6. C. de ſec. nupt. N. 2. c. 3. N. 22. c. 27.*

§. 71. Quod ultra datum eſt, ſecundo conjugi aufertur, & ex æquo inter liberos prioris matrimonii, non etiam poſterioris, dividitur. *Nov. 22. c. 25.* Abrogata *l. 9. C. de ſec. nupt.*

§. 72. *III.* Amittit bona ſub conditione viduitatis relicta. *Nov. 22. c. 43. Auth. Cui relictum. C. de indict. vid. toll.* Quo *c. 43.* derogatur *l. pen. & ult. C. h. t.*

§. 73. *IV.* Conjux heres inſtitutus, & legato conditionali in gratiam liberorum prioris matrimonii oneratus, cautionem legatorum ſervandorum cauſa præſtare tenetur; *Nov. 22. c. 41. l. 6. §. 1. C. ad SCt. Treb.* quæ cæteroquin a patre exigi nequit. *l. 7. D. ut legator. ſeu fideic. ſervand. cauſ. cav.*

§. 74. *V.* Quod mater dedit filio, per occaſionem ingratitudinis nequit revocare. *Nov. 22. c. 35. l. 7. C. de rev. don.*

§. 75. Non enim ex pura videtur voluntate ingratitudinem introducere, ſed ſecundas nuptias conſiderans ad hanc veniſſe cogitationem putabitur. *d. N. 22. c. 35.*

§. 76. Niſi tamen aperte filius aut circa vitam ipſam inſidians matri, aut manus inferens impias, aut circa ſubſtantiæ totius ablationem agens adverſus eam aliquid declaretur. *d. N. 22. c. 35.*

§. 77. *VI.* Mater amittit tutelam, *N. 22. c. 40. N. 94. c. 3. Auth. Sacramenta, C. quand. mul. off. tut.* & educationem liberorum. *N. 22. c. 38. l. 1. C. ubi pup. educ. deb.*

§. 78. Ut & *VII.* Dignitatem & privilegia prioris mariti. *l. 10. C. h. t. Nov. 22. c. 36. l. 22 §. 1. D. ad mun. l. 8. D. de Sen.*

§. 79. Quæ tamen beneficia ceſſant. *I.* Si omnes liberi ſpecialiter iis renunciaverint. *l. pen. C. de pact. l. 41. D. de min. l. 69. D. de R. J.*

II. Si nulli liberi ex priori matrimonio extent. *l. 3. C. de ſec. nupt. Nov. 22. c. 22. & 25.*

§. 80. Non etiam, ſi conjux defunctus, vel liberi prioris matrimonii, in ſecundas nuptias ſuperſtitis conjugis, vel parentis ſui, conſentiant.

TITULUS III.

DE JURE DOTIUM. C. V. 12.

§. 1.

Nuptiis ſive Matrimonio ſolet accedere, *Dos*, quæ ſine matrimonio eſſe non poteſt. *l. 3. & 39. in f.* D. *h. t.*

§. 2. *Dos* eſt *bonorum quantitas*, ſeu *id*, *quod a muliere datur marito*, *ad ſuſtinenda onera matrimonii. l. 7. pr. l. 56. §. 1. l. 76. D. l. 20. C. h. t. l. 21. §. 1. D. de don. int. vir. & ux.*

§. 3. Dividitur *I.* In *Profectitiam*, & *Adventitiam*. Ulp. *Frag. T. VI. §. 3. l. 5. pr. §. 9. 11.* D. *h. t.*

§. 4. *Dos Profectitia* eſt, *quæ a patre vel parente profecta eſt, de bonis vel facto ejus.* Ulp. *d. l. 5. pr. D. h. t.*

§. 5. Sive ipſe Parens dederit, ſive Procurator ejus, ſive juſſu vel contemplatione ejus alius, nihil intereſt. *d. l. 1. §. 5. & ſeqq.* D. *h. t.*

§. 6. Non etiam intereſt, an pater pro filia *ſua* dotem dederit, an pro *emancipata?* quia non jus poteſtatis, ſed parentis nomen dotem *profectitiam* facit, ſi ſcil. ut parens dederit. *d. l. 5. §. 11. D. h. t.*

§. 7. *Adventitia* eſt, *quam ipſa mulier, vel extraneus pro ea dat.* Ulp. *d. l. d. l. 5. §. 9. 11.* D. *h. t.*

§. 8. *II.* In *Voluntariam*, & *Neceſſariam.*

§. 9. *Voluntaria* eſt, *quam mater, aliusve dat pro lubitu.*

§. 10. *Neceſſaria*, quam *Lex imperat, & pater dare cogitur. l. 19. in f. D. de R. N. l. ult. C. de dot. promiſſ.*

§. 11. *III.* In *Promiſſam* & *Conſtitutam t. t. C. de dot. promiſſ. & nud. pollicit.*

§. 12. *Promiſſa* eſt, *quam præſtari placuit, ſed nondum præſtita vel tradita eſt. l. 1. & 6. C. de dot. promiſſ.*

§. 13.

§. 13. *Conſtituta, cum poſſeſſio tradita eſt. l. 5. D. ſol. matr. l. 13. §. 2. D. de fund. dot. l. 1. C. de dot. caut. non num.*

§. 14. IV. In *Cautam, & Numeratam. t. t. C. de dot. caut non numerat.*

§. 15. *Dos Cauta* eſt, *quam maritus, ſpe futuræ numerationis, inſtrumento ſe accepiſſe fatetur. l. 1. 2. C. de dot. caut. non num.*

§. 16. Cui opponitur *Exceptio non numeratæ dotis. l. f. & Auth. ſeq. C. eod.* Quæ, ſi matrimonium intra biennium ſolutum fuerit, a marito vel ejus herede, intra annum opponenda eſt; ſi autem ſolutum fuerit poſt biennium, usque ad annum decimum, intra tres menſes opponi debet: ſi vero poſt decennium ſolvatur matrimonium, plane opponi nequit, niſi maritus ſit minorennis, qui adverſus lapſum temporis reſtitui debet. *d. l. fin. & Auth. ſeq. C. de dot. caut. non num.*

§. 17. *Numerata* eſt, *quæ re ipſa data & annumerata eſt. l. 1. 3. C. de dot. caut. non num.*

§. 18. *V.* In *Æſtimatam, & Inæſtimatam. l. 10. §. 4. & ſeqq. D. l. 5. 10. C. h. t.*

§. 19. *Dos Æſtimata* eſt, *cum res æſtimatæ in dotem dantur. dd. ll.*

§. 20. Eaque æſtimatio vel *Venditionis cauſa* ſit, vel *Taxationis.*

§. 21. *Æſtimatio Venditionis cauſa* facta dicitur, cum res ad valorem juſti pretii exacta ita datur, ut maritus ſoluto matrimonio non ipſam rem reſtituere cogatur, ſed præſtando dictum pretium ſeu æſtimationem ſatisfacere poſſit. *d. l. 10. §. 4. & ſeqq. l. 17. §. 1. D. l. 10. C. h. t.*

§. 22. *Taxationis* vero cauſa, cum ſoluto matrimonio res ipſæ æſtimatæ reſtituendæ ſunt, & certi pretii ideo fit mentio, ut conſtet, quanti res ſit, & ne, ſi ſpecies aliqua deminuta vel perdita ſit, alio pretio, quam quo taxata fuerat, repoſci queat. *l. 69. §. 7. D. l. 21. C. h. t. l. 50. D. ſol. matr.*

§. 23. D*otem dare poſſunt* quicunque volunt, ſed Pater cogitur; nam Legibus cautum eſt, omnino paternum eſſe officium, dotem vel ante nuptias donationem pro ſua dare progenie. *l. 19. D. de R. N. l. ult. C. de dot. promiſſ.*

§. 24. An filia ſua ſit & in poteſtate, an emancipata; an egena, an locuples, nihil intereſt. *d. l. ult. C. de dot. promiſſ.* licet liberis locupletibus alimenta præſtare pater non teneatur. *l. 5. §. 7. D. de agn. & al. lib.*

§. 25. Dummodo filia ſit juſto matrimonio quæſita, non naturalis ſeu illegitime nata; v. *l. 41. §. 11. D. de leg. 3. d. l. ult. C. de dot. promiſſ.* neque indigna aut ingrata, arg. *l. 3. §. 5. D. de bon. poſſ. contr. tab. N. 115. c. 3. §. 11.*

§. 26. Mater pro filia dotem dare non cogitur: niſi ex magna & probabili cauſa, veluti, ſi pater forte inops ſit; vel lege ſpecialiter expreſſa, *l. 14. C. h. t.* veluti, ſi mater ſit hæretica, quæ una cum patre dotes pro filiabus & neptibus orthodoxis dare tenetur. *l. 19. §. 1. Auth. Gazaros. C. de hæret. & manich.*

§. 27.

Digitized by Google

§. 27. Neque ad id obſtringitur frater vel ſoror, arg, *l. 12. §. pen. l. 13. §. f. D. de admin. tut. l. 1. §. 2. D. de tut. & rat. diſtr.*

§. 28. *In dotem dari poſſunt* res omnes, quæ ſunt in rerum natura & hominum commercio: ſive illæ corporales ſint, ſive incorporales, veluti nomina, *l. 2. C. de O. & A. l. 77. D. h. t.* & uſusfructus; *l. 7. §. 2. l. 66.* D. *h. t.* ſive mobiles, ſive immobiles. *l. 42. D. h. t. l. 7. §. 12. D. ſol. matr. t. t. D. & C. de fund. dot.*

§. 29. Quantitas autem dotis fere ex facultatibus & dignitate patris, vel mulieris, nec non mariti, ſtatuitur. *l. 69. §. 4. l. 60. D. h. t.*

§. 30. Unde & *Generalis* dotis promiſſio, non expreſſa quantitate, a patre facta valet; *d. l. 69. §. 4.* D. *h. t. l. 47. D. de leg. 3.* non vero ab extraneo: *l. 1. C. de dot. promiſ.* niſi promiſerit, *quodcunque arbitratus fuiſſet*, quo caſu boni viri arbitrium ſtipulationi inſertum videtur. *l. 3. C. de dot. prom.*

§. 31. Plane, ſi velit fœmina univerſa bona marito in dotem dare, nulla lege prohibetur. *l. 4. C. l. 72. D. h. t.*

§ 32. Quo tamen caſu, ſi læſa vel circumventa eſt, in integrum reſtitui poteſt. *l. 6. §. ult. l. 61. D. h t. l. 9. §. 1. D. de min. l. 1. C. ſi adv. dot.*

§. 33 Conſtituitur vero dos per traditionem, cum poſſeſſio marito traditur. *l. 5. in f.* D. *ſol. matr. l. 13. §. 2. D. de fund. dot.*

§. 34. *Effectus dotis promiſſæ* eſt, quod marito contra promiſſorem, ad dotem promiſſam præſtandam, vel *Actio ex Stipulatu* competat, vel *Condictio ex Lege. l. un. §. 1. C. de rei ux act. l. 6. C. de dot. prom.* add. Caj. *Inſt. L. III. T. II. §. 1.*

§. 35. Ita tamen, ut ſocer gaudeat beneficio competentiæ *l. pen. D. h. t. l. 17. D. ſol. matr. l. 21. 22. D. de re jud.*

§. 36. *Conſtitutæ* vero, quod res dotalis tranſeat in dominium mariti, qui conſtante matrimonio dotis eſt dominus. *l. 7. §. 3.* D. *l. 3. 23. C. h. t. l. 13. §. 2. D. de fund. dot. pr. I. quib. alien. lic. l. 9. C. de R. V.*

§. 37. Quin & in perpetuum dominus manet, ſi res venditionis cauſa æſtimata in dotem data ſit. *l. 10. pr. §. 1. 5. l. 17. §. 1. D. l. 5. 10. C. h. t.*

§. 38. Unde Maritus fructus, tum naturales, tum civiles, ex re dotali, conſtante matrimonio, perceptos lucratur. *l. 7. pr. §. 1. l. 10. §. 3. D. l. 20. C. h. t.*

§. 39. Non etiam alias acceſſiones, quæ fructuum nomine non veniunt, veluti partum ancillæ, *l. 10. §. 2.* D. *h. t.* & theſaurum; *l. 7. §. 12. D. ſol. matr.* quæ marito tanquam domino quidem acquiruntur, & dotem augent, ſed ſoluto matrimonio una cum dote reſtitui debent. *d. l. 10. §. 2. D. h. t. l. 7. §. 12. D. ſol. matr.*

§. 40. Cumque maritus ſua cauſa dotem accipiat, in re dotali dolum & culpam

pam præſtare debet; *l. 17. pr. D. h. t. l. 18. §. 1. D. de ſol. matr.* nec non ſtipendia & tributa, quæ fructuum ſunt onera. *l. 13. D. de imp. in res dot. fact.*

§. 41. Quod ſi dos æſtimata venditionis cauſa evicta ſit, *Actioni de Evictione* locus eſt; *l. 1. C. h. t.* quia talis dotis conſtitutio venditionis vicem obtinet. arg. *l. 4. C. de evict.*

§. 42. Si vero dos inæſtimata evicta ſit, non item; niſi evictio a ſocero vel muliere promiſſa ſit, vel dolus dantis interceſſerit. *l. 1. C. h. t.*

TITULUS IV.

De Pactis Dotalibus.

C. IV. 14.

§. 1.

Et hæc quidem ita ſeſe habent, niſi dotis dationi ſingularia *Pacta* adjecta ſint, quæ legem dant doti, & ſervanda ſunt. *l. 1. C. de pact. conv. tam. ſup. dot. l. 10. C. de pact. l. 48. D. eod.*

§. 2. Niſi *I. Bonis moribus ſint contraria:* quale eſt *Pactum, Ne de moribus agatur; l. 5. pr. D. h. t. Ne ob res donatas*, vel *amotas agatur:* quia altero pacto ad furandum mulieres invitantur, altero jus civile impugnatur; *d. l. 5. §. 1. Ne dolus præſtetur; l. 27. §. 3. D. de pact. l. 23. D. de R. J.* nec non *Pactum de futura ſucceſſione conjugum. l. 5. C. de pact. conv. l. ult. D. de ſuis & legit. her. l. 15. C. de pact.*

§. 3. *II. Contraria ſint ipſius dotis naturæ:* quale eſt *Pactum, Ut fructus in dotem convertatur*, vel *maritus fructus reddat; l. 4 D. h. t.* &, *Ne ob impenſas neceſſarias agatur:* quia tales impenſæ dotem ipſo jure minuunt. *l. 5. §. 2. D. h. t.*

§. 4. *III. Cauſam dotis reddant deteriorem; l. 17. D. h. t.* vel *Mulierem indotatam faciant:* arg. *l. 2. D. de jur. dot.* quale eſt *Pactum, Ut minus exigatur, quam maritus accepit; l. 5. pr. D. h. t. Ut maritus dolum ſolummodo, non culpam præſtet; l. 6. D. h. t. Ut maritus dotem reddat die ulteriori; l. 14. 15. 16. 17. D. h. t.* nec non, *Ut dos ad defuncti mariti heredes devolvatur, neque uxori reſtituatur. l. 2. D. h. t.*

§. 5. Sed & illicitum eſt *Pactum* ratione mariti, ſi convenerit, *Ut a marito fidejuſſores dotis dentur; t. t. C. ne fidej. dot. dent.* quia, cui ſe ipſam credit mulier, & marito dotem credere debet. *l. 2. C. ne fidej. dot. dent. l. 8. C. de pact. conv.*

§. 6. *Effectus Pactorum licitorum* eſt, quod & exceptionem producant, & actionem: *l. 1. C. de pact. conv.* & quidem ratione uxoris, & per virilem ſexum aſcendentium, *Actionem ex Stipulatu; l. un. §. 1. 13. C. de rei ux. act.* reſpectu

 extranei

Digitized by Google

extranei autem, vel *Actionem ex Stipulatu*, ſi ſtipulatio interceſſerit, vel *Praeſcriptis verbis*, ſi ſtipulatio non interceſſerit. *l. 6. C. de jur. dot.*

§. 7. Diſſolvuntur vero *Pacta dotalia*, uti aliæ conventiones, ſolo contrario paciſcentium conſenſu. *l. 58. D. de pact. l. 5. C. de O. & A. l. 35. D. de R. J.*

TITULUS V.

De Fundo Dotali. C. V. 23.

§. 1.

Licet autem maritus rei dotalis fiat dominus, *l. 13. §. 2. D. h. t.* & dominii fructus ſit alienatio, *l. 21. C. mand. l. 72. D. de R. J.* Fundum tamen dotalem alienare nequit, propter *Legem Juliam de adulteriis*, per quam dotale prædium maritus alienare prohibetur. Paul. *II. Sent. T. XXI. §. 2. pr. I. quib. alien. lic.*

§. 2. Quæ inter alia tale caput habuiſſe videtur: *Fundum Italicum dotalem maritus invita muliere ne alienato; neve conſentiente ea obligato.* arg. *l. un. §. 15. C. de rei ux. act. Rubr. D. & C. de fund. dot.* Paul. *d. l.*

§. 3. Loquitur *Lex Julia* de *Fundo*, ſeu prædio; *l. 4.* D. *l. 1. C. h. t.* non etiam de rebus mobilibus, quas marito, ſi quidem ſolvendo ſit, *l. 1. C. de ſerv. pign. dot. man.* alienare licet. *l. 3. §. 2. D. de ſuis & legit her. l. 3. C. de jur. dot. l. 1. l. ult. C. de ſerv. pign. dat. man. l. 42. D. de jur. dot.*

§. 4. Et quidem de *Fundo Italico:* ſed Juſtinianus Imp. differentiam inter *prædia Italica & Provincialia* ſuſtulit. *l. un. §. 15. C. de rei uxor. act. pr. I. quib. alien. lic.* add. *l. un. C. de uſuc. transform. §. 40. I. de R.* D.

§. 5. Ut adeo jure novo non interſit, an fundus dotalis *Italicus* ſit, an *Provincialis; d. l. un. §. 15. de pr. I. quib. alien. lic.* an prædium ruſticum, an urbanum. *l. 13. pr.* D. *h. t.*

§ 6. Prohibet autem, *Ne maritus fundum dotalem invita muliere alienet, vel conſentiente ea pignori obliget; l. un. §. 15. C. de R. U. A. pr. I. quib. alien lic.* quod iterum mutavit Imp. Juſtinianus, ut non tantum invita muliere non poſſit alienare vel pignori obligare, ſed ne quidem ea conſentiente poſſit vel alienare vel pignori obligare. *d. l. un. §. 15. C. de R. U. A. pr. I. quib. alien. lic.* Ne muliebris ſexus fragilitas in perniciem ſubſtantiæ earum convertatur; *d. pr. I. quib. alien. lic.* dum uxor, vel mariti reverentia, vel amore, rerum ſuarum alienationi facile dat conſenſum.

§. 7. Quæ prohibitio etiam ad ſponſum extenditur. *l. 4. D. h. t.*

§. 8. Si contra factum fuerit, alienatio nulla eſt, *l. 42. D. de uſucap. l. 5. C. de ll.* fundumque alienatum mulier ſoluto matrimonio, vi dominii ad eam reverſi vindicare poteſt. *l. 30. C. de jur. dot.*

§. 9.

Digitized by Google

§. 9. *Ceſſat* autem *Lex Julia I.* Si fundus ſeu prædium dotale Venditionis cauſa æſtimatum in dotem datum ſit, *l. 10. §. 4. D. l. 5. 10. C. de jur. dot.*

II. Si alienatio non ſit voluntaria, ſed neceſſaria. *l. 1. pr. D. l. 2. C. h. t.*

III. Si alienatio in utilitatem uxoris facta ſit. *l. 26. l. ult. D. de jur. dot.*

§. 10. Quin & alienatio nulliter facta quandoque convaleſcit, ſi ſcil. dos lucro mariti ceſſit, ejusque dominus maritus factus ſit irrevocabiliter. *l. pen. D. h. t. l. 42. D. de uſuc.*

* *

LIBER XXIV. TITULUS I.

De Donationibus Inter Virum Et Uxorem.

C. V. 16.

§. 1.

Cum autem *Dos* detur ad ſuſtinenda onera matrimonii, *l. 7. pr. l. 76.* D. *l. 20. C. de jur. dot. l. 21. §. 1. D. h. t.* etiam conſtante matrimonio conſtitui poteſt; *§. 3. I. de don.* ſed aliæ *Donationes* inter *Virum & Uxorem*, conſtante matrimonio, ſunt prohibitæ. *l. 1. 2. pr.* D. *h. t.*

§. 2. Et primum quidem moribus receptum, ne inter *Virum & Uxorem* donationes valerent. *l. 1.* D. *h. t.* Ulp. *Fragm. T. VII.* Paul. *L. II. Sent. T. XXIII.* Ne mutuato amore invicem ſpoliarentur, donationibus non temperantes, ſed profuſa erga ſe facilitate; nec eſſet eis ſtudium liberos potius educendi: ut &, quia ſæpe futurum eſſet, ut diſcuterentur matrimonia, ſi non donaret is, qui poſſet; atque ea ratione eventurum, ut venalicia eſſent matrimonia. *l. 1. 2.* D. *h. t.*

§. 3. Quod poſtea in jus abiit, & Oratione Antonini (Caracallæ ſcil.) Auguſti confirmatum eſt; cujus fragmentum exhibet Ulp. in *l. 3. pr.* D. *h. t.* quod ita habet: „*Majores noſtri inter Virum & Uxorem Donationes prohibuerunt,* „*amorem honeſtum ſolis animis æſtimantes, famæ etiam conjunctorum conſulentes,* „*ne concordia pretio conciliari* videretur, (ſic leg.) *neve melior in paupertatem* „*incideret, deterior ditior fieret.*„

§. 4. Prohibentur itaque inter *Virum & Uxorem Donationes;* non etiam Emtio Venditio, ſimilesve contractus: niſi in fraudem SCti aliquid factum ſit. *l. 5. §. 5. l. 7. §. 6. l. 31. §. 3. l. 52. D. h. t.*

§. 5. Prohibentur ſibi donare *Vir & Uxor*, ſeu conjuges, omnesque, qui in ejusdem poteſtate ſunt. *l. 3. §. 1. 2. & ſeqq.* D. *h. t.* Ad Sponſum & Sponſam vero hæc prohibitio non pertinet. *l. 5. 27. 65.* D. *h. t.*

§. 6. Sive per ſe donent, *l. 3. §. 9. D. h. t.* ſive per interpoſitam perſonam, & brevis manus fictionem, nihil intereſt, *l. 3. §. 12. 13. l. 4. 5. D. h. t.*

§. 7. Generaliter enim tenendum eſt, id, quod inter ipſos conjuges, aut qui ad eos pertinent, aut per interpoſitas perſonas agitur, non valere. *l. 5. §. 2. & ſeqq. D. h. t.*

§. 8. Et ita quidem inter *Virum & Uxorem* interdicta eſt Donatio, ut ipſo jure nihil valeat, quod actum eſt, & id, quod inter eos donationis cauſa geritur, nullius momenti ſit. *l. 3. §. 10. D. h. t.*

§. 9. Unde & revocatur donum ab eo, cui donatum eſt: ut, ſi quidem extet, res vindicetur; ſi vero conſumpta ſit, condicatur, quatenus locupletior factus eſt. *l. 5. §. 18. l. 6. D. h. t.* Qua in re tempus litis conteſtatæ ſpectandum eſt. *l. 7. pr. D. h. t.*

§. 10. Non tamen omnes *Donationes* prohibentur, ſed illæ demum, *quæ donantem pauperiorem, accipientem* vero *faciunt locupletiorem. l. 5. §. 8. 16. D. h. t.*

§. 11. Hinc *Valet Donatio, I.* Si maritus heres inſtitutus repudiet hereditatem donationis cauſa; neque enim pauperior fit, qui non acquirit, ſed qui de patrimonio ſuo depoſuit. *l. 5. §. 13. D. h. t.*

II. Si legatum repudiet. *l. 5. §. 14. D. h. t.*

III. Si rogatus uxori reſtituere, integrum fideicommiſſum, ſine ulla deductione, reſtituat. Quia magis pleniore officio fidei præſtandæ functus maritus, quam donaſſe videtur; nec de *ſuo* proficiſcitur, quod de alieno plenius reſtituunt, voluntatem defuncti ſecuti. *l. 5. §. 15. D. h. t.*

IV. Si res aliena donata ſit. *l. 25. D. h. t.*

V. Si Donatio ſepulturæ cauſa facta ſit. *l. 5. §. 8. 9. 10. 11. D. h. t.*

VI. Si maritus ad Oblationem Dei uxori donavit; vel locum, in quo opus publicum, quod promiſerat facere; vel ædem publicam dedicaret. *l. 5. §. 12. D. h. t.*

VII. Si mulier acceptam a marito pecuniam in ſportulas pro cognato ſuo erogaverit. *l. 5. §. 17. D. h. t.*

VIII. Si maritus pecuniam uxori in unguenta, vel ſimilia dederit. *l. 7. §. 1. l. 31. §. 9. D. h. t.*

IX. Si Vir & Uxor tantumdem ſibi donaverint. *l. 7. §. 2. l. 32. §. 14. D. h. t.*

Quibus poſterioribus caſibus donatarii non fiunt locupletiores. *dd. ll.*

§. 12. Sed & *X. admiſſa* eſt *Donatio* inter *Virum & Uxorem*: Si vir uxori ad refectionem ædium donaverit. *l. 14. D. l. 21. C. h. t.*

XI. Si honoris cauſa, puta adipiſcendæ dignitatis gratia, ab uxore Donatio facta ſit. Ulp. *T. VII. §. 1. l. 40. 41. 42. D. h. t.*

XII. Si

XII. Si vir uxori Kalendis Marrtiis, aut natali die, modicum munus dederit. *l. 31. §. 8. D. l. 21. C. h. t.* add. *l. 1. §. 1. l. 7. §. 1. D. ad L. Jul. repet.*

XIII. Si uſuræ ex ſorte donata, fructus ex fundo donato percepti ſint; *l. 15. §. 1. l. 16. 17. D. h. t.* impenſæ in itinere præſtitæ, *l. 21. pr. D. h. t.* vel in doctrinam ſervorum factæ, *l 28.* §. *1. D. h. t.* vel operæ ſervorum, ſimiliave minoris momenti conceſſa ſint: *l. 28. §. 2. D. h. t.* non enim amare, nec tanquam inter infeſtos, jus prohibitæ Donationis tractandum eſt, ſed ut inter conjunctos maximo affectu, & ſolam inopiam timentes. *d. l. 28. §. 2.*

XIV. Si manumiſſionis cauſa facta ſit. Paul. *L. II. Sent. T. XXIII. §. 2. l. 7.* §. *ult. l. 8. D. l. 22. C. h. t.*

XV. Si ſit donatio mortis cauſa; quia in hoc tempus excurrit donationis eventus, quo vir & uxor eſſe deſinunt. *l. 9. §. 2 l. 10. 11. pr. §. 1. & ſeqq. D. h. t.*

XVI. Si fiat exilii cauſa. *l. 43. D. h. t.*

XVII. Si divortii cauſa, *l. 60.* §. *1. D. h. t.* vel poſt divortium facta ſit. *l. 64.* D. *h. t.*

XVIII. Si ab Imperatore Reginæ conjugi, vel vice verſa facta ſit. *l. 26. C. h. t.*

XIX. Si morte donatoris confirmata ſit. *l. 32. §. 1. 2. D. h. t.*

§. 13. Idem enim Imperator Antoninus Caracalla, ante exceſſum Divi Severi patris ſui, (qui etiam jam ea de re caverat, *v. l 23. D. h. t.*) auctor fuit Senatui cenſendi, Fulvio Æmiliano & Nummio Albino Conſulibus, A. U. C. 959. Poſt N. C. 206. ut aliquid laxaret ex juris rigore. *l. 32. pr. D. h. t.*

§. 14. Quæ Oratio ſeu SCtum *de Confirmandis Donationibus* non ſolum ad ea pertinet, quæ nomine uxoris a viro comparata ſunt, ſed ad omnes donationes inter virum & uxorem factas; ut & ipſo jure res fiant ejus, cui donatæ ſunt, & Obligatio ſit civilis. *d. l. 32. §. 1. 2. 3. l. 33. pr. D. h. t.*

§. 15. Ait autem Oratio: „*Fas eſſe, eum quidem, qui donavit, pœnitere, heredem vero eripere, forſitan adverſus voluntatem ſupremam ejus, qui donaverit, durum & avarum eſſe.*„ *l. 32. §. 2.* D. *h. t.*

§. 16. *Pœnitentiam* accipere debemus ſupremam; proinde, ſi uxori donavit, deinde eum pœnituit, mox deſiit pœnitere, dicendum eſt Donationem valere: ut ſupremum ejus ſpectemus judicium. Quemadmodum circa fideicommiſſa, ſolemus, vel in legatis cum de doli exceptione tractamus; ut ſit ambulatoria voluntas ejus usque ad vitæ ſupremum exitum. *l. 32. §. 3. D. h. t.*

§. 17. Sed ubi ſemel donatorem pœnituit, etiam heredi revocandi poteſtatem tribuimus, ſi appareat defunctum evidenter revocaſſe voluntatem. Quod ſi in obſcuro ſit, proclivior eſſe debet judex ad comprobandam Donationem. *d. l. 32. §. 4. D. h. t.*

§. 18. Adjectum etiam fuit in Oratione: „*Si prior vita deceſſerit, qui do-* „*natum accepit.*„ Adeoque, ſi ante mors contigerit ei, cui donatum eſt, nullius momenti donationem eſſe voluit. *l. 32. §. 14. D. h. t.*

§. 19. Non ſolum autem *Virum* & *Uxorem* complectitur, ſed etiam cæteros, qui propter matrimonium donare prohibentur. *d. l. 32. §. 16. & ſeqq.* D. *h. t.*

§. 20. Dummodo, ſi talis donatio D. aureos excedat, Actis inſinuetur, vel per ſupremam voluntatem ſpecialiter confirmetur. *l. 25. C. h. t.* junct. *l. 36. §. ult. C. §. 2. I. de don. N. 162. c. 1. §. 1. 2.*

§. 21. Permiſſa denique etiam inter conjuges eſt *Donatio Propter nuptias. §. 3. I. de don.*

§. 22. Quæ eſt *Donatio, quam maritus facit uxori, vel ſponſus ſponſæ, in ſecuritatem dotis. d. §. 3. I. de don.*

§. 23. Olim vocabatur *Donatio ante nuptias*, & tacitam in ſe conditionem habebat, ut tum rata eſſet, cum matrimonium eſſet inſecutum. *d. §. 3.*

§. 24. Cum vero D. Juſtinus permiſiſſet, eam etiam poſt nuptias augeri poſſe, Imp. Juſtinianus ulterius conſtituit, ut tales donationes non augeantur tantum, ſed etiam conſtante matrimonio initium accipiant, & non *Ante*, ſed *Propter nuptias* vocentur; *d. §. 3. l. ult. C. de don. ant. nupt.* dotique tum quoad quantitatem, tum quoad pacta reſpondeant. *d. l. ult. C. de don. ant. nupt. Nov. 97.*

§. 25. Rerum autem ſic donatarum mulier conſtante matrimonio non eſt domina, neque fructus ex iis percipit, ſed habet in iis tantum jus pignoris. *l. 29. C. de jur. dot. N. 61. c. 1. pr. c. f. x. h. t.*

TITULUS II.

De Divortiis, Et Repudiis. C. V. 17.

De Divortiis.

§. 1.

Et hæc fere jura ſunt *conſtantis Matrimonii:* ſequuntur ea, quæ *ſoluto Matrimonio* locum habent.

§. 2. *Dirimitur* autem *Matrimonium Divortio, Morte, Captivitate*, vel alia contingente *Servitute* utrius eorum. *l. 1. D. h. t.*

§. 3. *I. Matrimonium* ordinario *ſolvitur Morte* naturali alterutrius conjugum. *d. l. 1. D. h. t. N. 22. c. 20. Ep. ad Rom. VII, 2. 3. 1. Cor. VII, 39.*

§. 4. Adeo, ut Viro ſuperſtiti pro lubitu, arg. *l. 9. D. de his qui not. infam.* fœminæ poſt annum ductus, ad ſecunda vota tranſire liceat. v. *l. 11. §. 3. D. de his qui not. infam. l. 1. 2. C. de ſec. nupt.* v. ſupr. *ad t. de R. N. §. 63. 65.*

§. 5. *II. Solvitur Matrimonium Captivitate*, ſi alteruter in hoſtium poteſtatem

tem venerit; *l. 1. D. h. t. l. 10. & 56. D. ſol. matr. l. 12. §. 4. D. de capt. & poſtl. rev.* adeo, ut matrimonium nec jure poſtliminii redintegretur, niſi novus intercedat conſenſus matrimonialis. *l. 8. 14. §. 1. D. de capt. & poſtl. rev.*

§. 6. Ei tamen, qui in civitate manſit, ſecundis nuptiis, altero vivente, interdicitur, ſi conſtet captivum vivere. Sin autem in incerto ſit, an vivus apud hoſtes teneatur, vel morte præventus, tunc, ſi quinquennium a tempore captivitatis exceſſerit, ad ſecundas nuptias migrare poteſt. *l. 6.* D. *h. t. N. 22. c. 7.*

§. 7. Sed jure novo id ſublatum videtur: ut mulier, licet nec reſponſum, nec literas a marito ſuſceperit, ſimpliciter teneatur expectare, donec maritus vel mortuus, vel a captivitate liberatus eſt. arg. *Nov. 117. c. 11. Auth. Hodie. C. de rep.*

§. 8. *III.* Alia quacunque *Servitute*, *l. 1.* D. *h. t.* quæ mors civilis eſt: *l. 32. §. 6. D. de don. int. vir. & ux. l. 63. §. ult. D. pro ſoc.* veluti, ſi alteruter conjugum ob ingratitudinem in ſervitutem redigatur; *Nov. 22. c. 9.* aut propter crimen ſervus pœnæ fiat. *l. 24. C. de don. int. vir. & uxor.*

§. 9. Cumque deportatus etiam pro mortuo habeatur, *§. 1. I. quib. mod. jus patr. pot. ſolv. l. 63. §. ult. D. pro ſoc.* per *Deportationem* mariti quoque ſolvebatur matrimonium; *l. 56. D. ſol. matr.* niſi mulier uxoris affectionem retinuiſſet. *l. 1. C. de rep.*

§. 10. Sed ſervitus pœnæ jure novo quoque abrogata eſt; *Nov. 22. c. 8.* neque per deportationem matrimonium amplius ſolvitur. *Nov. 22. c. 13.*

§. 11. *IV. Divortio; l. 1. D. h. t.* quod, (a diverſitate mentium ſic dictum, vel quia in diverſas partes eunt, qui diſtrahunt matrimonium, *l. 2. pr. D. h. t. l. 191. in f. D. de V. S.*) vel *late* accipitur, vel *ſtricte*.

§. 12. *Divortium latius* acceptum etiam inter *Sponſum* & *Sponſam* fieri poteſt; *l. 8. D. de condict. cauſ. dat. cauſ. non ſec.* ſed *ſtrictius* acceptum tantum inter *Virum* & *Uxorem* fieri dicitur. *l. 101. §. 1. l. 191. D. de V. S.*

§. 13. Quo ſenſu *Divortium* eſt *Diſſolutio matrimonii, eo animo facta, ne divertentes unquam iterum conjungantur. l. 2. pr. l. 3. D. h. t.*

§. 14. Si quid enim in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non prius ratum eſt, quam ſi perſeverantia apparuit judicium animi fuiſſe. *d. l. 3. D. h. t. l. 48. D. de R. J.*

§. 15. Quod primis DXX. annis in Urbe Romana fuit incognitum. Primus Sp. Carvilius Ruga uxorem ob ſterilitatem dimiſiſſe legitur. Dion. Hal. *L. II. c. 26.* Gell. *L. XVII. c. 21.* Poſtea etiam ſine cauſa id facere permiſſum: Plutarch. *in Æmil. Paulo*, ſed ſolis viris. Plaut. *in Mercat. Act. IV. Sc. VI. verſ. 6. 7.* Tandemque etiam uxoribus. v. Juven. *Sat. VI. verſ. 224. & ſeqq.* Sen. *de Ben. L. III. c. 16.*

§. 16. Ut Divortia poſterioribus temporibus non tantum mala gratia & ex juſta

Digitized by Google

juſta cauſa, ſed & ex leviori, v. *l. 60. §. 1. l. 61. D. de don. int. vir. & ux.* & bona gratia fieri poſſent. *l. 6. D. h. t. l. 32. §. 10. l. 62. D. de don. int. vir. & ux.*

§. 17. Sive inter præſentes, adhibitis præter libertum (qui hiſce fere verbis, *Tuas res tibi habeto*, vel *Tuas res tibi agito*, divortium renunciabat, *l. 2. §. 1. D. h. t.*) ſeptem teſtibus civibus Romanis: *l. 2. §. ult. l. 9. D. h. t.* Juven. *Sat. VI. verſ. 145.* ſive inter abſentes, per libellum repudii. *l. 2. §. ult. l. 7. D. h. t.* add. *Matth. XIX, 7.*

§. 18. Sed deinceps id diſplicuit. Primique Theodoſius & Valentinianus Impp. ſine juſta cauſa diſſolvi matrimonium prohibuerunt, certasque cauſas, ob quas divortium fieri poſſet, præſcripſerunt, in *l. 8. §. 2. 3. C. de repud.* Quibus aliam adjecit Juſtinianus in *l. 10. C. eod.* & iterum tres alias in *l. 11. §. 2. C. eod.* quas ſimul exhibet in *Nov. 22. c. 5. 6. 7. 8. 14. & 15. §. 1.* Ita tamen, ut, quod jam iterum admiſerat Anaſtaſius, *l. 9. C. h. t.* Divortium mutuo conjugum conſenſu fieri poſſet. *d. Nov. 22. c. 4.* Sed poſtmodum id iterum prohibuit, niſi caſtitatis concupiſcentia id fiat, *N. 117. c. 10. Auth. Quod hodie. C. h. t.* cauſasque *Divortii* contraxit, & ad pauciores redegit in *Nov. 117. c. 8. 9.*

§. 19. Ut ſcil. maritus uxori repudium mittere poſſit, *I.* Si contra imperium cogitantibus aliquibus conſcia eſt mulier, aut etiam viro ſuo non indicet. *d. N. 117. c. 8. §. 1.*

II. Si uxor ſit adultera. *d. c. 8. §. 2.*

III. Si vitæ mariti inſidiata ſit. *d. c. 8. §. 3.*

IV. Si cum viris extraneis nolente marito convivatur, aut cum iis lavat. *d. c. 8. §. 4.*

V. Si nolente marito foris domum manſerit. *d. c. 8. §. 5.*

VI. Si ignorante marito ludis ſpectandis interfuerit. *d. c. 8. §. 6.*

§. 20. Et contra marito uxor repudium mittere poſſit, *I.* Si maritus contra imperium aut ipſe cogitaverit aliquid, aut cogitantibus conſcius non indicaverit imperio, aut per ſe, aut per quamcunque perſonam. *d. N. 117. c. 9. §. 1.*

II. Si vitæ uxoris inſidiatus ſit. *d. c. 9. §. 2.*

III. Si uxorem aliis adulterandam velit tradere. *d. c. 9. §. 3.*

IV. Si uxorem adulterii accuſaverit, neque probaverit. *d. c. 9. §. 4.*

V. Si maritus præter uxorem aliam mulierem domi habeat, vel cum ea in alia domo frequenter manere convincatur. *d. c. 9. §. 5.*

§. 21. Adeo, ut, ſi ſine juſta cauſa Divortium fiat, ex conſtitutione Theod. & Valentin. uxor dotem, maritus donationem propter nuptias amittat, iisque matrimonium interdicatur in quinquennium. *l. 8. §. 4. C. de repud.* Ex conſtitutione autem Juſtiniani, dos aut donatio propter nuptias cedat communibus liberis, vel, iis non exiſtentibus, conjugi innocenti. v. *N. 117. c. 13. N. 127. c. 4. N. 134. c. 11.*

§. 22. Quod jus tamen, licet ſumma ratione introductum ſit, poſtmodum iterum

iterum mutavit Juſtinus in *Nov. 140. c. 1.* dum concedit, ut, prout olim juris fuit, matrimoniorum ſolutiones ex conſenſu fieri poſſint.

§. 23. Jus Divinum autem, quod nunc fere ſervatur, duas agnoſcit Divortii cauſas, *Adulterium* ſcil. *Matth. V, 12. XIX, 9.* & *Malitioſam Deſertionem. 1. Cor. VII, 15.* Jus Canonicum vero nullas, *c. 4. 10. 22. Q. 7. Cauſ. 32.* permittens tantum *Separationem quoad thorum & menſam;* quod proprie Divortium non eſt.

§. 24. Quod ſi vero Divortium ex juſta cauſa, veluti ob *Adulterium*, factum ſit, ſolutum eſt matrimonium, ejusque vinculum; *N. 117. c. 8. §. 1. 2. c. 9. §. 5. Matth. V, 32. XIX, 9. 1. Cor. VII, 10.* adeoque conjuges ſeparati ad alias nuptias tranſire poſſunt. Matth. *d. c. XIX, 9. l. 8. §. 4. l. 9. C. de rep.* Et quidem *Pars innocens* quandocunque viſum fuerit, dummodo mulier per annum expectet: *d. l. 8. §. 4. l. 9. C. de rep. Nov. 22. c. 18. in f. Pars nocens* vero demum poſt quinquennium. *d. l. 8. §. 4. C. de rep. Nov. 22. c. 15. §. 1.*

De Repudiis.

§. 25. *Repudium* ſimiliter vel *latius* accipitur, vel *ſtrictius*.

§. 26. *Repudium latius* acceptum idem eſt cum *Divortio. l. 2. §. 1. D. h. t. l. 12. pr. D. de rit. nupt. l. pen. D. ad L. Jul. de adult. l. 101. §. 1. D. de V. S.* Suet. in *Ceſ. c. 1.*

§. 27. *Strictius* autem acceptum eſt *Diſſolutio Sponſaliorum. Repudium* enim proprie ſponſæ vel ſponſo mitti videtur: *l. 101. §. 1. l. 191. D. de V. S.* in quo hæc verba probata ſunt, *Conditione tua non utor. l. 2. §. 2. D. h. t.* add. *ſupr. ad t. de ſponſal. §. 15. 16.*

TITULUS III.

Soluto Matrimonio Dos Quemadmodum Petatur.

C. V. 18.

§ 1.

Soluto Matrimonio variæ naſcuntur Actiones, tum *a parte Mulieris*, tum *a parte Viri*, tum *ab utraque*.

§. 2. *A parte Mulieris* inſtituitur fere *Dotis repetitio*.

§. 3. Conſtante enim Matrimonio Dos repeti nequit. *l. un. C. ſi dos conſt. matr. ſol. fuer. l. 7. §. 4. C. de præſc. XXX. ann. Nov. 22. c. 39.* Niſi *I.* Uxor dote ad cauſas juſtas & neceſſarias indigeat; ſcil. ut ſe ſuosque alat, relegato parenti alimonia præſtet, aut egentem virum, fratrem, ſororemve ſuſtineat *l. 73. §. 1. D. de jur. dot. l. 20 21. D. h. t.*

II. Maritus ad inopiam vergat: *l. 24. pr. D. h. t. l. 29. C. de jur. dot.* quo caſu exinde dotis exactio competit, ex quo evidentiſſime apparuit, mariti facultates ad exactionem dotis non ſufficere, *d. l. 24. pr. §. 1. & ſeqq. D. h. t.*

III. Maritus deportatus ſit. *l. 1. C. de repud.*

§. 4. Soluto autem matrimonio, ſive per mortem, ſive per divortium, *l. 240. D. de V. S. l. 56. D. h. t.* Dos maxime repetitur vel per *Rei vindicationem*, v. *l. 30. C. de jur. dot.* vel per *Actionem pro dote ex ſtipulatu.* v. *§. 29. I. de act.*

§. 5. Olim ad repetendam dotem *Rei uxoriæ Actio* locum habebat: ſed Imp. eam ſuſtulit, omneque jus, quod *Res uxoria* antea habebat, in *Actionem ex Stipulatu* tranſtulit, omneſque dotes per *ex Stipulatu Actionem* exigi voluit. *l. un. C. de rei uxor. act. in ex ſtip. act. tranſfuſ. §. 29. I. de act.*

§. 6. Eique *Actioni* quatuor ſingularia conceſſit; *I.* Ut *Actio* hæc ſit *ex Stipulatu*, quamvis nulla de dote reddenda ſtipulatio ſit interpoſita. *l. un. pr. C. de rei uxor. act.*

II. Ut ſit bonæ fidei. *d. l. un. §. 2. §. 29. I. de act.*

III. Ut adjunctam habeat tacitam hypothecam in bonis mariti. *d. l. un. §. 1. C. de rei ux. act. d. §. 29. I. de act.*

IV. Ut ex hac cauſa mulier præferatur omnibus aliis mariti creditoribus, etiam anteriorem expreſſam hypothecam habentibus. *l. ult. §. 1. C. qui pot. in pign.* v. ſupr. *ad t. qui pot. in pign. §. 9. n. 111.*

§. 7. *Datur hæc Actio*, ſoluto *per divortium* matrimonio, *Mulieri, ſi ſui juris* ſit, *l. 2. pr. l. 30.* D. *h. t. l. un. §. 11. C. de rei uxor. act. eiusque heredi. l. 27. D. h. t.*

§. 8. Si vero *in Patris ſit poteſtate*, & dos ab eo profecta ſit, *Pater agit ex filiæ voluntate. l. 2. §. 1. l. 3. D. h. t. l. un §. 13. 14. C. de rei uxor. act.*

§. 9. *Voluntatem* autem filiæ, cum pater agit de dote, non ſic accipimus, ut conſentiat, ſed ne evidenter contradicat, *l. 2. §. 2. D. h. t.* tempore ſcil. litis conteſtatæ. *l. 22. §. 5. D. h. t.*

§. 10. *Extraneo*, i. e. omni, citra parentem per virilem ſexum aſcendentem, dotem danti *Actio ex Stipulatu* non competit; niſi expreſſe ſibi dotem reddi pactus vel ſtipulatus ſit. *l. 29. §. 1. D. h. t. l. un. §. 13. C. de rei uxor. act.*

§. 11. Quod ſi vero *morte* mulieris ſolutum ſit matrimonium, olim dos *a patre profecta* ad patrem revertebatur; quintis in ſingulos liberos relictis penes virum: quod ſi pater non eſſet, apud maritum remanebat. *Adventitia* autem dos ſemper penes maritum remanebat, præterquam ſi is, qui dederat, ut ſibi redderetur, ſtipulatus eſſet, quæ dos ſpecialiter *Receptitia* dicebatur. Ulp. *Fragm. T. VI. §. 4. 5.*

§. 12. Jure novo vero mortua filia dotem vel repetit pater, licet liberi ex filia defuncta ſuperſint; l. *6. D. de jur. dot. l. 12. 26. pr. §. 2. D. de pact. dot. l. 5. D. de divort. l. 48. 59.* D. *h. t.* vel heredes, ad quos nunc dos tranſmittitur. *l. un. §. 6. C. de rei ux. act.*

§. 13. Datur hæc Actio *contra Maritum*, ſive ipſi dos data ſit, ſive alii ex volun-

Digitized by Google

voluntate mariti, vel ſubjecto juri ejus, vel non ſubjecto; *l. 22. §. 12. D. h. t. ejusque Heredes; l. 46. D. l. 9. C. h. t.* ut & quandoque contra *Socerum*, ſi ſcil. filiusfam. ſit maritus, & dos ſocero data ſit; *d. l. 22. §. 12. D. h. t.* nec non contra *Fiſcum*, ſi bona mariti publicata ſunt. *l. 2. pr. D. l. 2. C. h. t.*

§. 14. Ad Dotem reſtituendam, *l. 2. pr. D. h. t. l. 21. C. de jur. dot.* licet res aliena ſit. *l. 11. D. h. t.* vel tantundem ejusdem generis, ſi res in dotem datæ, quæ pondere numero & menſura conſtant; *l. 42. D. de jur. dot.* vel etiam pretium, ſi dos æſtimata venditionis gratia data ſit. *l. 5. & 10. C. de jur. dot.*

§. 15. Reſtituenda autem erat dos olim, ſi pondere, numero, menſura contineretur, annua bima trima die; Ulp. *Fragm. T. VI. §. 8.* Jure novo, ſi res immobilis eſt, ſtatim, ſi mobilis vel incorporalis intra annum, *l. un. §. 7. C. de rei uxor. act.* una cum acceſſionibus, *l. 10. §. 1. D. de jur. dot.* & fructibus ante & poſt matrimonium perceptis. *l. 7. 11. 31. §. f. D. h. t. l. 7. §. 1. D. de jur. dot. l. 38. §. 12. D. de uſur. l. un. §. 7. C. de rei ux. act.*

§. 16. Fructus conſtante matrimonio percepti, ad maritum (qui onera matrimonii ſubit) pertinent; *l. 7. pr. §. 1. D. de jur. dot.* fructus vero ultimi anni dividuntur, pro rata temporis, quo mulier in matrimonio fuit. *l. 7. §. 1. & ſeqq. l. 11. 31. §. ult.* D. *h. t. l. un. §. 9. C. de rei ux. act.*

§. 17. Qui annus non ex die matrimonii, ſed ex die traditæ dotis initium ſumit; *l. 5. D. h. t.* niſi dos ante nuptias tradita ſit: quo caſu ex die nuptiarum computandus eſt. *l. 6. D. h. t.*

§. 18. Datur etiam ad præſtandum dolum & culpam, ſcil. levem; *l. 18. §. 1. l. 25. §. 1. l. 66. pr. l. 67. D. h. t.* v. ſupr. *ad t. de jur. dot. §. 40.* niſi mulier in mora fuerit, quo minus dotem reciperet: quo caſu maritus tantum de dolo tenetur. *l. 9. pr. D. h. t.*

§. 19. Non etiam ad præſtandum caſum fortuitum. *l. 23. D. de R. J. l. 6. C. de pign. act.* Niſi *I.* Vir in reddenda dote moram fecerit. *l. 25. §. 2. l. 26. D. h. t.*

II. Res in dotem datæ ſint, quæ pondere, numero, & menſura conſtant. *l. 42. D. de jur. dot.*

III. Dos æſtimata venditionis cauſa data ſit. *l. 10. pr.* D. *de jur. dot.*

§. 20. Datur autem hæc Actio contra maritum, tantum in id quod facere poteſt; *l. 12. & 28. D. h. t. l. 17. D. de re jud. l. un. §. 7. C. de rei ux. act.* i. e. quatenus facultates ejus patiuntur, *§. 37. I. de act.* ne egeat: *l. 173. pr. D. de R. J.* qua in re tempus rei judicatæ ſpectandum eſt. *l. 15. pr.* D. *h. t.*

§. 21. Adeo, ut, ſi paciſcatur maritus, ne in id quod facere poſſit condemnetur, ſed in ſolidum, id pactum ſervari non oporteat. Quia contra bonos mores eſt id pactum, & reverentiam, quæ maritis exhibenda eſt. *l. 14. §. 1.* D. *h. t.*

§. 22. Quod *beneficium Competentiæ* quoque competit liberis ejusdem matri-

Ddd 2 monii,

Digitized by Google

monii, qui patri heredes extiterunt, *l. 18. pr.* D. *h. t.* ut & ſocero; *l. 15. §. ult.* D. *h. t.* quia parentis locum ſocer obtinet. *l. 16. D. h. t.* Non etiam extraneis mariti heredibus; *l. 12.* D. *h. t. l. 24. §. 1. l. 25. D. de re jud.* quia tale beneficium perſonale eſt, & cum perſona exſtinguitur. *l. 13. D. h. t.*

§. 23. *Ceſſat* vero Dotis repetitio *I.* Si maritus dotem non acceperit. *l. 52. D. h. t.*

II. Si dos ſine dolo vel culpa mariti perierit. *l. 10. pr. §. 1. l. 17. D. de jur. dot. l. 49. §. 1. D. h. t.*

III. Si conventum ſit, ut mortua uxore dos apud virum maneret. *l. 12. pr. D. de pact. dot. l. 6. C. de pact. conv. l. 48. D. h. t.*

IV. Si culpa uxoris, v. c. ob ejus adulterium, ſolutum ſit matrimonium. *l. 8. §. 5. C. de repud. Nov. 117. c. 8. §. 2.*

* *

LIBER XXV. TITULUS I.

De Impenſis In Res Dotales Factis.

§. 1.

A *parte Viri* ſoluto matrimonio locum ſæpe habet *Reputatio & Actio ratione impenſarum in res dotales factarum*, quæ Repetitioni dotis non raro opponitur.

§. 2. Fiunt autem impenſæ vel fructuum, præſentis ſcil. anni, percipiendorum cauſa, *l. 3. §. 1. D. h. t.* v. *l. 7. §. ult. D. ſol. matr.* quæ (ut & onera realia, v. *l. 13. D. h. t.*) cum fructibus compenſantur, *d. l. 3. §. 1. l. ult. D. h. t. d. l. 7. §. ult. D. ſol. matr.* vel in ipſas res dotales. *l. 1. §. 2. d. l. 3. & pen. D. h. t.*

§. 3. Quarum quædam ſunt *Neceſſariæ*, quædam *Utiles*, quædam *Voluptariæ. l. 1. pr. D. h. t. l. 79. pr. §. 1, 2. D. de V. S. l. 38, 39. pr. & §. 1. D. de pet. her. l. 38 D. de R. V.*

§. 4. *Neceſſariæ* hæ dicuntur, *quæ habent in ſe neceſſitatem impendendi*; *l. 1. §. 1. D. h. t.* quibus non factis dos imminuitur, *l. 14. pr. D. h. t.* vel res peritura vel deterior futura ſit. *l. 79. pr. D. de V. S.*

§. 5. Quales ſunt moles in mare vel flumen projectæ; ſi piſtrinum vel horreum neceſſario factum ſit; ſi ædificium ruens, quod habere mulieri utile erat, refecerit; aut ſi oliveta reſtauraverit; vel ex ſtipulatione damni infecti, ne committatur, præſtiterit; *l. 1. §. ult.* D. *h. t.* vel in valetudinem ſervorum impenderit: *l. 2. D. h. t.* vel ſi vites propagaverit; vel arbores curaverit; vel ſeminaria pro utilitate agri fecerit. *l. 3. pr. D. h. t.*

§. 6. Et in totum id videtur *Neceſſariis impenſis* contineri, quod ſi a marito omiſ-

omiſſum ſit, judex tanti eum damnabit, quanti mulieris interfuerit eas impenſas fieri. *l. 4. D. h. t.*

§. 7. Impenſæ autem *Neceſſariæ dotem ipſo jure minuunt*, ſi ſit pecunia; cæteroquin faciunt, ut v. c. fundus vel in totum, vel pro parte, ſc. indiviſa, dotalis eſſe deſinat, & retentioni locus ſit. *l. 5.* D. *h. t. l. 1. §. 4. D. de dot. præleg. l. 56. §. ult. D. de jur. dot. l. un. §. 5. C. de rei uxor. act.*

§ 8. Quod ſi vero tota dos ſoluta ſit, non habita ratione impenſarum, vel *Condictio indebiti*, *l. 5. §. 2. D. h. t.* vel *Actione Mandati*, aut *Negotiorum geſtorum*, repeti poſſunt. *l. 7. §. ult. D. ſol. matr. l. 12. D. h. t.*

§. 9. Niſi hæ impenſæ ſint modicæ, *l. 12. D. h. t.* vel ad neceſſariam tutelam rei pertineant; quas ipſe maritus præſtare debet. *l. 15.* D. *h. t.*

§. 10. *Impenſæ Utiles* ſunt, *quas maritus utiliter fecit*, quibusque rem uxoris, hoc eſt dotem, meliorem fecit. *l. 5. §. ult. D. h. t. l. 79. §. 1. D. de V. S.*

§. 11. Veluti, ſi novelletum in fundo factum ſit, aut ſi in domo piſtrinum aut tabernam adjecerit; ſi ſervos artes docuerit. *l. 6. D. h. t. d. l. 79. §. 1.* D. *de V. S.* add. *l. 14. §. 1. D. h. t. l. 39.* D. *de her. pet.*

§. 12. Quarum nomine, ſi voluntate mulieris factæ ſunt, olim etiam *Deductio & Retentio* locum habebat; *l. 7. §. 1. l. 8.* D. *h. t. l. un. §. 5. C. de rei uxor. act.* ſed jure novo tantum *Actio Mandati*, vel *Negotiorum geſtorum*, contra mulierem conceditur. *d. l. un. §. 5. C. de rei ux. act.*

§. 13 *Voluptariæ* vero ſunt, *quas maritus ad voluptatem fecit, & quæ ſpeciem exornant; l. 7. pr. D. h. t.* non etiam fructum augent. *l. 79. §. ult. D. de V. S.*

§. 14. Cujusmodi ſunt balnea non neceſſaria; *l. 14. §. 2.* D. *h. t.* picturæ; *l. 35.* D. *de pet. her.* tectoria, incruſtationes, pavimenta; *l. 7. §. ult. D. de uſufr.* viridia, aquæ ſalientes, & ſimilia. *l. 79. §. ult. D. de V. S.*

§. 15. *Voluptariæ* autem, nec ſi voluntate mulieris factæ ſunt, exactionem pariunt; *l. 11. pr. D. h. t.* ſed tantum tolli poſſunt: ſi modo ſeparationem recipiant, & ſine detrimento rei id fieri poſſit. *l. 9. D. h. t. l. un. §. 5. C. de rei uxor. act.*

§. 16. Niſi mulier maritum tollentem non patiatur, quo caſu exactionem patitur: *d. l. 9.* D. *h. t.* vel impenſæ voluptariæ in res promercales factæ ſint; quia hoc caſu non *Voluptariæ* ſed *Utiles* ſunt. *l. 10. D. h. t.*

Digitized by Google

TITULUS II.

DE ACTIONE RERUM AMOTARUM.

C. V. 21.

§. 1.

Ab *utraque parte*, tum *Viri*, tum *Mulieris*, *Actiones* competunt, partim *Rerum*, partim *Liberorum* nomine.

§. 2. *Rerum* nomine ab utraque parte locum habet *Actio Rerum Amotarum*. *l. 6. §. 2. l. 7. 11. 14.* D. *h. t.*

§. 3. Ob quas olim etiam Retentio dotis conceſſa erat marito; Ulp. *Fragm. T. VI. §. 9.* ſed Retentione abrogata, nunc ſolum *Rerum Amotarum Judicium* ſupereſt. *l. un. §. 5. C. de rei uxor. act.*

§. 4. De quo tale Edictum propoſitum fuiſſe videtur: *Si uxor res mariti, vel maritus res uxoris conſtante matrimonio divortii cauſa amoviſſe dicatur, & divortium ſecutum ſit, in eam eumve Rerum Amotarum Actionem dabo, & jusjurandum deferre permittam.* arg. *l. 2. C. l. 11. §. 1. & ſeqq. l. 12. 13. D. h. t.*

§. 5. Introductum eſt *hoc ſingulare Rerum Amotarum Judicium* adverſus eam quæ uxor, eumve qui maritus fuit: quia non placuit cum ea eove furti agere poſſe, & in honorem matrimonii turpis actio adverſus uxorem maritumve negatur. *l. 1. 2. D. h. t. l. 52. §. 1. 2.* D. *l. ult. §. ult. C. de furt.*

§. 6. Ait Prætor, *Si uxor res mariti*, *vel maritus res uxoris;* ut enim *Rerum Amotarum Actio* locum habeat, *Uxor* vel *Maritus* amoviſſe debet. *l. 1. 6. §. 2. l. 11. pr. D. h. t.* ſive ſimul, ſive ſeparatim habitaverint, nihil intereſt. *l. 15. D. h. t.*

§. 7. Si concubina res amoverit, vel ea, cum qua licitum non eſt matrimonium, non *Rerum Amotarum*, ſed *furti* agendum eſt: ubicunque enim ceſſat matrimonium, ceſſat etiam *Rerum Amotarum Actio*, quia divortii cauſa competit. *l. 17. pr. D. h. t.*

§. 8. *Amoviſſe dicatur; Res amotas* dicimus non ſolum eas, quas mulier amovit, cum divortii conſilium iniſſet; ſed etiam eas, quas nupta amoverit, ſi, cum diſcederet, eas celaverit. *l. 17. §. 1. D. h. t.*

§. 9. Continentur etiam ſub rebus amotis res, quas divortii tempore mulier comederit, vendiderit, donaverit, vel qualibet alia ratione conſumſerit. *l. 3. §. 3. D. h. t.*

§. 10. Sed & ſi divortii tempore fures in domum mariti induxerit, & per eos res amoverit, ita, ut ipſa non contrectaverit, vel furi opem tulerit, *Rerum Amotarum Judicio* tenebitur. *l. 19. 20. D. h. t.*

§. 11. *Conſtante matrimonio:* ſi enim mulier poſt divortium res contrectet, furti

furti tenebitur; *l. 3. pr. D. h. t.* ſi vero mortuo viro amoverit, aut vindicari poterunt, aut in hereditatis petitionem venient. *l. 6. §. ult. D. h. t.*

§. 12. *Divortii cauſa, & divortium ſecutum ſit; Rerum amotarum* enim *Judicium* ſic habet locum, ſi divortii conſilio res amotæ fuerint, & ſecutum divortium fuerit. *l. 24. 25. 17. pr. D. h. t. l. ult. §. ult. D. de divort. l. 2. C. h. t.*

§. 13. Si mulier mortis cauſa res amoverit, deinde mortuus eſt maritus, *Hereditatis petitione*, vel *Actione ad exhibendum* conſequi poterit heres id, quod amotum eſt. *l. 22. §. 1. D. h. t.*

§. 14. Si vero ſine cauſa in matrimonio uxor marito res ſubtraxerit, *Vindicatio* vel *Condictio* viro adverſus mulierem competit: *l. 24. 25. D. h. t.* nam *Jure Gentium* condici poteſt res ab his, qui non ex juſta cauſa poſſident. *d. l. 25. D. h. t.*

§. 15. *In eam eumve Rerum Amotarum Actionem dabo. l. 2. C. h. t.* Quæ eſt *Actio perſonalis, rei perſecutoria; Qua ſoluto matrimonio datur conjugi, ejusque heredi; Contra conjugem, ejusque heredem; Ad res divortii cauſa amotas cum omni cauſa reſtituendas.*

§. 16. Eſt hæc *Actio perſonalis;* quia ex delicto fraudulentæ amotionis naſcitur: *l. 1. 2. 21. §. pen. D. h. t.* unde & *Condictio* dicitur. *l. 26. D. h. t. l. pen.* D. *de cond. furt.*

§. 17. *Rei perſecutoria;* licet enim ex delicto naſcatur, tamen rei perſecutionem continet: & ideo non anno finitur, ſicut & Condictio furtiva. *l. 21. §. 5. D. h. t.*

§. 18. *Quæ ſoluto matrimonio;* nam conſtante matrimonio non hæc Actio, ſed *Rei Vindicatio*, vel *Condictio* ſeu *Actio in factum* locum habet: *l. 24. 25.* D. *l. 2. C. h. t.* quæ tamen ipſa latiori ſenſu & *Rerum amotarum* dicitur in *l. ult. §. ult. C. de furt.*

§. 19. *Datur conjugi;* tum marito, tum uxori, cui aliquid amotum eſt. *l. 1. 6. §. 2. l. 11. pr. l. 14.* D. *l. 2. C. h. t.*

§. 20. *Ejusque heredi; l. 6. §. 3. l. 21. §. 5. D. h. t.*

§. 21. *Contra conjugem;* tum maritum, tum uxorem, qui quæve amovit. *l. 1. 6. §. 2. l. 11. pr. l. 14.* D. *l. 2. C. h. t.*

§ 22. *Ejusque heredem; l. 6. §. 4. D. h. t.* & quidem in ſolidum, ſi ſolus heres eſt. arg. *l. 9. D. de cond. furt.* Eſt enim hæc actio rei perſecutoria, ſicut & *Condictio Furtiva; l. 21. §. 5. D. h. t.* & heres ex hac cauſa tenetur, ſicut *Condictionis* nomine ex cauſa furtiva: *d. l. 6. §. 4.* D. *h. t.* ſi vero pro parte heres eſt, pro ea parte, pro qua heres eſt, & ex hereditate ad eum pervenit. *d. l. 9.* D. *de cond. furt.* Ita accip. *l. ult. C. h. t.*

§. 23. Datur etiam quandoque contra patrem, ſi ſcil. filiaſam. vel filiusfam. amove-

Digitized by Google

amoverit; quatenus eſt in peculio, vel locupletior factus eſt. *l. 3. §. ult. l. 4. 5. 6. §. 2. D. h. t. l. 3. §. pen. D. de pecul. l. pen. D. de cond. furt.*

§. 24. *Ad res divortii cauſa amotas, cum omni cauſa reſtituendas. l. 1. 3. §. 3. l. 17. §. 1. l. 25. D. l. 2. C. h. t. l. 21. §. 4. D. h. t.* Sive illæ mariti vel uxoris propriæ ſint, ſive alienæ, titulo ſc. pignoris, commodati, aliove poſſeſſæ. *l. 17. §. ult.* D. *h. t. l. ult. §. ult. C. de furt.*

§. 25. Quod ſi res amotæ non extent, præſtanda eſt æſtimatio; *l. 17. §. 2. D. h. t.* quæ ad tempus, quo amotæ ſunt, referri debet. *l. pen. D. h. t.*

§. 26. Quod ſi vero per contumaciam non reddantur, æſtimari debent, quanti in litem juratur; *l. 8. §. 1. D. h. t.* non enim æquum eſt, invitum ſuo pretio res ſuas vendere. *l. 9. D. h. t.*

§. 27. Daturque hæc Actio inter conjuges in ſolidum, licet maritus vel uxor nihil retineat, ex quo alimenta habere poſſit. *l. 21. §. ult. D. h. t. l. 52. D. de re jud.* Licet in aliis actionibus inter conjuges beneficio Competentiæ locus ſit, *l. 12.* D. *ſol. matr. l. 17. 20. D. de re jud. §. 37. I. de act.*

§. 28. *Et jusjurandum deferre permittam.* Qui enim rerum amotarum inſtituit actionem, ſi velit magis jusjurandum deferre, cogitur adverſarius (non pater, neque heres) jurare, nihil divortii cauſa amotum eſſe; dum prius de calumnia juret, qui jusjurandum defert. *l. 11. §. 1. & ſeqq. l. 14. D. h. t.*

§. 29. Sed ſi quis delatum ſibi jusjurandum referre velit, non videtur Prætor permiſiſſe; non magis, quam ſi quis ei, qui furti agat, jusjurandum deferat, an ipſe fur ſit. *l. 11. §. 3. l. 12.* D. *h. t.*

§. 30. *Ceſſat* autem *Rerum Amotarum Actio*, *I.* Si non ſit matrimonium. *l. 17. pr.* D. *h. t.*

II. Si non divortii cauſa aliquid ſubtractum ſit. *l. 25. D. h. t.*

III. Si conjuges ſibi mutuo furtum fecerint; quo caſu compenſatio locum habet. *l. 7.* D. *h. t.*

TITULUS III.

DE AGNOSCENDIS, ET ALENDIS LIBERIS, VEL PARENTIBUS, VEL PATRONIS, VEL LIBERTIS.

C. V. 12.

DE AGNOSCENDIS ET ALENDIS LIBERIS.

§. 1.

Liberorum nomine utrimque Actiones competunt, non tantum *Natorum & Suſceptorum*, ſed & *Suſcipiendorum*, ſeu *in utero exiſtentium.*

§ 2 Et quidem *Liberorum Natorum* ſeu *Suſceptorum* nomine, cum olim etiam Retentiones ex dote marito concederentur, Ulp. *Fragm. T. VI. §. 9.* nunc abrogatis

Digitized by Google

abrogatis illis retentionibus, *l. un. §. 6. C. de rei ux. act.* Uxori contra Maritum competit *Actio Præjudicialis de partu agnoſcendo, §. 13. I. de act.* ſeu *de Agnoſcendis liberis.*

§. 3. De qua (poſtquam *Edicto Prætoris* jam introducta erat, v. §. 13. *I. de act.*) duo Senatusconſulta condita fuere, alterum *Plancianum;* v. *l. 1. §. 10. l. 3. §. 1. D. h. t.* alterum vero, quod temporibus *Hadriani* factum eſt. *d. l. 3. §. 1. D. h. t.*

§. 4. *Senatusconſultum Plancianum* ad *eos partus* pertinet, *qui poſt divortium eduntur: d. l. 3. §. 1. D. h. t.* cujus duo fuere capita. *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 5. *Primum caput* permittit *mulieri, parentive, in cujus poteſtate eſt, vel ei, cui mandatum ab eis eſt, ſi putet prægnantem, denunciare, intra dies triginta* (continuos, *l. 1. §. 9. D. h. t.*) *poſt divortium connumerandos, ipſi marito, vel parenti, in cujus poteſtate eſt; aut domum denunciare, ſi nullius eorum copiam habeat. l. 1. §. 1. 2. 3.* D. *h. t.*

§. 6. Qua denunciatione facta pœna mariti ea eſt, ut, niſi cuſtodes ad ventrem cuſtodiendum inſpiciendumque miſerit, aut contra denunciaverit non eſſe ex ſe prægnantem, cogatur maritus partum agnoſcere; &, ſi non agnoverit, extra ordinem coërcetur. *l. 1. §. 4. 12. D. h. t.*

§. 7. Sed ſi maritus ultro cuſtodes offerat, & ea non admittat; vel ſi non denunciaverit mulier, aut ſi denunciaverit quidem, cuſtodes autem arbitrio judicis non admiſerit, liberum eſt marito parentive ejus partum non agnoſcere. *l. 1. §. 6.* D. *h. t.*

§. 8. Plane, ſi mulier poſt XXX. dies demum nunciaverit ſe prægnantem eſſe, cauſa cognita audiri debet. *l. 1. §. 7. D. h. t.*

§. 9. Quinimo &, ſi in totum omiſerit denunciationem, nihil hoc ei nocet, quod editur; ſi modo ſe filium filiamve eſſe poſtea probare poſſit. *l. 1. §. 8. 13. 14. D. h. t.*

§. 10. Quemadmodum per contrarium, ſi maritus uxore denunciante cuſtodes non miſerit, neque contra denunciaverit mulierem ex ſe prægnantem non eſſe, non ultra ſibi præjudicat, quam ut interim alere cogatur, ſi modo poſtea probare poſſit partum ſuum non eſſe. *l. 1. §. 12. 14. 15.* D. *h. t.*

§. 11. Quod & procedit, licet uxore denunciante cuſtodes miſerit, ut nihilominus partum ſuum eſſe negare poſſit; maxime ſi miſſurus id ipſum proteſtetur. *l. 1. §. 11. D. h. t.*

§. 12. *Altero SCti Planciani capite* de *iis* actum eſt, *quæ falſum partum ſubjiciunt. l. 1. pr. D. h. t.* Quod & in crimen falſi incidit; *l. 19. §. 1. l. 30.* D. *l. 1. 10. C. ad L. Corn. de falſ.* publice enim intereſt partus non ſubjici, ut ordinum dignitas familiarumque ſalva ſit. *l. 1.* §. *13. D. de inſpic. ventr.*

§. 13. *Senatusconſulto* vero *temporibus Hadriani facto* cautum eſt, *ut,*

etiamſi conſtante matrimonio partus ſit editus, de eo agnoſcendo agi poſſit. l. 3. §. 1. D. *h. t.*

§. 14. Quod ſi itaque conſtet, aliquem filium vel filiam alicujus eſſe, hic omni jure partum ſeu liberos agnoſcere, & alere tenetur. *l. 1. §. 13. l. 5. pr. §. 1. D. h. t* v. Differt. *N. I. de Port. Legit. C. V. §. 5. & ſeqq.* Differt. *N. VIII. de Cauſ. Obl. C. 3.*

§. 15. Licet enim primis temporibus liberos recenter natos exponere, imo & occidere permiſſum fuerit; v. Dion. Hal. *L. II. c. 27. 28.* Suet. *in Aug. c. 65. Calig. c. 5. l. 11. D. de lib. & poſt. her. inſt. l. ult. C. de patr. pot.* ſucceſſu temporis tamen aliud receptum, & expoſitio infantum ſub gravi pœna prohibita eſt. v. *l. 2. C. de infant. expoſ. l. un. C. de his qui par. vel lib. occ. N. 153. præf*

§. 16. Adeo, ut necare videatur non tantum is, qui partum perfocat, ſed & is, qui abjicit, & qui alimonia denegat, & qui publicis locis miſericordiæ cauſa exponit, quam ipſe non habet. *l. 4.* D. *h. t.* Lact. *Inſt. L. VI. c. 20.*

§. 17. Et quidem *Pater* liberos natos ſtatim, non demum poſt triennium, agnoſcere & alere debet. *l. 5* [illegible] *. 1. 10.* D. *h. t. l. 3. 4. C. de alend. lib. l. 5. D. de ventr. in poſſ. mitt.*

§. 18. Neque intereſt, quales ſint liberi, an maſculi, an fœminæ, an in poteſtate, an ſui juris conſtituti, an legitime nati. *d. l. 5. §. 1. 4. D. h. t. N. 89. c. 12.* §. *4. c. ult. Auth. Licet. C. de nat. lib.*

§. 19. Idque non tantum incumbit patri, ſed & patre mortuo omnibus in linea paterna aſcendentibus. *d. l. 5. §. 2. 3. l. pen. D. h. t.*

§. 20. Quod ſi vero pater deceſſerit, vel ſi non ſit ſufficiens, neque alii per virilem ſexum aſcendentes; *Mater*, eaque mortua vel non ſufficiente, parentes in linea materna, liberos alere neceſſe habent. *d. l. 5. §. 2. 3. l. pen. D. h. t. N. 117. c. 7.*

§. 21. Nam alimenta, quæ vivente & ſufficiente patre ſubminiſtravit, ſi non donandi animo, ſed ex pietate præſtitit, (de quo ex circumſtantiis, veluti, ſi de eo proteſtata ſit, vel ea in rationes intulerit, judicandum,) *Actione Negotiorum geſtorum* a marito repetere poteſt. *l. 5. §. 14. D. h. t. l. 11. C. de neg. geſt* junct. *l 34. D. eod.*

§. 22. Excipitur tamen *I.* Si liberi ſint locupletes, & ſe ipſos exhibere poſſint *l. 5. §. 7. D. h. t.*

II. Si ſint ingrati, & aliquid commiſerint, ob quod a parentibus exheredari poſſint. *l. 5. §. 11. D. h. t. Nov. 115. c. 3. §. 1. & ſeqq.*

DE

Digitized by Google

De Alendis Parentibus.

§. 23. Quemadmodum autem *Parentes* liberis ad alimenta præſtanda obſtricti ſunt, ſic & *Liberi* (etiam milites, *l. 5. §. 15. D. h. t.*) parentes ſuos egenos alere tenentur. *l. 5. §. 1. 2. 13. D. h. t. l. 5. C. de patr. pot. l. 2. C. de alend. lib.* Diſſert. *N. I. de Port. Leg. C. 5. §. 10. & ſeqq.* Diſſert. *N. VIII. de C. O. C. III. §. 20. & ſeqq.*

§. 24. Quales ſint *Parentes*, an pater an mater, an in paterna an materna linea aſcendentes, an legitimi, an illegitimi, nihil intereſt. *d. l. 5. §. 1. 2. 4. 13. 15. D. h. t. Nov. 89. c. 15. N. 12. c. 2. Auth. Inceſtas. C. de inceſt. nupt.*

§. 25. Niſi forte & ipſi habeant, unde ſe exhibere poſſint; arg. *l. 5. §. 7. D. h. t.* vel contra liberos aliquid commiſerint, ob quod exheredari poſſint. arg. *l. 5. §. 11.* D. *h. t. N. 115. c. 4. §. 1. & ſeqq.*

§. 26. Non etiam idem juris eſt in Fratribus & Sororibus, quibus neque Jure Naturæ, neque Civili alimenta competunt. v. Diſſert. *N. I. de Port. Legit. C. V. §. 15. & ſeqq.*

De Alendis Patronis, Vel Libertis.

§. 27. Parentibus tamen ſimiles ſunt *Patroni;* v. *l. 9.* D. *de obſeq. parent. & patr. præſt.* quos, ut & liberos, & parentes eorum, liberti alere coguntur. *l. 5. §. 18. & ſeqq. l. 9.* D. *h. t.*

§. 28. Patronus *libertos* alere neceſſe non habet, etiamſi poſſit; qui tamen, ſi alimenta non præſtiterit, amittit jus Patronatus. *l. 6. D. h. t. l. 5. §. 1. D. de jur. patr. l. 33.* D. *de bon. libert.*

§. 29. Si quis autem ex his, qui ad hoc obſtricti ſunt, alere detrectet, pro modo facultatum alimenta conſtituentur. Quod ſi non præſtentur, pignoribus captis & diſtractis cogetur ſententiæ ſatisfacere. *l. 5. §. 10. 19. 25. D. h. t.*

§. 30. Ad quod conſequendum *Remedium Alimentorum. l. 9. C. de patr. pot.* ſeu *Actio Extraordinaria*, quæ ex ſola æquitate naſcitur, competit. v. Diſſert. *N. VIII. de Cauſ. Obl. C. III.* §. *26. 28.*

TITULUS IV.

De Inspiciendo Ventre, Custodiendoque Partu.

C. IV. 14.

§. 1.

Liberorum *Suſcipiendorum* ſeu *in utero exiſtentium* nomine, vel de *Ventre Inſpiciendo cuſtodiendoque partu*, vel *in Poſſeſſionem mittendo* agitur.

§. 2. *Inſpiciendus* venit *venter*, i. e. mulier gravida (v. *l. 1. pr. §. 6. 7. 10. D. h. t. l. 1. §. 1. 2. D. de ventr. in poſſ. mitt.)* examinanda, v, *l. 22. §. 1. D. qui teſt. fac. poſſ. l. 23. D. quand. dies legat. l. 1. C. ubi pup. educ. l. 1. §. ult.* D. *h. t. cuſtodiendusque partus*, vel *Vivo marito*, vel *Mortuo*.

§. 3. Et quidem *Vivo marito*, *I.* Si mulier poſt divortium dicat ſe ex viro prægnantem, idque maritus neget. *l. 1. §. 1. 12. D. de agnoſc. & al. lib.*

II. Si mulier ſe neget ex viro prægnantem.

§. 4. Quo caſu cum *SCta de Liberis agnoſcendis* locum non haberent, & incidiſſet, ut maritus quidem prægnantem mulierem diceret, uxor vero negaret, Divi Fratres Valerio Priſciano Prætori Urbano ita reſcipſerunt: „*Novam rem* „*deſiderare Rutilius Severus videtur, ut uxori, quæ ab eo diverterat, & ſe non* „*eſſe prægnatem profiteatur, cuſtodem apponat: & ideo nemo mirabitur, ſi nos* „*quoque novum conſilium & remedium ſuggeramus. Igitur ſi perſtat in eadem* „*poſtulatione, commodiſſimum eſt, eligi honeſtiſſimæ fœminæ domum, in quam Do-* „*mitia veniat: & ibi tres obſtetrices, probatæ & artis & fidei, quæ a te aſſumtæ* „*fuerint, eam inſpiciant. Et ſi quidem vel omnes, vel duæ renunciaverint, præ-* „*gnantem videri, perſuadendum mulieri erit, ut perinde cuſtodem admittat, atque* „*ſi ipſa hoc deſideraſſet. Quod ſi enixa non fuerit, ſciat maritus, ad invidiam,* „*exiſtimationemque ſuam pertinere: ut non immerito poſſit videri captaſſe hoc ad* „*aliquam mulieris injuriam. Si autem vel omnes, vel plures, non eſſe gravidam* „*renunciaverint, nulla cauſa cuſtodiendi erit.*„ *l. 1. pr. §. 1. & ſeqq.* D. *h. t.* v. Diſſert. *N. X. ad Conſt. Marci.*

§. 5. *Mortuo marito* inſpiciendus venter, partusque cuſtodiendus, ſi mulier dicat ſe ex defuncto prægnantem eſſe. De quo ſic Prætor ait: „*Si mulier mor-* „*tuo marito prægnantem ſe eſſe dicet; his, ad quos ea res pertinebit, procuratori-* „*busve eorum bis in menſe denunciandum curet, ut mittant, ſi velint, quæ ven-* „*trem inſpicient. Mittantur autem mulieres liberæ duntaxat quinque: hæque* „*ſimul omnes inſpiciant; dum ne qua earum, dum inſpicit, invita muliere ven-* „*trem tangat. Mulier in domu honeſtiſſimæ fœminæ pariat, quam ego conſti-* „*tuam. Mulier ante dies triginta, quam parituram ſe putat, denunciet his, ad* „*quos ea res pertinet, procuratoribusve eorum, ut mittant, ſi velint, qui ventrem* „*cuſtodiant. In quo conclavi mulier paritura erit, ibi ne plures aditus ſint, quam* „*unus. Si erunt, ex utraque parte tabulis præfigantur. Ante oſtium ejus con-* „*clavis liberi tres, & tres liberæ cum binis comitibus cuſtodiant. Quotiescunque* „*ea mulier in id conclave, aliudve quod, ſive in balneum ibit: cuſtodes ſi volent,* „*id ante proſpiciant; & eos, qui introierint, excutiant. Cuſtodes, qui ante con-* „*clave poſiti erunt, ſi volunt, omnes, qui conclave aut domum introierint, excu-* „*tiant. Mulier cum parturire incipiat, his, ad quos ea res pertinet, procurato-* „*ribusve eorum denunciet, ut mittant, quibus præſentibus pariat. Mittantur* „*mulieres liberæ duntaxat quinque: ita, ut præter obſtetrices duas in eo conclavi*

„*ne*

Digitized by Google

„ne plures mulieres liberæ ſint, quam decem: ancillæ quam ſex. Hæ, quæ intus „futuræ erunt, excutiantur omnes in eo conclavi, ne qua prægnans ſit. Tria „lumina, ne minus, ibi ſint: ſcilicet quia tenebræ ad ſubjiciendum aptiores ſunt. „Quod natum erit, his, ad quos ea res pertinet, procuratoribusve eorum, ſi inſpi„cere volent, oſtendatur. Apud eum educatur, apud quem parens juſſerit. Si „autem nihil parens juſſerit, aut is, apud quem voluerit educari, curam non re„cipiet: apud quem educetur, cauſa cognita conſtituam. Is, apud quem educa„bitur, quod natum erit, quoad trium menſium ſit, bis in menſe: ex eo tempore „quoad ſex menſium ſit, ſemel in menſe: a ſex menſibus quoad anniculus fiat, „alternis menſibus: ab anniculo quoad fari poſſit, ſemel in ſex menſibus, ubi volet, „oſtendat. Si cui ventrem inſpici, cuſtodirive, adeſſe partui licitum non erit; fa„ctumve quid erit, quo minus ea ita fiant, uti ſupra comprehenſum eſt; ei quod „natum erit, poſſeſſionem cauſa cognita non dabo. Sive quod natum erit, ut ſupra „cautum eſt, inſpici non licuerit: quas utique actiones me daturum polliceor his, „quibus ex edicto meo bonorum poſſeſſio data ſit: eas, ſi mihi juſta cauſa videbitur „eſſe, ei non dabo.„ v. *l. 1. §. 10. & ſeqq. D. h. t.*

TITULUS V.

SI, VENTRIS NOMINE MULIERE IN POSSESSIONEM MISSA, EADEM POSSESSIO DOLO MALO AD ALIUM TRANSLATA ESSE DICATUR.

§. 1.

Quod ſi vero conſtet mulierem eſſe prægnantem, *Venter* ſeu *Mulier Ventris nomine;* etiam antequam partus edatur, in poſſeſſionem bonorum defuncti mitti poteſt. *l. 1. pr. §. 1. D. de ventr. in poſſ. mitt.* v. *l. 1. §. 10. in f. & §. ult. D. de inſp. ventr.*

§. 2. Qua parte tamen ne fraudibus mulierum locus ſit, cavit Prætor, ne mulier in poſſeſſionem miſſa, eam in alium dolo malo transferat, neve calumniæ cauſa in poſſeſſionem veniat.

§. 3. Et quidem de priori cauſa ita edixiſſe videtur. *Si Ventris nomine muliere in poſſeſſionem miſſa, eadem poſſeſſio ad alium dolo malo translata eſſe dicetur; tam adverſus mulierem, quam adverſus eum, in cujus poteſtate ea fuerit, quanti actoris interfuerit, actionem dabo. Eum quoque, qui per dolum in poſſeſſionem venerit, ab ea decedere cogam.* arg. *Inſcr. & l. 1. §. 1. 2.* D. *h. t.*

§. 4. Quo Edicto rectiſſime Prætor proſpexit, ne, dum in favorem partus poſſeſſionem polliceatur, aliis prædæ occaſionem præbeat. *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 5. Idcirco conſtituit actionem in mulierem, quæ in alium hanc poſſeſſionem dolo malo tranſtulit. *l. 1. §. 1.* D. *h. t.*

§. 6. *Dolo malo* autem facit mulier, non quæ in poſſeſſionem venientem non prohibet; ſed quæ circumſcribendi alicujus cauſa, clam & per quandam machinationem in poſſeſſionem introducit. *l. 2.* D. *h. t.*

§. 7. Neque ſolum mulierem Prætor coërcet, verum eum quoque, in cujus poteſtate fuerit; ſcilicet ſi dolo ipſorum alius in poſſeſſionem fuerit admiſſus. *l. 1. §. 1.* D. *h. t.*

§. 8. In quos omnes Actionem pollicetur, quanti interfuerit ejus, qui experitur: *l. 1. §. 1. 3. l. 2. §. 1. D. h. t.* quæ etiam poſt annum datur, quia rei perſecutionem habet. *l. 1. §. 4. D. h. t.*

§. 9. Neceſſario etiam Prætor adjecit, *Ut*, *qui per dolum venit in poſſeſſionem, cogatur decedere. l. 1. §. 2.* D. *h. t.* Coget autem eum decedere non Prætoria poteſtate, vel manu miniſtrorum; ſed melius & civilius faciet, ſi eum per interdictum ad jus ordinarium remiſerit. *l. 1. §. 2. D. h. t.*

TITULUS VI.

SI MULIER, VENTRIS NOMINE, IN POSSESSIONE CALUMNIÆ CAUSA ESSE DICETUR.

§. 1.

De poſteriori cauſa antem Prætor tale Edictum propoſuit: *Si mulier ventris nomine in poſſeſſione calumniæ cauſa eſſe dicetur, quanti agentis interfuerit, intra annum, quo agendi poteſtas erit, actionem dabo, etiam adverſus parentem, ſi per eum factum ſit, ut in poſſeſſionem per calumniam iretur.* arg. *Inſcr. l. un. §. 2. 3. 4. 5. D. h. t.*

§. 2. Hoc edictum ex eadem cauſa proficiſcitur, ex qua ſuperius; debet enim Prætor, quemadmodum facilis eſt circa bonorum poſſeſſionem dandam mulieri ventris nomine, ita calumniam ejus impunitam non relinquere. *l. un. §. 1. D. h. t. l. 110. §. ult. D. de R. J.*

§. 3. *Per calumniam* autem in poſſeſſione fuiſſe videtur, quæ, ſciens prudensque ſe prægnantem non eſſe, voluit in poſſeſſionem venire. *l. un. §. 2. D. h. t.*

§. 4. Contra quam, ei cujus intereſt, *l. un. §. 6. D. h. t.* intra annum utilem, *d. l. un. §. 3.* ſimili modo Prætor Actionem pollicetur, in id quanti ejus interfuit. *d. l. un. §. 4. 7. 8.*

§. 5. In *Parentem* etiam Prætor actionem pollicetur; ſi modo per eum factum ſit, ut in poſſeſſionem per calumniam veniret. *d. l. un. §. 5. 12.*

§. 6. In qua Actione illud ſingulare eſt, quod damnatos ſequatur infamia. *l. 15. 17. 19. D. de his qui not. infam.*

TITU-

Digitized by Google

TITULUS VII.

De Concubinis. C. V. 26.

§. 1.

Similis matrimonio eſt *Concubinatus*, unde de *Concubinis* ultimo loco ſubjicitur.

§. 2. Eſt autem *Concubinatus conjunctio maris cælibis & fœminæ, liberæ, & unicæ, citra affectionem maritalem.* Paul. *L. II. Sent. T. 20. l. un. C. h. t. Nov. 18. c. 5. circa fin. l. 4. D. h. t.*

§. 3. Qui per leges nomen aſſumſit, & extra legis pœnam eſt: *l. 3. §. 1. D. h. t.* unde & *inæquale conjugium*, *l. 3. C. de nat. lib.* & *licita conſuetudo* dicitur, *l. 5. in f. C. ad SCt. Orfit.* add. *Nov. 18. c. 5.*

§. 4. *Concubina* vera eſt, quæ cum uxor non ſit, cum aliquo tamen vivit, & uxoris loco in domo eſt ac corpus miſcet. *l. 144. D. de V. S.*

§. 5. Non tamen omnes in concubinatu eſſe poſſunt; ſed tantum libertæ, & ingenuæ, quæ obſcuro loco natæ ſunt, vel quæſtum corpore fecerunt. Alioquin ſi honeſtæ vitæ & ingenuam mulierem in concubinatu habere maluerit, ſine teſtatione hoc manifeſtum faciente non conceditur: ſed neceſſe eſt ei, vel uxorem eam habere, vel hoc recuſantem ſtuprum cum ea committere. *l. 3. pr. D. h. t. l. 24.* D. *de rit. nupt.*

§. 6. Plane *Concubinatus* Jure Divino, v. *1. Cor. V, 9. 11. VII, 2. Ep. ad Hebr. XIII*, 4. & Canonico, *c. nemo. 4. c. meretrices. 11. Cauſ. 32. Q. 4.* nec non *Nov. Leonis 91.* eſt prohibitus.

* *

LIBER XXVI. TITULUS I.

De Tutelis.

§. 1.

Sequuntur *Tutelæ, Actionesque*, quæ ratione *Tutelæ* & *Curæ* locum habent.

§. 2. Et quidem olim, *Tutela*, vel *Sexus* erat ſeu *Muliebris*, vel *Ætatis*. Ulp. *Fragm. Tit. XI. §. 1.*

§. 3. Sed *Tutela Sexus* ſeu *Muliebris*, in qua perpetuo erant fœminæ ſeu mulieres, etiam poſtquam puberes factæ erant, Ulp. *d. §. 1.* Liv. *L. XXXIV. c. 2. 7. L. XXXIX. c. 9.* Gell. *L. X. c. 23.* Boëth. *in Top. Cic. L. II.* deinceps abrogata eſt. *v. pr. I. quib. mod. tut. fin. pr. I. de curator.*

§. 4. Ut adeo maxime conſideranda veniat *Tutela Ætatis*, quæ, ut Servius defi-

deſinit,ˈ eſt *vis ac poteſtas in capite libero, ad tuendum eum, qui propter ætatem ſuam ſponte ſe defendere nequit, jure civili data ac permiſſa. l. 1. pr.* D. *§. 1. I. h. t.*

§. 5. Eſt *Vis ac poteſtas;* i. e. facultas & jus pro auctoritate quid faciendi. Unum enim idemque hæc verba ſignificant, & ita etiam alibi ſimul ponuntur. *§. 3. I. de interdict. l. 17. D. de ll. l. 1. D. de noxal. act. l. 7. C. de codicill.* Ut adeo hic nihil corrigendum, neque pro *Vis ac poteſtas*, ex Theoph. ad *§. 1. I. h. t. Jus ac poteſtas* legendum ſit. v. *l. 1. §. 1. D. §. 2. I. h. t.*

§. 6. *In capite libero;* i. e. in Pupillo. v. Gell. *L. V. c. 19.* Ulp. *T. XI. §. 5.*

§. 7. Eſt autem hic *Pupillus homo impubes ſui juris; l. 239. D. de V. S.* qui cæteroquin alibi tantum ratione ætatis ita vocatur, licet ſit in poteſtate patris. *l. ult. §. 2. D. de V. O.*

§. 8. *Ad tuendum eum, qui propter ætatem ſuam ſponte ſe defendere nequit; l. 30. D. de adm. tut. l. pen. D. de in rem verſ.* naturali juri enim conveniens eſt, ut is, qui perfectæ ætatis non ſit, alterius tutela regatur. *§. 6. I. de Attil. tut.* add. Cic. *L. I. de Off. c. 25.*

§. 9. *Jure Civili data ac permiſſa. Datur* enim, i. e. defertur immediate *ex L. XII. Tab.* Tutela *Legitima; l. 5. pr. l. 6. D. de leg. tut. Permittitur Teſtamentaria* & *Dativa.*

§. 10. Sunt itaque *Tutores, qui eam vim ac poteſtatem habent*: exque re ipſa nomen ceperunt; nam *Tutores* appellantur quaſi tuitores atque defenſores: ſicut *Æditui* dicuntur, qui ædes tuentur. *l. 1. §. 1.* D. *§. 2. I. h. t.*

§. 11. *Dantur Tutores Pupillis* ſui juris; *l. 239.* D. *de V. S.* non ſervis, *l. 17.* D. *de tut. dat.* aut filiisfamilias. *pr. I. h. t. l 6. §. ult.* D. *h. t.*

§. 12. Et quidem principaliter perſonis, non rebus: *§. 4. I. qui teſtam. tut. l. 12. 14.* D. *de teſtam. tut.* niſi forte detur ad Actum adeundæ hereditatis; *l. 10. pr. de teſtam. tut. l. 17. §. 1.* D. *de appell. l. 9. l. 13.* D. *de tutor. vel curator. dat.* vel rei Africanæ vel Syriacæ, ſi ſcil. magnæ ſint pupilli facultates. *l. 15.* D. *de teſtam. tut. l. 27. pr.* D. *de tut. dat.*

§. 13. *Dari poſſunt*, quicunque non impediuntur, neque prohibentur.

§. 14. *Impediuntur* furioſi, mente capti, *l. pen. D. h. t. l. 40.* D. *de R. J.* ut & ſurdi & muti. *l. 1. §. 2. 3. l. pen. D. h. t. l. 8. D. de auct. tut.*

§. 15. *Prohibentur I.* Prodigi. *l. 1. D. de curat. fur. l. 12. §. 2.* D. *de tut. & cur. dat. l. f. C. de legit. tut.*

II. Impuberes, & Minores. *§. 13. I. de excuſ. tut. l. f. C. de legit. tut.*

III Mulieres; *l. ult. D. h. t.* quia Tutela virile officium, & munus maſculorum eſt: *l. 16. pr. l. ult. D. h. t. l. 2. D. de R. J.* excepta ſecundum jus Novum Matre & Avia. *Nov. 118. c. 5.*

IV. Milites. *l. 1. C. locat. l. 4. C. qui dar. tut. poſſ.*

V. Epiſcopi & Monachi; *l. 52. pr. & Auth. ſeq. §. 1. C. de Ep. & Cler.*

non

non etiam indiſtincte reliqui Clerici, qui ad Tutelam Legitimam volentes admittuntur. *N. 123. c. 5. Auth. Presbyteros. C. de Ep. & Cler.*

VI. Debitores ac creditores pupillorum; *Nov. 72. c. 1. 2. 4. Nov. 34. præf. Auth. Minoris debitor. C. qui dar. tut.* ſecus ac jure priori. v. *l. 8. C. qui dar. tut. l. 7. C. de excuſ.*

VII. Quos pater aut mater tutores eſſe teſtamento prohibuit. *l. 8. pr. D. de teſt. tut. l. 21. §. 2. D. de tut. dat. l. un. C. ſi contr. matr. volunt.*

VIII. Qui ſe ipſos ingerunt & nummis datis tutelam occupant. *l. 21. §. ult. D. de tut. dat. l. 9. D. h. t. l. 3. §. 15. D. de ſuſp. tut.*

IX. Servi; *l. 22. D. de teſt. tut. l. 32. D. de R. J. l. 7. C. qui dar. tut.* quamdiu ſcil. in eodem ſtatu ſunt. v. *§. 1. I. qui teſt. tut. l. 10. §. ult. D. de teſt. tut.*

§. 16. Dantur atuem Tutores vel *Teſtamento*, vel a *Lege*, vel a *Magiſtratu*; unde *Tutela* eſt vel *Teſtamentaria*, vel *Legitima*, vel *Dativa*. *l. 52. C. de Ep. & Cler. Auth. Matri. C. quand. mul. off. tut.*

TITULUS II.

De Teſtamentaria Tutela. C. V. 28.

§. 1.

Tutela Teſtamentaria eſt vel *Propria*, vel *Impropria* ſeu *Quaſi talis.* arg. *l. 3. D. de conf. tut. d. Auth. Matri. C. quand. mul. off. tut.*

§. 2. *Tutela Teſtamentaria Propria* eſt, *cum parentes liberis ſuis impuberibus, quos proxime in poteſtate habent, tutores dant teſtamento, vel codicillis teſtamento confirmatis. l. 1. pr. l. 3.* D. *h. t. §. 3. I. de tut. l. 1. §. 1. D. de conf. tut.*

§. 3. Lege duodecim tabularum enim permiſſum eſt parentibus, liberis ſuis, ſive fæminini, ſive maſculini ſexus, ſi modo in poteſtate ſint, tutores teſtamento dare. *d. l. 1. pr. D. h. t. §. 3. I. de tutel.* Ulp. *T. XI. §. 14.*

§. 4. Et hoc in filios filiasque procedit omnimodo: nepotibus vero neptibusque ita demum parentes poſſunt teſtamento tutores dare, ſi poſt mortem eorum in poteſtatem patris ſui non ſint recaſuri. *d. §. 3. I. de tutel. l. 1. §. 2. D. h. t.*

§. 5. Cumque exheredati non deſinant eſſe in poteſtate, *§. 4. I. de pup. ſubſt.* iis quoque teſtamento tutor dari poteſt. *l. 4.* D. *h. t.*

§. 6. Ut & poſtumis nondum natis, ſi modo in ea cauſa ſint, ut, ſi vivis parentibus naſcerentur, ſui heredes & in poteſtate eorum fierent. *l. 1. §. 1.* D. *h. t. §. 4. I. de tutel.* Quia, qui in utero eſt, habetur pro nato, quoties de commodo ipſius agitur. *l. 7. D. de ſtat. hom. d. §. 4. I. de tutel.*

§. 7. Adeo, ut ſi quis *Filiabus ſuis* vel *Filiis* tutores dederit, etiam *Poſtu-*

mæ vel *Poſtumo* dediſſe videatur, quia *Filiæ* vel *Filii* appellatione etiam *Poſtuma* & *Poſtumus* continentur. *l. 5. D. h. t. §. ult. I. qui teſtam. tut. l. 164. pr. D. de V. S.*

§. 8. Quod ſi *Nepotes* ſint, & ipſis tutores dati videntur, ſi modo *Liberos* dixit; cæterum ſi *Filios*, non continebuntur: aliter enim *Filii*, aliter *Nepotes* appellantur. Plane, ſi *Poſtumis* dederit, tam filii poſtumi, quam cæteri liberi continebuntur. *l. 6. D. h. t. §. ult. I. qui teſtam. tut. dar. poſſ.* add. *l. 16. D. h. t.*

§. 9. Sive autem teſtamento dentur, ſive codicillis teſtamento confirmatis, nihil intereſt; *l. 3. pr. D. h. t. l. 1. §. 1. D. de conf. tut.* dummodo jure dati ſint. *d. l. 3. §. 1.* D. *h. t.*

§. 10. *Dari* vero hi *poſſunt*, cum quibus eſt teſtamenti factio, *l. 21. D. h. t.* ſcil. paſſiva.

§. 11. *I.* Non tantum Liberi, ſed etiam Servi; adeo, ut & ſine libertate datus, tacite nihilominus directam libertatem accipiat. *§. 1. I. qui teſt. tut. dar. poſſ. l. 32. §. 2. D. h. t. l. pen. C. de neceſſ. ſerv. hered.*

§. 12. Sed hoc verum eſt quoad ſervum proprium; ſervus enim alienus quoad verba & mentem pure inutiliter datur: ſed ſub conditione dari poteſt. *d. §. 1. I. qui teſtam. tut. dar. poſſ.* Ita acc. *l. 10. §. ult. D. h. t.*

§. 13. *II.* Non tantum Patresfam. ſed & Filiifam. *pr. I. qui teſtam. tut. dar. poſſ.* Tutela enim eſt munus publicum; *pr. I. de excuſ. tut.* in publicis autem cauſis filiusfam. habetur pro patrefamilias. *l. 9. D. de his qui ſunt ſui vel alien. jur.*

§. 14. *III.* Neque tantum Privati, ſive ejuſdem civitatis cives ſint, ſive alterius; *l. 32. pr.* D. *h. t.* ſed & Magiſtratus, ſive ii Prætores ſint, ſive Conſules. *l. 20. §. 1. D. h. t.*

§. 15. Quin & Furioſi & Minores teſtamento dari poſſunt; *l. 10. §. 3. D. h. t. §. 2. I. qui teſtam. tut.* ſed tutores tum demum erunt, ubi furioſus compos mentis, minor autem major factus erit: *d. l. 10. §. 3. d. §. 2.* medio tempore curator datur a Magiſtratu. *l. 10. §. 7. D. de excuſ.*

§. 16. Non autem incertus tutor dari poteſt; *l. 20. pr. l. 30. D. h. t. §. 27. I. de legat.* neque, ex ſententia *SCti Liboniani*, tutor erit, qui ſe teſtamento pupillo tutorem ſcripſit: *l. 29. D. h. t.* niſi de alia voluntate patris, hoc ipſum manu ſua declarantis, aperte conſtet. *d. l. 29.*

§. 17. Sive pure teſtamento tutor detur, ſive a certo tempore, vel usque ad certum tempus; ſive ſub conditione, vel usque ad conditionem, nihil intereſt: *l. 8. §. 2. D. h. t. § 3. I. qui teſtam. tut. dar. poſſ.* licet a Magiſtratu ad diem vel ſub conditione dari nequeat. *l. 6. §. 1. D. de tutel. l. 77. D. de R. J.*

§. 18. Quo caſu, ſi ſcil. ſub conditione vel ex die tutor datus ſit, medio tempore alius datur a Magiſtratu: quamvis Legitimum tutorem pupillus habeat. Quamdiu enim *Teſtamentaria* ſperatur, *Legitima* tutela ceſſat. *l. 11. pr. D. h. t.*

§. 19.

§. 19. Illud etiam in hac Tutela ſingulare eſt, quod Tutores teſtamento dati *Rem pupilli ſalvam fore* ſatisdare non coguntur; *l. 17. pr. D. h. t. pr. I. de ſatisd. tut. vel cur.* quia fides eorum & diligentia ab ipſo teſtatore approbata eſt. *d. pr. I. de ſatisd. tut. l. 7. §. 5. C. de curat. fur.*

§. 20. Niſi unus reliquis offerat ſatisdationem, ut ſolus adminiſtret; qui cauſa cognita audiendus eſt. *l. 17. pr. §. 1. 2. l. 18. 19. pr. §. 1. D. h. t. §. 1. I. de ſatisd. tut.*

§. 21. De quo etiam Edicto, & forte hiſce verbis, cautum eſt: *Si quis ex pluribus tutoribus ſatisdationem obtulerit, ut ſolus adminiſtret, an ille audiri, cæteriſque nihilominus eadem conditio deferri debeat, cauſa cognita conſtituam.* arg. *d. l. 17. & ſeqq.* D. *h. t.*

§. 22. Quod *Edictum de Satisdatione*, licet ad Tutores *Teſtamentarios* proprie pertineat, ad eos tamen, qui ex inquiſitione dati ſunt, etiam extenditur. *l. 19. §. 1.* D. *h. t. I. de ſatisd. tut.*

TITULUS III.

De Confirmando Tutore, Vel Curatore.

C V. 29.

§. 1.

Tutela *Teſtamentaria Impropria* ſeu *Quaſi talis* eſt, *I.* cum Pater liberis emancipatis; vel *II.* Codicillis teſtamento non confirmatis; vel *III.* Mater liberis ſuis heredibus inſtitutis, aliusve extraneus, pupillo heredi inſtituto, dat Tutorem. *l. 1. §. 1. l. 3. D. h. t. §. ult. I. de tutel. l. 32. D. de excuſ.*

§. 2. Quo caſu, quod deficit, replendum a Magiſtratu, ab eoque tales tutores confirmandi ſunt. *dd. ll.*

§. 3. Unde, cum hi tutores jure dati non ſint, *l. 1. §. 1. l. 3.* D. *h. t.* & tamen ex voluntate teſtatoris magis, quam magiſtratus, adeoque ex juris neceſſitate fiat confirmatio, *l. 1. §. 1. 2. l. 3. 6. D. h. t. §. ult. I. de tutel. l. 32. D. de excuſ.* hæc tutelæ ſpecies potius *Teſtamentaria Impropria* ſeu *Quaſi talis*, quam *Dativa*, dicenda videtur. arg. *d. l. 3. D. l. 3. C. h. t. Auth. Matri. C. quand. mul. off. tut.*

§. 4. Et quidem, ſi Tutor ita datus eſt a *Patre*, confirmandus eſt omnimodo, i. e. ſine inquiſitione & ſatisdatione. *l. 1. §. 2. l. 3. & 6. D. h. t. §. ult. I. de tutel. l. 4. D. de teſt. tut.*

§. 5. Niſi juſta cauſa intercedat, quæ confirmationem diſſuadeat: veluti, ſi, ex quo tempore tutor datus eſt, magna facultatum tutoris facta ſit deminutio; vel morum ante celata vel ignorata emerſerit improbitas; vel inimicitiæ cum patre exarſerint; vel tutor cum Fiſco contractum aliquem damnoſum miſcuerit, *l. 8. 9. D. h. t. l. 4. D. de teſt. tut.*

Digitized by Google

§. 6. Quibus ſimilibusque caſibus Prætor utilitatem pupillorum, non vero ſcripturam teſtamenti vel codicillorum ſequitur. *l. 10. D. h. t.*

§. 7. Si vero datus ſit a *Matre*, aliove *Extraneo*, ita confirmatur, ſi & pupillus heres inſtitutus ſit. *l. 4. C. de teſtam. tut. l. 4. D. h. t.* Et quidem cum inquiſitione, ſi fuerint Magiſtratus majores; *l. 2. pr. D. h. t. l. 4. D. de teſt. tut.* v. *l. 7. §. 1. l. 8. D. h. t.* ſi vero minores, etiam cum ſatisdatione. *l. 5. D. h. t.*

TITULUS IV.

DE LEGITIMIS TUTORIBUS. C. V. 30.

§. 1.

Tutela Legitima eſt, *quæ omnino deficiente* (ut ne quidem amplius ſperetur, *l. 11. pr. D. de teſtam. tut.*) *Teſtamentaria*, *ſine facta hominis*, *ex Legis diſpoſitione*, *defertur proximis ſucceſſoribus ab inteſtato.*

§. 2. Eaque vel *Vetus* eſt, vel *Nova.*

§. 3. *Vetus* erat quadruplex, *I. Legitima Agnatorum Tutela; II. Patronorum; III. Parentum;* & *IV. Fiduciaria.*

§. 4. *Legitima Agnatorum Tutela* eſt, *quæ deficiente Teſtamentaria, defertur proximis Agnatis.*

§. 5. Inteſtato enim parente mortuo, *Lege duodecim Tabularum* Agnatis defertur tutela. *l. 6. & 1. 5. pr. D. h. t.*

§. 6. Summa providentia; ut, qui ſperarent hanc ſucceſſionem, iidem tuerentur bona, ne dilapidarentur. *d. l. 1. pr. D. h. t.*

§. 7. *Inteſtatus* autem hic videtur, non tantum is qui teſtamentum non fecit, ſed & is, qui teſtamento liberis ſuis tutores non dedit: quantum enim ad tutelam attinet, inteſtatus eſt. Idemque dicendum, ſi tutor teſtamento datus adhuc impubere manente filio deceſſerit. *l. 6. D. h. t. §. 2. I. de legit. agnat. tut.*

§. 8. *Agnati* vero ſunt, *cognati per virilis ſexus cognationem conjuncti*, quaſi a patre cognati. *l. 7. D. h. t. §. 1. I. de legit. agn. tut. l. 10. §. 2. D. de grad. & affin.*

§. 9. *Cognati* contra, *qui per fœminini ſexus perſonas cognatione junguntur. d. §. 1. d. l. 10. §. 2.*

§. 10. Non tamen omnes Agnati ad tutelam vocantur, ſed ſi plures ſint Agnati, *proximus tutelam nanciſcitur;* ſi vero plures eodem gradu ſunt, omnes tutelam nanciſcuntur: *l. 9. D. h. t. §. ult. I. de cap. dem.* ita tamen, ut uni decerni poſſit adminiſtratio. *l. 5. §. 2. D. h. t.*

§. 11. *Legitima Patronorum Tutela* eſt, *quæ ex interpretatione Legis XII. Tab.* per conſequentias ſcil. hereditatum, *defertur Patronis, eorumque liberis,*

in

Digitized by Google

in libertos manumiſſos impuberes. l. 3. pr. §. 1. & ſeqq. D. *h. t. §. un. I. de legit. patr. tutel.*

§. 12. *Legitima Parentum Tutela* eſt, *quæ exemplo Legitimæ Patronorum tutelæ* (quia Pater in filium emancipatum jus Patroni habet, *§. 6. I. quib. mod. jus patr. pot. ſolv.) defertur Patri in liberos emancipatos impuberes, l. 3. §. ult. D. h. t. §. un. I. de legit. parent. tut.* add. *§. ult. I. de legit. agnat. ſucceſſ.* Ulp. *Tit. XI. §. 5.*

§. 13. *Legitima Fiduciaria Tutela* eſt, *quæ poſt mortem Patris emancipatoris, defertur liberis perfectæ ætatis, in emancipatos impuberes. l. 4. D. h. t. §. un. I. de fiduc. tut.*

§. 14. Quod nomen inde haud dubie originem trahit, quod emancipatio *contracta fiducia* fieri ſolebat, *§. ult. I. de legit. agnat. ſucceſſ.* Ulp. *Tit. XI. §. 5.* Ut adeo *Legitima Parentum Tutela* recte etiam *Fiduciaria* dici potuiſſet. v. Ulp. *d. l.*

§. 15. Sed cum illa ſatis commode *Legitima Parentum Tutela* diceretur, hic autem aliud nomen deficeret, hæc Tutela *Fiduciaria* vocata eſt.

§. 16. *Tutela Legitima Nova* ſubdividi poteſt, in *Ordinariam*, & *Extraordinariam*, ſeu, ut alii loqui malunt, in *Regularem*, & *Irregularem.*

§. 17. *Ordinaria* eſt, quæ, ſublata differentia inter *Agnatos* & *Cognatos*, *Nov. 118. c. 4.* ſecundum ordinem *d. Nov. 118. c. 1. 2. 3.* defertur proximis, ſive *Cognatis*, ſive *Agnatis*, ab inteſtato ſuccedentibus. Dummodo maſculi ſint, & XXV. annis majores. *l. 1. §. 1. D. h. t. §. un. in fin. I. de legit. patron. tut. l. ult. C. h. t.*

§. 18. *Extraordinaria* eſt, quæ Matri & Aviæ volentibus defertur; dummodo renuncient SCto Vellejano & ſecundis nuptiis. *Nov. 118. c. 5. Auth. Matri & Aviæ. C. quand. mul. off. t. t.*

§. 19. Adeo, ut non tantum omnibus a latere cognatis præponantur, ſed & Mater Avo paterno præferenda videatur. *d. N. 118. c. 5.* junct. *Auth. Matri & Aviæ. C. quand. mul. t. t. off.* Solis Teſtamentariis tutoribus eas præcedentibus, ut ſervetur voluntas Teſtatoris. *d. N. 118. c. 5. Auth. Matri & Aviæ. C. quand. mul. off. tut.*

TITULUS V.

De Tutoribus Et Curatoribus Datis Ab His, Qui Jus Dandi Habent; Et Qui, Et In Quibus Causis Specialiter Dari Possunt.

C. V. 34.

§. 1.

Tutela *Dativa* eſt, *quando deficiente Teſtamentaria & Legitima, vel etiam ſuſpenſa*

ſuſpenſa Teſtamentaria, *§. 1. I. de Attil. tut. Magiſtratus*, *ex poteſtate ſpeciali lege ſibi conceſſa*, *dat tutorem.*

§. 2. Tutoris datio enim neque imperii eſt, neque jurisdictionis, ſcil. *Ordinariæ*; ſed ei ſoli competit, cui nominatim hoc dedit vel Lex, vel Senatusconſultum, vel Princeps: *l. 6. §. 2. D. de tut.* v. Diſſ. *N. XI. ad Conſt. Marci*, *§. 4. & ſeqq.* ut nec mandante Præſide alius tutorem dare poſſit. *l. 8. pr. D. h. t.*

§. 3. Et quidem primum ex *Lege Attilia* tutor in Urbe dabatur a Prætore Urbano, & majore parte (i. e. ſex, v. *l. 2. §. 34. D. de O. J.*) Tribunorum plebis, ex Lege *Julia* & *Titia* vero in Provinciis a Præſidibus Provinciarum. *pr. I. de Attil. tut.*

§. 4. Deinde ex his legibus tutores pupillis deſierunt dari; & Conſules ex inquiſitione, poſteaque Prætores ex Conſtitutionibus dederunt. *§. 3. I. de Attil. tut.* v. Capit. *in Marc. c. 10.*

§. 5. Poſtmodum Romæ Præfectus Urbi vel Prætor ſecundum ſuam jurisdictionem; in Provinciis autem Præſides vel Proconſules, nec non Legati Proconſulum ex Oratione Divi Marci, vel Magiſtratus Municipales, ſi non magnæ eſſent pupilli facultates, tutores crearunt. *§. 4. I. de Attil. tut. l. 1. pr. §. 1. l. 3. & 19. pr. §. 1. D. h. t.*

§. 6. Tandemque Imp. Juſtinianus Magiſtratibus municipalibus id conceſſit, etiam non expectata juſſione Præſidum, dummodo facultates pupilli non excedant D. ſolidos, & adhibeatur Epiſcopus loci. *§. 5. I. de Attil. tut. l. 30. C. de Ep. aud.*

§. 7. Quibus itaque ſpecialiter hoc conceſſum eſt, tutores dare poſſunt Pupillis, ratione domicilii; v. *l. 3. C. de municip.* vel bonorum ſibi ſubjectis; *l. 27. D. h. t. l. un. in f. C. ubi pet. tut.* non tantum præſentibus, ſed & abſentibus, neque tantum ſcientibus, ſed & ignorantibus & invitis. *l. 5. 6. D. h. t.*

§. 8. Dare autem poſſunt, præmiſſa inquiſitione in voluntatem parentum, moresque & facultates dandorum, v. *l. 21. §. 2. 5. 6.* D. *h. t. l. 7. §. 1. l. 8. D. de confirm. tut.* omnes ſibi ſubjectos; *l. 1. §. f. l. 3. 24. 27. D. h. t. l. 5. C. qui dar. tut.* tum præſentes, tum abſentes: *l. 5. D. h. t.* qui ſcil. neque impediuntur, neque prohibentur. v. *l. 7. C. qui dar. tut.* v. ſupr. *ad t. de tutel. §. 14. 15.*

§. 9. Quin & Magiſtratus municipalis collegam dare poteſt; *l. 19. §. 1. D. h. t. l. 3. D. qui pet. tut.* licet eum invitum ad ſuſcipiendam tutelam cogere nequeat, *l. 13. §. 4. D. ad SCt. Trebell. l. 14. D. de manum.* neque Magiſtratus ſe ipſum dare poſſit. *l. 4. D. h. t.*

§. 10. Quod ſi vero deſint in civitate, ex qua pupilli oriundi ſunt, qui idonei videantur eſſe tutores, officium erit Magiſtratuum, inquirere ex vicinis civitatibus honeſtiſſimum quemque, & nomina Præſidi Provinciæ mittere, non vero arbitrium dandi ſibi vindicare. *l. 24. D. h. t.* v. Diſſert. *N. XI. ad Conſt. Marci.*

§. 11.

Digitized by Google

§. 11. Et quidem dari poſſunt a Magiſtratu omni tempore & loco; *l. 8. §. 2. D. h. t. l. 3. §. 3. D. de tutel. l. 2.* D. *de ſcr.* dummodo dentur pure, non ſub die vel conditione. *l. 6. §. 1. D. de tutel. l. 77.* D. *de R. J.*

§. 12. Pro qua tamen non habenda adjectio, quam Præſides Provinciarum faciunt, *Tutorem do ſi ſatisdederit.* Quæ non conditionem in ſe habet, ſed admonitionem, non aliter ei tutelam committi, quam ſi ſatisdederit, hoc eſt, non aliter ei gerere permittendum, quam ſi rem ſalvam fore caverit. *d. l. 6. §. 1.* D. *de tutel.*

§. 13. Neque tantum generaliter, ſi nullus omnino tutor ſit, dari poſſunt, ſed & in quibusdam cauſis ſpecialiter. *h. t.*

§. 14. Si enim in teſtamento tutor ſub conditione, aut ex certo die datus ſit; vel pure quidem, ſed ex teſtamento hereditas nondum ſit adita; *§. 1. I. de Attil. tut. l. 10. pr. D. de teſtam. tut.* vel nomine impuberis hereditas adeunda ſit; *l. 9. D. h. t.* vel tutores dati appellent, vel abſint; *l. 2. D. h. t.* vel ab hoſtibus capti ſint; *§. 2. I. de Attil. tut.* interim a Magiſtratu tutor dari debet. *dd. ll.*

TITULUS VI.

QUI PETANT TUTORES, VEL CURATORES, ET UBI PETANTUR.

C. V. 31. 32.

§. 1.

Solent autem Magiſtratus Pupillis Tutores dare, ad petitionem propinquorum; quorum alii *voluntate* petunt tutores, alii vero *petere neceſſe habent. l. 2. §. 1. D. h. t.*

§. 2. *Voluntate* petunt tutores cognati, affines, familiares & amici. *l. 2. pr.* D. *h. t.*

§. 3. *Neceſſe habent petere, Mater, Cognati, & Liberti. d. l. 2. §. 1.* D. *h. t.*

§. 4. Ex his enim illa damnum patitur; hi autem & puniuntur. *Mater* enim expellitur a legitima filii hereditate, quaſi exiſtens indigna accipere hereditatem legitimam, negligens ei conſtitui tutorem; *Liberti* autem ex his cauſis accuſati apud Præſidem puniuntur, ut emendentur, ſi apparuerint, vel propter negligentiam, vel propter malitiam, non petiiſſe. *d. l. 2. §. 1. D. h. t. l. 2. §. 23. D. ad SCt. Tertull. l. 10. C. de legit. hered.*

§. 5. Et quidem quantum ad *Matrem* attinet, extat ea de re Epiſtola ſeu *Reſcriptum Divi Severi*, ad Cuſpium Rufinum, quod ita habet: „*Omnem me rationem adhibere ſubveniendis pupillis, cum ad curam publicam pertineat, liquere* „*omnibus volo. Et ideo quæ mater vel non petierit tutores idoneos filiis ſuis; vel*

„*priori-*

„*prioribus excuſatis, rejectisve, non confeſtim aliorum nomina dederit; jus* „*non habeat vindicandorum ſibi bonorum inteſtatorum filiorum. l.* 2. *§.* 2. D. *h. t.*

§. 6. Ait Imp. „*Quæ mater vel non petierit;*„ a Prætore ſcil, vel Præſide, vel etiam Magiſtratibus municipalibus. *l.* 2. *§.* 23. *D. ad SCt. Tertull.*

§. 7. „*Tutores idoneos;*„ facultatibus ſcil. ſi enim moribus forte non ſint idonei, matri ignoſcitur. *d. l.* 2. *§.* 37.

§. 8. „*Filiis ſuis;*„ vel filiabus, vel etiam nepotibus: qui ob paritatem rationis hic ſub *filiis* continentur. *d. l.* 2. *§.* 28. 30. 31. D. *ad SCt, Tertull. l.* 201. D. *de V. S.*

§. 9. Non ſolum autem, quæ non petiit, coërcetur, ſed & quæ defunctorie petiit, vel privilegio munitum, vel oneratum tribus tutelis; ſed ita demum, ſi data opera hoc fecit. *d. l.* 2. *§.* 32. 33. 34. *D. ad SCt. Tertull. l.* 2. *§.* 1. *D. h. t.*

§. 10. „*Vel prioribus excuſatis, rejectisve;*„ ſive a Prætore dati non ſint, ſive ut ſuſpecti remoti: ſive omnes excuſati rejective ſint, ſive quidam tantum. *d. l.* 2. *§.* 38. 39. 40. 41. D. *ad SCt. Tertull. l.* 1. *§.* 1. *D. h. t.*

§. 11. „*Non confeſtim aliorum nomina dederit;*„ *Confeſtim* ſic erit accipiendum, ubi primum potuit, i. e. Prætoris copiam habuit huic rei ſedentis; niſi forte infirmitate impedita eſt, vel alia magna cauſa, quæ etiam mandare eam ad petendos tutores impediret; ita tamen, ut nullo modo annale tempus excederet. *d. l.* 2. *§.* 43. *D. ad SCt. Tertull. l.* 10. *C. de leg. her. §. ult. I. de SCt. Tertull.*

§. 12. „*Jus non habeat vindicandorum ſibi bonorum inteſtatorum filiorum.*„ Sed matre remota admittuntur, qui venirent, ſi mater non fuiſſet. *d. l.* 2. *§. ult. D. ad SCt. Tertull.*

§. 13. Si vero maritus ei fideicommiſſum a filio reliquerit, cui mulier non petit tutorem, *ſi ſine liberis deceſſerit;* vel ſub hac ipſa conditione, *ſi inteſtatus mortuus erit*, fideicommiſſi petitio, quæ ex alieno judicio deſcendit, non eſt peremta. *l.* 4. *§.* 3. *D. h. t.*

§. 14. Sed & continetur eadem conſtitutione *Mater*, quæ a Patre non legitime tutores teſtamento, vel codicillis datos filiis impuberibus, non poſtulavit decreto confirmari. *l.* 4. *pr.* D. *h. t.*

§. 15. Ut &, ſi, cum ſuſpecto tutore pupilli accuſato decretum ſit illi adjungi alios, ipſa eos non petierit. *d. l.* 4. *§.* 2. *D. h. t.*

§. 16. Quæ autem ſuſpectum tutorem non fecit, nec verbis, nec ſententia conſtitutionis in pœnam incidit; quod ejusmodi facta dijudicare & æſtimare virilis animi eſt: & poteſt etiam delicta ignorare mater; ſatisque eſt eam petiiſſe talem, qui inquiſitione per Prætorem habita idoneus apparuit. *d. l.* 4. *§. ult. D. h. t.*

§. 17.

§. 17. *Excuſatur* autem *Mater*, *I.* Si penitus egenis liberis, vel qui ſolvendo non ſint, tutores non petierit. *d. l. 2. §. 26. 45. D. ad SCt. Tertull.*

II. Si privilegio munitos petierit, iique tutelam ſuſceperint, vel detenti ſint. *d. l. 2. §. 33.* D. *h. t.*

III. Si pupillo amplum legatum relictum ſit, ſub conditione, ſi tutorem non habuerit. *d. l. 2. §. 44.*

IV. Si maritus uxorem heredem ſcripſerit, rogaveritque, remiſſa ſatisdatione, ut filio puberi facto hereditatem reſtitueret. *d. l. 2. §. 46.*

V. Si Mater XXV. annis minor ſit. *l. 2. C. ſi adv. del.*

§. 18. Petuntur tutores vel eo loco, unde liberi originem per patris conditionem ducunt, vel ubi eorum ſunt facultates. *l. un. C. ubi pet. tut.*

§. 19. Quod ſi vero nullus pupillis tutores petat, Magiſtratus iis ex officio tutores conſtituit. *l. 11. C. de compenſ.* arg. *l. 9. §. 5. D. de off. Proc.*

TITULUS VII.

De Administratione Et Periculo Tutorum, Et Curatorum; Qui Gesserint, Vel Non; Et De Agentibus, Vel Conveniendis, Uno, Vel Pluribus.

C. V. 37. 38.

§. 1.

Atque ita *Tutela* defertur vel *Teſtamento*, vel *Lege*, vel a *Magiſtratu.*

§. 2. Quæ, ubi delata eſt, neceſſario ſuſcipienda & adminiſtranda eſt ut & tutor ad hoc extra ordinem cogi poſſit: *l. 1. pr. D. h. t.* remediis ſcil. prætoriis, *l. 9 D. de mun.* i. e. mulctæ dictione & pignorum capione. *l. 1. §. 3.* D. *de inſp. ventr.*

§. 3. Eſt enim *Tutela* munus publicum; non quidem tam utilitate, *l. 2. §. 5. D. ad municip. l. 6. §. 15. D. de excuſ.* quam auctoritate, *pr. I. de excuſ. tut. l. 9. D. de his qui ſunt ſui vel alien. jur.* & propter curam publicam. *l. 2. §. 2. D. qui pet. tut.*

§. 4. Ut autem recte ſuſcipiatur, Tutores *I. Jusjurandum præſtare* debent, de tutela fideliter adminiſtranda. arg. *Nov. 72. c. ult. Auth. Quod nunc. C. de curat. fur.*

§. 5. *II. Satisdare* rem pupilli ſalvam fore; *pr. I. de ſatisdat. tut. l. 1.* D. *rem pupil. ſalv. for. l. 1. C. de tut. & cur. qui ſatis non ded. l. 6. §. 1. D. de tutel. l. 7.* D. *de præt. ſtip.* exceptis tutoribus Teſtamentariis, & ex inquiſitione datis. *d. pr. I. de ſatisd. tut. l. 3. 4. C. de tut. & curat. qui ſat. non ded.*

§. 6. Adeo, ut non tantum omnia, quæ ab iis ante præſtitam ſatisdationem aguntur, nulla ſint; *l. 3. 5. C. de tut. & cur. qui ſat. non ded.* ſed &, ſi eam non

Digitized by Google

præſtent, tanquam ſuſpecti removeri poſſint: & quidem cum infamia, ſi dolus interceſſerit, *l. 2. C. de tut. & cur. qui ſat. non ded.*

§. 7. *III. Inventarium facere*, ſeu *Repertorium* omnium bonorum pupilli; *l. 7. pr. D. h. t.* & quidem legitime, i. e. ſub præſentia publicarum perſonarum. *l. 24. C. h. t. l. ult. §. 1. C. arb. tut.*

§. 8. Adeo, ut non tantum ſimiliter ante inventarium factum nihil gerere poſſint: *l. 7. pr. in f. D. h. t.* ſed &, qui non fecerunt, dolo malo feciſſe videantur, & in ea conditione ſint, ut tum in id, quod pupilli intereſt, jurejurando in litem æſtimandum, teneantur; *d. l. 7. pr.* tum quaſi ſuſpecti, perpetua infamiæ macula notati, ab officio removeri poſſint. *l. ult. §. 1. C. arb. tut.*

§. 9. Niſi teſtator inventarium conſcribi ſpecialiter prohibuerit; *d. l. ult. §. 1.* ne ſcil. ſecreta patrimonii pandantur. *l. 2. C. de alim. pup. præſt.*

§. 10. Quo caſu tamen, licet ſolennis *Inventarii* confectio non ſit neceſſaria, nihilominus fidelem deſcriptionem aliquam rerum pupillarium tutores ſibi facere debent; ut poſtmodum rationes reddere poſſint. Ut enim *Tutores* ſint *Aneclogiſti*, i. e. immunes a rationibus reddendis, Teſtator teſtamento ſuo efficere nequit; quia nemo jus publicum remittere, vel formam antiquitus conſtitutam mutare poteſt. *l. 5. §. 7. D. h. t. l. 1. §. 3. D. de tut. & rat. diſtr.* v. *l. 119. de leg. 1.*

§. 11. *Tutela* porro recte *ſuſcepta* debite *adminiſtranda eſt.*

§. 12. Et, ſi quidem plures ſint tutores, omnesque adminiſtrare & tutelam dividere velint, audiendi ſunt, *l. 3. §. pen. & ult. l. 4. D. h. t.*

§. 13. Si vero hoc agatur, ut tutela per unum adminiſtretur, quia unus tutor actiones facilius exercet & excipit; *l. 3. §. 6. D. h. t.* poteſt unus cæteris offerre ſatisdationem de indemnitate pupilli, & contutori præferri, ut ſolus adminiſtret. v. ſupr. *ad t. de teſt. tut. §. 20. 21.* Quod ſi nemo eorum ſatis offerat, ſi quidem adſcriptum fuerit a teſtatore quis gerat, ille gerere debet: quod ſi non fuerit adſcriptum, quem major pars elegerit, ipſe gerere debet, ut *Edicto Prætoris* cavetur. *§. 1. I. de ſatisdat. tut.*

§. 14. Quod ita conceptum videtur: *Si plures tutores teſtamento dati fuerint, ei potiſſimum tutelæ adminiſtrationem committam, quem parens teſtamento deſtinaverit. Quod ſi nullus a teſtatore electus fuerit, aut qui electus eſt gerere nolit, tum eum gerere cogam, cui major pars tutorum tutelam decreverit.* arg. *l. 3 §. 1. ſeqq. & §. 7.* D. *h. t.*

§. 15. Sin autem ipſi tutores diſſenſerint circa eligendum, Prætor partes ſuas interponere debet. Idemque in pluribus ex inquiſitione datis comprobandum eſt. *§. 1. I. de ſatisdat. tut. l. 3. §. 7. D. h. t. l. 19. §. 1. D. de teſtam. tut.*

§. 16. Quantum autem ad ipſam *Adminiſtrationem Tutorum* attinet, *principaliter* ea verſatur circa perſonam pupilli; *l. 14. D. de teſt. tut.* tutoris enim præcipuum

cipuum eſt officium, ne indefenſum pupillum relinquat, *l. 30.* D. *h. t.* adeoque curet, ut bene educetur, & bonis moribus, & artibus, ſecundum dignitatem familiæ, & quantitatem facultatum, imbuatur. *l. 12. §. 3. D. h. t. l. 3. §. 5. l.* 4. *D. ubi pupill. educ. deb.*

§. 17. Sed *per conſequentiam* verſatur etiam circa bona. *d. l. 12. §. 3. D. h. t.*

§. 18. Quæ, cum, quantum ad providentiam pupillarem attinet, tutor domini loco habeatur, *l.* 27. D. *h. t. l.* 7. *§. 3. D. pro emt. l. 56. §.* 4. *D. de furt. l. 157. D. de R. J.* in genere tanquam bonus paterfam. adminiſtrare debet. *l. 10. 33. pr. D. h. t. N.* 72. *c. ult.*

§. 19. Hinc debet res ſartas conſervare; *l. 22. C. h. t.* curare, ut reditus ex bonis pupillaribus percipiat, *l. 32. §. 1. 2. D. h. t.* & fructus, aliasque res, quæ tempore depereunt, in utilitatem pupilli opportune vendat; *l. 7. §. 1.* D. *h. t.* debitum exigere, *l. 15.* D. *l. 46. §. ult.* D. *h. t.* etiam a ſe ipſo, ſi pupilli debitor ſit; *l. 9. §. 1. D. h. t.* (ante *Nov.* ſcil. 72. *c. 1. 2. 4.*) & pecunias pupillares vel in emtionem prædiorum, vel ſub uſuris collocare. *l. 3. §. 2. l. 5. 13. §. 1. l. 15. D. l. 24. C. h. t.*

§. 20. Adeo ut, ſi illud neglexerit, ipſe uſuras præſtare teneatur; *l. 7. §. 3. 11. l. 15. 58. §. 3. D. h. t. l. 3. C. de uſur. pupill.* ab initio ſc. ex quo conſtitutus eſt poſt ſex menſes, *d. l. 15. D. h. t.* ſuſcepta vero adminiſtratione poſt duos menſes, ex tempore factæ ſolutionis; *d. l. 7. §. 11. D. h. t.* &, ſi ad eas præſtandas idoneus non ſit, extra ordinem coërceatur. *l. 49. D. h. t.*

§. 21. Quod tamen, cum quodammodo durum videretur, poſtea mutatum eſt, ut jure Novo ſufficiat pecuniam pupillarem caute reponere & reſervare; niſi forte alii deſint reditus, qui ad præbendam vitæ diſpenſationem ſufficiant. *Nov.* 72. *c. 5. 6.* 7.

§. 22. Quod ſi tutor pecuniam pupillarem in uſus ſuos convertat, uſuras præſtat *Legitimas*, i. e. graviſſimas, ſeu centeſimas. *l. 7. §. 4. 5. 8. 9. 10. l.* 54. D *h. t. l. 1. C. de uſur. pupill. l. 38.* D. *de neg. geſt.*

§. 23. Debet etiam tutor debita pupillaria ſolvere; *l. 9. §. 1. 5. l. 13. §. 2. D. h. t.* ut &, ſi creditor eſſet pupilli, ſibi ipſi ſolvere poſſet; *d. l. 9. §. 5. D. h. t.* (ante *Nov.* ſc. 72. *c. 1. 2. 4.*) & neceſſarias erogationes facere. *l. 12. §. 2. l. 32. §. 6.* 7. D. *h. t.*

§. 24. Cumque tutor non rebus duntaxat, ſed etiam moribus pupilli præponatur, in primis mercedes præceptoribus, non quas minimas poterit, ſed pro facultate patrimonii, pro dignitate natalium conſtituet. Alimenta ſervis libertisque, nonnunquam etiam exteris, ſi hoc pupillo expediet, præſtabit. Solenniaque munera parentibus cognatisque mittet. *l. 12. §. 3. D. h. t.* v. Mart. *L. IX. Ep. 55. 56.*

Digitized by Google

§. 25. Sed non dabit dotem ſorori alio patre natæ, etiamſi aliter ea nubere non potuit. Nam etſi honeſte, ex liberalitate tamen fit, quæ ſervanda arbitrio pupilli eſt. *d. l. 12. §. 3. D. h. t.* Nec nuptiale munus matri pupilli vel ſorori mittet; *l. 13. §. 2. D. h. t.* multoque minus ex bonis pupilli aliis donabit. *l. 22. D. h. t.* Quia tutor in re pupilli tunc domini loco habetur, cum tutelam adminiſtrat, non cum pupillum ſpoliat. *l. 7. §. 3. D. pro emt.* add. *l. 4. C. de præd. & al. reb. min. ſin. decret. non alien.*

§. 26. Debet denique tutor pupillum, ſive ipſe judicium ſuſcipiat, ſive pupillus ipſo auctore, ſi quidem juſtam litigandi cauſam habeat, in judicio defendere. *l. 1. §. 2. 3. l. 9. §. 6. D. l. 11. 28. C. h. t.*

§. 27. Quod ſi tutor tutelam adminiſtrare ceſſet, vel non ut oportet adminiſtret, ipſius eſt periculum. *l. 1. §. 1. l. 5. §. ult. l. 7. §. 1. D. h. t.*

§. 28. A tutoribus enim eadem diligentia exigitur circa adminiſtrationem rerum pupillarium, quam paterfamilias rebus ſuis ex bona fide præbere debet; *l. 33. pr.* D. *h. t.* ut non tantum dolum & latam culpam, ſed & levem præſtare debeant. *l. 7. C. arb. tut. l. 1. pr.* D. *de tut. & rat diſtr*

§. 9. Non etiam leviſſimam, *d. l. 7. C. arb. tut.* neque caſum fortuitum; *l. 4. C. de peric. tut.* quia ex neceſſitate officium ſuſcipiunt. *l. 1.* junct. *l. 20. C. de neg. geſt.*

TITULUS VIII.

De Auctoritate Et Consensu Tutorum, Et Curatorum.

C. V. 59.

§. 1.

Ad *Officium Tutorum* pertinet, ut in negotiis, quæ a pupillo geruntur, *Auctoritatem* interponant. v. *l. 17. D. h. t.*

§. 2. Quæ eſt *Approbatio negotii, quod a pupillo* (non tamen infante, *l. 1. §. 2.* D. *de adm. tut. §. 9. I. de inut. ſtip. l. 5.* D. *de R. J.*) *cum extraneo geritur, a præſente tutore, in ipſo negotio interpoſita. l. 3. D. h. t. l. 25. §. 4. D. de acq. vel om. her.*

§. 3. *Auctoritas* autem tutoris, in quibusdam cauſis neceſſaria eſt pupillis, in quibusdam non eſt neceſſaria. *pr. I. h. t.*

§. 4. Namque placuit, meliorem quidem conditionem licere eis facere, etiam ſine tutoris auctoritate; deteriorem vero non aliter, quam cum tutoris auctoritate. *d. pr. I. l. 9. pr.* D. *h. t. l. 28. D. de pact. l. 11. D. de A. R. D.*

§. 5. Imo, licet pupillus pubertati proximus naturaliter ſe obligare poſſit; *l. 1. §. 1.* D. *de novat. l. 25. §. 1. D. quand. dies leg. ced. §. 3. I. quib. mod. toll. obl.*

non

Digitized by Google

non tamen ſine tutoris auctoritate obligare ſe poteſt civiliter. *l. 5. §. 1. l. 9. pr. D. h. t. l. 8. D. de acq. vel am. her.*

§. 6. Unde neque hereditatem adire, neque bonorum poſſeſſionem petere, neque hereditatem ex fideicommiſſo aliter ſuſcipere poteſt, niſi tutoris auctoritate; quamvis illis lucroſa ſit, neque ullum damnum habeat. *l. 9. §. 3. 4. D. §. 1. I. h. t. l. 8. D. de acq. her.*

§. 7. Niſi forte pupillus locupletior factus ſit, *l. 1. pr. l. 5. §. 1. D. h. t.* vel ex re naſcatur obligatio: *l. 46. D. de O. & A.* quo caſu etiam ſine tutoris auctoritate civiliter obligatus eſt. *dd. ll.* add. *l. 14. D. de cond. indeb.*

§. 8. *Auctoritatem* interponunt tutores, qui tutelam gerunt; *l. 4. D. h. t.* non etiam illi, quibus adminiſtratio conceſſa non eſt. *d. l. 4. 6. D. h. t.*

§. 9. Sive omnes interponant, ſi plures ſint, ſive unus ex iis, nihil intereſt; unius enim ex pluribus auctoritas ſufficit. *l. 4. 5. pr. l. 7. §. 1. D. l. ult. C. h. t.*

§. 10. Ut autem recte interponatur *Auctoritas*, debet tutor eſſe præſens, non corpore tantum, ſed & animo; (ut ſcil. non retineatur inviſus, & intelligat quid agatur;) *l. 1. §. 1. l. 14. D. h. t.* & ſtatim in ipſo negotio, *l. 9. §. 5. D. §. 2. I. h. t.* ſeu jam jam perfecto negotio, *l. 25. §. 4. D. de acq. qer.* add. *l. 1. in f.* D. *de ſolut.* pure, non conditionaliter, auctor fieri. *l. 8. D. h. t.*

§. 11. Poſt tempus, vel per epiſtolam, vel per nuncium, interpoſita auctoritas nihil agit: *l. 9. §. 5.* D. *§. 2. I. h. t.* adeoque Ratihabitio hic non ſufficit.

§. 12. Nulla enim differentia eſt, non interveniat Auctoritas tutoris, an perperam adhibeatur. *l. 2. D. h. t.*

§. 13. Contrahentis tamen cum pupillo præſentia præciſe non eſt neceſſaria; etiamſi enim non exaudiat tutoris auctoritatem is, qui cum pupillo contrahit, ſcriptis tamen hoc approbetur, recte negotium geritur: veluti, ſi abſenti pupillo per epiſtolam vendam aliquid, aut locem, & is tutoris auctoritate conſentiat. *l. 9. §. ult.* D. *h. t.*

§. 14. Si tutor pupillo nolit auctor fieri, non debet eum Prætor cogere. Primum quia iniquum eſt, etiamſi non expedit pupillo, auctoritatem eum præſtare: deinde etſi expedit, tutelæ judicio pupillus hanc jacturam conſequitur. *l. 17. 21.* D. *h. t.*

§. 15. Plane tutor in rem ſuam, vel filius in rem patris auctor fieri nequit. *l. 1. 7. pr. §. 2. D. h. t. §. 3. I. h. t.*

§. 16. Unde ſi inter tutorem pupillumque judicio agendum ſit, olim *Prætorius Tutor* conſtituebatur. Ulp. *Tit. XI. §. 24. §. ult. I. h. t. l. 3. §. 2. D. de tutel. l. 1. C. de in lit. dand. tut.*

§. 17. Sed id jure noviſſimo vix ullam difficultatem habet; quia qui debitor vel creditor pupilli eſt, ejusdem tutor fieri non poteſt. *Nov. 72. c. 1. 2. 4. Nov. 94. Auth. Minoris debitor. C. qui dar. tut.*

§. 18. Quod ſi tamen tutor poſt cœptam tutelam pupilli debitor vel creditor fiat, perpetuus curator ei adjungendus eſt. *d. Nov. 72. c. 2.*

TITULUS IX.

QUANDO EX FACTO TUTORIS, VEL CURATORIS, MINORES AGERE, VEL CONVENIRI POSSUNT. C. V. 39.

§. 1.

Quamvis autem Pupilli non ſemper tutore auctore negotia gerant, ſed pleraque ſolus tutor agat; v. *l. 15. D. de pact. l. 35. D. de jurejur. l. 4. D. de in lit. jur.* pupilli tamen *ex facto tutorum* plerumque *agere*, quin & vice verſa quandoque *conveniri poſſunt.*

§. 2. Licet enim ordinario alteri, ex contractu alterius, neque obligatio, neque actio acquiratur; *§. 4. 18. l. de inut. ſtip. l. 38. §. 17.* D. *de V. O. l. 11.* D. *de O. & A. l. 73. §. ult. D. de R. J.* neque alter ex facto vel contractu alterius obligari poſſit. *d. l. 11. D. de O. & A. §. 3. I. de inut. ſtip. l. 3. C. ne ux. pro marit.* aliud tamen hic, (uti & alibi, v. ſupr. *ad t. de exercit. act.* §. *1.)* in utilitatem *Minorum*, (ſub quibus hoc loco *Pupilli* continentur, v. *§. 2. l. quib. alien. lic. l. 2. in f. C. quand. mul. tut. off. Auth. Minoris. C. qui dar. tut.)* in quibusdam cauſis admiſſum eſt. *l. ult. C. h. t.*

§. 3 Nam ſi tutor pecuniam pupilli mutuam dederit, vel ejus pecunia prædia emerit, *l. 2. D. l. 2. C. h. t.* vel prædia pupilli locaverit, *l. 4. C. h. t.* vel tutori conſtitutum fuerit; *l. 5. §. 9. D. de pec. conſt. Utilis Actio* pupillo conceditur; *d. l. 2. D. d. l. 4. C. h. t.* & ſi tutor egerit & vicerit, *Actio Judicati* ad pupillum transfertur. *l. 6. D. h. t.*

§. 4. Sed dolus tutoris pupillo non prodeſt; *l. 3.* D. *h. t.* quia alterius circumventio alii Actionem non præbet. *l. 49.* D. *de R. J.*

§. 5. Quemadmodum autem Pupilli dictis caſibus ex facto ſeu contractu tutorum agere poſſunt; ſic & ex contractu eorundem quandoque conveniri poſſunt.

§. 6. Si enim tutori nomine minoris pecunia mutua data, eaque in rem minoris verſa ſit, merito perſonalis in minorem actio danda eſt. *l. 3. C. h. t.*

§. 7. Idemque dicendum, ſi tutor tutorio nomine aliquid caverit, vel promiſerit; *l. 5. §. 1. l. ult. D. h. t.* vel mandato ejus negotia pupilli geſta ſint. *l. 4. C. de neg. geſt.*

§. 8.

Digitized by Google

§. 8. Quin & ſi tutor pupillum in judicio defendat, & condemnatus ſit, *Actio Judicati* in pupillum exercenda eſt. *l. 5. 7. D. l. 1. C. h. t. l. 4. §. 1. D. de re jud. l. 2. D. de adm. tut.* nam tutores curatoresque finito officio non eſſe conveniendos, ex adminiſtratione pupillorum vel adoleſcentum, ſæpe decretum eſt. *d. l. 1. C. h. t. l. 26. in f. C. de adm. tut.*

§. 9. Uti vero dolus tutoris pupillo non prodeſt, ita quoque eidem nocere non debet *l. 4. D. h. t.*

§ 10. Et, ſi quidem extrinſecus ſeu extra rem pupilli tutor aliquid dolo admiſerit, pupillo nihil nocere oportet. *l. 4. D. h. t. l. 198.* D. *de R. J. l. un. §. 2.* D. *ſi quis jus dic. non obtemp. l.* 4. D. *de tab. exhib. l. 11. §. 6. D. quod vi aut clam. l. 6. C. de adm. tut.*

§. 11. Quod ſi in adminiſtratione, ſimiliter dolus tutoris pupillo non nocet; *l. 3.* D. *h. t.* niſi pupillus ex illius fraude locupletior factus ſit, *d. l. 3.* vel rem a tutore ſervare poſſit. *l. 1. D. h. t.*

TITULUS X.

De Suſpectis Tutoribus, Et Curatoribus.

C. V. 43.

§. 1.

Ceſſat autem Adminiſtratio & officium Tutorum *finita Tutela;* quæ finitur vel *Ipſo jure*, vel *Facto hominis.*

§. 2. *Ipſo jure*, vel modis omnibus tutelæ ſpeciebus communibus, vel ad ſpecies quaſdam pertinentibus. Et vel omnimodo, vel non omnimodo.

§. 3. *Omnimodo & omnis Tutela* finitur, *I. Pubertate* pupilli; quæ in maſculis annis XIV. in fœminis XII. definita eſt. *pr. I. quib. mod. tut. fin. l. ult. C. quand. tut. vel curat. eſſe deſin. l. 4. pr. D. de tut. & rat. diſtr.*

§. 4. *II. Morte naturali & civili, imo & omni capitis deminutione Pupilli. §. 1. 3. 4. I. quib. mod. tut. fin. l. 14. pr. §. 1. 2. D. de tutel. l. 4. pr. D. de tut. & rat. diſtr.*

§. 5. *Morte naturali & civili Tutoris* omnis quidem tutela perit, *§. 3. 4. I. quib. mod. tut. fin. d. l. 14. §. 2. D. de tutel. d. l. 4. pr.* ſed non omnimodo, quamdiu enim impubes eſt pupillus, alius deinde tutor dandus eſt a Magiſtratu. *pr. §. 1. 2. I. de Atil. tut.*

§. 6. *Minima capitis deminutione Tutoris* tantum finitur Legitima Agnatorum tutela; quia tum non manet proximus in familia; *§. 4. I. quib. mod. tut. fin.* quod tamen poſt *Nov. 118. c. 5.* amplius uſum non habet.

§. 7. *Tutela Teſtamentaria* in ſpecie finitur *per conditionis* vel *temporis exiſten-*

Digitized by Google

exiſtentiam, ſi tutor uſque ad certam conditionem, vel ad certum tempus in teſtamento datus ſit. *§. 2. 5. I. quib. mod. tut. fin. l. 14. §. 3. 5. D. de tutel.*

§. 8. Quod in tutela dativa locum non habet, cum tutores a Magiſtratu ita dari non poſſint. *l. 6. §. 1. D. de tutel. l. 77. D. de R. J.*

§. 9. *Facto hominis* vero finitur tutela vel per *Suſpecti Remotionem*, (de qua *h. t.*) vel per *Excuſationem*, (de qua *t ſeq. de excuſ. tut.*) *l. 14. §. 4. D. de tutel. §. ult. I. quib. mod. tut. fin.*

§. 10. *Suſpectus tutor* eſt, *qui non ex fide tutelam gerit; §. 5. I. h. t.* vel *qui moribus talis eſt, ut ſuſpectus ſit. l. 8. D. §. ult. I. h. t.*

§. 11. Non tantum enim qui fraudulenter, ſed & qui negligenter, neque ea ſollicitudine, qua oportet, tutelam gerit, ſuſpectus eſt. *l. 3. §. 5. 12. 17. 18.* D. junct. *§. ult. I. h. t. l. 5. l. ult. C. eod.*

§. 12. Sola autem paupertas neminem, ſi modo fidelis & diligens eſt, ſuſpectum facit. *l. 8. D. h. t. §. ult. I. h. t. l. 31. §. 1.* D. *de reb. auct. jud. poſſ.*

§. 13. Poteſt tamen ei curator adjungi, ſi ſubſtantia pupilli pericliteturः *l. 6. C. h. t.* aut removeri ex eo capite, quod non ſatisdet. *l. 2. C. de tut. vel cur. qui ſatis non ded.*

§. 14. Suſpecti *crimen*, i. e. accuſatio, *l. 7. §. 1.* D. *de accuſ. l. 109.* D. *de R. J.* Theoph. *ad pr. I. h. t.* ex *Lege XII. Tab.* deſcendit. *l. 1. §. 2.* D. *pr. I. h. t.* Cic. *L. III. de Offic. c. 15.*

§. 15. Jus removendi tutores ſuſpectos datum eſt Romæ Prætoribus, in Provinciis Præſidibus earum; *l. 1. §. 3.* D. *§. 1. I. h. t.* ut & Legato Proconſulis, aliiſque, quibus mandata eſt jurisdictio: *l. 1.* §. 4. *D. h. t. l. 4.* D. *de off. ejus cui mand. eſt jurisd.* vi ſcil. Jurisdictionis ordinariæ. *dd. ll.* junct. *l. 1. pr. §. 1.* D. *de off. ejus cui mand. eſt jurisd.*

§. 16. *Suſpecti fieri poſſunt omnes tutores*, ſive teſtamentarii ſint, ſive non ſint ſed alterius generis tutores: *l. 1. §. 5. D. h. t. §. 2. I. h. t.* etiam ii, qui ſatis dederunt, vel nunc offerunt: quia expedit pupillo rem ſuam potius ſalvam, quam tabulas *rem ſalvam fore* cautionis habere. *l. 5. 6. D. h. t. §. ult. I. h. t.*

§. 17. Legitimis tamen potius curator adjungendus; *l. 9. D. h. t.* famæque Parentis & Patroni ſemper parcendum eſt. *d. l. 1. §. 5.* D. *§. 2. I. h. t. l. 5.* §. *1. l. 9.* D. *de obſeq. par. & patr. præſt.*

§. 18. *Suſpectos poſtulare poſſunt omnes;* eſt enim quaſi publica hæc accuſatio, i. e. omnibus patens: *l. 1. §. 6.* D. *§. 3. I. h. t.* adeoque & contutores, *l. 3. pr. D. h. t.* & liberti, *d. l. 3. §. 1.* imo & ipſæ mulieres; *d. l. 1. §. 7.* D. *d. §. 3. I. h. t.* quæ cæteroquin ad accuſandum non admittuntur. *l. 1. 2.* D. *de accuſ.*

§. 19. Impuberes tamen non poſſunt tutores ſuos ſuſpectos poſtulare; *l. 7. pr.* D. *§ 4. I. h. t.* quia nondum tantum eorum animi judicium eſt, ut perpendere poſ-

Digitized by Google

re poſſint, an quid fraudulenter vel ſegniter geratur, quod perpendi oportet; *l. 5. C. h. t.* licet puberibus curatores ſuos, ex conſilio neceſſariorum, arguere conceſſum ſit. *d. l. 7.* D. §. 4. *I. h. t.*

§. 20. Quin & ſi nullus accuſet, Prætori tamen liqueat, ex apertiſſimis rerum argumentis, tutorem ſuſpectum eſſe, ex officio eum repellere poteſt. *l. 3. §. 4. D. h. t.*

§. 21. *Effectus* autem *Accuſationis* eſt, *I.* Quod accuſato ſtatim adminiſtratio interdicatur, quoad finiatur cognitio. *§. 7. I. h. t. l. 7. C. h. t.*

§. 22. *II.* Quod, ſi tutor ideo accuſatus ſit, quia copiam ſui non facit, ut alimenta decernantur pupillo, (quæ decernuntur a Prætore pro quantitate patrimonii pupilli, quam tutor profiteri debet, *l. 2. §. 1. l. 3. pr. §. 1. & ſeqq.* D. *ubi pup. educ. deb.* v. infr. *ad d. t. §. 10. 11.*) interim pupillus in poſſeſſionem bonorum ejus mittatur, &, quæ mora deteriora futura ſunt, diſtrahantur. *§. 9. I. h. t. l. 3. §. 14. l. 7. §. 2. D. h. t.* Cum aliis creditoribus miſſio cuſtodiam tantum concedat. *l. 12.* D. *quib. ex cauſ. in poſſ.*

§. 23. *III.* Quod, ſi ſuſpectus reperiatur, removeatur: veluti, ſi dolum in tutela admiſerit, vel graſſatus ſit, aut ſordide vel perniciose aliquid egerit; *l. 3. §. 5. D. l. 5. C. h. t.* vel alia juſta cauſa intercedat, ut in ea tutela verſari non debeat. *d. l. 3. §. 12. & ſeqq. D. h. t.*

§. 24. Quæ remotio ſit vel ſimpliciter, vel ita, ut ſimul *pœna infamiæ*, vel etiam *corporalis* infligatur.

§. 25. *Famoſus* ſit tutor remotus ob dolum, *§. 6. I. h. t. l. ult. C. h. t.* vel latam culpam; quæ ordinario pro dolo habetur, *l. 226. D. de V. S. l. 8. §. 3. D. de prec. l. 1. §. 5.* D. *de O. & A. l. 32. D. depoſ.* etiam in cauſis famoſis, *l. 11. §. 5. D. de his qui not. infam. d. l. 32.* nec non in hac ipſa materia. *l. 7. §. 1. D. h. t. l. ult. D. ubi pup. educ. deb.* junct. *l. 2. C. de tut. & cur. qui ſat. non ded.* v. Cic. *pro Roſc. Com. c. 6. pro Cæcin. c. 3. pro Roſc. Am. c. 38.* junct. *l. 1. D. de his qui not. inf.* ſupr. *ad d. t. §. 40.*

§. 26. Qui ob ſegnitiem, ruſticitatem, inertiam, ſimplicitatem, ineptiam, negligentiam, ſeu culpam levem, remotus eſt, in hac cauſa eſt, ut integra exiſtimatione tutela abeat. *l. 3. §. ult. D. l. ult. C. h. t.* junct. *§. pen. I. de obl. quæ re contr. §. ult. I. de ſoc. §. 6. I. h. t.* junct. *l. 5. §. 2. D. commod. l. 23. D. de R. J.*

§. 27. Unde Decreto debet cauſa removendi ſignificari, ut appareat de exiſtimatione. Quæ ſi ſignificata non ſit, tutor remotus integræ famæ manebit. *l. 4. §. 1. 2. D. h. t.*

§. 28. *Pœna corporalis* autem locum habet. *I.* Si quis de plebeis, ob facta atrociora in tutela admiſſa, remotus ſit. *l. 1. §. ult.* D. *h. t.*

§. 29. *II.* Si libertus, tutelam filiorum, vel libertorum patroni ſui, fraudulenter geſſiſſe probetur. *l. 2. D. h. t.*

§. 30. *III.* Si tutor per mendacium neget, propter inopiam alimenta poſſe decerni. Quo caſu, *non* tantum tanquam ſuſpectus removeri poteſt, *ſed* etiam pœna corporali puniendus ad Præfectum Urbi remittendus eſt. §. *10. I. h. t.* Ita acc. *l. 3. §. 15. D. h. t.* v. *l. 5.* §. *2. D. de injur.* junct. *§. 8. I. eod. l. ult. §. 2. D. de ad. ed.*

§. 31. *IV.* Si quis tutelam corruptis miniſteriis Prætoris redemerit. *d. l. 3. §. 15. in f.* D. *h. t. §. 10. I. h. t.*

§. 32. Si vero tutor ante ſententiam deceſſerit, aliove modo tutela finita ſit, exſtinguitur ſuſpecti cognitio. *§. 8. I. h. t. l. pen.* D. *l. 1. C. h. t.* Accuſatione enim ſuſpecti id tantum agitur, ut tutor removeatur; cum autem aliter remotus eſt, ut tutelæ judicio agi poſſit, ceſſat ſuſpecti accuſatio. arg. *l. 3. §. 6. D. h. t.*

* *

LIBER XXVII. TITULUS I.

DE EXCUSATIONIBUS.

C. V. 62.

§. 1.

Excuſatio eſt *juſtæ cauſæ allegatio, propter quam quis tutelæ vel curæ munus deprecatur.*

§. 2. Ut autem quis ſe juſte excuſet, requiritur, *I.* Ut hoc faciat ex *juſta cauſa; II. Modo;* & *III. Tempore legitimo.*

§. 3. *Cauſæ* excuſationum ſunt variæ.

§. 4. *I.* Cauſa eſt, *Numerus liberorum;* ſi quis enim tres liberos ſuperſtites Romæ habeat, vel in Italia quatuor, vel in Provinciis quinque, a tutela poteſt excuſari, exemplo cæterorum *munerum perſonalium. l. 2. §. 2. 8. D. pr. I. h. t. l. 1. C. qui num. lib.*

§. 5. A *Muneribus* etiam *Realibus* ſeu *Patrimonialibus* numerus liberorum non excuſat; *l. 2. §. 1. D. de vac. mun.* niſi major eſſet, puta ſedecim, ob quorum educationem & munera realia remitti rationabile eſt. *l. 5. §. 2. D. de jur. imm.* vel ſaltem XII. *l. 24. C. de decur.* niſi forte numerus ibi corruptus, & pro XII. legendum videatur XVI.

§. 6. Ut autem Liberi proſint ad excuſationem, debent eſſe nati, *l. 2. §. 6. D. h. t.* legitimi, *l. 2. §. 3. D. h. t.* naturales, ſuperſtites & incolumes, *pr. I. h. t. l. 2. §. 4. D. h. t. l. 2. §. 5. D. de vacat. & exc. mun.*

§. 7. Non enim proſunt, qui in ventre ſunt, *l. 2. §. 6. D. h. t.* nec illegitimi, *d. l. 2. §. 3.* D. *h. t.* nec adoptivi, *pr. I. h. t.* add. *l. 76.* D. *de cond. & dem.* neque

Digitized by Google

neque defuncti: *pr. I. h. t.* niſi in bello amiſſi ſint, *d. pr. I. h. t. l. ult. D. de vac. & excuſ. mun.* i. e. in acie pro Rep. ceciderint; *l. 18. D. h. t.* v. Flor. *L. I. c. 18.* hi enim, qui pro Rep. ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur. *pr. in f. I. h. t.* add. Cic. *pro Planc. c. 37.* & *Philipp. IX. c. 2.*

§. 8. *II. Adminiſtratio rei fiſcalis; §. 1. I. h. t.* vel etiam rei privatæ Principis. *l. 41.* D. *h. t.* Qua ratione etiam excuſantur Exactores tributorum; *l. 10. C. h. t.* Coloni Patrimoniales; *l. ult. C. qui dar. tut.* omnesque, quibus Princeps curam alicujus rei injunxit. *l. 22. §. 1. D. h. t.*

§. 9. Non etiam Adminiſtratores Civitatum; quibus jus fiſci non competit. *l. 15. §. 7. 10. D. h. t. l. 2. C. de jur. Reip. l. 15. 16. 17. §. 1. D. de V. S.*

§. 10. *III. Abſentia* Reip. cauſa. *§. 2. I. l. 41. §. 2. D. h. t.* v. *l. 32. l. 36. 38. D. ex quib. cauſ. maj.*

§. 11. Sed abſentia hæc ita excuſat, ut, ſi quis jam ſit tutor, & abeſſe cœperit, excuſetur quamdiu abeſt; ſi autem abſens ad novam tutelam vocetur, reverſus anni habeat vacationem. *d. §. 2. I. l. 10. pr. §. 2. l. 45. D. h. t.*

§. 12. *IV. Poteſtas* major; *§. 3. I. l. 6. §. 14. D. h. t.* v. *l. 32. D. de injur.* quam non habent Ædiles *l. 17. §. 4.* D. *h. t.* Gell. *L. XIII. c. 13.* Habent tamen οἱ ϛρατηγοὶ τῶν πόλεων ſeu Magiſtratus civitatum. *l. 6. §. 16. l. 15. §. 9.* D. *h. t.*

§. 13. Qui vero jam ſe miſcuerunt adminiſtrationi, ſe excuſare, propter poteſtatem poſtea adeptam, non poſſunt. *d. §. 3. I. l. 15. §. 5. D. h. t.*

§. 14. *V. Tria onera tutelæ* non affectatæ, *§. 5. I. l. 2. §. 9. l. 3. 15. §. 15.* D. *h. t.* neque tenuiſſimæ, quæ affectata videtur: *d. l. 15. §. 15. D. h. t.* licet non excuſent a reliquis muneribus civilibus. *l. 3. C. de excuſat. mun.*

§. 15. *Tria* autem *onera* ſic ſunt accipienda, ut non numerus pupillorum plures tutelas faciat, ſed patrimoniorum ſeparatio. Et ideo, qui tribus fratribus tutor datus eſt, qui indiviſum patrimonium haberent, unam tutelam ſuſcepiſſe creditur. *l. 3. D. h. t.* Difficultas enim rationum conficiendarum & reddendarum hic maxime conſideranda eſt. *l. 31. §. ult.* D. *h. t.* Unde & una Tutela poteſt ſufficere, ſi tam diffuſa & negotioſa ſit, ut pro pluribus cedat. *d. l. 31. §. ult.*

§. 16. Non tamen neceſſe eſt tres tutelas ab una perſona præciſe adminiſtrari; ſed ſufficit tria onera tutelæ in una eſſe domo, dummodo periculum earum ſpectet ad patrem. *l. 5.* D. *h. t.*

§. 17. Quod ſi contingat, ut quis duas tutelas habens ad tertiam vocatus appellaverit, & adhuc pendente judicio appellationis ad quartam tutelam promoveatur, ſiquidem hanc accipere cogatur, fiet, ut, ſi ſuccumbat in judicio appellationis, habeat quatuor tutelas; ſi autem ab ea excuſetur, fiet, ut, ſi vincat, tantum duas habeat: ideoque res potius in ſuſpenſo erit, & appellationis finis expectabitur. *l. 4. pr. D. h. t.*

Digitized by Google

§. 18. Si autem contingat, ut, duas habenti tutelas, aliæ duæ ſeperinductæ fuerint, & inter eas ſit ordo, priorem ſuſcipiet, & excuſabitur a poſteriori; ſin ordo non apparuerit, a Judice definiri debet, quam ſuſcipere debeat. *l. 6. pr. D. h. t.*

§. 19. *VI. Paupertas; l. 7. 40. §. 1. D. §. 6. I. h. t.* ſi ſcil. tanta ſit, ut quotidiana opera victum quis quærere cogatur, ut operi & oneri gerendo impar ſit. *dd. ll.*

§. 20. *VII. Adverſa valetudo; §. 7. I. l. 10. §. 8. l. 11. D. h. t. l. un. C. qui morb.* quæ impedimento eſt, quo minus quis ſuis rebus ſupereſſe poſſit: *d. l. 10. §. 8.* D. *h. t.* ne impoſſibile injungatur tutelæ munus, quod obiri a tutore non poteſt, cum incommodo pupilli & adverſus utilitatem ejus. *l. 45. §. ult. D. h. t.*

§. 21. *VIII. Imperitia literarum; §. 8. I. h. t.* ſi ſcil. tanta ſit, ut tutor datus neque legere, neque ſcribere poſſit. v. *l. 3. §. 2. D. de accuſ. l. 21. 30. C. de teſtam.* propter difficultatem conficiendarum, & reddendarum rationum. Niſi tutela ſit modica, & tutor non ſit expers negotiorum; quo caſu hæc excuſatio non eſt recipienda. Ita accip. *l. 6. §. ult. D. h. t.*

§. 22. *IX. Major ætas*, ſcil. annorum ſeptuaginta; *§. 13. I. h. t.* quos impleviſſe oportet. *l. 2. pr. §. 1. D. h. t. l. 3.* D. *de jur. immun. l. un. C. qui ætat.* Et ita numerus in *l. ult. C. qui ætat. in prof.* (ut ſcil. pro LV. legamus LXX.) reſtituendus; uti ex ipſo textu apparet. add. *l. 3. D. de jur. immun.*

§. 23. *Profeſſio Artium liberalium; §. 15. I. l. 6. §. 1. & ſeqq.* D. *h. t.* quia juventutem informantes utilitati publicæ inſerviunt, *l. 6. §. 5. D. h. t.* aliisque rebus vacare nequeunt.

§. 24 Quod privilegium primum Grammaticis, Sophiſtis, Rhetoribus, Medicis circulatoribus, *l. 6. §. 1. 5. 7. 8. D.* §. *15. I. h. t.* & Legum Doctoribus, Romæ docentibus, nominatim datum; *l. 6. §. 12. D. h. t*, & poſtea omnibus Profeſſoribus indiſtincte conceſſum eſt. *l. 6. C. de Prof. & Med.*

§. 25. Dummodo *I.* Has artes exerceant in patria; *§. 15. I. l. 6. §. 9. 11. D. h. t. II.* Sint intra numerum; *d. §. 15. I. d. l. 6.* §. *2. 3.* 4. D. *h. t.* & *III.* Bene ſeduloque munere ſuo fungantur. *l. 6. §. 4. 5. 6.* C. *h. t. l. 2. 8. C. de Prof. l. 11. §. 3.* D. *de mun. & hon.*

§. 26. *XI. Victoria Athletarum*, qui ſacris certaminibus coronati ſunt, *l. 6. §. 13.* D. *h. t.* v. *l. un. C. de athlet.*

§. 27. *XII. Tranſlatio Domicilii*, juſſu Principis facta. *l. 12.* §. *1.* D. *h. t.*

§. 28. *XIII. Dignitas Senatoria;* ſi ſcil. quis tutor ſit pupillorum, qui non ſunt Senatorii ordinis. *l. 15. §. 3. D. h. t.*

§. 29. *XIV. Jus Corporis vel Collegii*, puta Fabrorum, Piſtorum, (quibus ſcil. nominatim id privilegium indultum eſt) circa tutelam exterorum. *l. 17. §. 2. 3. l. 41. §. ult. l. ult. pr. §. 1.* D. *l. pen. C. h. t.*

§. 30.

§. 30. *XV. Officium menſorum frumentariorum l. 26. D. h. t.*

§. 31. *XVI. Aſſumtio in Conſilium Principis. l. 30. pr. D. h. t.*

§. 32. *XVII. Tutela* denique *ante geſta*, quæ excuſat a Cura. *§. 18. I. h. t. l. 20. C. h. t.* Excepto liberto, quem patronus liberis ſuis tutorem curatoremque dedit. *l. 5. C. h. t.* v. *l. 14.* §. *3. l. 24. D. h. t.*

§. 33. Sunt etiam quidam, qui excuſatione non indigent, cum ne quidem volentes tutores vel curatores eſſe poſſint.

§. 34. Quales ſunt: Qui litem cum pupillis habent ſuper omnibus bonis, vel maxima bonorum parte; *§. 4. I.* junct. *l. 20. 21. D. h. t.* Inimici Capitales, ſi reconciliatio non intervenerit; *§. 9. 11. 12. I. l. 6. §. 17. 18. D. h. t. l. 3. §. 12. D. de ſuſp. tut.* Minores XXV. annis; *§. 13. I. l. 10. §.* 7. D. *h. t.* Milites; §. *14. l. h. t. l. 4. C. qui dar. tut. l. 8. C. de legat.* Mariti; *§. 19. I. h. t.* Luminibus capti, ſurdi, muti, furioſi, nec non perpetua valetudine tenti; *l. un. C. qui morb. ſe excuſ.* qui omnes improprie ſe *excuſare* dicuntur. *d.* §. *4. 9. 11. 12. 19. I. h. t. d. l. un.*

§. 35. Qui autem ſe excuſare volunt, falſis allegationibus uti non debent cæteroquin enim non tantum non liberantur onere tutelæ, *§. 20. I. h. t. l. ult. C. ſi tut. falſ. alleg.* ſed & periculum adminiſtrationis ex eo tempore, ex quo dati ſunt, ad eos pertinet. *dd. ll.*

§. 36. Modus excuſandi in eo eſt, *I.* Ut quis ſe excuſet a tota tutela, non pro parte patrimonii: niſi bona quædam ultra centeſimum lapidem ſita ſint. *l. 21. §. 2. D. §. 17. I. h. t.*

§. 37. *II.* Ut, ſi plures habeat excuſationes, omnibus quidem uti poſſit; *l. 21.* §. *1.* D. *§. 16. I. h. t.* (eſt enim *Excuſatio* ſpecies exceptionis, & proinde defenſionis; v. *l. 5. l. 8.* D. *de exc. l. 43. D. de R. J.*) omnes tamen ſtatim nominare neceſſe habeat. *l. 13. §. 8.* D. *h. t.*

§. 38. *III.* Ut a datione ſeu nominatione non ſtatim appellet; ſed demum a rejectione cauſæ. *§. 16. I. h. t.* Hoc enim Divus Marcus effecit, ut tutor intra tempora præſtituta excuſationem allegandam habeat, &, ſi fuerit repulſa, tunc demum appellare debeat. *l. 1. §. 1. D. quand. appelland.*

§. 39. Licet alia cauſa ſit eorum, qui ad aliud aliquod munus vel honorem vocantur; qui non aliter allegare poſſunt cauſas immunitatis ſuæ, quam ſi appellationem interpoſuerint. *d. l. 1. §. 2. D. quand. appelland.*

§. 40. *IV.* Ut ſe coram tribunali, non per libellum excuſet; *l. 25. D. h. t.* quæcunque enim cauſæ cognitionem deſiderant, per libellum expediri nequeunt: *l. 9.* §. *1. D. de offic. Proconſ. l. 71. D. de R. J.* licet ſubmovendæ præſcriptionis cauſa, intra L. dies, cauſam aliquam per libellum teſtari ſufficiat. *l. 13. §. 10.* D. *h. t.*

§. 41. *Tempus* Excuſationi proponendæ conſtitutum eſt quinquaginta die-

 rum

rum continuorum; *§. 16. I. l. 13. §. 1. & ſeqq. D. h. t.* peragendo vero negotio quatuor menſium. *l. 38. D. h. t.*

§. 42. Qui quatuor menſes currunt a die nominationis, ſi ſtatim ſciverint ſe nominatos eſſe; *d. l. 38.* cæteroquin haud dubie, quemadmodum & L. dies, ex quo cognoverint, ſe tutores vel curatores datos eſſe, i. e. ex tempore notitiæ. *d. §. 16. I. h. t.*

§. 43. Hæc vera ſunt, ſi tutor datus habitet intra centeſimum lapidem, i. e. milliare; *l. 1. §. 4. D. de off. Præf. Urb.* v. *l. 154. D. de V. S.* ſi enim ultra centeſimum lapidem habitet, ſingulis diebus abſolvet iter XX. milliarium, i. e. X. circiter horarum, & inſuper habebit XXX. dies: qui tamen ſic debent computari, ne minus ſint quam L. dies. *d. §. 16. I. l. 13. §. 1. & ſeqq. D. h. t. l. 3. D. de V. S.*

§. 44. Excuſare autem ſe poſſunt omnes, cuiuscunque generis ſint, id eſt, qualitercunque dati fuerint tutores, ſive Teſtamento, ſive a Lege, ſive a Magiſtratu. *d. §. 16. I. l. 2. §. 5. D. h. t. l. 3. §. 8.* D. *de legit. tut. l. 1. C. eod. l. 9. C. qui dar. tut.*

TITULUS II.

UBI PUPILLUS EDUCARI, VEL MORARI DEBEAT; ET DE ALIMENTIS EI PRÆSTANDIS.

C. V. 49. 50.

UBI PUPILLUS EDUCARI, VEL MORARI DEBEAT.

§. 1.

Cum vero frequentiſſime Prætor adiri ſoleat, ut conſtituat, ubi filii vel alantur, vel morentur; *l. 1. pr. l. ult. D. h. t.* ſive tutor tutelam ſuſcipiat, ſive de excuſando eo agatur, de eo hoc loco ſimul monendum viſum eſt.

§. 2. Et quidem ſolet Prætor vel Præſes, ex perſona, ex conditione, & ex tempore varie ſtatuere, ubi pupillus potius alendus ſit. *l. 1. §. 1 l. 5.* D. *h. t.*

§. 3. Ita tamen, ut in primis ſequatur voluntatem patris; niſi juſta cauſa adſit, ob quam ab ea recedendum putet. *l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 4. Si Pater ea de re nihil diſpoſuerit, educatio pupillorum nulli magis quam Matri committenda eſt; *l. 1 C. h. t. N. 22. c. 38. l. 11. C. comm. utr. jud. l. un. §. 5. C. de rei ux. act.* niſi mater vitricum eis induxerit, *d. l. 1. C. h. t. N. 22. c. 18.* vel inhoneſte vivat. arg. *l. 5. D. h. t.*

§. 5. Deficiente vero matre committi ſolet Aſcendentibus, *l. 2. C. h. t.* Collateralibus, *l. 1. §. 2. D. h. t.* aliisve, inſpecta perſonarum qualitate & conjunctione: *l. 1. 2. C. h. t.* ut ſine ulla maligna ſuſpicione partus educetur, *l. 1. §. 1. D. h. t.* & evitentur, qui pudicitiæ impuberis inſidiari poſſint. *l. 5. D. h. t.*

§. 6. Quod

Digitized by Google

§. 6. Quod ſi Prætor vel Præſes æſtimaverit, apud quem pupillus educari debeat, quamvis Prætor recuſantem non polliceatur ſe coacturum, habebit tamen is neceſſitatem hoc facere, & ex cauſa ad hoc cogi poterit. *l. 1. §. 2. D. l. 1. C. h. t.*

§. 7. Certe non male dicetur, ſi legatarius vel heres educationem recuſet teſtamento ſibi injunctam, denegari ei actiones debere, exemplo tutoris teſtamento dati. *l. 1. §. 3. D. h. t.* v. *l. 28. D. de teſt. tut.* ſupr. *ad t. de excuſ. §. ult.*

De Alimentis Pupillo Præstandis.

§. 8. Ut autem Pupillus recte educari poſſit, ſimul decernenda *Alimenta*, Pupillo præſtanda.

§. 9. Quæ ſi Pater ſtatuit, tutor præſtare poterit: niſi forte ultra vires facultatum ſtatuerit; tunc enim imputabitur ei, cur non adito Prætore deſideraverit alimenta minui. *l. 2. §. 3. D. h. t.*

§. 10. Cæteroquin jus alimentorum decernendorum pupillis Prætori competit. Qui modum patrimonii ſpectare debet, & alimenta tam moderate ſtatuere, ut non univeſum reditum Patrimonii in alimenta decernat, ſed ſemper ita, ut aliquid ex reditu ſuperſit. *l. 3. pr. §. 1. 2. 3. D. h. t. l. 2. C. de al. pup. præſt.*

§. 11. Quem in finem exigere poteſt, ut profiteatur tutor, quænam ſint pupilli facultates. *l. 3. §. 4 D. h. t.* v. *l. 3. §. 14. 15. D. de ſuſp. tut §. 9. 10. I. eod.*

§. 12. Plane non ſtricte hoc loco *Alimenta* accipienda ſunt, ut iis tantum contineantur cibaria, veſtitus, & habitatio; ſed latius, ut & ſumtus ad inſtructionem & diſciplinam comprehendant: *l. 3. §. 5. l. 4. D. h. t. l. 3. C. de alim. præſt.* Licet in *Legato alimentorum* ſecus ſit. *l. 6. D. de alim. leg.*

§. 13. Non tamen ſemper a Prætore alimenta decernuntur, ſed ea aliquando etiam arbitrio tutoris relinquuntur; ſi ſcil. vir bonus ſit & innocens, & pupilli interſit, ne ſecreta patrimonii & ſuſpectum æs alienum pandatur. *l. 2. C. h. t.*

§. 14. Quo caſu ſimiliter pro modo facultatum pupilli, erogationes in alimenta, & diſciplinas, ſeu ſtudia pupilli, faciendæ ſunt. *l. 2. pr. §. 1. D. l. 2. D. h. t.*

§. 15. Sed ſi egeni ſunt pupilli, de ſuo eos alere tutor non compellitur. *l. 3. §. ult. D. h. t.*

TITU-

TITULUS III.

DE TUTELÆ, ET RATIONIBUS DISTRAHENDIS, ET UTILI CURATIONIS CAUSA ACTIONE.

C. V. 51.

DE ACTIONE TUTELÆ.

§. 1.

Finita autem Tutela variæ *Actiones* locum habent.

§. 2. Et quidem *I. Actio Tutelæ Directa;* v. *§. 2. I. de oblig. quæ quaſ. ex contr.* quam Prætor hiſce ſimilibusve verbis Edicto quoque pollicitus eſt: *Eum, qui tutelam geſſit, tutelæ judicio rationem reddere cogam. arg. l. 1. pr. D. h. t. l. 1. pr. D. de contr. tut. §. ult. I. de Attil tut.*

§. 3. Eſt itaque hæc *Actio perſonalis, Civilis, bonæ fidei; Quæ datur Pupillo, ejusque heredi, finita tutela; Adverſus Tutorem, ejusque heredem; Ad rationes reddendas, & reliqua præſtanda, nec non dolum & levem culpam.*

§. 4. Dicitur hæc *Actio Perſonalis, Civilis;* naſcitur enim ex obligatione, quæ quaſi ex contractu oritur: *§. 2. I. de obl. quæ quaſ. ex contr.* licet & Edicto incluſa ſit.

§. 5. *Bonæ fidei; §. 28. I. de act.*

§. 6. *Quæ datur Pupillo; §. 2. I. de obl. quæ quaſ. ex contr. §. ult. I. de Attil. tut.*

§. 7. *Ejusque heredi; l. 1. §. 17. D. h. t.*

§. 8. *Finita tutela; l. 4. pr. D. h. t. l. 1. §. 3. D. de contr. tut. act.* abſurdum enim erat, a tutore rationem adminiſtrationis negotiorum pupilli repoſci, in qua adhuc perſeveraret. *l. 9. §. 4. D. h. t.*

§. 9. *Adverſus Tutorem; §. 2. I. de obl. quæ quaſ. ex contr. §. ult. I. de Attil. tut. l. 1. pr. §. 10. & ſeqq. D. h. t.*

§. 10. Si plures ſint dati tutores, ita, ut quidam ſint *Adminiſtratores,* quidam *Honorarii,* v. *l. 14. §. 1. D. de ſolut. l. 3. §. 2. D. de adm. tut.* primum conveniendi *Adminiſtratores,* qui geſſerunt; quibus excuſſis, conveniri poſſunt *Honorarii,* ſi, cum male verſari Adminiſtratores viderent, eos ſuſpectos non fecerint. *d. l. 3. §. 2. D. de admin. tut.*

§. 11. Si vero omnes ſint *Adminiſtratores,* & *pro indiviſo* omnes tutelam adminiſtraverint, ſinguli tenentur in ſolidum. *l. 55. D. de admin. tut. l. 2. C. de divid. tut.* ſi tamen omnes ſolvendo ſint, æquiſſimum erit dividi actionem inter eos, pro portionibus virilibus, exemplo fidejuſſorum. *l. 1. §. 11. 12. D. h. t.*

§. 12. Sin *pro diviſo,* & diviſio tutelæ facta ſit a teſtatore vel Magiſtratu, unusquisque pro ſua adminiſtratione conveniendus eſt, periculum invicem tutoribus

toribus non ſuſtinentibus; niſi per dolum aut culpam ſuſpectum non removerunt, vel tarde ſuſpicionis rationem moverunt. *l. 2. C. de divid. tut. l. 4. 5. D. de adm. tut. l. 2. C. de peric. tut.*

§. 13. Sed ſi ipſi tutores res adminiſtrationis inter ſe diviſerunt, ſimiliter ſinguli in ſolidum obligati ſunt; *d. l. 2. C. de divid. tut.* ita tamen, ut is, qui adminiſtravit, ejusque ſucceſſores, primo loco conveniendi ſint. *l. 3. C. de divid. tut.*

§. 14. *Ejusque heredem; l. 1. §. 16.* D. *h. t. l. 12. l. 49. D. de O. & A.*

§. 15. Ob dolum ſcil. & latam culpam defuncti. *l. 4. D. de mag. conven.* Heredes enim tutorum, ob negligentiam, quæ non latæ culpæ comparari poſſit, condemnari non oportet: Si non contra tutorem lis inchoata eſt, neque ex damno pupilli lucrum captatum, aut gratia præſtitum ſit. *l. 1. C. de hered. tut.* Ubi nihil mutandum eſt.

§. 16. *Ad rationes reddendas, & reliqua præſtanda; l. 1. §. 3. l. 9. §. 4.* D. *h. t. l. 9. C. arb. tut.* add. *l. 69. §. 4. D. de evict. l. 9. & 20. §. 1. l. 28. §. 4. D. de liber. leg.*

§. 17. Quod ut recte fiat, exhibendum Inventarium; v. *l. 1. §. 3. D. h. t. l. 7. pr.* D. *de adm. tut.* Rationes legendæ, offerendæ, & deinde computandæ ſunt: ut explorari poſſit, imputationes probe, an improbe referantur, accepta recte relata, an non recte. Neque enim in folle reliqua offerre ſufficit. *l. 82. & 111. D. de cond. & dem.*

§. 18. Competit etiam nonnunquam ad reliquorum uſuras, ſi ſcil. tutor in mora ſit; *l. 32. §. 2. D. de uſur.* junct. *§. 28. I. de Act.* vel pecuniam pupillarem in uſus ſuos converterit: quo caſu ad uſuras tenetur centeſimas. *l. 7. §. 4. l. 54. D. de adm. tut. l. 1. C. de uſur. pup. l. 38. D. de neg. geſt.* v. ſupr. *ad t. de adm. tut. §. 22.*

§. 19. *Nec non dolum, & levem culpam.* In omnibus enim, quæ fecit tutor, cum facere non deberet; item in his, quæ non fecit, rationem reddet hoc judicio: præſtando dolum, culpam, & quantam in ſuis rebus diligentiam. *l. 1. pr. D. h. t. l. 7. C. arb. tut.*

§. 20. Non etiam leviſſimam; arg. *d. l. 1. pr. D. h. t.* neque caſum fortuitum. *l. 4. C. de peric. tut.* v. ſupr. *ad t. de admin. tut. §. 28. 29.*

§. 21. Illud tamen etiam hic ſpeciale eſt, quod condemnatus ob dolum & latam culpam notetur infamia. *l. 1. D. de his qui not. infam. §. 2. I. de pæn. tem. litig. Cic. pro. Roſc. Am. c. 6. pro Cæcin. c. 3.* v. ſupr. *ad t. de his qui not. inf. §. 39. 40.*

De Rationibus Diſtrahendis.

§. 22. *II.* Locum habet Actio *de Rationibus diſtrahendis.* Quæ eſt *Actio perſonalis Civilis; Quæ datur Pupillo, ejusque heredibus, finita tutela; Contra*

Digitized by Google

Tutorem, qui rem quandam ex bonis pupilli abſtulit, neque in rationes retulit; In duplum.

§. 23. Dicitur hæc *Actio de Rationibus diſtrahendis*, i.e. reſcindendis. arg. *l. 2. D. de divort. l. 7. C. de don. ant. nupt.*

§. 24. Eſt autem *Perſonalis;* quia naſcitur ex delicto, fraudulenta ſcil. rei pupillaris ablatione. *l. 1. §. 22. 23. l. 2. pr. §. 1. D. h. t.*

§. 25. *Civilis*, quia *Lege XII. Tab.* Propoſita eſt: *l. 55. §. 1.* D. *de admin. tut.* licet & Prætor eam Edicto incluſiſſe videatur. arg. *l. 1. §. 19. & ſeqq. D. h. t.*

§. 26. *Quæ datur Pupillo, ejusque heredi; l. 1. §. 23. D. h.t.*

§. 27. *Finita tutela;* hæc Actio enim tunc competit, cum & *Tutelæ Actio* eſt, hoc eſt, finita demum tutela. *l. 1. §. ult.* junct. *l. 4. pr. D. h. t.*

§. 28. *Contra Tutorem, qui rem quandam ex bonis pupilli abſtulit, neque in rationes retulit; l. 1. §. 19. 22. 23. l. 2. pr. §. 1. D. h. t.* non etiam heredem, quia pœnalis eſt. *l. 1. §. 23. D. h. t.*

§. 29. *In duplum l. 1. §. 20. l. 2. §. 2. D. h. t.* Quod tamen de duplo pretii rei, non ejus quod intereſt, accipiendum; *l. 1. §. 20. D. h. t.* neque totum pœna eſt, ſed etiam rei perſecutionem continet. *l. 2. §. ult.* D. *h. t.*

§. 30. Quæ, quatenus rei perſecutoria eſt, cum *Actione Tutelæ* Directa concurrit elective; quatenus vero pœnalis, etiam cumulative: ut, licet *Actione Tutelæ* actum ſit, *hac* nihilominus pœna peti poſſit. arg. *l. 7. §. 1. de cond. furtiv. l. 7. §. 1.* D. *commod.* Ita accip. *l. 1. §. 21.* D. *h. t.*

De Utili Curationis Causa Actione.

§. 31. Ad exemplum autem *Actionis Tutelæ* Directæ introducta eſt *Actio Tutelæ Utilis Curationis cauſa:* Quæ datur *Minori, contra Curatorem, ſimiliter ad rationes reddendas, & reliqua præſtanda. Inſr. l. 20. D. h. t. l. 2. 14. C. de adm. tut.* De qua inſr. *ad t. de curat. fur. §. 22. & ſeqq.*

TITULUS IV.

De Contraria Tutelæ, Et Utili Actione.

C. V. 58.

§. 1.

Quemadmodum vero pupillus cum tutore habet *Actionem Tutelæ Directam*, ſic III. Tutor cum pupillo habet *Actionem Tutelæ Contrariam. §. 2. l. de obl. quæ quaſ. ex contr.*

§. 2. De qua Prætor ita edixiſſe videtur: *Si quid ex adminiſtratione bonorum pupilli debetur, eo nomine in eum Contrarariam Actionem dabo.* arg. *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 3. Eſt

§. 3. Eſt itaque hæc *Actio perſonalis, Civilis, bonæ fidei; Quæ datur Tutori, ejusque heredi, finita tutela: Contra Pupillum, ejusque heredem; Ut indemnis ſervetur*, ſeu *ad omne id, quod ipſi ratione tutelæ abeſt, vel abſuturum eſt.*

§. 4. Dicitur hæc *Actio Perſonalis, Civilis;* quia ex quaſi contractu naſcitur: *§. 2. I. de obl. quæ quaſ. ex contr. §. ult. I. de Attil. tut.* licet & Prætor eam in Edicto propoſuerit, *l. 1. pr.* D. *h. t.* ut ſcil. tutores facilius ad adminiſtrationem accederent. *d. l. 1. pr. D. h. t.*

§. 5. *Bonæ fidei; §. 28. I. de act.*

§. 6. *Quæ datur Tutori; l. 1. pr. §. 1. 3. D. h. t. §. 2. I. de obl. quæ quaſ. ex contr.*

§. 7. *Ejusque heredi; l. 3. §. ult. D. h. t.*

§. 8. *Finita tutela;* finito enim demum officio competit, uti Directa. *l. 1. §. 3. D. h. t.*

§. 9. *Contra Pupillum; l. 1. pr. D. h. t. §. 2. I. de obl. quæ quaſ. ex contr.*

§. 10. *Ejusque heredem; l. 3. §. ult. D. h. t.*

§. 11. *Ut indemnis ſervetur;* adeoque conſequatur id, quod in rem pupilli utiliter impendit, *l. 1. §. 4. l. 3. pr. §. 8. D. h. t.* ejusque uſuras: *l. 3. §. 1. 4. D. h. t.* etſi eventum adverſum habuit, quod geſtum eſt. *l. 3. §. 7.* D. *h. t. l. 10. §. 1. D. de neg. geſt.*

§. 12. Seu *ad omne id, quod ipſi ratione tutelæ abeſt, vel abſuturum eſt. l. 3. §. 1. l. 4. ult. D. h. t.*

§. 13. Non etiam ad ſalarium; niſi ab eo, qui dat tutorem, certum ſolatium ei conſtitutum ſit. *l. 33. §. 3. D. de admin. tut.*

§. 14. Quæ *Contraria Tutelæ Actio* etiam locum habet, etſi Tutelæ judicio directo non agatur; ſi forte pupillus idcirco agere nolit, quia nihil ei debetur, vel plus impenſum eſt, quam ei abeſt, *l. 1. §. ult.* D. *h. t.*

§. 15. Quemadmodum autem ad exemplum *Actionis Tutelæ Directæ, Utilis Curationis cauſa datur,* ſic & *Contraria Utilis Curatori, contra adoleſcentem* competit. *l. 1. §. 2. D. h. t.*

TITULUS V.

De Eo, Qui Pro Tutore, Prove Curatore, Negotia Geſſit. C. V. 45.

§. I.

Quod ſi non verus tutor, ſed quaſi tutor *pro tutore* negotia gerat, *I.* Conceditur *Actio Protutelæ.*

§. 2. Quam, quia plerumque incertum eſt, utrum quis tutor ſit, an vero quaſi tutor pro tutore negotia adminiſtret, etiam Prætor Edicto propoſuit, quod

 forte

forte ita conceptum eſt: *Sive tutor aut curator negotia geſſerit; ſive quis pro tutore aut pro curatore ad ea gerenda acceſſerit, adverſus eum, qui geſſiſſe dicetur, Actionem dabo.* arg *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 3. Eſt autem *Actio Protutelæ* ſimiliter Directa, & *Contraria.*

§ 4. *Actio Protutelæ* Directa datur Pupillo contra eum, qui *pro tutore* negotia geſſit. *l 1. pr. D. h. t.*

§. 5. *Pro tutore* autem negotia gerit, qui munere tutoris fungitur in re impuberis, ſive ſe putet tutorem, ſive ſe eſſe fingat. *l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 6. Datur hæc Actio non tantum finita adminiſtratione, ſed & durante ea, ante pubertatem; quia, qui pro tutore negotia gerit, tutor non eſt. *l. 1. §. 3. D. h. t.*

§. 7. Datur etiam ad rationes reddendas, & reliqua præſtanda, arg. *d. l. 1. pr. D. h. t.* eorumque uſuras; *l. 1. §. 8. D. h. t.* nec non præſtandum dolum, culpam latam, & levem. arg. *l. 1. §. ult. D. h. t.* Qui enim pro tutore negotia gerit, eandem fidem & diligentiam præſtat, quam tutor præſtaret. *l. 4.* D. *h. t.*

§. 8. *Actio Protutelæ Contraria* vero datur ei, qui pro tutore negotia geſſit, contra pupillum, ut indemnis ſervetur. *l. ult.* D. *h. t. l. 1. §. 1.* D. *de contr. tut. act.*

TITULUS VI.

QUOD FALSO TUTORE AUCTORE GESTUM ESSE DICETUR.

§. 1.

Præter quam *Protutelæ* Actionem, Prætor, ſi *falſo tutore* auctore aliquid geſtum eſſe dicetur, inſuper duo alia remedia, *Reſtitutionis* ſcil. *in integrum, & Actionis in factum,* Edicto propoſuit, quod ita habet: „*Quod eo auctore, qui* „*tutor non fuerit*, cum pupillo geſtum eſſe dicetur, (ſic leg. vid.) *ſi id actor* „*ignoravit, dabo in integrum reſtitutionem. In eum, qui, cum tutor non eſſet,* „*dolo malo auctor factus eſſe dicetur, judicium dabo: ut, quanti ea res erit, in* „*tantam pecuniam condemnetur.*„ *l. 1. §. 1. 6. l. 7. pr. D. h. t.*

§. 2. Cujus Edicti æquitas non eſt ambigua; ne ſcil. contrahentes decipiantur, dum falſus tutor adhibetur. *l. 1. pr.* D. *h. t.*

§. 3. Ait Prætor, „*Quod eo auctore, qui tutor non fuerit, geſtum eſſe dice-* „*tur;*„ ſive falſus tutor ſit, ſive verus, ſed talis, qui auctoritatem accommodare non poteſt: ſive unus, ſive plures intervenerint. *l. 1. §. 1. 2. 3. 4 5. D. h. t.*

§. 4. „*Si id Actor ignoravit, dabo in integrum reſtitutionem*;„ ſcienti non ſubvenit: merito, quoniam ipſe ſe decepit. *l. 1. §. ult. l. 2. D. h. t.* Niſi minor XXV. annis ſit, cui, etiamſi ſcierit, ſuccurritur. *l. 3. 4. D. h. t.*

Digitized by Google

§. 5. Noviſſime Prætor ait, ***In eum, qui, cum tutor non eſſet, dolo malo au-„ ctor factus eſſe dicetur;***„ non ſemper enim tutor convenitur, nec ſufficit, ſi ſciens auctor fuit, verum ita demum, ſi dolo malo auctor fuit. *l. 7. §. 1. l. 9. §. 1. l. 11. pr. §. 1. D. h. t.*

§. 6. „*Judicium dabo;*„ concedendo ſcil *Actionem in factum. l. 9. §. 1. l. 11. pr. D. h. t.*

§. 7. „*Ut, quanti ea res erit, in tantam pecuniam condemnetur.*„ Quibus verbis non pœna, ſed veritas continetur, ſeu id quod intereſt. *l. 7. §. 2. D. h. t.*

§. 8. Datur autem hæc *Actio in factum* læſo, ejusque heredi, contra falſum tutorem; non etiam heredem, neque poſt annum, quia ratione rei pœnalis eſt. *l. 9. §. 1. D. h. t.*

§. 9. Quin & *Utilis* datur pupillis, ſi & ipſi ex ea re damnum ſenſerint. *l. ult. D. h. t.*

TITULUS VII.

De Fidejussoribus, Et Nominatoribus, Et Heredibus Tutorum, Et Curatorum.

C. V. 57. 54.

§ 1.

Quia vero dictæ Actiones ſæpe non ſufficiunt, Pupillis porro V. conſulitur *Actione ex ſtipulatu* contra *Fidejuſſores tutorum:* ſive per ſtipulationem, rem pupilli ſalvam fore, ſeſe obligaverint; *l. 5. D. h. t.* ſive a tutoribus nominati præſentes non contradixerint, & nomina ſua referri in acta publica paſſi ſint: qui perinde, ac ſi ſtipulatio interpoſita fuiſſet, tenentur. *l. 4. §. ult. D. h. t.*

§ 2. Ita ut, ſi plures fidejuſſores ab uno tutore dati ſint, ſinguli teneantur in ſolidum; *l. ult.* D. *rem pup. ſalv. for.* ſi vero a pluribus tutoribus, gaudeant beneficio Diviſionis. *l. 6. 7.* D. *h. t.*

§. 3. Eadem cauſa eſt VI. *Nominatorum* ſeu *Affirmatorum,* qui idoneos eſſe tutores affirmarunt, & fidejuſſorum vicem ſuſtinent. *l. 4. §. ult.* D. *h. t.*

§. 4. Quin & VII. Tenentur *Heredes Tutorum*, non tantum ex obligatione defuncti, ob dolum ſcil. ejus & latam culpam; *l. 4.* D. *de mag. conv. l. 1. C. de hered. tut. l. ult. pr.* D. *h. t.* v. ſupr. *ad t. de tutel & rat. diſtr. §. 14. 15.* ſed & quandoque ex perſona propria: Veluti *I.* Si, quæ per defunctum inchoata ſunt, heres legitimæ ætatis non explicaverit, vel negotia pupilli gerere perſeveraverit. *l. 1. pr. l. 4. pr. D. h. t. l. 60.* D. *de admin. tut.*

II. Si res pupillares, quæ penes tutorem fuerunt, poſſideat. *l. 1. §. 1.* D. *h. t.*

III. Si in arca tutoris, pupilli pecuniam invenerit, & conſumſerit. *l. 4. pr. D. h. t.*

IV. Si pecuniam, quam tutor ſtipulatus eſt, exegerit. *d. l. 4. pr. D. h. t.*

§. 5. Ita tamen, ut tantum ob dolum & latam culpam, non etiam levem, conveniri poſſiut. *l. 4. pr. §. 1. D. h. t.*

TITULUS VIII.

DE MAGISTRATIBUS CONVENIENDIS.

C. V. 75.

§. 1.

Quod ſi neque illæ Actiones ſufficiant, excuſſis tutoribus, eorumque heredibus & fidejuſſoribus, VIII. & ultimo loco ſubvenitur Pupillis per *Actionem Subſidiariam.*

§. 2. Quæ *datur Pupillo; Adverſus Magiſtratus minores, qui vel nullo modo, vel non idonee caveri curarunt; Ad id, quod ob tutorum, fidejuſſorumve inopiam, ab iis ſervare non potuit. §. 2. 4. I. de ſatisd. tut. l. 1. pr. §. 4. 6.* D. *l. 5. C. h. t.*

§. 3. Vocatur hæc Actio *Subſidiaria;* quia pupillis in ſubſidium indemnitatis nomine data eſt, & ultimum ipſis affert præſidium: *l. 5. C. h. t. §. 2. I. de ſatisd. tut*, excuſſis ſcil. prius facultatibus tutorum, eorumque fidejuſſorum & heredum. *l. 46. §. 6.* D. *de admin. tut. l. 1. 4. C. h. t.*

§. 4. Dicitur etiam *Utilis; l. 1. pr.* D. *l. 1. 5. C. h. t.* non oppoſitive ad *Directam*, eſt enim ex verbis SCti: ſed quod cæteris actionibus, quibus indemnitati pupilli conſulitur, per interpretationem adjecta, & ad exemplum *Actionis Tutelæ* concepta ſit.

§. 5. Introducta eſt SCto, *l. 2.* D. *h. t.* quod tempore Trajani Imp. factum eſt. *l. 5. C. h. t.*

§. 6. Idque ſuaſit æquitas & favor pupillorum, ut ſcil. ea ætate, qua ipſi rebus ſuis ſupereſſe non poſſunt, quovis modo indemnes ſerventur. arg. *§. 6. I. de Attil. tut.* v. *l. 6. D. h. t.*

§. 7. *Datur Pupillo, ejusque heredi. l. 1. §. 4.* D. *h. t*

§. 8. *Contra Magiſtratus*; non Majores, puta Prætorem vel Præſidem, *l. 1. §. 1. D. h. t. §. ult. I. de ſatisd.* (qui tantum ex inquiſitione dant tutores, quales ſatisdatione non onerantur, *pr. I. de ſatisd.*) ſed tantum *Minores*, ut ſunt in Urbe ſcriba ſummus ſcil. ſeu Vir Clariſſimus, *l. ult. C. h. t.* junct. *Nov. 94. in f.* in Civitatibus Magiſtratus municipales, Duumviri ſcil. & Defenſores: *l. 5. C. h. t. l. 3. §. ult. D. de pecul.* qui ſatisdationem exigere ſolent. *§. ult. I. de ſatisdat.*

§. 9.

§. 9. Datur etiam *contra heredes Magiſtratuum;* ſed non niſi ob dolum & latam culpam defuncti. *l. 4. 6.* D. *l. 2. C. h. t.*

§. 10. Non vero contra eorum fidejuſſores; *l. 1. pr.* D. *h. t.* licet pater teneatur de peculio, ſi filiusfam. Duumvir non caverit rem pupilli ſalvam fore *l. 1. §. ult. D. h. t. l. 3. §. ult.* D. *de pecul.*

§. 11. Datur autem *ad id, quod pupillus ob tutorum fidejuſſorumve inopiam ab iis ſervare non potuit;* ſeu ad reſarciendum damnum, quod paſſi ſunt, eo quod nullos aut non idoneos fidejuſſores exegerunt, *l. 1. §. 6. D. h. t. §. 2. I. de ſatisd.* aut non idoneos tutores conſtituerunt: *l. 3. C. h. t.* non tantum ſi dolo, ſed & ſi culpa levi aliquid neglexerint. *l. 4. 6. 7. D. l. 2. C. h. t.*

§. 12 Quæ Actio, ſi levis tantum culpa intercedat, ex mera æquitate deſcendit. v. Diſſert. *N. VI. de Cauſ. Obl. C. 4. §. 9. & ſeqq.*

TITULUS IX.

De Rebus Eorum, Qui Sub Tutela, Vel Cura Sunt, Sine Decreto Non Alienandis, Vel Supponendis.

C. V. 71.

§. 1.

Quin & denique *Rei Vindicatione* Pupillis contra quoscunque poſſeſſores conſultum eſt, ſi res pupillorum illegitime alienatæ ſint. *l. 1. pr. §. 2. l. 5. §. 14. D. h. t. l. 4. 10. C. de præd. min. & al. reb. ſin. decr. non alien.*

§. 2. Cum enim olim tutores, quippe qui domini loco habentur, *l. 27.* D. *de admin. tut. l. 7. §. 3. D. pro emt. l. 157. D. de R. J.* res quascunque pupillorum libere alienare poſſent, *l. 8. §. 1. D. h. t. l. 20.* D. *de auct. tut. l. 47. §. 1. D. de min. l. 22. C. de adm. tut.* Imperatoris Severi Oratione prohibiti ſunt tutores & curatores prædia ruſtica, vel ſuburbana, ſine decreto diſtrahere. *l. 1. pr.* D. *h. t.*

§. 3. Quæ Oratio in Senatu recitata eſt, Tertyllo & Clemente Conſulibus, A. U. C. 948. poſt C. N. 195. Idibus Juniis. *l. 1. §. 1.* D. *h. t.*

§. 4. Et ſunt verba ejus hujusmodi: „*Præterea, Patres Conſcripti, interdicam Tutoribus & Curatoribus, ne prædia ruſtica vel ſuburbana diſtrahant: niſi, ut id fieret, parentes teſtamento vel codicillis caverint. Quod ſi forte æs alienum tantum erit, ut ex rebus ceteris non poſſit exſolvi: tunc Prætor Urbanus Vir Clariſſimus adeatur, qui pro ſua religione æſtimet, quæ poſſint alienari, obligarive debeant: manente pupillo actione, ſi poſtea potuerit probari, obreptum eſſe Prætori. Si communis res erit, & ſocius ad diviſionem provocet; aut ſi creditor,*

„*qui*

„*qui pignori agrum a parente pupilli acceperit, jus exequetur: nihil novandum* „*cenſeo*.„ *l. 1. §. 2. D. h. t.*

§. 5. Ait Imp. „*Præterea, Partes Conſcripti, interdicam Tutoribus & Cura*„*toribus*;„ etiamſi pater vel parens tutor ſit. *l. 7. §. 2. D. h. t.* Neque id tantum ad curatores Minorum, ſed & Furioſorum, aliorumque, ex ſententia Orationis pertinet. *l. 8. §. 1. D. h. t.*

§. 6. „*Ne Prædia Ruſtica vel Suburbana*;„ Quæ hic ab *Urbanis* non loco, ſed qualitate ſecernuntur; *l. 16. C. h. t.* Qualia diſtrahere, hoc SCtum non prohibet. v. *l. 22. C. de admin. tut. l. 11. §. 5. D. de min.*

§. 7. Quod autem de Prædiis *Ruſticis* dicitur, pertinet etiam ad Jus Emphyteuticum; *l. 3. §. 4. D. h. t.* Uſum fructum; *l. 3. §. 5. D. h. t.* Lapidicinas, aliasve Metalli fodinas, nec non Salinas. *l. 3. §. ult. l. 4. 5. pr. §. 1. D. h. t.*

§. 8. „*Diſtrahant*,„ ſeu vendant; *l. 22. C. de admin. tut.* aliove modo alienent: puta in ſolutum dando, *l. 15. C. h. t.* vel pignori obligando. *Inſer. l. 1. §. 2. ult. l. 2. 5. §. 10. 11. 13. D. h. t.* add. *l. ult. C. de reb. alien. non alienand.*

§. 9. „*Niſi, ut id fieret, parentes teſtamento vel codicillis caverint*;„ quod niſi caverint, abſtinendum eſt a venditione, licet defunctus, dum viveret, res venales habuerit, *l. 1. §. 2. D. h. t.* add. *l. 3. C. quand. decr. opus non eſt.*

§. 10. „*Quod ſi forte æs alienum tantum erit, ut ex rebus cæteris non poſſit* „*exſolvi, tunc Prætor Urbanus Vir Clariſſimus adeatur, qui pro ſua religione æſti*„*met, quæ poſſint alienari, obligarive debeant*;„ ob æs alienum enim prædium ruſticum minoris diſtrahi permittitur. *l. 12. C. h. t.*

§. 11. Sed cauſa demum cognita, & intercedente decreto Prætoris, vel Præſidis; *d. l. 12. C. h. t.* non enim paſſim tutoribus, ſub obtentu æris alieni, permitti debuit venditio: & ideo Prætori arbitrium hujus rei Senatus dedit. Cujus officio in primis hoc convenit excutere, an aliunde poſſit pecunia ad extenuandum æs alienum expediri. *l. 5. §. 9. D. h. t.*

§. 12. Idem Prætor æſtimare debebit, utrum vendere potius, an obligare permittat. Nec non illud vigilanter obſervare, ne plus accipiatur ſub obligatione prædiorum fœnoris, quam quod opus ſit ad ſolvendum æs alienum; aut ſi diſtrahendum arbitrabitur, ne propter modicum æs alienum magna poſſeſſio diſtrahatur. *d. l. 5. §. 10. & ſeq. D. h. t.*

§. 13. Et ne titulo tenus tutores ære alieno allegato, pecunia abutantur, quam mutuam acceperunt, oportebit Prætorem curare, ut pecunia accepta creditoribus ſolvatur, & de hoc decernere, dareque viatorem, qui ei renunciet pecuniam ad hoc converſam, propter quod deſiderata eſt alienatio, vel obligatio. *l. 5. §. 13. D. h. t.*

§. 14. Non tantum tamen ob æs alienum, ſed & ob dotem, *l. 61. §. 1. D. de jur. dot. l. 22. C. de admin. tut.* donationem propter nuptias, *d. l. 22. C. de adm. tut.*

tut. ſumtus in ſtudia, arg. *l. 3. §. 5. l. 4. D. ubi pup. educ. Auth. Habita. C. ne fil. pro. patr.* ſimilesve juſtas cauſas, diſtractio prædiorum pupilli, vel minoris, permitti poteſt. arg. *dd. ll. l. 12. D. de ll.* Non obſt. *l. 5. §. 9. 14. D. h. t. l. 12. & ult. C. h. t.*

§. 15. Non vero ob ſolam utilitatem; *l. 5. §. 14. D. h. t.* licet fundus ſit ſterilis, ſaxoſus, vel peſtilens, *l. ult. pr. D. h. t.*

§. 16. „*Manente pupillo actione, ſi poſtea potuerit probari obreptum eſſe* „*prætori;*„ ut ſcil. pupillo vel minori non tantum competat Actio in perſonam, contra tutores vel curatores: ſed & in rem, contra quemcunque rei poſſeſſorem. *l. 5. §. 15. D. h. t.*

§. 17. „*Si communis res erit, & ſocius ad diviſionem provocet;*„ *Communia prædia* accipere debemus, ſi pro indiviſo communia ſint: cæterum, ſi pro diviſo communia ſint, ceſſante Oratione decreto locus erit. *l. 5. §. ult.* add. *l. 6. & 7. D. h. t.*

§. 18. „*Aut ſi creditor, qui pignori agrum a parente pupilli acceperit, jus* „*exequetur, nihil novandum cenſeo.*„ Pignori enim capi, juſſu Magiſtratus, vel Præſidis, vel alterius poteſtatis, & diſtrahi fundus pupillaris poteſt. Sed & in poſſeſſionem mitti rerum pupillarium a Prætore quis poteſt, & jus pignoris contrahitur, ſive legatorum ſervandorum cauſa, ſive damni infecti cauſa miſſio facta ſit. Hæ enim obligationes ſive alienationes locum habent, quia non ex tutoris vel curatoris voluntate id fit, ſed ex Magiſtratuum auctoritate. *l. 3. §. 1. D. h. t.*

§. 19. Sed hæc Oratio ſeu Lex minorum utilitati multum adverſa viſa eſt Conſtantino Imp. qui prædia non tantum Ruſtica & Suburbana, ſed & Urbana, & aurum, argentum, gemmas, veſtes, cæteraque mobilia pretioſa, & quæ ſervando ſervari poſſunt, vendi vel pignorari prohibuit.* *l. 22. C. de admin. tut.*

§. 20. Niſi id fiat ea neceſſitate & lege, qua ruſticum prædium atque mancipium vendere vel pignorare, vel in donationem propter nuptias, vel in dotem dare in præteritum licebat: ſcilicet per inquiſitionem Judicis, & probationem cauſæ, interpoſitionemque decreti, ut fraudi locus non ſit. *d. l. 22. C. de admin. tut.*

§. 21. Adeo ut, ſi contra factum ſit, alienatio nulla ſit, *d. l. 22.* & pupillus vel minor res alienatas a quocunque poſſeſſore vindicare poſſit; *l. 5. §. 15.* D. *h. t.* reſtituto tamen cum uſuris pretio, quatenus in rem ejus verſum eſt. *l. pen. §. 1.* D. *h. t. l. 10. 14. & 16. C. h. t.*

§. 22. Non pauci tamen ſunt caſus, (uti ex dictis ultro intelligitur,) quibus earum rerum alienatio fieri poteſt.

§. 23. *Ceſſat* enim *Prohibitio: I.* Si pater pupilli vel minoris alienationem permiſerit, *l. 1. §. 2. l. ult.* D. *h. t. l. 1. & 13. quand. decr. op. non eſt.*

II. Si grande æs alienum, ſimilisve juſta cauſa alienationem exigat, & intercedat decretum Prætoris. *l. 1. §. 2.* D. *h. t. l. 22. C. de adm. tut.*

III. Si communis res ſit, & ſocius ad diviſionem provocet. *d. l. 1. §. 2. D. l. pen. C. h. t.*

IV. Si res a patre creditori pignori obligata ſit. *d. l. 1. §. 2.* D. *h. t.*

V. Si pater ſtipulanti fundum ſpoponderit. *l. 5. §. 6. D. h. t. l. 3. C. quand. decr. opus non eſt.*

VI. Si fundus, vel a patre, vel a pupillo, ſub lege de retrovendendo emtus ſit. arg. *l. 2. C. de pact. int. emt. l. 3. §. 2.* D. *l. ult. C. h. t. l. 1. C. quand. decr. opus non eſt.*

VII. Si pupillus permiſſu Prætoris rem pignori dederit. *l. 7. §. 2. D. h. t.*

VIII. Si Princeps alienationem conceſſerit. *l. 2. C. quand. decret. op. non eſt.*

IX. Si res ſint minoris momenti, & quæ ſervando ſervari nequeunt. *l. 22. & ult. §. ult. C. de adm. tut. l. ult. C. quand. decret. op. non eſt.*

§. 24. Quin & alienatio illegitime facta quandoque *convaleſcit;* ſi ſcil. minor major factus alienationem ratam habuerit: *t. t. C. ſi maj. fact. alien. fact. ſin. decret. rat. hab.* ſive expreſſe id fiat; *l. 2. C. d. t.* ſive tacite, tacendo ſcil. per quinquennium in cauſis oneroſis: per decennium vero inter præſentes, & vicennium inter abſentes, in cauſis lucrativis. *l. ult. C. ſi maj. fact. alien. fact. ſin. decret. rat. hab.*

TITULUS X.

DE CURATORIBUS FURIOSO, ET ALIIS EXTRA MINORES DANDIS. C. V. 70.

§. 1.

Dicta de *Tutoribus* fere etiam ad *Curatores* pertinent; in pauciſſimis enim diſtant *Curatores* a *Tutoribus*: *l. 13. pr. D. de excuſat.* unde & in plerisque titulis, tum hujus, tum ſuperioris libri, *Tutoribus Curatores* conjuncti ſunt. Quia vero *Curatores* non tantum minoribus, ſed & aliis extra minores dantur, de iis hoc loco ſeparatim ſubjicitur.

§. 2. Ut autem utrumque Caput, & *de Tutoribus*, & de *Curatoribus*, eo rectius intelligatur, de *Cura*, & *Curatoribus*, tum *Minorum*, tum *aliorum* hoc loco paulo plenius videndum eſt.

§. 3. *Cura*

§. 3. *Cura* ſeu *Curatio eſt poteſtas jure conſtituta, ad adminiſtrandas res ejus, qui quoquo modo rebus ſuis ſupereſſe non poteſt l. 20. D. de R. N. l. 8. C. de nupt.*

§. 4. *Curatores* dantur vel ob *ætatem*, vel ob *animi corporisve vitium*, vel ob *alias juſtas rationes.*

§. 5. *Ob ætatem* Curatores dantur *Minorennibus;* nam maſculi puberes, & fœminæ viripotentes, usque ad viceſimum quintum annum completum, curatores accipiunt: quia, licet puberes ſint, adhuc tamen ejus ætatis ſunt, ut ſua negotia tueri non poſſint. *pr. I. de curator.*

§. 6. Olim quidem Minores ex Lege Lætoria, non niſi dictis cauſis, *Curatores* accipiebant; ſed id mutavit Imp. Marcus, qui conſtituit, ut omnes adulti *Curatores* acciperent, non redditis cauſis. Capitolin. *in Marc. cap. 10.*

§. 7. Unde hodie in hanc usque ætatem adoleſcentes *Curatorum* auxilio reguntur, neque ante rei ſuæ adminiſtratio eis committi debebit, quamvis bene rem ſuam gerentibus: *l. 1. §. ult. D. de min.* adeoque ex Conſtitutione D. Marci omnes adoleſcentes *Curatores* accipiunt, etiam inviti.

§. 8. Niſi quis veniam ætatis inpetraverit. Quod conceditur iis, quos morum honeſtas mentisque ſolertia commendat; & quidem maſculis anno ætatis vigeſimo, fœminis vero anno decimo octavo completo; ſi eam ætatem, & fœminæ quidem, per 5. teſtes probaverint. *l. 2. pr. §. 1. C. de his qui ven. æt.*

§. 9. Quo caſu ipſi res ſuas adminiſtrant; ſed immobilia alienare nequeunt. *l. 3. C. eod.*

§. 10. *Ob vitium animi* Curatores dantur *Furioſis* licet majores viginti quinque annis ſint: *l. 1. pr. D. §. 3. I. h. t.* qui in curatione ſunt Agnatorum, ex Lege duodecim Tabularum. *d. §. 3. I. h. t.* Cic. *ad Heren. L. I. c. 13.* Sed jure novo *Curatores*, cauſa cognita, *l. 6. D. h. t.* a Magiſtratu accipiunt. *d. §. 3. I. h. t.* Qui tamen, ſi qui ſint habiles in familia, eos præterire non ſolet. *l. 13. D. h. t. l. 5. C. eod. l. 27. C. de Ep. aud.*

§. 11. In eadem cauſa ſunt *Mente capti.* & *prodigi;* qui, quod ad bona ipſorum pertinet, furioſum faciunt exitum. *l. 12. §. 2. D. de tut. & cur. dat. l. 1. pr. D. h. t. §. 3. 4. I. h. t.*

§. 12. Sunt autem *Prodigi* qui (ſive maſculi ſint, ſive fœminæ, *l. 15. pr. D. h. t.*) neque tempus, neque finem expenſarum habent, ſed bona ſua dilacerando & diſſipando profundunt. *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 13. Quales non cenſentur ipſo jure, ſed tum demum, cum per decretum Prætoris tales declarati ſunt, & ob id ipſis bonis interdictum eſt. *l. 10. & 15. D. h. t. l. 6. D. de V. O. l. 27. pr. D. de min.* Paul. *III. Sent. T. IV. §. 7.* Horat. *I. Serm. Sat. III. verſ. 217. 218.*

§. 14. *Ob vitium corporis* Curatores dantur *Surdis, Mutis, perpetuo morbo laborantibus*, omnibusque, qui rebus ſuis ſupereſſe nequeunt. *§. 4. I. h. t. l. 12. pr. D. de tut. & curat. dat.*

§. 15. Non etiam Cœcis, qui, ſi nihil aliud impediat, rei familiari præeſſe poſſunt. arg. *l. 1. §. 5. D. de poſtul. l. 6. D. de jud.*

§. 16. *Ob alias rationes* Curatores quandoque dantur pupillis, ſi ſcil. vel tutor, ſive legitimus, ſive teſtamentarius, non ſit idoneus; vel ad tempus a tutela excuſetur. *§. 5. I. h. t* Quoniam habenti tutorem, (niſi caſibus exceptis, v. *l. 21. §. ult. D. de excuſ. l. 39. §. 8. D. de admin. tut. l. 17. D. de tutel. l. 15.* D. *de tut. dat.)* tutor dari non poteſt. *d. §. 5. I. h. t. l. 27. D. de teſtam. tut. l. 9. C. qui dar. tut.*

§. 17. Dantur etiam non raro bonis: ſi v. c. heredes deliberent; *l. 3. D. h. t.* ſi claræ perſonæ bona diſtrahenda ſint, *l. 5. & 9. D. h. t.* ut & ſi venter in poſſeſſionem miſſus ſit; *l. 8.* D. *h. t. l. 1. & 17. D. de ventr. in poſſ. mitt. & curat. ejus* & ſi debitor non ſit ſolvendo. v. infr. *ad t. de curat. bon. dand.*

§. 18. *Dantur* autem *Curatores* ab iisdem Magiſtratibus, a quibus dantur & tutores. *§. 1. I. h. t.* v. *§. 4. 5. I. de Attil. tut. l. 3. D. de tut. dat.* ſupr. *ad t. de tutor. dat. §. 5. 6. 7.*

§. 19. Sed Curator teſtamento non datur; *§. 1. I. h. t. l. 7. C. de teſtam. tut.* datus tamen confirmatur decreto Prætoris vel Præſidis. *d. §. 1. I. h. t. l. 1. §. f. l. 6. D. de conf. tut. l. 2. C. eod.*

§. 20. *Dari poſſunt*, quicunque non prohibentur, & tutores eſſe poſſunt; v. ſupr. *ad t. de tutel. §. 13.* & *ſeqq.* etiam filius patri furioſo vel prodigo, ſi filius probus ſit. *l. 1. §. 1 l. 2. & 4. D. h. t. l. 12. §. 1. D. de tut. vel curat. dat.*

§. 21. *Curatorum officium* fere idem eſt, quod tutorum; arg. *l. 13. pr. D. de excuſ. tut.* & quidem in ſpecie Curatoris furioſo dati, non ſolum patrimonium, ſed & corpus ac ſalutem furioſi conſilio & opera tueri. *l. 7. pr.* D. *h. t.*

§. 22. Unde & ex Adminiſtratione Curatorum naſcitur *Actio Tutelæ Utilis Curationis cauſa Directa, & Contraria.*

§. 23. *Actio Tutelæ Utilis Curationis cauſa* Directa eſt, *Quæ datur minori, sive, qui ſub cura fuit; l. 3. C. arb. tut. Contra Curatorem; Ad rationes reddendas, & reliqua præſtanda. Inſtr. & l. 20.* D. *de tut. & rat. diſtr. l. 2. & 14. C. de admin. tut.* v. ſupr. *ad d. t. §. 31.*

§. 24. Quæ ſicut & *Actio Tutelæ Directa*, non niſi finita curatione locum habet: *l. 2. & 14. C. de adm. tut. l. 19. D. eod.* licet certæ rei vel cauſæ nomine, etiam durante curatione, agi poſſit. *l. 26. D. de admin. tut. l. 4. §. 3. l. 16. §. 1. D. de tut. & rat. diſtr. l. 1. §. 3. D. de contr. tutel. act. l. 4. §. 4. D. rem pup. ſalv. for.*

25

Digitized by Google

§. 25. *Actio Tutelæ Utilis Curationis cauſa Contraria* eſt, *Quæ datur Curatori; Contra Minorem, eosve, qui ſub cura fuerunt; Ut indemnis ſervetur. l. 1. §. 2. D. de contrar. tutel. act.* v. *l. 47. §. 1. D. de neg. geſt.* ſupr. *ad t. de contrar. tut. act. §. 15.*

§. 26. Differunt tamen *Curatores* & *Tutores; I.* Quod *Tutores* principaliter dentur perſonis; *§. 4. I. qui teſt. tut. Curatores* vero rebus. *§. 2. I. h. t. l. 20. D. de R. N. l. 8. C. de nupt.*

II. Quod *tutores* dentur pupillis; *§. 1. I. de tutel. §. 5. I. h. t. Curatores* vero Minoribus, Furioſis, ſimilibusque. *pr. I. h. t. Infr. h. t.*

III. Quod *Tutores* etiam dentur teſtamento; *§. 3. I. de tutel. Curatores* non item. *§. 1. I. h. t.*

IV. Quod aliis modis deſinant eſſe *Tutores;* v. ſupr. *ad t. de ſuſp. tut. §. 1. & ſeqq.* aliis *Curatores.*

§. 27. *Curatio* enim fere *finitur, I.* Si Minor major annis XXV. factus ſit. *l. 1. §. ult. D. de min.*

II. Si Furioſus ad ſanam mentem, Prodigus ad ſanos mores redierit. *l. 1. pr.* D. *h. t.*

III. Si Vitium corporis, vel cauſa, ob quam Curator datus eſt, ceſſaverit.

PARS QUINTA.

LIBER XXVIII. TITULUS I.

QUI TESTAMENTA FACERE POSSUNT, ET QUEMADMODUM TESTAMENTA FIANT.

C. VI. 22. 23.

§. 1.

Exhibitis Actionibus, quæ ratione *Tutelæ & Curæ* locum habent, tranſit Imp. ad Actiones, quæ ratione *Succeſſionis* ſeu *Hereditatis acquiſitionis* competunt.

§. 2, Eſt autem *Hereditas, Succeſſio* (i. e. jus ſuccedendi, *l. 1. §. 1.* D. *de R.* D. *§. un. I. de reb. corp. & incorp.) in Univerſum jus, quod defunctus tempore mortis habuit. l. 24. D. de V. S. l. 62. D. de R. J.*

§. 3. Eaque duobus modis defertur. ex *Teſtamento* ſcil. & diſpoſitione privatorum, vel *ab Inteſtato.* & ex diſpoſitione Legis. *§. ult. I. per quas perſon. cuique acq.*

§. 4. Cum vero hereditas ab Inteſtato non deferatur, quamdiu ex teſtamento adiri poteſt, *l. 39. D. de acq. her. l. 89.* D. *de R. J.* prius de *Teſtamento* videndum eſt. *d. §. ult. I. per quas perſon.*

§. 5. *Teſtamentum* (quod quaſi *teſtatio mentis* dicitur, *pr. I. de teſt ord.)* eſt *voluntatis noſtræ juſta ſententia, de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit. l. 1.* D. *h. t.*

§. 6. Dicitur *Juſta Sententia;* i. e. Legibus conveniens, ſeu ad juris regulas conformata. *l. 4. D. h. t.*

§. 7. *Voluntatis noſtræ;* hinc debet abeſſe vis atque metus; quæ voluntati ſunt contraria: *l. 116.* D. *de R. J.* adeo, ut Teſtamentum, quod quis coactus fecit, ſit ipſo jure nullum, arg. *l. 1. C. de SS. Eccleſ. l. 32. D. de hered inſtit. l. 20. §. ſ. D. h. t.*

§. 8. Hinc etiam nemo alieno nomine teſtari poteſt; *d. l. 32. D. de hered. inſtit.* neque ad interrogationem alterius teſtamentum recte conditur. arg. *l. 21. pr. D. h. t.*

§. 9. *De eo quod quis poſt mortem ſuam fieri velit.* Viventis enim non eſt hereditas.

Digitized by Google

hereditas. *l. 1. D. de hered, vel act. vend.* add. Ep. ad *Hebr. IX, 16. 17.* Diſſ. N. *de Juriſpr. Paul. Ap. p. 63. & ſeqq.*

§. 10. Teſtamentorum genera olim fuere quatuor; *I. Teſtamentum Calatis Comitiis*, ſeu in concione populi factum. *§. 1. I. de teſtam. ordin.*

II. In Procinctu; cum viri ad prælium committendum in aciem vocabantur. *d. §. 1.* Plut. *in Camill* Feſt. in voc. *Procincta claſſis.*

III. Per æs & libram; quod per emancipationem, i. e. imaginariam venditionem agebatur, *d. §. 1.* Theod. *ibid.* Gell. *l. XV, c. 27.*

IV. Factum *Jure Prætorio* coram ſeptem teſtibus, & ab iis ſignatum. *§. 2. I. de teſtam. ordin.*

§. 11. Sed hæc genera Teſtamentorum in uſu eſſe deſierunt, & jure novo aliæ ſpecies introductæ ſunt.

§. 12. Secundum quod Teſtamenta dividi poſſunt in *Publica, & Privata.*

§. 13. *Publica* ſunt, quæ fiunt fide & auctoritate publica; coram Principe ſcil. vel apud Acta. Quando neque teſtes, neque ſolennia deſiderantur, *l. 19. C. de teſtam.* add. *l. 31. C. de don.*

§. 14. *Privata*, quæ fiunt fide privata; cum privatorum auribus ſuprema voluntas committitur. *d. l. 19. C. de teſtam.*

§. 15 *Privata* ſunt *Solennia*, vel *Minus ſolennia* ſeu *Privilegiata.*

§. 16. *Teſtamenta Solennia* ſunt, ad quæ condenda ſolennitates legibus præſcriptæ neceſſariæ ſunt.

§. 17. *Minus ſolennia* ſeu *Privilegiata*, ad quæ vel nullæ, vel non omnes ſolennitates ſunt neceſſariæ.

§. 18. Utraque vero ſunt vel *Scripta*, vel *Nuncupativa.*

§. 19. Quod ſi vero quæratur, an valeat teſtamentum? in primis animadvertere debemus, an is, qui fecerit teſtamentum, habuerit teſtamenti factionem? deinde, ſi habuerit, requiremus, an ſecundum regulas Juris Civilis teſtatus ſit? *l. 4. D. h. t.*

Qui Teſtamenta Facere Poſſunt.

§. 20. *Teſtamenti factio* alia *Activa* dici ſolet, alia *Paſſiva. l. 16. pr.* D. *h. t. §. 4. I. de hered. qual. & diff.*

§. 21. *Teſtamenti factionem Activam* habere dicuntur, qui teſtamentum facere poſſunt. *d. l. 16. pr. D. h. t. d. §. 4. I. de hered. qual. & diff.*

§. 22. *Paſſivam* vero, qui quidem ipſi teſtamentum facere non poſſunt, ſed tamen ex alieno teſtamento vel ſibi, vel aliis acquirere poſſunt. *d. l. 16. pr. d. §. 4.*

§. 23. Licet autem *Teſtamenti factio Activa* origine haud dubie ſit Juris Gentium, *l. 1. C. de SS. Eccleſ. §. 40. I. de R. D. Ep. ad Gal. III, 9.* determinatione

Digitized by Google

tione tamen Juris Publici eſt & Civilis, *l. 3. D. h. t.* v. d. Diſſ. N. *de Juriſpr. Paul. Ap. p. 55. & ſeqq.*

§. 24. Nam non omnibus Teſtamentum facere licet. *pr. I. quib. non eſt perm. fac. teſt.* Prohibentur enim quidam *I.* Propter *Statum; II.* Quidam propter *Defectum judicii; III.* Quidam propter *Vitium corporis;* & *IV.* Quidam propter *Delictum.*

§. 25. *I.* Propter *Statum* prohibentur Servi. *l. 19. D. h. t.*

§. 26. Unde & ejus, qui apud hoſtes eſt, teſtamentum, quod ibi fecit, quamvis redierit, non valet. *l. 8. pr. D. h. t. §. ult. I. quib. non eſt permiſſ. fac. teſtam.*

§. 27. Sed quod dum in civitate fuerat fecit, ſive redierit, valet jure poſtliminii, ſive illic deceſſerit, valet ex Lege Cornelia. *d. §. ult. l. 12. D. h. t. l. 6. 18.* D. *de captiv. & poſtl. rev.*

§. 28. Codicilli etiam ſcripti in captivitate, ab eo, qui in civitate teſtamentum fecerat, eo reverſo convaleſcunt. *l. 12. §. 5. D. de capt. & poſtl. rev.*

§. 29. Qui vero a Latronibus capti ſunt, cum liberi maneant, poſſunt facere teſtamentum; ut & qui apud exteros legatione funguntur. *l. 13. §. 1. 2.* D. *h. t.*

§. 30. Similiter propter *Statum* teſtari non poſſunt Peregrini; quibus aqua & igni interdictum eſt, ſeu Deportati; *l. 8. §. 1. 2. D. h. t. l. 1. §. 2. D. de leg. 3.* Obſides, niſi hoc eis permittatur; *l. 11. D. h. t.* De ſtatu ſuo dubitantes, quia, qui incerti de ſuo ſtatu ſunt, certam legem teſtamento dicere non poſſunt; *l. 14. & 15.* D. *h. t.* Filiifam. denique, qui in patris ſunt poteſtate. *l. 6. 19. D. l. pen. C. h. t. pr. I. quib. non eſt permiſſ. fac. teſt.*

§. 31. Adeo quidem, ut quamvis pater eis permittat, nihilo magis tamen jure teſtari, *d. l. 6. pr. D. h. t. d. pr. I. quib. non eſt permiſſ. fac. teſt.* codicillos facere, legatumve, (quoad donationem mortis cauſa ſecus eſt, *l. 25. §. 1. D. de mort. cauſ. don.)* aut fideicommiſſum relinquere poſſint. *l. 6. §. 3. D. de jur. codicill.*

§. 32. Adeo etiam, ut, licet poſtea ſuæ poteſtatis facti deceſſerint, teſtamentum antea factum tamen non valeat; *l. 19. D. h. t. pr. in f. I. quib. non eſt perm. fac. teſtam.* propter Regulam Catonianam, quæ non patitur, id, quod ab initio vitioſum eſt, tractu temporis convaleſcere. *l. 1. D. de reg. Cat. l. 29. l. pen.* D. *de R. J.*

§. 33. Excipiuntur tamen Filiifam. qui *peculium Caſtrenſe* habent, vel *Quaſi Caſtrenſe; pr. I. quib. non eſt perm. fac. teſt.* quin in iis vice Patrumfamilias funguntur. *l. 2.* D. *ad SCt. Maced.*

§. 34. De *Adventitio* filiusfam. ne quidem eo caſu teſtari poteſt, quando plenum ejus habet dominium; *pr. in f. I. l. pen. C. h. t.* qua explicatur. *l. ult. §. 5. verſ*

Digitized by Google

§. 5. verſ. Filiis autem. C. de bon. quæ lib. quamvis de iis inter vivos diſponendi libera filiofam. majori XXV. annis facultas conceſſa ſit. *Nov. 117. c. 1. §. 1.*

§. 35. *II. Ob Defectum judicii* teſtari non poſſunt Furioſi; *§. 1. I. quib. non eſt permiſſ. fac. teſt. l. 9.* C. *h. t.* (niſi tempore dilucidi intervalli; *d. §. 1. d. l. 9.*) Mente capti; *l. 17.* D. *h. t. l. 2. 13. in f.* D. *de inoff. teſt.* Impuberes, maſculi ſcil. qui nondum impleverunt annum decimum quartum, & fœminæ, quæ nondum impleverunt annum duodecimum: *l. 5.* D. *h. t.* quia nullum eorum animi judicium eſt, i. e. nullum tale, quale hic requiritur. *§. 1. I. quib. non eſt permiſſ. fac. teſt.*

§. 36. In eadem cauſa ſunt Prodigi, quibus bonis interdictum eſt; *l. 18. pr.* D. *h. t. §. 2. I. quib. non eſt perm. fac. teſt.* quia furioſis ſimiles ſunt. *l. 12. §. 2. D. de tut. dat. l. 6. D. de V. O.* Quod tamen interdictione vetuſtius habuerunt teſtamentum ratum eſt. *d. l. 18. pr. D. h. t. §. 2. I. quib. non eſt perm. fac. teſt.*

§. 37. *III. Ob Vitium corporis* teſtari nequeunt Surdi & Muti; *l. 6. §. 1. D. h. t.* niſi, ut liceret ſibi teſtamentum facere, a Principe impetraverint. *l. 7. D. h. t.* junct. *l. 7. §. 1. D. und. cogn.*

§. 38. Quod tamen poſtea mutavit Imp. Juſtinianus; ut etiam ſine ea impetratione teſtari poſſint, dummodo lingua vel ſcriptura voluntatem ſuam exprimere queant: *l. 10. C. h. t. §. 3. I. quib. non eſt perm. fac. teſt.* quod in eos, qui ſimul ſurdi & muti nati ſunt, vix cadere poteſt. v. *d. l. 10. C. h. t.*

§. 39. *Cæci* etiam non poſſunt facere teſtamentum, niſi per obſervationem, quam Lex D. Juſtini introduxit. *§. 4. I. quib. non eſt permiſſ. fac. teſt.* Qua cautum, ut cœcus heredem nuncupet, & præter ſeptem teſtes tabularium adhibeat, qui voluntatem nuncupantis ſcriptura excipiat; aut ſi tabularii copia non ſit, octavum teſtem, omnesque ſubſcribant & ſignent. *l. 8. C. h. t.*

§. 40. *IV.* Denique *ob Delictum* teſtari prohibentur Rei læſæ Majeſtatis; *l. 5. C. ad L. Jul. Maj.* Apoſtatæ, *l. 3. C. de apoſt.* Hæretici improbiores, *l. 4. C. de hæret.* Inceſtas nuptias contrahentes, qui extraneis nihil relinquere poſſunt, *l. 6. & Auth. Inceſtas. C. de inceſt. nupt.* Ob carmen famoſum damnati, aliique Inteſtabiles, *l. 18. §. 1. l. 26.* D. *h. t.* Omnesque, qui capitis damnati ſunt. *l. 8. §. ult. l. 13. §. ult. D. h. t. l. 6. §. 6. D. de inj. rupt. irr. teſt.*

§. 41. Quod, licet ſervitus pœnæ, & publicatio bonorum, in gratiam propinquorum, ſublata ſit, *Nov. 22. c. 8. Auth. Sed hodie. C. de don. int. vir. & ux. N. 134. c. ult.* jure novo tamen mutatum non videtur.

§. 42. Plane, ſi quis poſt accuſationem in cuſtodia fuerit defunctus indemnatus; vel ſi quis in capitali crimine damnatus appellaverit, & medio tempore pendente appellatione fecerit teſtamentum, & ita deceſſerit, valet ejus teſtamentum. *l. 9. 13. §. ult. D. h. t.*

§. 43. Reliqui teſtamenta facere poſſunt, ſive ſano corpore ſint, ſive non ſint; *l. 2. 17. D. l. 3. C. h. t.* ſive adoleſcentes, ſive mediæ ætatis, ſive ſenes: *l. 5. D. l. 3. 4. C. h. t.* junct. *l. 16. C. de don.* dummodo ſecundum regulas Juris Civilis teſtentur. *l. 4. D. h. t.*

Quemadmodum Testamenta Fiant.

§. 44. Ut enim *Teſtamentum Solenne Scriptum* recte fiat, requiritur *I. Ut condatur uno eodemque tempore, §. 3. I. de teſtam. ord. l. 21. pr. C. de teſtam. & uno contextu. l. 21. §. ult.* D. *h. t.*

§. 45. Eſt autem *uno contextu*, nullum actum alienum teſtamento miſcere. *d. l. 21. §. ult. l. 28. C. h. t.* Quod ſi aliquid pertinens ad teſtamentum faciat teſtator, veluti, ſi filio ſubſtituat, *l. 16. §. 1. l. 20. §. 1. D. de vulg. & pup. ſubſt.* teſtamentum non vitiatur. *d. l. 28. §. ult.*

§. 46. Quin & ſi quid neceſſarium evenerit, & ipſum corpus laborantis reſpiciens contigerit, id eſt vel victus neceſſarii, vel potionis oblatio, vel medicaminis datio vel impoſitio, quibus relictis ipſa ſanitas teſtatoris periclitetur; vel ſi quis neceſſarius naturæ uſus ad depoſitionem ſuperflui ponderis immineat, vel teſtatori, vel teſtibus; ex hac cauſa teſtamentum non ſubvertitur. *l. 21. pr. C. de teſtam.*

§. 47. Cum itaque Contractus ab actu teſtandi plane alienus ſit, arg. *l. 21. §. 3. D. h. t. l. 1. §. 3. D. de pact. l. 5. C. de O. & A. l. 4. D. de adim. leg. l. 20. D. de V. S.* neque ratio neceſſitatis pro eo militet, inter teſtandum celebrari non poterit.

§ 48. *II. Ut adſint ſeptem teſtes; §. 3. I. de teſtam ordin.* (quoad declarationem, poſt teſtamentum conditum factum, duo ſufficiunt, *l. 21. §. 1. D. h. t.*) ſpecialiter rogati ſeu certiorati ad teſtamentum ſe adhiberi, *l. 21. §. pen. D. h. t.* (quod in aliis negotiis ſecus eſt, *l. 11. D. de teſtib.*) ſimul & non inviti præſentes, *l. 8. C. de teſtam. l. 20. §. ult.* D. *h. t.* nec non teſtatorem videntes. *l. 9. C. de teſtam.*

§. 49. Adhibendi autem ſunt teſtes idonei, cum quibus ſcil. eſt teſtamenti factio, *§. 6. I. de teſtam. ord.* quique non ſunt prohibiti.

§. 50. Quales ſunt, Mulier, *§. 6. I. de teſtam. ord. l. 20. §. 6. D. h t.* v. Gell. *L. V. c. 19.* Impubes, Servus, *d. §. 6. l. 20. §. 7. D. h. t.* Furioſus, Mutus, *d. §. 6.* quia teſtimonium eloqui non poteſt; Surdus, *d. §. 6.* quia non intelligit quid dicatur, licet intelligentia ſermonis teſtantis hic non ſit neceſſaria; *l. 20. §. pen. D. h. t.* Cœcus, *l. 9. C. de teſtam.* quia neque teſtatorem agnoſcere, neque ſigna recognoſcere poteſt; v. *l. 4. D. de teſtam. quemadm. aper.* Prodigus, & Inteſtabilis. *d. §. 6. I. de teſtam. ordin.* junct. *l. 18. §. 1. l. 26. D. h. t.*

§. 51. Quæ teſtium conditio tempore facti & ſignati teſtamenti, non mortis teſtato-

Digitized by Google

teſtatoris, inſpiciuntur. *l. 22. §. 1 D. h. t.* Ut & occulta teſtium vitia, ſi modo teſtamenti facti tempore publice pro idoneis habeantur, teſtamento non officiant. *§. 7. I. h. t.*

§. 52. In teſtibus etiam non debet eſſe is, qui in poteſtate teſtatoris eſt; *§. 9. I. de teſtam. ord.* unde Filiusfam. non poteſt eſſe teſtis in teſtamento patris, neque contra: licet filiusfam. de caſtrenſi peculio, ſive ante, ſive poſt miſſionem, faciat teſtamentum; reprobatum enim hic eſt domoſticum teſtimonium: *d. §. 9.* licet aliud aliis viſum ſit. v. *l. 20. §. 2.* D. *h. t.*

§. 53. Pater tamen & Filius, qui in ejus poteſtate eſt, item duo Fratres, qui in ejusdem patris poteſtate ſunt, in teſtamento tertii teſtes eſſe poſſunt. Quia nihil nocet, ex una domo plures teſtes alieno negotio adhiberi. *§. 8. I. de teſtam. ord. l. 17. D. de teſtib.*

§. 54. Sed neque heres ſcriptus, neque is, qui in poteſtate ejus eſt, neque pater ejus, qui eum in poteſtate habet, neque fratres, qui in ejusdem patris poteſtate ſunt, teſtes adhiberi poſſunt; quia ſibi ipſi quodammodo teſtimonia præſtarent. *l. 20. pr.* D. *h. t. §. 10. I. de teſtam. ord.*

§. 55. Quod in Legatariis & Fideicommiſſariis contra habetur, qui teſtes eſſe poſſunt; *l. 20. pr.* D. *h. t. §. 11. I. de teſtam. ord.* non tantum in teſtamento Scripto, ſed etiam Nuncupativo.

§. 56. Licet enim nemo in propria cauſa teſtis eſſe poſſit; *l. 10. D. l. 10. C. de teſtib.* & propria cauſa dicatur, cujus commodum vel damnum ad aliquem pertinet: *l. 1. §. 11. D. quand. appell.* non tamen iſtud hic obſtat. Legatarii enim non ſunt juris ſucceſſores; *d. §. 11. I. de teſtam. ordin. l. 9. §. 1. D. de edend.* tum & Teſtes cauſa ſunt, ut teſtamentum ſubſiſtat: improbe ergo faceret heres, ſi illos repudiaret, quibus pro ſe uſus eſt. v. *l. 14. D. de reb. dub.*

§. 57. *III. Ut teſtes ſubſcribant & ſignacula apponant; l. 30. D. h. t. §. 3. I. de teſtam. ord.* ſuo vel alieno annulo, *l. 22. §. 2. 7. D. h. t. l. 12. C. de teſtam.* vel alio inſtrumento. Magis enim eſt, ut *non tantum* (ſic leg. v.) annulo quis poſſit ſignare; dum tamen habeat χαρακτῆρα, i. e. formam, inſculptamque ſigni imaginem. *l. 22. §. 5.* D. *h. t.*

§. 58. Sive autem de die, ſive nocte teſtamentum ſignetur, nihil intereſt, *l. 22. §. 6. D. h. t.*

§. 59. *IV. Ut ipſe teſtator ſubſcribat.* vel, ſi ſcribere nequeat, octavum teſtem in eum finem adhibeat: niſi forte teſtamentum ſit *Holographum*, i. e. integrum manu teſtatoris ſcriptum. *l. 28. §. 1. C. de teſtam.*

§. 60. Conſtitutum etiam erat, ut nomen heredis, per manus teſtatoris, vel teſtium, exprimeretur; *§. 4. I. de teſt. ord. l. 29. C. de teſtam.* ſed id poſtea per *Nov. 119. c. 9.* abrogatum eſt.

§. 61. In qua materia teſtamentum ſcribatur, an in tabulis, an in chartis, membra-

Digitized by Google

membranisve, nihil intereſt. *§. 12. I. de teſt. ord. l. 1. 4. D. de bon. poſſ. ſec. tab.*

§. 62. Nihil etiam refert, qua lingua, quibusve verbis, ſolennibus, an non ſolennibus fiat, *l. 21. §. ult. l. 15. C. de teſtam.*

§. 63. Dummodo literis perſcribatur, non notis: v. *l. 6. §. ult. D. de bon. poſſ.* niſi forte portio hereditaria notis expreſſa ſit; *l. 9. §. 4. D. de hered. inſt.* vel miles teſtatus ſit. *l. 40. pr. D. de teſtam. mil.*

§. 64. Cum duobus pluribusve teſtamentis nemo paganus poteſt decedere; *l. 19. D. de teſtam. mil.* ſed unum teſtamentum pluribus exemplis, ſeu codicibus, conficere quis poteſt. *l. 24. D. h. t. §. 13. I. de teſtam. ord.*

§. 65. Dummodo omnia exemplaria ſecundum obtinentem obſervationem facta ſint; *d. §. 13. l. ult. D. quæ in teſt. del.* neque unum quaſi teſtamentum ſit, aliud quaſi exemplum. *l. 1. §. 7. D. de bon. poſſ. ſec. tab.*

§. 66. Ut autem *Teſtamentum ſolenne Nuncupativum* recte fiat, requiritur, *ut Teſtator, coram ſeptem teſtibus idoneis, ſpecialiter rogatis, ſimul præſentibus, ac teſtatorem videntibus, atque intelligentibus, unico contextu, voluntatem viva voce declaret. §. 14. I. de teſtam. ord. l. 21. pr. §. pen. & ult. D. h. t. l. 21. §. 2. l. 26. C. de teſtam.*

§. 67. Quo caſu heredes *palam* nuncupandi ſunt. Quod tamen non accipiendum in publicum; ſed ut teſtator exaudiri poſſit. Exaudiri autem non ab omnibus, ſed a teſtibus: &, ſi plures fuerint teſtes adhibiti, ſufficit ſolennem numerum exaudire. *l. 21. pr. D. h. t.*

§. 68. Debet etiam Teſtator ultimam voluntatem plene pronunciare. Si enim heredibus primis nuncupatis, prius, quam ſecundos exprimeret heredes, obmutuiſſet, & aliquid deſit ex his, quæ teſtator dicere voluit, ne quidem ea, quæ dicta ſunt, ſubſiſtunt. *l. 25. D. h. t.*

§. 69. Quod ſi vero vel una dictarum ſolennitatum omiſſa ſit, Teſtamentum (utpote non jure factum, *l. 1. D. de injuſt. rupt. irr.*) in *foro externo* nullum producit effectum. *l. 17. 23. C. de fideic.* In *foro* tamen *conſcientiæ*, ſi modo conſtet de ſeria voluntate defuncti, heredem ab inteſtato, ad relicta præſtanda obligat. arg. *l. 32. 2. C. de fideic. l. 38. D. de fideic. lib. l. 5. §. 15. D. de don. int. vir. & ux. §. 40. I. de R. D.* v. Plin. *L. IV. Ep. 10.* Diſſert. *N. I. de C. O. C. IV. §. 11. & ſeq.*

TITULUS II.

DE LIBERIS ET POSTUMIS HEREDIBUS INSTITUENDIS, VEL EXHEREDANDIS.

C. VI. 28. 29.

§. 1.

Non tamen, ut omnino valeat Teſtamentum, ſufficit hæc obſervatio, quam ſupra

Digitized by Google

ſupra expoſuimus, ſed omnino curare debet Teſtator, ut *Heredem inſtituat*; quia teſtamenta vim ex *Inſtitutione heredis* accipiunt, & ob id veluti caput atque fundamentum intelligitur totius teſtamenti *Heredis inſtitutio. §. 34. I. de legat.*

§. 2. Eſt autem *Heredis inſtitutio, Deſignatio ſucceſſoris, in univerſum jus, quod defunctus tempore mortis habuit.* arg. *l. 24. D. de V. S. l. 62. D. de R. J.*

§. 3. Eaque non male dividitur in *Voluntariam* & *Neceſſariam.*

§. 4. *Voluntaria* eſt earum perſonarum, quas quis inſtituere poteſt, vel præterire pro lubitu.

§. 5. *Neceſſaria* vero eorum eſt, qui neceſſario inſtituendi ſunt vel exheredandi: quales ſunt Liberi, (de quibus hic tantum agitur) Parentes, nec non caſu quodam Fratres & Sorores.

§. 6. *Exheredatio* autem eſt, *Hereditatis Lege datæ, rite facta ademtio. l. 19. D. h. t. §. 5. I. de exher. lib. l. 8. §. 2. D. de bon. poſſ. contr. tab.*

§. 7. Quæ ut *rite* fiat, requiritur *I.* Ut fiat nominatim, i. e. ut prænomen, nomen, cognomen, vel agnomen dicatur; vel certa demonſtratione, filius v. g. ſignificetur. *l. 1. 2. 3. pr. D. h. t. pr. in f. §. 5. I. de exher. lib.*

§. 8. *II.* Ut fiat *pure*, non ſub conditione; *l. 3. §. 1. D. h. t.* niſi in defectum conditionis quoque exheredatio facta ſit. *l. 4. C. de inſtit. & ſubſt.*

§. 9. *III.* Ut fiat a tota hereditate; *l. 19. D. h. t.* a cunctis heredibus, & ab omni gradu. *l. 3. §. 2. & ſeqq. D. h. t.*

§. 10. Non etiam, ut cauſa exheredationis exprimatur; quod nusquam dicitur. Licet, ut exheredatio cum effectu fiat, jure novo cauſa exheredationis teſtamento nominatim inſerenda ſit. *Nov. 115. c. 3. pr.*

§. 11. Quantum autem ad *exheredationem Liberorum* attinet, jure antiquo multa fuit differentia, inter *Filios* & *Filias*, *Filios* & *Nepotes*, *Natos* & *Poſtumos*.

§. 12. Qui enim *Filium* in poteſtate habeat, curare debebat, ut eum heredem inſtitueret, vel exheredem nominatim faceret. Alioqui, ſi eum ſilentio præteriiſſet, inutiliter teſtabatur, & Teſtamentum ipſo jure nullum erat. *pr. I. de exher. lib. l. 30. D. h. t. l. 1. D. de inj. rupt. irr.* Quia filiusfam. etiam vivo patre quodammodo dominus exiſtimatur, & poſt mortem patris, hereditatem non percipere, ſed magis liberam bonorum adminiſtrationem conſequi videtur. *l. 11. D. h. t. §. 2. I. de hered. qual. & diff.*

§. 13. Adeo ut, ſi vivo patre filius mortuus ſit, Jure Civili nemo heres ex eo teſtamento exiſtere poſſit; quia ſcil. non ſubſtiterit ab initio: *d. pr. I. de exher. l. 7. D. h. t. l. 1. D. de reg. Caton. l. 29. & pen. D. de R. J.*

§. 14. Licet ſecus ſit jure Prætorio; v. *l. 1. D. de bon. poſſ. contr. tab. l. 2. pr. D. de bon. poſſ. ſecund. tab.* quo etiam, ſi filius patri ſuperſtes bonis paternis ſe abſtineat, voluntas ex bono & æquo ſuſtinetur. *l. 17. D. de injuſt. rupt. irr.*

§. 15. Sed aliud juris erat quoad *Filias*, reliquosque per virilem ſexum deſcendentes liberos, i. e. *Nepotes*, utriusque ſexus. Neque enim nominatim eos

 exhe-

exheredare neceſſe erat, ſed licebat *inter cæteros* hoc facere; neque præteriti teſtamentum infirmabant, ſed jus accreſcendi habebant: *pr. I. de exher. lib.* quo ſuis heredibus accreſcebant ad virilem, extraneis ad partem dimidiam, Ulp. *T. XXII. §. 16. 17.* Caj. *L. II. T. III. §. 1.* Paul. *L. III. Sent. IV. §. 21.*

§. 16. *Poſtumi* olim; utpote incerti, ne quidem inſtitui poterant. *§. 25. I. de legat.* Ulp. *T. XXII. §. 4.* Sed quia, ſi natus fuerit poſtumus, vivus, & perfecta humana ſpecie, teſtamentum rumpitur, *l. 12. D. h. t. l. 2. 3. C. de poſt. her. inſtit.* receptum eſt, ut poſtumi quoque heredes inſtituantur, vel exheredentur, *l. 10. D. h. t. §. 1. I. de exher. lib. l. 3. pr.* D. *de injuſt. rupt. irr.*

§. 17. Ut & quis poſtumum heredem inſtituere poſſit, licet nondum uxorem duxerit; *l. 4. D. h. t.* dummodo ejus conditionis ſit, ut naturaliter generare poſſit. v. *l. 6. pr §. 1. 2. l. 9. pr. D. h. t.*

§. 18. Sed, ſi ex ea, quæ alii nupta ſit, poſtumum quis heredem inſtituerit, ipſo jure non valet, quod turpis ſit inſtitutio; ut &, ſi ex ea, quam nefas ſit uxorem ducere. *l. 9. §. 1. 3. D. h. t.*

§. 19. Inter *Natos* autem, & *Poſtumos*, non una erat differentia.

§. 20. *I. Filio* enim *ſuo nato præterito* teſtamentum eſt ipſo jure nullum; *l. 1. 3. §. 3. D. de inj. rupt. irr.* *Poſtumo præterito* teſtamentum ab initio ſubſiſtit. *§. 1. I. de exher. lib.*

II. Poſtumi omnes, ſive maſculi, ſive fœminæ, præteriti agnaſcendo teſtamentum totum rumpunt; *Fœminæ natæ* non item. *d. §. 1.*

III. Poſtumis filiabus inter cæteros exheredatis pater aliquid legare cogitur, ne per oblivionem videantur præteritæ; *Natis* non item *d. §. 1.*

IV. Omnes maſculi poſtumi nominatim exheredandi ſunt; quod quoad *Nepotes natos* ſecus eſt. *d. §. 1.*

§. 21. Sunt autem poſtumi vel *Veri*, vel *Quaſi tales*.

§. 22. *Poſtumi Veri* ſunt, qui poſt mortem patris naſcuntur ſui; *l. 3. §. 1. D. de injuſt. rupt. irr. teſt. l. 6. pr. D. de inoff. teſt.* Varr. *de LL. L. 8.* Feſt. *in* voc. *Poſtumus*, ſic dicti, non quod *poſt humatum patrem* nati ſint, uti vult Iſid. *L. XIX. c. 5.* ſed quod *poſtremi*, ſeu *poſtremo loco nati ſint*. v. Plaut. *in Aul. Act. II. Sc. I. verſ. 40. 41. 42.* Virgil. *L. VI. Æn. verſ. 763.* Gell. *L. II. c. 16.* Unde & alio nomine *poſteriores* vocantur. *l. 3. §. 3. D. de injuſt. rupt. irr. teſt.*

§. 23. *Quaſi poſtumi* ſunt *I.* Nepotes poſt mortem avi ſui nati, præmortuo filio, inſtituendi ex formula Galli Aquilii JCti, quæ ita habet: „*Si filius meus,* „*vivo me, morietur, tunc ſi quis mihi ex eo nepos, ſive quæ neptis, poſt mortem* „*meam, in decem menſibus proximis, quibus filius meus moreretur, natus nata* „*erit, heredes ſunto.*„ v. *l. 29. pr.* & *§§. ſeqq. D. h. t.* Qui *Aquiliani* dici ſolent.

§. 24. *II.* Poſtumi, qui ſui naſcituri ſunt poſt teſtamentum, patre mortuo, vivo teſtatore avo, inſtituendi ex *Legis Juliæ Velleja capite primo*; *l. 29. §. 11. 12. D. h. t.*

Digitized by Google

D. *h. t.* quod ita fere conceptum videtur: „*Qui teſtamentum faciet*, *is omnes* „*virilis ſexus*, *qui ei ſui heredes futuri erunt*,„ heredes inſtituendi, vel nominatim exheredandi, jus habeto; id niſi fiat, teſtamentum ejus ruptum eſto. arg. *d. l. 29. §. 12. l. 3. pr. §. 1. D. de injuſt. rupt. irr. teſt.*

§. 25. *III.* Nepotes, qui ante teſtamentum Avi nati, ſuccedentes poſtea in locum patris ſui demortui, quaſi ſui heredes agnaſcuntur; qui, ne quaſi agnaſcendo rumpant teſtamentum, inſtituendi, vel exheredandi ſunt ex *Legis Velleja Capite ſecundo. l. 29. §. 13. D. h. t. §. 2. I. de exher. lib. l. 13. D. de injuſt. rupt. irr.* Quod ita conceptum eſt: „*Si quis ex ſuis heredibus ſuus heres eſſe deſierit*, *li*„*beri ejus*, *& cæteri*, *in locum ſuorum heredum ſuccedunto*;„ qui niſi inſtituti vel exheredati ſint, ad exemplum poſtumorum, teſtamentum ruptum eſto. *d. l. 29. §. 13. 14. D. h. t.* Qui utrique *Quaſi poſtumi Vellejani* dici ſolent.

§. 26. *IV.* Nepotes, qui poſt teſtamentum Avi vivo patre ſuo nati, mox patre decedente in ejus locum ſuccedunt; duobus quaſi capitibus Legis Vellejæ commixtis, inſtituendi *ex ſententia Juliani. l. 29. §. 15. D. h. t.*

§. 27. *V.* Qui ante captivitatem patris concepti, capto ab hoſtibus patre, in civitate nati ſunt; inſtituendi vel exheredandi ex *fictione L. Corneliæ. l. 15. D. de injuſt. rupt. irr. teſtam.* Unde & *Corneliani* vocari ſolent.

§. 28. *Emancipatos*, aliisve modis a patria poteſtate liberatos, *l. 1. §. 6. D. de bon. poſſ. contr. tab.* Jure Civili neceſſe non eſt heredes inſtituere, vel exheredare, quia non ſunt amplius ſui heredes; *§. 3. I. de exher. lib.* ſed Prætor, quaſi reſcindens eorum capitis deminutionem, *l. 6. §. 1. D. de bon. poſſ.* eos vel inſtitui, vel maſculos nominatim, fœminas inter cæteros, exheredari jubet, cæteroquin Bonorum poſſeſſionem contra tabulas promittit. *§. 3. I. de exher. lib. l. 4. & 6. D. de bon. poſſ. contr. tab.* Quam dum tribuit, re ipſa hereditatem dare videtur. *l. 1. 2. D. de bon. poſſ.*

§. 29. *Adoptivi* liberi, quamdiu ſunt in poteſtate patris adoptivi, ſimiliter inſtituendi vel exheredandi ſunt; ejusdem enim juris habentur, cujus ex juſtis nuptiis quæſiti. *§. 4. I. de exher. lib. l. 1.* D. *de adopt. §. 8. I. eod.*

§. 30. Emancipati autem a patre Adoptivo, neque Jure Civili, quia deſinunt eſſe ſui heredes; neque Jure Prætorio, quia ſimul nomen liberorum amittunt, *l. 4. D. ſi tab. teſtam. null. extab. l. 1. §. 6. l. 3. §. 2. D. de bon. poſſ. contr. tab.* inter liberos connumerabantur. *§. 4. I. de exher lib.*

§. 31. Cum vero emancipati fuerint a patre adoptivo, vivo patre naturali, *§. 10. I. de hered. quæ ab inteſt.* tunc incipiebant in ea cauſa eſſe, in qua futuri eſſent, ſi a naturali patre emancipati eſſent. *§. 4. I. de exher. lib.* Hoc enim caſu, ne utrinsque parentis exciderent ſucceſſione, volebat Prætor eos jus naturale liberorum recuperare. *l. 4. D. ſi tab. teſtam. null. extab.*

§. 32. Sed hæc quidem vetuſtas introducebat: *§. 5. I. de exher. lib.* Imp. autem Juſtinianus *Jure novo* omnem iſtam differentiam juris antiqui, quoad

ſexum

Digitized by Google

ſexum & gradum, ſuſtulit, & conſtituit, *Ut omnes, ſive ſui, ſive emancipati*, a Patre *vel heredes inſtituantur, vel nominatim exheredentur, ſive jam nati, ſive in utero conſtituti poſtea nati ſint. l. 4. C. de lib. præter. §. 5. I. de exher. lib.*

§. 33. Adeo ut, eo in *ſuis* non obſervato, Teſtamentum, & quoad inſtitutiones, & quoad legata, nullum ſit; *l. 17. D. de inj. rupt. irr. teſt.* etiam jure noviſſimo. *Nov. 115. c. 3. Auth. Ex cauſa C. de lib. præt.*

§. 34. Differentia enim inter *Suos* & *Emancipatos* non eſt ſublata neque *emancipati* exæquati ſunt *ſuis*, ut & ipſis præteritis teſtamentum non ſubſiſtat; ſed habent bonorum poſſeſſionem contra tabulas. *d. l. 4. C. de lib. præt.*

§. 35. Circa *Adoptivos* jure novo diſtinguitur, an ab Aſcendente adoptati ſint; quales ſimiliter inſtituendi vel exheredandi ſunt; an verò ab extraneo? quales præteriri poſſunt. v. *§. 5. in f. I. de exher. lib. l. pen. C. de adopt. §. 2. I. eod.*

§. 36. Ut autem *inſtituti* dicantur liberi, inſtitutio verbis diſpoſitivis & expreſſis facienda eſt. In conditione poſitos eſſe non ſufficit; veluti, ſi quis teſtamento dixerit, *Si filius meus me vivo decedat, Cajum inſtituo.* Liberi enim poſiti in conditione, non ſunt poſiti in diſpoſitione, ſeu inſtitutione. *l. 16. §. 1. D. de vulg. & pup. ſubſt. l. 8.* D. *ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam.*

§. 37. Plane Miles neceſſe non habet liberos ſuos inſtituere, vel nominatim exheredare, ſed ſilentium ejus pro exheredatione valet. *§. 6. I. de exher. lib. 12. D. de bon. lib. l. 9. l. 10. C. de teſt. mil.*

§. 38. Ut teſtamentum militis non tantum non ſit nullum, ſed nec per Bonorum poſſeſſionem contra tabulas, nec per Querelam inofficioſi infirmari poſſit, *l. 9. C. de inoff. teſt.* etiam poſt *Nov. 115. c. 3.*

§. 39. Dummodo ſciverit miles ſe liberos habere. *d. §. 6. I. de exher. lib. l. 9. C. de teſt. mil.*

§. 40. Quibus tamen Portionem Legitimam, per *Condictionem ex Lege* petendam, non negamus. arg. *Auth. Presbyteros. C. de Epiſc. & Cler. l. 30. l. 32. C. de inoff. teſt. N. 18. c. 1.* v. Diſſert. N. II. *de Port. Legit. C. 2. §. 29.*

§. 41. Similiter Mater, vel Avus Maternus, neceſſe non habent liberos ſuos heredes inſtituere, vel exheredare, ſed poſſunt eos ſilentio omittere; nam ſilentium Matris, & Avi Materni, & cæterorum per matrem aſcendentium, tantum facit, quantum exheredatio patris: quia Matri & Avo Materno neque ſui heredes ſunt, neque eſſe deſierunt. *§. 7. I. de exher. lib. l. 4. §. 2. D. de bon. poſſ. contr. tab. l. 13. D. de ſuis & legit. her.* Quod per *Nov. 115. c. 3.* mutatum non videtur.

§. 42. Licet autem teſtamentum, in quo Liberi dicto modo inſtituti vel exheredati ſunt, ab initio ſubſiſtat, non tamen effectum habebit, ſi ſine juſta cauſa exheredatio vel præteritio facta ſit, ſed per *Querelam Inofficioſi Teſtamenti* reſcin-

Digitized by Google

reſcindi poterit, de *qua*, ut & *cauſis exheredationum*, actum ſupra ad *Tit. de inoff. teſtam.*

TITULUS III.

De Injusto, Rupto, Irrito Facto Testamento.

§. 1.

Quemadmodum vero Teſtamentum ipſo jure *nullum* eſt, ſi filius, qui eſt in poteſtate patris, præteritus eſt; *l. 1. D. h. t.* ſic & ab initio non ſubſiſtit, & *Injuſtum* dicitur ſeu *non jure factum*, ſi externa ſolennia juris deſint. *d. l. 1.*

§. 2. Quod autem ab initio ſubſiſtit & juſte factum eſt, infirmatur aliquando, vel *Ipſo jure*, vel *Officio Judicis.*

§. 3. *Ipſo Jure*, dum teſtamentum *Rumpitur*, vel *Irritum fit. pr. I. quib. mod. teſt. inf.*

§. 4. *Officio Judicis*, cum reſcinditur per *Querelam inofficioſi*, de qua actum ſupr. ad *T. de inoff. teſt.* vel *Bonorum poſſeſſionem contra tabulas*, de qua infr. ad *T. de bon poſſ. cont. tab.*

§. 5. *Rumpitur* Teſtamentum, cum, in eodem ſtatu manente Teſtatore, ipſius teſtamenti jus vitiatur. *§. 1. I. qu.b. mod. teſtam. infirm.*

§. 6. Quod contingit per *Agnationem ſui heredis*, vel *Mutationem voluntatis. l. 1. D. h. t.*

§. 7. *Agnatio ſui heredis* vel *Naturalis* eſt & *Vera*, vel *Civilis* & *Quaſi talis.*

§. 8. *Agnatio Naturalis* & *Vera* eſt, cum heres ſuus poſt factum teſtamentum naturaliter natus eſt. *l. 3. §. 1. D. h. t. §. 1. I. de exher. lib. l. 3. C. de poſt. her. inſt.*

§. 9. *Agnatio Civilis* contingit tripliciter: *I.* Cum teſtator, qui ex aſcendentibus eſt, aliquem adoptat. *§. 1. I. quib. mod. teſtam. infirm. l. pen. C. de adopt.*

II. Cum liberi naturales legitimantur. *§. 2. I. de hered. quæ ab inteſt.*

III. Cum nepos ſuccedit in locum ſui heredis, & ita teſtatori quaſi agnaſcitur. *§. 2. I. de exher. liber.*

§. 10. Quibus caſibus teſtamentum *rumpitur; l. 1. D. h. t.* quia incidit in caſum, a quo non poteſt incipere, v. *l. 98. pr. in f. D. de V. O.* junct. *pr. I. de exher. lib. l. 1. D. h. t.*

§. 11. *Mutatio Voluntatis* fit, vel *per Poſterius teſtamentum*, vel *Rebus ipſis & factis.*

§. 12. *Per Poſterius teſtamentum* fit mutatio voluntatis, & prius rumpitur, ſi

ſi poſterius rite ſeu jure perfectum eſt. *l. 1. 2.* D. *h. t. §. 2. 7. I. quib. mod. teſt. infirm.*

§. 13. Usque adeo, ut, licet prius nominatim non revocetur, tamen per poſterius perfectum ipſo jure tollatur; *l. 27. C. de teſtam.* ea enim voluntas rata eſſe debet, quæ eſt noviſſima. *l. 4. D. de adim. leg.*

§. 14. Adeo etiam, ut, licet in priori teſtamento *clauſula* inveniretur *Derogatoria*, in poſteriori tamen non requiratur *Caſſatoria l. 6. §. 2. D. de jur. codicill.* Non obſt. *l. 22. pr.* D. *de leg. 3.* quæ de eodem teſtamento loquitur.

§. 15. Imo nec intereſt, an ex poſteriori teſtamento heres extiterit, an non? *§. 2. I. quib. mod. teſt. infirm. l. 16.* D. *h. t.* Aditio enim hereditatis, ad ſubſtantiam, vel perfectionem teſtamenti, non pertinet.

§. 16. Dummodo ex poſteriori teſtamento heres exiſtere potuerit; *l. 1. D. h. t.* nam ſi poſteriores tabulæ vacuæ ſint, id eſt, nihil ſcriptum habeant, prioribus ſtabitur: *l. 11.* D. *h. t.* ut &, ſi poſteriori teſtamento ſit inſerta conditio de præterito vel præſenti, nec ea exiſtat; *l. 16.* D. *h. t.* vel poſterius ob filii præteritionem nullum ſit. *l. 16. §. 1. in f. D. de vulg. & pup. ſubſt.*

§. 17. Idemque dicendum, licet in poſteriori teſtamento heres ex re certa inſtitutus ſit: *§. 3. I. quib. mod. teſtam. infirm.* niſi forte teſtator in poſteriori teſtamento expreſſe addat, *Se velle ut & prius valeat.* Quo caſu ex re certa ſcriptus fideicommiſſo gravatus videtur. *d. §. 3. l. 29. D. ad SCt. Trebell.*

§. 18. Nuda declaratione voluntatis contraria, qua teſtator dicit, *Se teſtamentum factum nolle valere*, etiam coram VII. teſtibus facta; vel teſtamento poſteriori imperfecto, prius non rumpitur. *§. 7. I. quib. mod. teſtam. infirm.*

§. 19. Niſi *I.* Teſtator voluntatem ſuam revocaverit coram tribus ad minimum teſtibus, & acceſſerit lapſus decennii. *l. 27. C. de teſt.*

Vel *II.* Teſtamenta imperfecta ea ſint, quæ pro perfectis habentur; puta Militum, Parentum inter liberos, poſteriora, in quibus ſcripti, qui ab inteſtato veniunt. *l. 2.* D. *h. t. l. 21. §. 1. Auth. ſeq.* & *§. 2. 3. C. de teſtam.*

§. 20. Quod ſi duo adſint teſtamenta æque perfecta, neque conſtet, utrum ſit prius, utrum poſterius? ex utroque quaſi ex uno competit hereditas; quia pro unis tabulis habendum eſt, & ſupremum utrumque accipiemus. arg. *l. 1. §. 6. D. de bon. poſſ. ſec. tab.*

§. 21. *Irritum* fit teſtamentum, quoties ipſi teſtatori aliquid contigit, cum ſcil. capite minutus eſt; *l. 6. §. 5.* & *ſeqq. D. h. t. §. 4. I. quib. mod. teſtam. infirm.* ſive maxima ſit, ſive media, ſive minima capitis deminutio. Teſtamentum enim non eſt, niſi hominis Liberi, Civis Romani, & Patrisfamilias. *§. 6. I. quib. mod. teſtam. inf.* & proinde per capitis deminutionem teſtatoris ſemper incidit in caſum, a quo non poteſt incipere. v. *l. 98. in f. pr. D. de V. O.*

§. 22. Excipitur Miles, cujus teſtamentum per capitis deminutionem minimam

mam non ſit irritum. *l. 6. §. ult. D. h. t. §. 5. I. de mil. teſtam. l. 22. & 23. D. eod.*

§. 23. Non tamen per omnia inutilia ſunt teſtamenta *Irrita;* nam ſi ſeptem teſtium ſignis ſignata ſunt, poteſt ſcriptus heres ſecundum tabulas bonorum poſſeſſionem agnoſcere: ſi modo defunctus & civis Romanus, & ſuæ poteſtatis mortis tempore fuerit, *§. 6. I. quib. mod. teſtam. infirm. l. 12. pr. in f. D. h. t.* & nova voluntatis declaratio, cum minimam capitis deminutionem paſſus eſt, (quoad maximam & mediam ſecus eſt, *l. 6. §. pen. l. 9. D. h. t.)* acceſſerit. *l. 10. §. 2. D. de bon. poſſ. ſec. tab.*

§. 24. Sed neque in cauſa teſtamenti *Rupti* ſemper obſtat vitium, quo minus ex eo Bonorum poſſeſſio peti poſſit; veluti, ſi poſtumus præteritus vivo teſtatore (mortuo teſtatore natus ut ſuus ſtatim ſibi acquirit, & transmittit, de quo caſu accip. *l. 2. C. de poſt. her. inſt.)* deceſſerit. *d. l. 12.* D. *h. t.* Item, ſi teſtator ſupremas tabulas incidit, ut priores ſupremas relinqueret. *l. pen. §. 2. D. de bon. poſſ. ſec. tab.*

§. 25. Sed & ſi filius præteritus hereditate paterna abſtineat, voluntas ex bono & æquo ſuſtinetur. *l. 17. D. h. t.*

§. 26. Non vero idem juris eſt, ſi teſtamentum non conſiſtat, propter inhabilitatem perſonæ teſtatoris, aut defectum ſolennium. *l. 1. §. 8. D. de bon. poſſ. ſec. tab. l. 12. C. de teſtam.*

TITULUS IV.

De His, Quæ In Testamento Delentur, Inducuntur, Vel Inscribuntur.

§. 1.

Rebus *ipſis & factis* autem mutatio voluntatis ſignificatur, & teſtamentum rumpitur vel pars ejus, ſi quid deletum, inductum, vel inſcriptum ſit, vel alia ratione, puta incidendo, vel ſigna turbando, tabulæ corruptæ ſint. *l. ult. D. de injuſt. rupt. irr. l. 1. pr. §. 1. & ſeqq. l. 2. D. h. t. l. 22. §. 3. D. qui teſt. fac. poſſ. l. 1. §. pen. l. pen. D. de bon. poſſ. ſec. tab. l. 1. §. 3.* D. *ſi tab. teſt. null. extab. unde lib.*

§. 2. *Deleri* autem hoc loco dici videntur, quæ lituris corrumpuntur; *l. 1. §. 1. D. h. t.* v. Cic. XIV. *Ep. 13. ad Heren. L. III. c. 18. Induci*, quæ perducuntur; *l. 1. pr. in f. D. h. t. Inſcribi* vero, quæ ſuperſcribuntur; *l. 1. §. 1. D. h. t.* Gell. *L. XX. c. 5.* add. Suet. *in Neron. c. 52.*

§. 3. Sed hoc ita demum procedit, ſi teſtator, cum v. c. incidit, ſanæ mentis fuerit, *l. ult. D. de injuſt. rupt. irr. teſtam.* & deletio vel inductio conſulto facta ſit. *l. 1. pr. §. 3. D. h. t. l. 12. & pen. C. de teſtam.*

§. 4. Si inconſulto facta, ſive ab ipſo teſtatore, ſive ab alio, dummodo, quæ deleta vel inducta ſint, legi poſſint, non nocet. *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 5. Si legi non poſſint, & ante conſummationem teſtamenti deletio vel inductio inconſulto facta ſit, non debentur; *l. 1. §. 2. D. h. t.* etiamſi aliunde probari poſſint. *l. 1. pr.* D. *h. t.*

§. 6. Si vero poſt conſummationem teſtamenti deletio vel inductio inconſulto facta ſit, & aliunde probari poſſint, deleta debentur. *l. 1. §. 3. D. h. t. l. 5. C. de fid. inſtrum.*

§. 7. Sed ſi in Codicillis aliquid deletum ſit, licet legi poſſit, non debetur. *l. 1. §. ult. D. h. t.*

§. 8. Si teſtator unius ex heredibus nomen induxerit, cætera pars teſtamenti valet, & ipſi ſoli denegantur actiones. *l. 2.* D. *h. t.* Idemque dicendum, licet omnia nomina induxerit, ſi adſcripſit, idcirco ſe id feciſſe, quia unum heredem offenſum habuit. Niſi probari poſſit, teſtatorem ob unius malum meritum, totum teſtamentum ruptum voluiſſe. *d. l. 2. D. h. t.*

§. 9. Quod ſi plures ſint tabulæ eodem exemplo ſcriptæ, ſeu codices, uno inciſo vel deleto, teſtamentum non conſtituetur irritum: niſi probetur, teſtatorem id eo conſilio feciſſe, ut inteſtatus moreretur. *l. ult. D. h. t.*

§. 10. Rupto autem, per deletionem, vel ſimili modo, teſtamento, hereditas non fiſco, ſed heredibus ab inteſtato competit. *l. ult. D. h. t. l. pen. C. de teſtam. l. 1. §. pen. D. ſi tab. teſt. null. extab.*

TITULUS V.

DE HEREDIBUS INSTITUENDIS.

C. VI. 24.

§. 1.

Quod ſi nulli extent, quos Lex vel inſtitui vult, vel ex juſta cauſa exheredari, *Voluntaria Heredis inſtitutioni* locus eſt, qua teſtator heredes poteſt inſtituere quoslibet extraneos pro lubitu.

§. 2. Niſi alia ratione vel *Simpliciter*, vel *ad certum modum* prohibeantur.

§. 3. *Simpliciter prohibentur* filii perduellium, *l. 5. §. 1. C. ad L. Jul. Maj.* Apoſtatæ, *l. 3. C. de apoſt.* Hæretici, *l. 4. §. 2. l. 5. C. de hæret.* nec non Peregrini; *l. 6. §. 2. D. h. t.* adeoque & per Deportationem ad peregrinitatem redacti. *l. 1. C. h. t.* add. *l. 17. §. 1. D. de pœn.*

§. 4. Non etiam ob carmen famoſum damnati, aliive inteſtabiles: quibus quidem teſtimonium non dicitur, *l. 26.* D. *qui teſt. fac. poſſ.* ut teſtamentum facere poſſint; *l. 18. §. 1. D. eod.* ſed teſtamenti factio paſſiva tamen nusquam negatur.

§. 5. *Ad*

Digitized by Google

§. 5. *Ad certum modum prohibentur*, I. Princeps litis cauſa: Imperatorem enim litis cauſa heredem inſtitui invidioſum eſt; nec calumniæ facultatem ex Principali majeſtate capi oportet. *l. pen. D. h. t. §. ult. I. quib. mod teſt. infirm.*

II. Conjux ſecundas nuptias contrahens; qui ſecundo conjugi plus relinquere nequit, quam uni ex liberis prioris matrimonii. *l. 6. C. de ſec. nupt.*

III. Parentes, & liberi inceſtuoſi, qui ſe invicem inſtituere nequeunt. *l. 6. & Auth. Ex complexu. C. de inceſt. nupt.*

IV. Liberi Naturales; qui, cum olim, non tantum ab extraneis, ſed & a patre ſimpliciter inſtitui poſſent, *l. 16. §. 1.* D. *de his quæ ut indign.* jure novo tamen a patre, non niſi deficientibus liberis legitimis, & parentibus, in ſolidum inſtitui poſſunt. v. *l. 1. 2. C. de nat. lib. N. 82. c. 12. Auth. Licet. C. de nat. lib.*

§. 6. Reliqui, qui non ſunt prohibiti, pro lubitu inſtitui poſſunt, non tantum liberi, ſed & ſervi, ſive ſint proprii, ſive alieni; ex perſona ſcil. dominorum. *l. 3. pr. §. 1. l. 31. pr.* D. *pr. §. 1. I. h. t.*

§. 7. Quin & Servi hereditarii, qui ſunt in hereditate jacente, inſtitui poſſunt; nondum enim adita hereditas defuncti vicem ſuſtinet; *l. 31. §. 1. l. 52.* D. *§. 2. I. h. t.* licet adita retro repræſentaſſe videatur perſonam heredis. *l. 54.* D. *de acq. her. l. 24.* D. *de novat.*

§. 8. Nec non ſervi plurium; qui ſingulis dominis acquirunt pro portione dominica. *§. 3. I. h. t.*

§. 9. Niſi ſervus communis ab uno ex dominis inſtitutus ſit; quo caſu & liber & heres eſt. *§. ult. I. de don. l. 1. pr. & §. 1. C. de comm. ſerv. manumiſſ.*

§. 10. An noverit teſtator eum, quem heredem inſtituit, an non noverit, nihil intereſt; ignorantia enim teſtatoris inutilem inſtitutionem non facit. *§. ult. I. h. t. l. 11. C. eod.*

§. 11. Imo & incerti (licet jure antiquo ſecus fuerit, *§. 25. I. de legat.*) inſtitui poſſunt; ſi modo in præſens, vel ex futuro eventu, certitudo aliqua apparere poſſit. *§. 27. I. de legat.*

§. 12. Multoque magis Pauperes, *l. 24. C. de Epiſc. & Cler.* Civitates, *l. 26. D. ad SCt. Trebell. l. 22.* D. *de legat. 1. l. 12. C. h. t.* Corpora & Collegia licita. *l. 1. §. 15. ad SCt. Trebell.*

§. 13. Exceptis Judæis, quibus, licet licitum eorum ſit corpus, *l. 15. §. 6. D. de excuſ. tut. l. 3. §. ult. D. de decur. l. 11. D. ad L. Corn. de ſic.* hereditates tamen vel legata relinqui nequeunt. *l. 1. C. de judæis*

§. 14. An autem ſit cum heredibus inſtitutis teſtamenti factio, duo maxime tempora inſpicienda ſunt: tempus ſcil. facti teſtamenti, ut conſtiterit inſti-

 tutio;

tutio; & mortis teſtatoris, ut effectum habeat. *l. 49. §. 1. D. h. t. §. 4. I. de hered. qual. & diff.*

§. 15. Si medio tempore mutatio juris contingat, ut heres ſit incapax, id non nocet heredi. *d. l. 42. §. 1. d. §. 4.*

§. 16. Et quidem in *Inſtitutione pura duo* ſunt *tempora extrema*, quibus heres capax eſſe debet, facti ſcil. teſtamenti, & mortis teſtatoris; *unum medium*, quo mutatio juris non nocet, inter factum ſcil. teſtamentum, & mortem teſtatoris. Tempus enim aditæ hereditatis hic diverſum a tempore mortis concipi nequit, quia, ſi vel uno momento poſt mortem teſtatoris incapax fuerit, heres hereditatem acquirere nequit. *d. l. 49 §. 1. l. 138. pr. l. 193. D. de N. J.*

§. 17. *In Conditionali* vero *Inſtitutione extrema tempora* ſunt *tria*, facti ſcil. teſtamenti, mortis, & conditionis exiſtentis; *Intermedia*, quæ non nocent, *duo*, alterum ſcil. inter factum teſtamentum, & mortem teſtatoris, alterum inter mortem teſtatoris, & conditionem exiſtentem.

§. 18. Quantum ad numerum attinet, poteſt teſtator vel unum, vel plures, quot velit, heredes facere, usque in infinitum; *§. 4. I. h. t.* i. e. in indefinitum, ut certo numero non ſit adſtrictus: qui tamen ita accipiendus, ne multitudo inſtitutionem reddat deriſoriam. add. *l. 4. §. 2.* D. *de in lit. jur. l. 9.* D. *de ſerv. l. 91. in f. D. de cond. & dem. l. 7. §. 1.* junct. *l. 1. §. 1.* D. *ad L. Jul. rep.*

§. 19. Quibus verbis fiat heredis inſtitutio, ſive ſolennibus, ſive non ſolennibus nihil intereſt. *l. 15. C. de teſtam.* Ut &, qui ſine ſcriptura teſtatur, & nihil legaturus eſt, *quinque* vel *tribus* verbis, veluti, ſi dicat *Lucius heres eſto*, teſtari poſſit. *l. 1. §. 3. 5. 6. 7. D. h. t.*

§. 20. Dummodo conſtet, qui heres inſtitutus ſit; quotiens enim non apparet quis heres inſtitutus ſit, inſtitutio non valet. *l. 62. §. 1. D. h. t*

§. 21. Unde & nomen exprimi ſemper neceſſe non eſt, ſed ſufficit, ſi teſtator heredem indubitabili ſigno demonſtraverit, quod pene nihil a nomine diſtat. *l. 9. §. 8. D. h. t.*

§. 22. Ut & valeat inſtitutio, ſi demonſtratio cum maledicto *objurgandi* gratia facta ſit. *l. 48. §. 1.* D. *h. t.* Non etiam, ſi maledictum *contumeliæ* cauſa additum ſit. *d. l. 9. §. 8. D. h. t. l. 54. D. de leg. 1.*

§. 23. Quin nec error in nomine, neque falſa demonſtratio inſtitutionem vitiat, ſi modo de perſona conſtet; *l. 48. §. 3. D. l. 4. C. h. t. l. 72. §. 8. & ſeq.* D. *de cond. & dem.* ſi enim in perſona erratum ſit, ſecus eſt. *l. 9. pr. l. 26. §. 1. D. l. 4. C. h. t.*

§. 24. Sed illa inſtitutio *Quos Titius voluerit;* vitioſa eſt, quod alieno arbitrio permiſſa eſt. Nam ſatis conſtanter Veteres decreverunt, Teſtamentorum jura ipſa per ſe firma eſſe oportere, non ex alieno arbitrio pendere. *l. 32. pr. D. h. t.* Li-

h. t. Licet, ſi quis Sempronium heredem inſtituerit, *Si Titius in Capitolium aſcenderit*, & hoc ipſum in poteſtate Titii repoſitum ſit, ſecus ſit; quædam enim, ſi in teſtamentis exprimantur, effectum nullum habent, quæ ſi verbis tegantur, licet eandem ſignificationem habeant, momentum habent. *l. 68. D. h. t. l. 52.* D. *de condit. & demonſtr.*

§. 25. *Captatorias* etiam *inſtitutiones* Senatus improbavit, quarum ſcil. conditio confertur ad ſecretum alienæ voluntatis. *l. 70.* D. *h. t. l. 64.* D. *de leg. 1. l. 11. C. de teſt. mil.* Veluti, ſi dicat teſtator, *Qua ex parte Titius me heredem faciet, ex eadem mihi heres eſto.*

§ 26. Illæ enim Inſtitutiones *Captatoriæ* non ſunt, ſi ita heredem quis inſtituat, *Qua ex parte Titius me heredem inſtituit, ex ea parte heres eſto.* Quia in præteritum inſtitutio collata eſt. *l. 71. pr.* D. *h. t.* add. *l. 81. §. 1.* D. *eod.*

§. 27. Neque Heres tantum pure, ſed & ſub conditione inſtitui poteſt. *§. 9. I. h. t. tt. D de condit. inſtit.*

§. 28. Sed ex certo tempore, aut ad certum tempus, non poteſt; veluti, *Poſt quinquennium quam moriar*; vel *Ex calendis illis*; vel *Usque ad calendas illas heres eſto*; quod tempus pro ſupervacuo habetur. *d. §. 9. I. h. t. l. 34. D. h. t.* Regula enim *l. 7. D. de R. J.* quod nemo pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus decedere poſſit, etiam ad ſpatium temporis pertinet; *l. 41. D. de teſt. mil.* neque heredem temporarium quis habere poteſt. *l. 88. D. h. t. l. 7. §. 10. in f. D. de min.*

§. 29. *Solennis* autem D*iviſio Hereditatis* (ut & aliarum rerum, v. *l. 8.* D. *de R. V. l. 39. §. 2.* D. *de evict.*) apud Romanos in duodecim *uncias* fiebat, quæ *Aſſis* appellatione continentur. *l. 13. §. 1. l. 50. §. ult. D. §. 5. I. h. t.* Horat. *de Art. Poët. verſ. 326. & ſeqq.*

§. 30. Quarum duæ pluresve conjunctæ propria nomina habent, usque ad Aſſem. Duæ enim unciæ dicuntur *Sextans*, quaſi *ſexta pars aſſis*; Tres dicuntur *Quadrans*, quaſi *quarta pars aſſis*; Quatuor *Triens*, quaſi *tertia pars aſſis*; Quinque *quincunx*, a numero unciarum; Sex *Semis*, quaſi *ſemi as*; Septem *Septunx*, ſimiliter a numero unciarum; Octo *Bes*, quaſi *bis triens*; Novem *Dodrans*, quaſi *quadrans de aſſe*, ex *de* & *quadrans*; Decem *Dextans*, quaſi *ſextans de aſſe*; Undecim *Deunx*, quaſi *unum de aſſe*, vel *Decunx*, quaſi *decem & uncia. d. l. 50. §. ult.* D. *h. t. §. 5. I. h. t.* Hor. *d. l.*

§. 31. Non tamen neceſſaria eſt ſolennis hæc diviſio, ſed poteſt teſtator hereditatem in plures vel pauciores uncias dividere pro lubitu. *d. §. 5. I. h. t. l. 13. §. 1. 2. 3. ult. l. 18. D. h. t. l. 13. D. de lib. & poſt. her.*

§. 32. Imo licet unum tantum in *Semiſſe* v. c. vel *Re certa* heredem ſcripſerit, totus *As* in *Semiſſe* vel *Re certa* erit; & heres jure accreſcendi totam hereditatem habebit: *l. 1. §. 4. l. 9. §. 13.* D. *h. t.* licet teſtator forte aliud juſſerit. arg.

l. 55. D.

Digitized by Google

l. 55. D. de leg. 1. Neque enim idem pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus poteſt decedere; niſi ſit miles, cujus ſola voluntas in teſtando ſpectatur. *§. 5. I. h. t. l. 7. D. de R. J.*

§. 33. Si autem heres ex *Re certa* coheredem habeat, legatarii loco habetur. *l. 13. C. h. t.*

§. 34. Neque in *uncias* teſtator hereditatem dividere neceſſe habet, ſed & in partes naturales eam dividere poteſt. *l. 47. §. 1. l. 81. pr. D. h. t. l. 76. pr.* D. *de acq. her. l. 2. §. 7. D. de collat.*

§. 35. Quam diviſionem ex ipſa inſtitutione, etiamſi partium *Aſſis* facta ſit mentio, aliquando fieri neceſſe eſt: ſi enim ita ſcriptum ſit, *Si filius mihi natus fuerit, ex beſſe heres eſto; ex reliqua parte uxor mea heres eſto: Si vero filia mihi nata fuerit, ex triente heres eſto; ex reliqua parte uxor heres eſto*; & filius & filia nati eſſent, dicendum eſt, *Aſſem* diſtribuendum eſſe in *ſeptem partes*, ut ex his Filius *quatuor*, Uxor *duas*, Filia *unam* partem habeat. Ita enim ſecundum voluntatem teſtantis, Filius altero tanto amplius habebit, quam Uxor; Item Uxor altero tanto amplius, quam filia. Licet enim ſubtili juris regulæ conveniebat, ruptum fieri teſtamentum, attamen, cum ex utroque nato teſtator voluerit uxorem aliquid habere, ideo ad hujusmodi ſententiam humanitate ſuggerente decurſum eſt. *l. 13. pr. D. de lib. & poſt.* add. *l. 47. §. 1. l. 81. D. h. t.* Dummodo filia non minus accipiat Portione Legitima v. *l. 32. C. de inoff. teſtam.*

§. 36. Pluribus autem heredibus inſtitutis, ſi quidem nullis partes adſcriptæ ſunt, ex æquis partibus heredes erunt; *l. 9. §. 12. D. §. 6. I. h. t.* ita tamen, ut conjuncti unius tantum perſonæ poteſtate fungantur: *l. 15. pr. l. 59. §. 2.* D. *h. t. l. 34. D. de legat. 1. l. un. §. 10. C. de cad. toll.* niſi celeritatis gratia conjunctio facta ſit, & alia ſit voluntas teſtatoris. *l. 66. D. h. t. l. 88. §. 6.* D. *de leg.* 2.

§. 37. Quod ſi partes in omnium perſonis expreſſæ ſint, & *Aſſem* æquent, res dubium non habet. Sed ſi in *Aſſe* aliquid ſuperſit, hoc ſingulis pro rata accreſcit; ſi vero plures quam duodecim unciæ diſtributæ ſint, iſtæ, quæ *Aſſem* ſuperant, pro rata ſingulis decreſcunt. *§. 7. I. h. t. l. 13. §. 2. 3. 4. D. h. t.*

§. 38. Partibus vero in quorundam perſonis expreſſis, in quorundam non expreſſis, iſti, qui ſine parte ſcripti ſunt, vacantem portionem habebunt, vel alium *Aſſem* occupant, ſeu quod *Dupondio*, vel *Tripondio* deeſt. Quæ tamen omnes partes ad *Aſſem* poſtea revocantur, quamvis ſint plurium unciarum. *§. 6. 8. I. h. t. l. 17. pr. §. 3. 4. l. 18. D. h. t. l. ult. D. de bon. poſſ. ſec. tab.*

TITU-

TITULUS VI.

De Vulgari, Et Pupillari Substitutione.
C. V. 25. 26.

§ 1.

Poteſt autem Teſtator in ſuo teſtamento non tantum primo gradu aliquem inſtituere, ſed & plures gradus heredum facere, & in caſum deficientis alium heredem ſubſtituere. *l. 1. pr. l. 36. pr. D. h. t. pr. I. de vulg. ſubſt.*

§. 2. Et quidem *Subſtitutio*, quatenus in genere pro quacunque heredum ſubordinatione accipitur, vulgo dividi ſolet in *Directam*, *& Fideicommiſſariam.*

§. 3. *Directa* eſt, *quæ fit verbis directis & civilibus;* v. *l. 7. 15. D. h. t. l. 5. 7. C. de imp. & al. ſubſt. Fideicommiſſaria* vero, *quæ fit verbis indirectis & precariis.* v. *l. 64. 77. §. 32.* D. *de leg. 2. l. 57. §. 1. D. ad SCt. Treb.*

§. 4. Sed de *Fideicommiſſaria ſubſtitutione & Fideicommiſſis* infra ſeparatim agitur, ſub *Tit. ad SCt. Trebell.*

§. 5. Ut adeo hoc loco *Subſtitutio ſit ſecundi vel ulterioris gradus heredis inſtitutio. l. 1. pr. l. 36. pr. l. 43. §. 2. D. h. t.*

§. 6. Quæ communiter dividi ſolet in *Vulgarem*, *Pupillarem*, *Breviloquam* (quæ rectius *Reciproca* dicitur. v. *l. 4. §. 1.* D. *h. t. §. 1. I. h. t.*) & *Compendioſam.* v. *l. 8. C. de impub. & al. ſubſt.*

§. 7. Alii *Breviloquam & Compendioſam* omittunt, ſed addunt reliquis *Militarem.*

§. 8. Sed dictæ ſpecies ad *Vulgarem, & Pupillarem*, ſatis commode referri poſſunt, & *Militaris* privilegiata eſt. Ut ſatius ſit ſequi Imp. qui ipſe *h. t. & tt. I. de vulg. & pup. ſubſt. Subſtitutionem* in *Vulgarem & Pupillarem* dividit.

De Substitutione Vulgari.

§. 9. *Subſtitutio Vulgaris* eſt, *cum a quolibet teſtatore, cuilibet heredi ſubſtituitur, in caſum primum,* v. *l. 8. C. de imp. & al. ſubſt.* ſeu *Vulgarem, ſi heres inſtitutus heres non erit. pr. I. de vulg. ſubſt. l. 45.* D. *h. t.*

§. 10. Quæ verba *Si heres non erit*, in *ſuo* herede ſic accipiuntur, ſi paterna hereditate abſtinuerit, & ex neceſſario faciunt voluntarium; *l. 12. D. de cond. inſt.* in *extraneo*, ſi neque ipſe heres erit, neque alium heredem effecerit. *§. ult. I. de vulg. ſubſt.*

§. 11. Caſumque continent & *Noluntatis*, ſi heres eſſe nolit; & *Impotentiæ*, ſi heres eſſe non poſſit. *l. 3. C. de hered. inſt.* add. *l. 56.* D. *ſol. matr.*

§. 12. Adeo, ut caſus *Noluntatis* expreſſus tacite contineat caſum *Impotentiæ* & vice verſa. arg. *d. l. 3. C. de hered. inſt. l. 4. pr.* D. *h. t. l. 4. C. de impub. & al. ſubſt.*

al. ſubſt. Ob præſumtam voluntatem defuncti, quæ in ultimis voluntatibus ſemper attendenda eſt. *l. 25. §. 1. D. de lib. & poſt. l. 35. §. 3. D. de hered. inſt.* add. *l. 12.* D. *de R. J.*

§. 13. Eaque ſubſtitutio vel *Expreſſa* eſt, de qua adhuc actum; vel *Tacita*, quæ ſub expreſſa *Pupillari* continetur. *l. 4. pr.* D. *h. t.* junct. *l. 42. D. de acq. her.* Quintil. *L. VII. c. 6.*

§. 14. Poſſunt autem plures in locum unius ſubſtitui, vel unus in locum plurium, vel ſinguli in ſingulorum, vel invicem ipſi, qui heredes inſtituti ſunt. *l. 36. §. 1. D. h. t. §. 1. I. de vulg. ſubſt.* Quæ ultima ſubſtitutio eſt, quæ *Reciproca*, *l. 4. §. 1. D. h. t.* nec non *Mutua* dicitur. *l. 64. D. de leg. 2.*

§. 15. Et ſi ex diſparibus partibus ſcriptos invicem ſubſtituerit, & nullam mentionem partium in ſubſtitutione habuerit, eas videtur in Subſtitutione partes dediſſe, quas in Inſtitutione expreſſit. *l. 24. D. h. t.* § *2. I. h. t.*

§. 16. Non enim veriſimile eſt, Teſtatorem pluris eos feciſſe in ſubſtituendo, quam inſtituendo. v. *l. 74. D. de legat. 1.*

§. 17. Niſi forte alia mens teſtatoris fuerit, *d. l. 24. D. h. t.* vel ſubſtitutio facta ſit repetitis ſingulorum nominibus. Quia repetens in ſubſtitutione propria nomina, jam non ad partes in inſtitutione datas, ſed ad perſonas & numerum ſubſtitutorum, ſubſtitutionem retuliſſe videtur. arg. *l. 124.* D. *de leg. 1. l. 24. D. ad SCt. Treb.*

§. 18. Sed ſi heredi inſtituto coheres ſubſtitutus ſit, & coheredi ſubſtituto alius ſubſtitutus fuerit, ſecundus ſubſtitutus ad utriusque partem admittitur. *l. 41. D. h. t. §. 3. I. de vulg. ſubſt. Subſtitutus* enim *ſubſtituto, intelligitur etiam ſubſtitutus inſtituto.* Non obſt. *l. 47. D. h. t.* quæ caſum diverſum continet.

§. 19. Exſpirat vero *Subſtitutio Vulgaris*, *I.* Si heres ſubſtitutus ante inſtitutum mortuus ſit. *l. un. §. 5. C. de cad. toll.*

II. Si heres inſtitutus hereditatem adierit. *l. 5. C. de impub. & al. ſubſt.*

§. 20. Adeo ut, licet minor, qui hereditatem adiit, contra aditionem reſtitutus ſit, ſubſtitutus nihilominus excludatur. *d. l. 5. C. de impub. & al. ſubſt. l. ult.* D. *de ſucceſſ. ed. l. 7. §. 10.* verb. *ſi non eſt ſolvendo hereditas. l. 3. §. 4. D. de min.*

§. 21. Quod ſi tamen quis ſervum alienum, quem patremfam. eſſe arbitrabatur, heredem ſcripſerit, &, ſi heres non eſſet, ei Mævium ſubſtituerit, isque ſervus juſſu domini hereditatem adierit, hac aditione non obſtante Mævius ſubſtitutus in *partem*, ſc. dimidiam, admittitur. *§. ult. I. de vulg ſubſt. l. 41. D. de hered. inſt.* v. *l. 43. D. de uſufr. l. 164. §. 1.* D. *de V. S.* Non obſt. *l. 40.* D. *de hered. inſt.* ubi cum Cuj. ad *d. l. 40.* & ad *d. §. ult.* pro *alter ſemis*, AS legendum videtur.

D 2

De Substitutione Pupillari.

§. 22. *Subſtitutio Pupillaris* eſt, *cum a Patre liberis impuberibus, quos in poteſtate habet gradu proximo, ſubſtituitur in caſum ſecundum,* ſeu *pupillarem, ſi heres erit, & intra pubertatem deceſſerit. pr. I. de pupill. ſubſt. l. 8. C. de impub. & al. ſubſt.*

§. 23. Introducta eſt *Subſtitutio Pupillaris* conſuetudine; *l. 2. pr. D. h. t.* nam moribus (in utilitatem ſcil. pupillorum) inſtitutum eſt, ut, cum ejus ætatis ſint filii, in qua ipſi ſibi teſtamentum facere non poſſunt, parentes eis faciant. *pr. in f. I. de pup. ſubſt. l. 2. pr. D. h. t.*

§. 24. Pupillariter ſubſtituere tantum poteſt Pater, qui liberos in poteſtate habet; *pr. I. de pup. ſubſt.* non Mater: licet *Tabulæ*, quibus mater filio impuberi vulgariter ſubſtituit, ratione ætatis *pupillares* dici poſſint. *l. 33. D. h. t.*

§. 25. Subſtituere ita poteſt pater Liberis impuberibus, proxime in poteſtate, & facti teſtamenti, & mortis tempore, conſtitutis; *l. 2. pr. l. 41. §. 2. D. h. t. pr. I. de pupill. ſubſt. §. 2. I. de hered. qual. & diff.* etiam Poſtumis; ut & Nepotibus, & deinceps, qui in patris poteſtatem non ſunt recaſuri. *d. l. 2. pr.* D. *h. t.*

§. 26. Non etiam Emancipatis; neque Nepotibus, quos patres præcedunt: niſi ex formula Legis Vellejæ. *d. l. 2. pr.*

§. 27. Neque liberis tantum heredibus inſtitutis, ſed etiam exheredatis. *l. 1. §. 2. l. 10. §. 5. D. h. t.* §. *4. I. de pup. ſubſt.* Exheredatus enim *ſuus* eſſe non deſinit, quamdiu teſtator vivit; *l. 20.* D. *de bon. poſſ. cont. tab.* add. l. 4. D. *de teſt. tut.* ſed ſi juſta ſit exheredatio, per teſtamentum, poſt mortem teſtatoris, ab hereditate excluditur. Ita acc. *l. 1. §. pen.* D. *de ſuis & legit. her.*

§. 28. Quo caſu, ſi quid exheredato pupillo, ex hereditatibus legatisve, aut donationibus propinquorum, atque amicorum, acquiſitum fuerit, id omne ad ſubſtitutum pertinebit. *§. 4. I. h. t. l. 10. §. 5. D. h. t.*

§. 29. Legata tamen pater neque ab exheredato, *l. 41. §. 3.* D. *h. t.* neque a ſubſtituto exheredati relinquere poteſt. *l. 41. §. 3.* D. *de teſtam. mil.* Legatum enim onus eſt; Heredem habere non eſt.

§. 30. Subſtituitur vero ita in *Caſum ſecundum* ſeu *Pupillarem*, *Si filius heres erit, & intra pubertatem deceſſerit. pr. I. de pupill. ſubſt. l. 8. C. de imp. & al. ſubſt.*

§. 31. Et ſolent quidem Parentes, cum filiis teſtamentum faciunt, eos heredes ſcribere, iisque in utrumque caſum expreſſe ſubſtituere: veluti, ſi quis dicat hoc modo, *Titius filius meus heres mihi eſto; & ſi filius meus heres mihi non erit; ſive heres erit, & prius moriatur, quam in ſuam tutelam venerit*, id eſt,

 antequam

antequam pubes factus ſit, *tunc Sejus heres eſto. d. pr. I. de pup. ſubſt. l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 32. Sed utrumque caſum exprimi jure novo non eſt neceſſe. Jam enim hoc jure utimur, ex Divi Marci & Veri conſtitutione, ut, cum pater impuberi filio in alterum caſum ſubſtituiſſet, in utrumque caſum ſubſtituiſſe intelligatur; ſive *Filius heres non extiterit*, ſive *extiterit & impubes deceſſerit. l. 4. pr. D. h. t. l. 4. C. de impub. & al. ſubſt.*

§. 33. Quemadmodum enim caſus *ſecundus* extenditur ad primum, ob præſumtam voluntatem teſtatoris; ſic & *Primus* extenditur ad ſecundum, tum ob eundem affectum teſtatoris, tum quia filio utile eſt habere heredem ex teſtamento paterno. *l. 42. D. de acq. her. pr. in f. I. de pup. ſubſt.*

§. 34. Niſi tamen voluntas teſtatoris aperte ſit contraria; *l. 4. §. 2. D. h. t. l. 4. C. de impub. & al. ſubſt.* vel extraneus coheres datus ſit, in quo ſubſtitutio pupillaris locum habere nequit. *d. l. 4. §. 2. l. 45. D. h. t.*

§. 35. Ut adeo *Subſtitutio Pupillaris* etiam ſit *Expreſſa*, vel *Tacita*, quæ ſub expreſſa *Vulgari* continetur. *d. l. 4. pr. D. h. t. l. 4. C. de impub. & al. ſubſt.*

§. 36. Ut autem pupillaris ſubſtitutio effectum habeat, neceſſe eſt, ut pater, qui filio impuberi ſubſtituit, & ſibi teſtamentum faciat. Nam pupillare teſtamentum pars & ſequela eſt paterni teſtamenti, adeo ut, ſi patris teſtamentum non valeat, nec filii ſubſiſtat. *l. 2. §. 1. D. h. t. §. 5. I. de pup. ſubſt. l. 129. §. 1. l. 178. D. de R. J.*

§. 37. Neque ſufficit, ſi & pater ſibi teſtamentum faciat, ſed inſuper requiritur, ut primum ſibi, deinde filio heredem ſcribat. Conſtat enim unum eſſe teſtamentum, licet duæ ſint hereditates. *l. 2. §. 4. & ult. l. 16. §. 1. l. 20. §. 1. D. h. t. §. 2. I. de pup. ſubſt.*

§. 38. Plane, ſi eodem tempore & contextu utrumque factum ſit, non nocet, ſi inverſo ordine teſtatus ſit, *d. l. 2. §. 5. D. h. t.* In conjunctis enim ordo ſemper accurate non ſervatur. *l. 14. D. de pecul. legat.*

§. 39. Quod ſi itaque *Caſus Pupillaris* exiſtat, & filius intra pubertatem deceſſerit, Subſtitutus filio fit heres, excluſis filii legitimis heredibus, ipſa etiam Matre; *l. 8. §. 5. D. de inoff. teſt.* ſive *Subſtitutio Pupillaris Expreſſa* ſit, ſive *Tacita.* arg. *l. 4. pr. D. h. t. l. 2. & 4. C. de impub. & al. ſubſt.*

§. 40. Adeo, ut mater neque *Querelam* habeat, *d. l. 8. §. 15. D. de inoff. teſt.* neque *Portionem Legitimam* petere poſſit; niſi filius bona habeat *Adventitia*, ex quibus matri *Portio Legitima* competere videtur. arg. *l. 30. & 32. C. de inoff. teſt.* v. Diſſert. N. *II. de Port. Legit. C. 3. §. 6. & ſeqq.*

§. 41. *Caſus Pupillaris* autem, propter pupilli utilitatem, non tantum extitiſſe intelligitur, ſi filius paternæ hereditati ſe miſcuerit, ſed & ſi bonis paternis ſe abſtinuerit. *l. 12. D. h. t. l. 42. D. de acq. her. l. 28. D. de reb. auct. jud. poſſ.*

Digitized by Google

poſſ. Ut recte dicatur, per *Nudam ſui heredis exiſtentiam confirmari tabulas pupillares.* add. *l. 44. D. de re jud. l. 41. D. de acq. her.*

§. 42. *Evaneſcit* vero *Subſtitutio Pupillaris, I.* Si filius tempore mortis patris non ſit in ejus poteſtate. *l. 4. §. 2.* D. *h. t. l. 17. §. 1. D. de adopt.*

II. Si Teſtamentum patris infirmatum ſit; *l. 2. pr. D. h. t. §. 5. I. de pup. ſubſt.* niſi forte reſcindatur per *Querelam inofficioſi:* quo caſu *Subſtitutio Pupillaris* jure novo ſalva manet. *Nov. 115. c. 3. §. ult.*

III. Pubertate; licet longius tempus comprehenſum ſit: *l. 14. D. h. t. §. 8. I. de pup. ſubſt.* ut ne quidem in vim fidei commiſſi ultra pubertatem extendatur.

IV. Lapſo tempore; ſi ſcil. brevius adjectum ſit. *l. 21. D. h. t.*

§. 43. *Ad Subſtitutionem Pupillarem* referri poteſt *Subſtitutio Exemplaris* ſeu *Quaſi Pupillaris,* quæ ad exemplum Pupillaris introducta eſt; *§. 1. I. de pup. ſubſt. cum* ſcil. *Parentes utriusque ſexus, liberis mente captis,* (& ob eandem rationem prodigis, ſurdis & mutis, arg. *l. 43. pr. D. h. t. l. 25. C. de nupt. l. 2. C. de cur. fur.) etiam puberibus & majorennibus, ſubſtituunt in caſum, Si dementes, vel in illo vitio deceſſerint. l. 9. C. de impub. & al. ſubſt. §. 1. I. de pup. ſubſt.*

§. 44. Inter quam, & *Veram Pupillarem,* hæ maxime intercedunt differentiæ.

I. Pupillariter tantum ſubſtituit pater; *Exemplariter* etiam mater.

II. Pupillariter tantum ſubſtituitur impuberi; *Exemplariter* etiam puberi.

III. Pupillariter ſubſtitui poteſt quilibet; *Exemplariter* primo ſubſtituendi ſunt liberi mente capti: ſi liberos non habet, fratres & ſorores: ſi nec fratres ſunt, permiſſum demum ſubſtituere quemlibet. *d. l. 9. C. de impub. & al. ſubſt.*

§. 45. Quemadmodum autem *Pupillaris* ſubſtitutio evaneſcit pubertate, ita *Exemplaris* mente capti reſipiſcentia, *d. §. 1. I. de pup. ſubſt. d. l. 9. C. de impub. & al. ſubſt.* vel vitio ſublato.

§. 46. Eſt denique *Subſtitutio Militaris* ſeu *Privilegiata, qua miles ſubſtituit heredi inſtituto, in caſum, Quandocunque deceſſerit, l. 15.* D. *h. t. l. 8. C. de impub. & al. ſubſt.*

TITULUS VII.

De Conditionibus Institutionum.

C. VI. 25.

§. 1.

Cum vero omnes Subſtitutiones ſub conditione fiant, iisque ut & Inſtitutionibus (uti jam ſupra ad *T. de hered. inſt. §. 27.* monitum) etiam aliæ conditiones adjici poſſint, *de Conditionibus Inſtitutionum* hoc loco ſubjicitur.

§. 2. *Conditio* eſt *adjectio, quæ negotium differt in Caſum aliquem futurum incertum. §. 4. I. de V. O. l. 39. D. de reb. cred. l. 9. §. 1. D. de novat.*

§. 3. Adjectiones, quæ ad præſens vel præteritum tempus referuntur, proprie *Conditiones* non ſunt, ſed tantum figura verborum. *l. 10. §. 1.* D. *h. t. l. 120. D. de V. O. §. 6. I. eod. l. 37. D. de R. C.*

§. 4. Eſt autem *Conditio* vel *Poſſibilis*, vel *Impoſſibilis.*

§. 5. *Poſſibilis* eſt vel *Poteſtativa*, quæ a voluntate inſtituti; vel *Caſualis*, quæ a caſu fortuito; vel *Mixta*, quæ partim a voluntate inſtituti, partim a caſu pendet. v. *l. 13. D. de acq. her. l. un. §. 7. C. de cad. toll.*

§. 6. *Conditio Poſſibilis* Extraneo adjecta indiſtincte implenda eſt *l. 8. pr. in f. l. 13. D. h. t.* Heredi ſuo enim alia quam poteſtativa adſcribi nequit. *l. ult. D. h. t. l. 4. pr. §. 1. l. 5. 6. pr. l. 86. D. de her. inſt.*

§. 7. Et ſi quidem *plures conjunctim* ſeu *copulative* adjectæ ſint, omnibus parendum eſt, quia unius loco habentur. Si vero *disjunctim*, cuilibet obtemperare ſatis eſt. *l. 5. D. h. t. §. 11. I. de her. inſt.*

§. 8. Sed ſi plures inſtitutiones ex eadem parte ſub diverſis conditionibus fuerint, conditio, quæ prior extiterit, occupabit inſtitutionem. *l. 17. D. h. t.*

§. 9. Plane ſi conditio ea ſit, ut ſimul etiam conferatur in arbitrium alterius, & per heredem non ſtet, quominus impleatur, ſed per eum, in cujus perſona juſſus eſt parere conditioni, aut alium, pro impleta habetur. *l. 3. & 23. D. h. t. l. 5. §. 5. D. quand. dies leg. l. 161. D. de R. J.*

§. 10. *Conditio Impoſſibilis* talis eſt, vel *Natura*, vel *Lege* & *moribus*, vel *Perplexitate verborum.*

§. 11. *Conditio* autem *impoſſibilis* in inſtitutionibus, & legatis, nec non fideicommiſſis & libertatibus, (non etiam in contractibus, *§. 10. I. de inut. ſtip. l. 31. D. de O. & A.*) pro non ſcripta habetur. *l. 1. & 20. pr. in f. D. h. t. l. 45. D. de hered. inſtit. l. 3. 6. §. 1. l. 20. D. de cond. & dem.*

§. 12. Sive *Conditio impoſſibilis* ſit *Natura*; veluti, ſi quis inſtitutus ſit ſub conditione, *Si monumentum poſt mortem teſtatoris in triduo proximo mortis ejus feciſſet*, & id monumentum in triduo perfici nequeat. *l. 6. D. h. t.*

§. 13. Sive *impoſſibilis* ſit *Lege & moribus.* Conditiones enim contra Edicta Imperatorum, aut contra leges, aut quæ legis vicem obtinent, ſcriptæ, vel quæ contra bonos mores, vel deriſoriæ ſunt, aut hujusmodi, quas Prætores improbaverunt, pro non ſcriptis habentur; & perinde, ac ſi conditio hereditati ſive legato adjecta non eſſet, capitur hereditas legatumve. *l. 14. & 9. D. h. t. Nam quæ facta lædunt pietatem, exiſtimationem, verecundiam noſtram, & contra bonos mores fiunt, nec facere nos poſſe credendum eſt. l. 15.* D. *h. t.*

§. 14. Talis eſt *Conditio Jurisjurandi, l. 20. D. de cond. & dem.* quæ Edicto Prætoris reprobatur; quod ita conceptum videtur: *Eum, cui ſub conditione jurisjurandi quid relictum eſt, ita capere ſinam, ut capiunt hi, quibus nulla talis juris-*

Digitized by Google

riſjurandi conditio inſeritur. arg. *l. 8. pr. §. 1. & ſeqq. D. h. t. l. 26. D. de cond. & dem. l. 29. §. 2. D. de teſt. mil.*

§. 15. Quod Edicto providit Prætor, ne is, qui ſub *Jurisjurandi conditione* quid accipit, aut omittendo conditionem perderet hereditatem, legatumve; aut cogeretur turpiter accipiendi conditionem jurare. Voluit ergo eum, cui ſub *Jurisjurandi conditione* quid relictum eſt, ita capere, ut capiunt hi, quibus nulla talis jurisjurandi conditio inſeritur, & recte; cum enim faciles ſint nonnulli hominum ad jurandum contemtu religionis, alii perquam timidi metu Divini numinis, usque ad ſuperſtitionem, ne vel hi, vel illi, aut conſequerentur, aut perderent, quod relictum eſt, Prætor conſultiſſime intervenit. Etenim potuit is, qui voluit factum, quod religionis conditione adſtringit, ſub conditione faciendi relinquere: ita enim homines aut facientes admitterentur, aut non facientes deficerentur conditione. *d. l. 8. pr. & §§. ſeqq. D. h. t.*

§. 16. Quoties tamen heres jurare jubetur, *ſe daturum vel facturum, quod non improbum eſt,* Actiones hereditatias non alias habebit, quam ſi dederit vel fecerit id, quod juſſus erat jurare. *d. l. 8. §. 6. D. h. t. l. 26. pr. D. de cond. & dem.*

§. 17. Talis etiam eſt *Conditio*, quæ libertati matrimonii contraria eſt. *l. 22. & 72. §. 4. l. 77. §. 2. l. 100. D. de cond. & dem. l. 134. D. de V. O. l. 2. C. de inut. ſtip.*

§. 18. Similiter *Deriſoria* & inepta eſt *conditio*, ſi quis heredem in teſtamento ſcripſerit, *Si reliquias ejus in mare abjiciat.* Laudandus enim eſt magis, quam accuſandus heres, qui reliquias teſtatoris non in mare ſecundum ipſius voluntatem abjecit, ſed memoria humanæ conditionis ſepulturæ tradidit. *l. 27. pr. D. h. t.* add. *l. 113. §. ult. D. de leg. 1.*

§. 19. Si vero *Conditio impoſſibilis* ſit *Perplexitate verborum*, veluti, ſi dicat teſtator, *Si Titius heres erit, Sejus heres eſto; Si Sejus heres erit, Titius heres eſto;* inutilis eſt inſtitutio, cum conditio exiſtere non poſſit. *l. 16. D. h. t.* junct. *l. 188. D. de R. J.*

§. 20. Idemque juris eſt, ſi qualiscunque *impoſſibilis conditio* adſcribatur heredi *ſuo*, quem quis in poteſtate habet. *l. 15. D. h. t. l. 4. pr. §. 1. l. 5. 6. pr. l. 86. D. de hered. inſt. l. 4. C. de inſt. & ſubſt.* Niſi in defectum conditionis exheredatus ſit. *d. l. 4. C. de inſt. & ſubſt.*

§. 21. Pro *Conditione* autem in teſtamento etiam habetur *Dies incertus. l. 75. D. de condit. & dem. l. 21. D. quand. dies leg. ced.* Utique ſi incertum ſit, *an ſit extiturus?* Si enim certum ſit, *an* ſit extiturus, incertum *quando?* Diſtinguendum, an *Heredi* adſcriptus ſit? an *Extraneo? Si Extraneo,* ſimiliter conditionem facit; *Si Heredi,* non item. *l. 9. C. de her. inſt. l. 1. §. 1. l. 79. D. de cond. & dem. l. 4. §. 1. D. quand. dies leg. ced.*

TITU-

TITULUS VIII.

DE JURE DELIBERANDI. C. VI. 30.

§. 1.

Inter *Conditiones Inſtitutionum* olim etiam frequens erat *Conditio Cretionum*: qua certorum dierum ſpatium inſtituto heredi a teſtatore præſtituebatur ad deliberandum, velletne adire hereditatem, an non, velut, *Titius heres eſto, cernitoque in diebus centum proximis, quibus ſcieris poteriſque niſi ita creveris, exheres eſto.* Ulp. *T. XXII. §. 27. & ſeqq.* add. *l. 72. D. de acq. her.*

§. 2. Sed *Jus Cretionum* poſtea abrogatum eſt; *l. 17. C. h. t.* &, ſive teſtator tempus ad deliberandum præſcripſerit, ſive non, Prætor Jus deliberandi Edicto promiſit, cujus priora verba ita concepta fuiſſe videntur: *Heredem inſtitutum intra certum tempus hereditatem adire jubebo.* „*Si Tempus ad deliberandum petet, dabo.*„ v. *l. 23. §. 1. D. de hered. inſt. l. 1. §. 1.* D. *h. t.*

§. 3. Eſt itaque *Jus Deliberandi, quo inſtantibus creditoribus, aliiſve, petit heres, ſi hereditatem ſtatim adire nolit, ut ſpatium ſibi ad deliberandum concedatur. l. 9. C. h. t.*

§. 4. Quod tempus primum fuit arbitrarium. Cum enim Prætor dicit tempus, nec adjicit diem, ſine dubio oſtendit, eſſe in jus dicentis poteſtate, quem diem præſtituat: *l. 1. §. 2. D. h. t.* ita tamen, ut non pauciores dies darentur, quam centum. *l. 2. D. h. t.*

§. 5. Sed Jure novo a Principe ad deliberandum annus conceditur; a Judicibus vero novem menſes. *l. ult. §. 13. C. h. t.*

§. 6. Tempus ad deliberandum ubi impetratum eſt, poteſt heres inſtrumenta hereditaria & rationes inſpicere, & ſe inſtruere, an expediat, nec ne, agnoſcere hereditatem. *l. 5. pr. D. h. t. l. 28. D. de acq. her.*

§. 7. Poteſt etiam res hereditarias, quæ ex tractu temporis deteriores fiunt, vel nimium ſumtuoſæ ſunt, adhibito decreto Prætoris, juſtis pretiis vendere; *l. 5. §. 1. l. 6. D. h. t.* æs alienum, quod ſub pœna vel pretioſis pignoribus debetur, ſolvere; *d. l. 5. §. 1. l. 6. D. h. t.* &, ſi filius eſt, interim alimenta ex hereditate capere. *l. 9. D. h. t.*

§. 8. Quod ſi heres intra præſtitutum tempus voluntatem non declaraverit, hereditas reſpectu ſubſtituti & legitimi pro repudiata; *l. 69. D. de acq. her.* reſpectu creditorum vero pro adita habetur. *l. ult. §. pen. C. h. t.*

§. 9. Sed ſi intra tempus deliberandi deceſſerit, id quod ex anno reliquum eſt, ad ſuum heredem tranſmittit. *l. 19. C. de jur. delib.*

§. 10. Subjecit Prætor in ſpecie caput de Pupillis, quod ita habet: „*Si Pu-*„*pilli, pupillæ nomine poſtulabitur tempus ad deliberandum, an expediat, eum* „*here-*

„hereditatem retinere; & hoc datum ſit, ſi juſta cauſa eſſe videbitur: Bona in-„terea diminui, niſi ſi cauſa cognita boni viri arbitratu, vetabo.„ l. 7. pr. D. h. t.

§. 11. Et merito quidem Prætor impedit interim deminutionem, quamdiu nomine pupilli petitur tempus ad deliberandum, *l. 7. §. 1.* D. *h. t.*

§. 12. Dum autem Prætor Bona interim *diminui vetat*, non tantum alienationem impedit, verum etiam actiones exerceri non patitur: eſt enim abſurdum, ei, cui alienatio interdicitur, permitti actiones exercere. *l. 7. §. 2. D. h. t.*

§. 13. Niſi juſta cauſa aliud exigat; veluti funeris, alimentorum, æris alieni: ob quas, ſimilesque, Prætor aditus deminutionem permittet. *d. l. 7. §. ult. D. h. t.*

§. 14. Cum vero heres, qui hereditatem adiit, eam repudiare nequeat, & licet ea non ſit ſolvendo, nihilominus obligetur in ſolidum; *l. 4. C. de rep. her. l. 8. D. de acq. her. l. 10. & ult. §. pen. C. h. t. §. 5. I. de hered. qual. & diff.* adeoque heres, quantumvis deliberet, propter latens ſæpe æs alienum, in damnum incidere poſſit: Imp. Juſtinianus in *l. ult. C. h. t.* aliud *Beneficium* introduxit, quod *Inventarii* dici ſolet, quod heredi inſtituto pleniſſimam præſtat ſecuritatem.

§. 15. Eſt autem *Beneficium Inventarii, Jus, quo heres, Inventario legitime facto, hereditatem ſtatim, ſine ullo ſuo periculo, adire poteſt, ut ultra vires hereditatis non teneatur. d. §. 5. I. de hered. qual. & diff. l. ult. §. 4. C. h. t.*

§. 16. *Inventarium* hic eſt repertorium, ſeu legitima deſcriptio omnium rerum hereditariarum. arg. *l. 7. pr. D. de admin. tut.*

§. 17. Quod ut legitime fiat, requiritur, ut intra triginta dies, ex quo heres delatam ſibi novit hereditatem, inchoetur, & intra alios ſexaginta dies, ſi res propinquæ ſint, vel intra annum a prima ſcientia, ſi res longius abſint, perficiatur; præſentibus tabulariis, citatis item & præſentibus legatariis & creditoribus, omnibusque quorum intereſt, aut iſtis abſentibus, coram tribus optimæ opinionis teſtibus: nec non, ut heres manu ſua ſubſcribat, rerumque quantitatem exprimat; vel ſi ſcribere non poſſit, a tabulario ſubſcribi jubeat. *l. ult. §. 2. 3. C. h. t. N. 1. c. 2. §. 1.*

§. 18. Inventario legitime facto, heres plurima & maxima ex eo conſequitur beneficia.

§. 19. Præter hoc enim, quod eo tempore, quo Inventarium conficitur, neque a creditoribus conveniri, neque ulla moleſtia affici poſſit; *d. l. ult. §. 11.* *I.* Hereditatem ſine ullo ſuo periculo adire poteſt, ut non teneatur ultra vires hereditatis. *d. l. ult. §. 4. 5. I. de hered. qual. & diff.*

II. Falcidiam ex Legatis, *d. l. ult. §. 4. C. h. t.* Trebellianicam ex fideicommiſſis detrahere poteſt. arg. *Nov. 1. c. 2.*

III. Satisfacere poteſt creditoribus, qui primi venerint, *d. l. ult. §. 4.*

Digitized by Google

IV. Impenſas in funus, confectionem inventarii, aliasve neceſſario factas, deducit, *d. l. ult. §. 9.*

V. Actiones, quas & ipſe contra defunctum habet, non confunduntur, ſed ei ſimiliter ac aliis creditoribus reſervantur: temporum tamen prærogativa inter creditores ſervanda. *d. l. ult.* §. *9.*

§. 20. Quo ipſo tamen *Jus deliberandi* non eſt abrogatum: *d. l. ult. §. 13. & 5. in f. l. de hered. qual. ac diff.* ſed ſi heres *Beneficium Inventarii* neglexerit, & *Jus Deliberandi* petere maluerit, non ſolum creditoribus in ſolidum tenetur, ſed & integra legata & fideicommiſſa præſtare debet, neque beneficio L. Falcidiæ vel SCti Trebelliani uti poteſt. *l. ult. §. pen. C. h. t. N. 1. c. 2. §. 2.* Quod ad detractionem *Portionis Legitimæ* non recte extenditur. v. *Nov. 1. c. 1.* §. *1. 3. c. 4. §. 1.* Diſſert. N. IV. *de Port. Leg. C. 5. §. 10. & ſeqq.*

* *

LIBER XXIX. TITULUS I.

DE TESTAMENTO MILITIS. C, VI. 21.

§. 1.

Et hæc quidem de *Teſtamentis Solennibus;* ſequuntur *Minus Solennia*, ſeu *Privilegiata:* inter quæ cum excellat *Teſtamentum Militis*, de eo ſeparatim agendum viſum eſt.

§. 2. Eſt autem proprie *Teſtamentum Militare*, *quod a milite*, *in numeros relato*, *l. 42. D. h. t. in expeditione factum eſt*, *jure militari*. *l. 3. 4. 7. & 10. D. l. 1. & 15. l. pen. C. h. t. pr. §. 3. I. h. t. l. 11. pr D. h. t.*

§. 3. Conceſſit autem Militibus liberam teſtamenti factionem primus quidem Divus Julius Cæſar. Sed ea conceſſio temporalis erat. Poſtea vero primus Divus Titus dedit; poſt hoc Domitianus. Poſtea Divus Nerva pleniſſimam indulgentiam in milites contulit, eamque & Trajanus ſecutus eſt; ut, quoquo modo teſtati eſſent, voluntas eorum rata eſſet. *l. 1. pr. D. h. t.* Ulp. *T. XXIII. §. 2.* Quam & Prætor, & Proconſul Edicto confirmavit. arg. *Inſcr. l. 1. 2. D. h. t.*

§. 4. Ut adeo omnes ſolennitates, & quæcunque ſubtilitatem magis, quam naturalem rationem habent, militibus remiſſa ſint. *l. 1. & 34. §. 2. l. 35. & 40. D. h. t. l. 15. C. h. t. pr. I. h. t.*

§. 5. Tum propter ſimplicitatem & nimiam imperitiam eorum; *l. 1. pr.* D. *l. 3. C. pr. I. h. t.* (arma enim magis quam jura ſciunt milites; *l. 22. C. de jur. delib.*) tum, & quidem maxime propter periculorum functionem. *l. un. pr. D. de bon. poſſ. ex teſt. mil.*

§. 6.

§. 6. Propter quam privilegium hoc etiam ad non milites, in hoſtico degentes, iisdemque periculis expoſitos, poſtmodum extenſum: *l. 44. D. h. t. d. l. un. D. de bon. poſſ. ex teſtam. mil.* neque militibus aliter, quam in expeditione & caſtris degentibus conceſſum eſt. *l. 1. & 15. l. pen. C. pr. §. 3. I. h. t.*

§. 7. Hinc *I.* Surdus & Mutus Miles, ante cauſariam miſſionem, jure militari teſtamentum facere potuit; *l. 4. D. h. t.* cum pagani id impetrare deberent. *l. 7. D. qui teſtam. fac. poſſ.* Quod tamen jure novo, poſt *l. 10. C. qui teſtam. fac. poſſ.* privilegium militare eſſe deſiit.

II. Teſtamentum facere poteſt ex militari delicto capitis damnatus; dummodo ſacramenti fides non ſit rupta, *l. 11. pr. D. h. t.* & miles id impetraverit. *l. 32. §. 8. D. de don. int. vir. & ux.*

Ut & *III.* De ſtatu ſuo dubitans. *d. l. 11. §. 1. D. h. t.*

IV. Heredes inſtituere poteſt deportatos, & fere omnes, cum quibus non eſt teſtamenti factio. *l. 13 §. 2. D. h. t. l. 5. C. eod.*

V. Liberos ſuos in teſtamento præterire, & ſilentio exheredare poteſt; *l. 9. 10. C. h. t. §. 6. I. de exher. lib. l. 12. D. de bon. lib.* dummodo ſe liberos habere non ignoraverit. *d. l. 9. C. h. t. d. §. 6. I. de exher. lib.* v. ſupr. *ad t. de lib. & poſt. §. 37. & ſeqq.*

VI. Teſtamentum ejus (actu ſcil. militantis) inofficioſum *Querela inofficioſi* non reſcinditur. *l. 29. D. h. t. l. 27. §. 2. D. l. 9. C. de inoff. teſt. l. 12. pr. l. 47. §. ult. D. de bon. lib.* Quibus *ll.* per *Nov. 115. c. 4.* minime derogatum eſt.

VII. Pro parte teſtatus, pro parte inteſtatus poteſt decedere; *l. 6. & 18. pr. l. 37. D. h. t.* adeoque & ex rebus certis, *l. 17. pr. D. h. t.* (ceſſante jure accreſcendi, *l. 37. D. h. t.*) nec non ad tempus, vel poſt tempus, ex conditione, vel in conditionem, heredes inſtituere. *l 15. §. 4. l. 41. pr.* D. *h. t.*

VIII. Poteſt ſubſtituere his, qui heredes extiterunt, in iis, quæ ex teſtamento ejus conſecuti ſunt; *l. 5. D. h. t.* nec non ſoli filio teſtamentum facere eique etiam emancipato in ſecundum caſum ſubſtituere *l. 15. §. 3. l. 28. & 41. §. ult. D. h. t.*

IX. Ultra dodrantem legare; ut in legatis Legi Falcidiæ non ſit locus, *l. 17. §. ult. D. l. 12. C. h. t. l. 7. C. ad L. Falcid.*

X. Plura teſtamenta facere. *l. 16. pr.* D. *h. t.*

XI. Ut & Codicillis hereditatem relinquere. *l. 36. pr. D. h. t.*

XII. Teſtamentum Militis agnatione ſui heredis, vel vera, vel quaſi tali, non rumpitur; *l. 7. 8. 9. pr. D. h. t.* neque minima capitis deminutione fit irritum. *l. 22.* D. *h. t. §. 5. I. h. t. l. 6. §. ult. D. de inj. rupt. irr. teſt.*

Et uti hereditatem miles nuda voluntate dare, ſic &

XIII. Sola contraria voluntate adimere poteſt. *l. 15. §. 1.* D. *h. t.*

§. 8. Quod privilegium militare non tantum pertinet ad teſtamentum in militia factum, ſed & ad id, quod ante militiam non jure factum eſt; dummodo

miles factus, vel verbis, vel factis, novam voluntatem declaraverit, *l. 9. §. 1. l. 20. §. 1. l. 25. D. §. 4. I. h. t.* quæ ſcil. priori non ſit contraria. Ita accip. *l. 15. §. 2. D. h. t.*

§. 9. Quod ſi tamen miles miſſus ſit de militia, teſtamentum jure militari factum, poſt miſſionem, *honeſtam* ſcil. vel *cauſariam*, (non *ignominioſam,*) intra annum valebit. *l. 26. pr.* §. *1. D. h. t. §. 3. I. h. t.* v. *l. 2. §. 2. D. de his qui not. infam.* Ut tamen conditio poſt annum exiſtens retrahatur, *d.* §. *3. I. h. t. l. 26.* D. *de cond. inſt. l. 11.* §. *1. D. qui pot. in pign.*

§. 10. Poteſt autem Teſtamentum *Militare* etiam dividi in *Scriptum*, & *Nuncupativum*.

§. 11. Ad *Scriptum* nulli requiruntur teſtes; ſi quid enim in vagina aut clypeo, literis ſanguine ſuo rutilantibus, adnotaverint, aut in pluvere inſcripſerint gladio ſuo, ipſo tempore, quo in prælio vitæ ſortem derelinquunt, hujusmodi voluntatem ſtabilem eſſe oportet: *l. 15. C. h. t.* dummodo militem ſcripſiſſe conſtet. *l. 40. in f. pr.* D. *h. t.*

§. 12. Ad *Nuncupativum* vero duo ſufficiunt, arg. *l. 12. D. de teſtib.* etiam ſpecialiter non rogati; arg. *l. ult. §. ult. C. de codicill.* (non obſt. §. *1.* verb. *Convocatis ad hoc hominibus. I. h. t.* quibus *factum*, non *jus* ſignificatur;) ſi modo ſerio coram iis miles locutus ſit *l. 24. D.* §. *1. I. h. t.*

§. 13. Præter *Teſtamentum militis* vero *II. Minus ſolenne* ſeu *Privilegiatum* eſt *Teſtamentum Parentum inter liberos*; quod ſimiliter nullas ſolennitates requirit. *l. ult. C. fam ercifc. l. 21.* §. *1. & Auth. Quod ſine. C. de teſtam. Nov. 107. c. 1.*

§. 14. Si enim Pater, in *Scriptura* inter liberos teſtetur, ſufficit, ſi vel propria manu teſtamentum ſcribat, arg. *l. 28. §. f. C. de teſtam.* vel ſubſcribat, & ſimul exprimat, quod in præcedentibus ultima ſua voluntas contineatur; *Nov. 107. c. 1.* quo caſu teſtes non ſunt neceſſarii. *d. c. 1.*

§. 15. Si vero per *Nuncupationem*, ſufficit, ſi coram duobus teſtibus voluntatem declaret. *d. c. 1.* arg. *l. 12. D. de teſtib.* Quin enim *Nuncupativum teſtamentum Parentum inter liberos* etiam valeat, ne quidem dubitandum videtur. *d. Nov. 107. c. 1.* v. *l. 16. C. fam. ercifc.*

§. 16. *III. Teſtamentum tempore contagionis factum;* ad quod ſimultanea teſtium præſentia non eſt neceſſaria, ob timorem contagionis. *l. 8. C. de teſtam.*

§. 17. *IV. Teſtamentum Ruſticorum;* ad quod quinque teſtes ſufficiunt, ſi plures haberi nequeunt. Neque teſtium ſubſcriptiones requiruntur, ſi ſcribere nequeant. Sufficitque, ſi quidam literati adſint, & pro aliis ſubſcribant. *l. ult. C. de teſtam.*

§. 18. *V. Teſtamentum poſterius imperfectum, in quibus ſcripti ſunt hæredes ab inteſtato venturi, qui in priori erant præteriti;* ad quod ſimiliter V. teſtes ſufficiunt. *l. 21. §. pen. C. de teſtam.*

§. 19.

§. 19. *VI. Teſtamentum Principi oblatum:* nec non *VII. Actis inſinuatum;* quæ nullas omnino ſolennitates deſiderant. *l. 19. C. de teſtam.*

TITULUS II.

De Acquirenda Vel Omittenda Hereditate.

C. VI. 30.

§. 1.

Atque ita *Teſtamento Solenni* vel *Minus ſolenni* legitime defertur *Hereditas;* quæ delata vel *Acquiritur*, vel *Omittitur*.

De Acquirenda Hereditate.

§. 2. *Acquiritur* autem diverſimode, pro diverſa heredum qualitate & differentia.

§. 3. Sunt enim heredes vel *Neceſſarii*, vel *Voluntarii; l. 15. 16.* D. *h. t. Neceſſarii* vero vel *Neceſſarii tantum*, vel *Sui & Neceſſarii. pr. I. de her. qual. & diff.*

§. 4. *Neceſſarii heredes* ſunt *ſervi a Dominis ſuis heredes inſtituti;* ideoque ſic appellantur, quia, ſive velint, ſive nolint, omnino poſt mortem teſtatoris protinus liberi & neceſſarii heredes fiunt. *§. 1. I. de her qual. & diff. l. 57. §. 2. D. h. t.*

§. 5. Quod ſumma ratione dominis conceſſum eſt; arg. *l. 11. D. de lib. & poſt.* maxime ſi facultates ſuas ſuſpectas habeant: ut bona potius heredis, quam defuncti nomine diſtrahantur. *d. §. 1. I. de her. qual. & diff.*

§. 6. *Sui & Neceſſarii* ſunt *Liberi, in poteſtate teſtatoris, mortis tempore, gradu proximo, conſtituti. §. 2. I. de hered. qual. & diff. l. 33. §. 1.* D. *de teſt. mil. l. 6. D. de injuſt. rupt. irr. teſt.*

§. 7. Qui *Sui heredes* ideo appellantur, quia *Domeſtici* heredes ſunt, & vivo quoque patre quodammodo domini æſtimantur, & proinde *ſibi ipſi* quaſi heredes exiſtunt. *d. §. 2. I. de her. qual. & diff.* v. *l. 11.* D. *de lib. & poſt.*

§. 8. *Neceſſarii* vero ideo dicuntur, quia omnino, ſive velint, ſive nolint, tam ab inteſtato, quam ex teſtamento, ex Lege duodecim Tabularum heredes fiunt. *d. §. 2. I. de hered. qual. & diff.*

§. 9. *Heredes Voluntarii* vero ſunt *Extranei*, qui in poteſtate teſtatoris non ſunt. *pr. §. 3. I. de hered. qual. & diff.*

§. 10. *Neceſſarii tantum Ipſo jure* ſunt heredes; *§. 1. I. de hered. qual. & diff. §. 1. I. de hered. inſt.* adeo quidem, ut ipſis abſtinendi poteſtas non permittatur. *l. 57. §. 2.* D. *h. t.*

§. 11. *Sui & Neceſſarii* ſimiliter *Ipſo jure* heredes ſunt; *§. 2. I. de hered.* qual

Digitized by Google

qual. & diff. §. 3. I. de hered, quæ ab inteſt. l. 14. D. de ſuis & leg. hered. neque jure Civili ab hereditate paterna abſtinere poſſunt: niſi id pater eis vel expreſſe, vel tacite, ſub conditione ſcil. poteſtativa eos inſtituendo, *l. 86. D. de her. inſt. l. 12. D. de cond. inſt.* vel vulgariter iis ſubſtituendo, permiſerit. *§. ult. I. de vulg. ſubſt.*

§. 12. Idque non tantum in natis procedit, ſed etiam in poſtumis. *§. 2. in f. I. de hered. quæ ab inteſtat.* Adeo quidem, ut uxore prægnante, proximus a poſtumo hereditatem adire nequeat; de quo Prætor ita edixit; „*Proximus a filio „poſtumo heres, dum mulier prægnans eſt, aut putatur eſſe, adire hereditatem non „poteſt: ſed, ſi ſcit non eſſe prægnantem, poteſt.*„ *l. 30. §. 1. & ſeqq. D h. t.*

§. 13. Sed Prætor & Proconſul iis fecerunt abſtinendi poteſtatem; ut potius ſcil. parentis, quam ipſorum nomine, bona a creditoribus poſſideantur, & vendantur. §. *2. I. de hered. qual. & diff. l. 57. pr. D. h. t.*

§. 14. Qua de re Prætor ita edixiſſe videtur: *Suo & neceſſario heredi, tam maſculo, quam fœminæ, abſtinendi ſe ab hereditate poteſtatem faciam: Impuberi, etiamſi ſe immiſcuerit hereditati; Puberi, ſi ſe non immiſcuerit. „Si per eum „eamve factum erit, quo quid ex ea hereditate amoveretur,„ abſtinendi beneficium non dabo.* arg. *l. 11. 12. 57. pr. l. 71. §. 3. D. h. t.*

§. 15. Si quis enim *ſuus* ſe dicit retinere hereditatem nolle, aliquid autem ex hereditate amoverit, abſtinendi beneficium non habebit. *d. l. 71. §. 6. D. h. t.*

§. 16. *Amoviſſe* autem eum accipimus, qui ſive per ſe, ſive per alium, callido animo, quid celaverit, aut interverterit, aut conſumſerit; non etiam, ſi putaverit rem non eſſe hereditariam. *d. l. 71. §. 5. & ſeqq. D. h. t.*

§. 17. Licet autem Prætor ita ex *Neceſſariis* revera fecerit *Voluntarios;* non tamen *Sui* eſſe deſierunt, neque *jus Suitatis* per id ſublatum eſt.

§. 18. Unde *Sui* etiamnum hereditatem paternam *Ipſo Jure* acquirunt, *§. 3. I. de hered. quæ ab inteſt.* eamque non aditam ad quoslibet heredes, non tantum ſuos, ſed & extraneos transmittunt. *l. 3. 19. C. de jur. delib. l. 7. §. 1. D. h. t.*

§. 19. Quod ſecus eſt in *Extraneis*, qui hereditatem non aditam non transmittunt; *l. 7. C. de jur. delib. l. un. §. 5. C. de cad. toll.* exceptis liberis, qui ſunt ſui juris, quibus poſtmodum per Impp. Theodoſium & Valentinianum conceſſum eſt, ut hereditatem ſibi relictam, in deſcendentes, non alios, transmittere poſſint. *l. un. C. de his qui ant. apert. tab. hered. transmitt.*

§. 20. *Voluntarii* ſeu *Extranei* hereditatem acquirunt *Adeundo. §. 5. I. de hered. qual. & diff. l. ult. §. 2. 12. C. de jur. delib. l. 12. §. f. D. de bon. lib.*

§. 21. Quæ *Aditio* in genere nihil aliud eſt, quam *Declaratio voluntatis, de hereditate ſibi delata ſuſcipienda.*

§. 22. Eſtque vel *Aditio in ſpecie* ſic dicta, vel *Pro herede geſtio.*

§. 23.

§. 23. *Aditio hereditatis in ſpecie* ſic dicta, eſt *Declaratio voluntatis, de hereditate ſuſcipienda, verbis facta. §. 6. I. de hered. qual, & diff.*

§. 24. *Pro herede geſtio* autem, eſt *Declaratio voluntatis, de ſuſcipienda hereditate, rebus ipſis & facto ſignificata. d. §. 6. I. de hered. qual. & diff.*

§. 25. *Pro herede gerere* enim videtur is, qui aliquid facit quaſi heres, & animo heredis. *l. 20. pr. §. 4. l. 88. D. h. t. §. ult. I. de hered. qual. & diff.*

§. 26. Cæterum, ſi quid pietatis cauſa fecit, ſi quid cuſtodiæ cauſa fecit, ſi quid quaſi non heres egit, ſed quaſi alio jure dominus, apparet non videri pro herede geſſiſſe. *d. l. 20. pr. D. h. t.*

§. 27. Et ideo ſolent teſtari liberi, non animo heredis ſe gerere, quæ gerunt, ſed aut pietatis, aut cuſtodiæ cauſa, aut pro ſuo. *d. l. 20. §. 1. 2. 3. D. h. t.*

§. 28. *Hereditatem adire poſſunt*, quicunque tempore mortis teſtatoris & aditæ hereditatis capaces ſunt; *l. 49. §. 1.* D. *de hered. inſtit. §. 4. I. de her. qual. & diff.* & ſeſe obligare poſſunt. *l. 8.* D. *h. t.*

§. 29. Non Furioſi, Mente capti, *l. 63.* D. *h. t. l. 40.* D. *de R. J.* vel Infantes; *§. 9. l. de inut. ſtip.* quorum Parentes, vel Tutores, Curatoresve adeunt: *l. 18. pr. §. 1. 2. C. de jur. delib. l. ult. §. 3. C. de curat. fur.* neque Infantiæ Pubertative proximi, vel Minores, ſine Parentum, Tutorum, Curatorumve auctoritate, *l. 18. §. f. C. de jur. delib. l. 8. 9.* D. *h. t. l. 3. C. de in int. reſt.*

§. 30. Quod ſi Filiusfam. integræ ætatis ſit, non tantum conſentiente, ſed & jure novo invito Patre hereditatem adire poteſt; adeo, ut eo caſu plenam ejus proprietatem ſibi acquirat. *l. ult. pr. §. 1. 2. C. de bon. quæ lib.*

§. 31. Qui vero hereditatem adire volet, certus eſſe debet, defunctum eſſe teſtatorem, *l. 19. 32. pr.* D. *h. t.* ſibique hereditatem, ex cauſa v. gr. teſtamenti, *l. 22. D. h. t. §. 6. I. de her. qual. & diff.* pure, vel ſub conditione, delatam eſſe. *l. 32. §. 1. D. h t.*

§. 32. Et quidem adire debet volens, non metu verborum vel aliquo timore coactus; *l. 6. §. ult. D. h. t. l. 16. C. de jur. delib.* ipſe, non per Procuratorem; *l. 90. D. h. t. l. 123.* junct. *l.* 77. D. *de R. J.* totam hereditatem, non partem, ſi quidem totam acquirere poſſit. *l. 1. 2. 55. D. h. t. l. un. §. 10. C. de cad. toll.* & pure, non ſub conditione. *l. 51. §. f. D. h. t, l. 77.* D. *de R. J.*

§. 33. Non tamen neceſſe habet heres ſtatim adire, ſed, ſi nemo ſit, qui urgeat, etiam intra triginta annos adire poteſt. *l. 8. C. de jur. delib. l.* 7. *C. de pet. her.*

§. 34. Quandocunque autem fiat *Aditio*, ea ad tempus mortis revocatur. *l. 54. D. h. t. l. 138. l. 193. D. de R. J.*

§. 35. Cujus *effectus* eſt, quod, qui adiit, vel in totum, vel pro parte heres fiat, & in univerſum *Jus* defuncti, (quod morte non eſt exſtinctum, v. *l. 196. D. de R. J.*

de R. J. §. 1. I. de perp. & temp. act.) ſuccedat; *l. 37.* D. *h. t. l. 24. D. de V. S. l. 62. D. de R. J.* & ſi coheredes deficiant, deficientium portiones ei etiam invito accreſcant. *l. 31. 53. §. 1. l. 80. §. 1. D. h. t.*

§. 36. Licet aliud ſit in *Poſſeſſione*, quæ niſi naturaliter apprehenſa ſit, in heredem non tranſit. *l. 23. pr. D. de acq. vel am. poſſ.*

§. 37. Non tantum autem in jus defuncto competens ſuccedit, ſed & in onera & æs alienum; *l. 8.* D. *h. t.* ut, licet hereditas non ſit ſolvendo, a creditoribus tamen pro portione hereditaria conveniri poſſit. *d. l. 8. 10. C. de jur. delib.*

§. 38. Naſcitur denique ex *Aditione hereditatis* Obligatio, qua heres quaſi ex contractu Legatariis & Fdeicommiſſariis ad Legata & Fideicommiſſa præſtanda obſtrictus eſt. *§. 5. I. de obl. quæ quaſ. ex contr. l. 5.* §. *2. D. de O. & A.*

DE OMITTENDA HEREDITATE.

§. 39. Quod ſi vero Heres inſtitutus heres eſſe nolit, hereditatem *omittere* poteſt. Quo caſu *Sui ſe abſtinere, Extranei repudiare* dicuntur. *l. 11. 12. 57. D. h. t. t. C. de repud. vel abſtin. her.*

§. 40. Eſt itaque *Repudiatio, Declaratio voluntatis, de hereditate delata non ſuſcipienda, vel verbis, vel re ipſa, facta. l. 95. 77. in f. D. h. t.*

§. 41. *Repudiare poteſt*, qui & acquirere poteſt. *l. 18. D. h. t.* Non Furioſus vel Mente captus; arg. *l.* 47. D. *h. t.* non Pupillus, ſine tutore; *l. 5. C. de rep. her. l 11.* D. *de auct. tut.* neque Filius, ſine patre, ut ſcil. patri noceat. *l. 13. §. 3. D. h. t. l. 8. §. 2. C. de bon. quæ lib.*

§. 42. Ut autem repudiare poſſit, debet certus eſſe, teſtatorem defunctum, & hereditatem ſibi delatam eſſe. *l. 13. §. 1. l. 23. 15. 16. D. h. t.*

§. 43. *Repudiationis* vero *effectus* eſt, ut is, qui repudiavit, hereditatem amittat; *l. 13. pr. D. h. t.* adeo, ut hereditatem ſemel repudiatam poſtmodum amplius adire nequeat. *l. 4. C. de rep. hered. l. ult. §. ult. C. de bon. quæ lib.*

TITULUS III.

TESTAMENTA QUEMADMODUM APERIANTUR, INSPICIANTUR, ET DESCRIBANTUR.

C. VI. 32.

§. 1.

Ut autem certo ſciat Heres, an, & quo modo inſtitutus ſit, hereditatemque delatam recte acquirere vel omittere poſſit, *aperiendæ & inſpiciendæ ſunt Teſtamenti tabulæ.*

§. 2. De

§. 2. De quo Prætor tale Edictum propoſuiſſe videtur: *Teſtamenti tabulas, quodve ad cauſam teſtamenti pertinere dicetur, inſpicere ac deſcribere deſideranti, ſuo vel alieno nomine, ſi prius de calumnia juraverit, præter eam partem ſupremarum tabularum, quam aperiri defunctus vetuit, vel ad ignominiam alicujus pertinere dicetur, inſpiciendi deſcribendique, præter diem & Conſulem, poteſtatem faciam.* arg. *l. 1. 2.* D. *l. 3. C. h. t.*

§. 3. Cujus Edicti ratio manifeſta eſt; neque enim ſine Judice tranſigi, neque apud Judicem exquiri veritas de his controverſiis, quæ ex teſtamento proficiſcerentur, aliter poteſt, quam inſpectis cognitisque verbis teſtamenti. *l. 1. §. 1.* D. *h. t. l. 6.* D. *de transact.*

§. 4. Ait Prætor, *Teſtamenti tabulas, quodve ad teſtamenti cauſam pertinere dicetur; Teſtamentum* proprie illud dicitur, quod jure perfectum eſt. Sed abuſive *Teſtamenta* ea quoque appellamus, quæ falſa ſunt, vel injuſta, vel irrita, vel rupta: itemque imperfecta ſolemus teſtamenta dicere. *l. 2. §. 1. D. h. t.* v. *l. 1. §. 3. 5.* D. *de tab. exhib.*

§. 5. *Ad cauſam* autem *Teſtamenti pertinere* videtur id, quodcunque quaſi ad teſtamentum factum eſt, in quacunque materia fuerit ſcriptum, quod contineat ſupremam voluntatem; & non tantum principales, ſed & ſecundæ tabulæ, & codicilli Edicto continentur. *l. 2. §. 2. l. 11. D. h. t. l. 3. §. 25. 27. D. de SCt. Silan.* v. *l. 1. §. 2. 5. D. de tab exh.*

§. 6. Si plura ſint teſtamenta, quæ quis exhiberi deſideret, univerſorum ei facultas facienda eſt. *l. 2. §. 3. D. h. t.*

§. 7. Si vero dubitetur, utrum vivat, an deceſſerit is, cujus quis quod ad cauſam teſtamenti pertinet, inſpici deſcribique poſtulat, dicendum eſt, Prætorem cauſa cognita id ſtatuere debere; ut, ſi liquerit eum vivere, non permittat inſpici tabulas. *l. 2. §. 4. D. h. t.*

§. 8. *Inſpicere ac deſcribere deſideranti, ſuo vel alieno nomine;* omnibus enim, quicunque deſiderant tabulas teſtamenti inſpicere, vel etiam deſcribere, *inſpiciendi* (ſic leg.) deſcribendique poteſtatem facturum ſe Prætor pollicetur. *l. 1. pr.* D. *h. t.*

§. 9. *Si prius de calumnia juraverit; l. 3. C. h. t.* neque enim omnibus omnino hoc conceditur, ſed iis tantum, quorum intereſt. v. *l. 3. §. 10.* D. *de tab. exhib.*

§. 10. *Præter eam partem ſupremarum tabularum, quam aperiri defunctus vetuit, vel ad ignomiam alicujus pertinere dicetur; d. l. 3. C. h. t.* quod & ad Tabulas pupillares pertinet: quas, etiamſi non fuerit ſuperſcriptum, ne aperirentur, attamen, ſi ſeorſum eas ſignatas teſtator reliquerit, Prætor aperiri, niſi cauſa cognita, non patietur. *l. 8.* D. *h. t.* add. *§. 3. I. de pup. ſubſt.*

§. 11. *Inſpiciendi deſcribendique; l. 1. pr. D. h. t.* quod cum (ſi teſtamen-

Digitized by Google

tum clauſum ſit, v. *l. 21. pr. C. de teſtam.)* ſine apertura tabularum fieri nequeat, teſtamentum prius aperiendum eſſe ultro intelligitur.

§. 12. Et quidem ex *Lege Julia Viceſimaria*, v. *Inſcr. l. 68.* D. *ad L. Falcid. l. 37. D. de relig. l. 154.* D. *de V. S.* aperiendum erat teſtamentum ſtatim, id eſt, a præſentibus intra triduum, vel quinque dies, a morte teſtatoris; ab abſentibus vero intra eosdem dies, ex quo ſupervenerint. Paul. *Sent. L. IV. T. VI. §. ult.* Ex *conſtitutione* vero *Valeriani & Gallieni* tempore uſitato, & moribus locorum recepto. *l. 2. C. h. t.*

§. 13. Cum autem aperitur, Prætoris eſt officium, ut cogat ſignatores convenire, & ſigilla ſua recognoſcere, vel negare ſe ſignaſſe; quorum ſi major pars fuerit inventa, poterit ipſis intervenientibus reſignari teſtamentum & recitari. *l. 4. 5. D. h. t.* Paul. Sent. *L. IV. Tit. VI. §. 1.* v. *l. 3. §. 9.* D. *de tab. exh.*

§. 14. Sed ſi quis ex ſignatoribus aberit, mitti debent tabulæ teſtamenti, ubi ipſe ſit, uti agnoſcat; nam revocari eum agnoſcendi cauſa onerosum eſt. *l. 7.* D. *h. t.*

§. 15. Quod ſi vero omnes abſint, & cauſa aliqua aperire tabulas urgeat, debet Prætor vel Proconſul curare, ut intervenientibus optimæ opinionis viris aperiantur, & poſt deſcriptum & recognitum factum, ab iisdem, quibus intervenientibus apertæ ſunt, obſignentur. *d. l. 7.* D. *h. t.*

§. 16. Et ſi quidem duobus exemplariis ſcriptum ſit teſtamentum, alterutrum aperiri ſufficit; *l. 10. pr. D. h. t.* ſi vero quis fecerit teſtamentum *Authenticum & Exemplum, exemplo* aperto nondum apertum eſt teſtamentum; ſed ſi *Authenticum* patefactum ſit, totum apertum eſt. *l. ult.* D. *h. t.*

§. 17. Dum autem Prætor inſpiciendi deſcribendique poteſtatem facit, etiam lectionem concedit; inſpectio enim tabularum lectionem earum indicat. *l. 2. § 5. D. h. t.*

§. 18. *Præter diem & Conſulem, poteſtatem faciam. l. 3. C. h. t.* Diem & Conſulem tabularum non patitur Prætor deſcribi vel inſpici, idcirco, ne quid falſi fiat, namque etiam inſpectio materiam falſo fabricando inſtruere poteſt. *l. 2. §. 6. D. h. t.* add. *l. 1. §. 2. D. de edend.*

§. 19. Quod ſi quis, non negans apud ſe tabulas eſſe, non patiatur inſpici & deſcribi, omnimodo ad hoc compelletur: ſi vero neget, penes ſe tabulas eſſe, dicendum eſt, ad *Interdictum* remitti, quod eſt *de Tabulis exhibendis. l. 2. §. ult. D. h. t. l. 2. §. 1.* D. *de tab. exhib.*

§. 20. Ipſi heredi autem *Vindicatio* tabularum, ſicut ceterarum hereditariarum rerum, competit, & ob id *ad Exhibendum* quoque agere poteſt. *l. 3.* D. *h. t.*

TITU-

TITULUS IV.

SI QUIS, OMISSA CAUSA TESTAMENTI, AB INTESTATO, VEL ALIO MODO POSSIDEAT HEREDITATEM.

C. VI. 39.

§. 1.

Non tamen poteſt *Heres Teſtamento inſtitutus* hereditatem pro lubitu omittere; ſi quis enim, qui & ex Teſtamento, & ab Inteſtato poteſt ſuccedere, *omiſſa cauſa Teſtamenti*, hereditatem ab inteſtato poſſideat, Legata & Fideicommiſſa teſtamento relicta nihilominus præſtare tenetur. *l. 1. pr. D. l. 1. 2. C. h. t.*

§. 2. De quo Prætor ita edixiſſe videtur: *Si quis omiſſa cauſa teſtamenti, ab inteſtato hereditatem partemve ejus poſſideat, quo eos circumveniat, quibus quid ex judicio defuncti deberi potuit, in eum cauſa cognita Actionem dabo.* arg. *l. 1. pr. l. 6. §. 3 D. h. t.*

§. 3. Quo Edicto Prætor voluntates defunctorum tuetur, & eorum calliditati occurrit, qui, omiſſa cauſa teſtamenti, ab inteſtato hereditatem partemve ejus poſſident, ad hoc, ut eos circumveniant, quibus quid ex judicio defuncti deberi potuit, ſi non ab inteſtato poſſideretur hereditas. *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 4. Ait Prætor, *Si quis omiſſa cauſa teſtamenti; omittere* ſeu *prætermittere cauſam teſtamenti* videtur, qui hereditatem teſtamento delatam repudiavit, vel, cum poſſet, non acquiſivit; ſive per ſe, ſive per alium acquirere potuerit. *l. 1. §. 1. 2. 6. D. h. t.*

§. 5. *Ab inteſtato hereditatem partemve ejus poſſideat, quo eos circumveniat, quibus quid ex judicio defuncti deberi potuit;* ſive jure legitimo hereditatem poſſideat, ſive non: totiens enim Edictum Prætoris locum habebit, quotiens aut quaſi legitimus heres poſſidet, aut quia *Bonorum poſſeſſionem* accipit ab inteſtato, aut ſi forte quaſi prædo poſſideat hereditatem, fingens ſibi aliquem titulum ab inteſtato poſſeſſionis. *l. 1. §. 9. D. h. t.* Qua in re tempus litis conteſtatæ ſpectandum eſt. *l. 6. §. 6.* D. *h. t.*

§. 6. Sive etiam poſſideat, ſive dolo malo fecerit, quo minus poſſideat, nihil intereſt. *l. 1. §. 10. D. h. t.*

§. 7. *Dolo* autem *malo feciſſe videtur, quominus poſſideat*, non tantum, qui ad alium transtulit poſſeſſionem per fraudem, ut legatarii, ceterique, qui quid in teſtamento acceperunt, careant his, quæ ſibi relicta ſunt; *l. 1. §. 11. D. h. t.* ſed &, qui malitioſe fecit, ne inciperet poſſidere, & per fraudem hereditatem omiſit, ut ad legitimum perveniat. *d. l. 1. §. 12. 13. D. h. t.*

§. 8. Idemque dicendum, ſi quis pretio accepto prætermiſit hereditatem. *l. 2. 3.* D. *h. t.*

§. 9. Quin & ſi pecuniam non acceperit, ſed ſimpliciter omiſit cauſam teſta-

Digitized by Google

menti, dum vult præſtitum ei, qui ſubſtitutus eſt; vel legitimo, ſi liquido conſtiterit in necem legatariorum hoc factum, dicendum eſt, locum eſſe *Utili Actioni* adverſus eum, qui poſſidet hereditatem. *l. 4. pr. D. h. t.*

§. 10. *Cauſa cognita;* non ſimpliciter enim Prætor pollicetur ſe actionem daturum. Nam ſi invenerit, teſtatorem hujus rei auctorem eſſe, ipſumque permiſiſſe ab inteſtato ſuccedere, aut ſi qua alia juſta cauſa omittendi intervenerit, vel bona ad alium pertineant, Actio non dabitur. *l. 6. §. 3. 4. D. h. t.*

§. 11. *Actionem dabo. Legatorum* ſcil. *d. l. 6. §. 3. D. h. t.* quæ datur Legatariis & Fideicommiſſariis, contra eum, qui hereditatem ab inteſtato poſſidet ejusque heredem, ad præſtandum id, quod relictum eſt. *l. 1. pr. l. 12. §. 1. D. h. t.*

§. 12. Quod ſi plures ſint heredes, qui omnes omiſſa cauſa teſtamenti ab inteſtato poſſident, Actio contra ſingulos competit pro rata. *l. 18. pr. D. h. t.*

§. 13. *Ceſſat* autem hæc Actio *I.* Si teſtator nominatim permiſit ab inteſtato ſuccedere. *l. 6. §. 1. 3. D. h. t.*

II. Si alia juſta cauſa omittendi intervenerit. *d. l. 6. §. 3. D. h. t.*

III. Si bona ad alium pertineant. *d. l. 6. §. 4. D. h. t.*

IV. Si quis *pro Emtore*, vel *pro Dote*, vel *pro Donato*, ſive alio quolibet titulo, (exceptis *pro Herede* & *Poſſeſſore)* poſſideat. *l. ult.* D. *h. t.*

V. Si quis, omiſſa cauſa teſtamenti, hereditatem non poſſideat. *l. 17. D. h. t.*

TITULUS V.

DE SENATUSCONSULTO SILANIANO, ET CLAUDIANO; QUORUM TESTAMENTA NE APERIANTUR.

C. VI. 35.

§. 1.

Non etiam ſemper apertis tabulis hereditas acquiri poteſt; ſed nonnunquam heredi tanquam indigno auſertur & Fiſco addicitur.

§. 2. *Senatusconſulto* enim *Silaniano*, quod ſub Auguſto P. Cornel. Dolabella & C. Junio Silano Coſſ. A. U. C. 763. poſt N. Ch. 10. factum, cautum eſt, ut, ſi dominus a familia occiſus eſſe dicatur, de ea, ab herede, antequam hereditatem adeat, publica quæſtio habeatur, *l. 1. pr. §. 25.* D. *h. t.* & de ſervis, qui ſub eodem tecto fuerunt, ſuplicium ſumatur; *l. 1. §. 26.* D. *h. t.* Tacit. *Annal. L. XIV. c. 42. & ſeqq.* & ſi ante quæſtionem de familia habitam, ſuppliciumque ſumtum, hereditatem adierit, hereditas publicetur & Fiſco addicatur, *l. 5. §. 2. D. h. t.*

§. 3. Quod confirmatum eſt *SCto Claudiano*, quod conditum eſt ſub Nerone, Nerone Claudio Cæſ. & L. Calpurnio Piſone Coſſ. A. U. C. 810. poſt N. Ch. 57. unde & alio nomine *Neronianum*, Paul. *Sent. L. III. T. V. §. 5.* ut & *Piſonianum* dictum videtur *l. 8.* D. *h. t.*

§. 4.

§. 4. Quo inſuper cautum, ut, ſi quis a ſuis ſervis interfectus eſſet, ii quoque, qui teſtamento manumiſſi ſub eodem tecto manſiſſent, inter ſervos ſupplicia penderent; Tacit. *Annal. L. XIII. c. 31. 32. l. 3. §. 16. 17. D. h. t.* nec non, ut, occiſa uxore, de familia viri quæſtio haberetur, idemque, ſi vir dicatur occiſus, in uxoris familia obſervaretur. Paul. *Sent. d. L. III. T. V. §. 5. l. 1. §. 15. D. h. t.*

§. 5. Cum enim aliter nulla domus tuta eſſe poſſit, niſi periculo capitis ſui cuſtodiam Dominis, tam a domeſticis, quam ab extraneis, præſtare ſervi cogantur, ideo hæc SCta introducta ſunt, de publica quæſtione a familia necatorum habenda. *l. 1 pr. l. 19. D. h. t.*

§. 6. Ut itaque hiſce SCtis locus ſit, ante omnia requiritur, ut conſtet dominum v. *l. 1. §. 1. & ſeqq. D. h. t.* occiſum, & ſcelere interemtum eſſe. *l. 1. §. 24. D. h. t.*

§. 7. *Occiſorum* autem appellatione hic veniunt, qui per vim aut cædem ſunt interfecti, ut puta jugulati, ſtrangulati, præcipitati; vel ſaxo, vel fuſte, vel lapide percuſſi; vel quo alio telo necati. *l. 1. §. 17. D. h. t.*

§. 8. Quod ſi quis veneno, vel etiam quo alio, quod clam necare ſoleat, interemtus ſit, ad hæc SCta vindicta mortis ejus non pertinebit: hoc idcirco, quia toties puniendi ſunt ſervi, qui auxilium domino non tulerunt, quoties poterunt ei adverſus vim opem ferre, & non tulerunt. *l. 1. §. 18. D. h. t.*

§. 9. Plane, ſi venenum per vim infuſum ſit, *SCtum Silanianum* locum habet. *l. 1. §. 19. 20. D. h. t.*

§. 10. Non etiam ad omnes ſervos. v. *l. 1. §. 3. 4. 5. D. h. t.* hoc SCtum pertinet; ſed eos tantum, qui ſub eodem tecto fuerunt, omnimodo punit: eos vero, qui non ſub eodem tecto, ſed in eadem regione fuerunt, non aliter, niſi conſcii fuiſſent. *l. 1. §. 26. D. h. t.*

§. 11. *Eodem tecto* autem ſic accipiendum, ut, quicunque eo loci fuerint, unde vocem exaudire potuerunt, hi puniantur, quaſi ſub eodem tecto fuerint. *l. 1. §. 27. & ſeqq. D. h. t.*

§. 12. Quin &, licet ſub eodem tecto fuerint, nonnunquam excuſandi ſunt; veluti, ſi ſint impuberes, *l. 1. §. 32. 33. D. h. t.* gravi valetudine affecti, *l. 3. pr. D. h. t.* clauſi, *d. l. 3. §. 6.* ætate defecti, *d. l. 3. §. 7.* ſurdi, cœci, muti, vel furioſi, *d. l. 3. §. 8. 9. 10. 11.* qui opem ferre nequeunt.

§. 13. Excuſantur etiam ſervi, qui domino auxilium tulerunt ſine dolo malo. Nam ſi finxit ſe quis auxilium ferre, vel dicis gratia tulit, nihil hoc commentum ei proderit. *l. 1. §. 34. D. h. t.*

§. 14. *Tuliſſe* autem *auxilium* non tantum is videtur, qui ſervavit dominum, hoc eſt, qui potuit ita opem ferre, ut ſalvus eſſet dominus; verum is quoque, qui, quicquid potuit, fecit, tametſi dominus interfectus eſt. *l. 1. §. 35. 36. 37. D. h. t.*

Digitized by Google

§. 15. Quod maxime procedit, ſi dominus ipſe officium ſervorum ſuorum, vel expreſſe, vel tacite purgaverit; veluti, ſi mortifere vulneratus ſupervixerit, nec de quoquam ſervorum ſuorum conqueſtus ſit. *l. 1. §. ult. l. 2. D. h. t.*

§. 16. Secundum quæ SCta poſtea Prætor etiam Edictum propoſuit; quod ita conceptum videtur: *Quod ad cauſam teſtamenti pertinens relictum erit ab eo, qui occiſus eſſe dicetur, id ne quis ſciens dolo malo aperiendum, recitandum, deſcribendumve curet, priusquam de ea familia quæſtio ex SCto habita, ſuppliciumque de noxiis ſumtum fuerit, vetabo. Bonorum quoque poſſeſſionem petere non permittam. Quod ſi quis aperuiſſe, aut quid aliud eorum, quæ ſupra dicta ſunt, feciſſe dicetur, in centum aureos eum condemnabo, cujus dimidiam partem ei, cujus opera convictus erit, dabo, alteram in publicum cogam.* arg. *l. 3. §. 18. l. 5. §. 1. l. 25. §. 2. D. h. t.*

§. 17. *Aperire* autem hic ille videtur, qui naturaliter aperit; ſive ſint ſignatæ, ſive non ſint ligatæ, ſed tantum naturaliter clauſæ. *l. 3. §. 19. D. h. t.*

§. 18. Sive palam vel publice id fiat, ſive ſecreto, nihil intereſt, *l. 3. §. 20. D. h. t.*

§. 19. Non etiam intereſt, an totum teſtamentum, an pars aperta ſit. *l. 3. §. 24. D. h. t.*

§. 20. Idemque juris eſt, ſi quis codicillos aperuerit; nam & codicilli ad cauſam teſtamenti pertinent. *l. 1. §. 25.* D. *h. t.*

§. 21. Nec denique intereſt, an jure valeat id, quod apertum eſt, an non valeat. *l. 1. §. 26. D. h. t.*

§. 22. Si quis autem ignorans occiſum aperuerit, hoc Edicto non tenetur *l. 3. §. 21. D. h. t.*

§. 23. Et ſi ſciens, non tamen dolo, aperuit, æque non tenebitur; ſi forte per imperitiam, vel ruſticitatem, ignarus Edicti Prætoris vel SCti aperuit. *l. 3. §. 22. D. h. t.*

§. 24. Similiter, ſi quis tabulas naturaliter non aperuit, ſed linum tantum inciderit, excuſatus erit; quia dolo caret, qui ipſas tabulas non aperuit. *l. 3. §. 23. D. h. t.*

§. 25. *Ceſſat* denique *Edictum*, ſi quinquennium præterlapſum ſit. Quod huic cognitioni præſtitutum eſt SCto quod T. Statilio Tauro & M. Æmilio Lepido Coſſ. A. U. C. 764. poſt N. Ch. 11. factum eſt. *l. 13. D. h. t.*

§. 26. Quod tamen ad extraneos pertinet: namque eos, qui parricidii pœna teneri poſſunt, eodem SCto *ſemper* i. e. intra vicennium, *l. 12. C. ad L. Corn. de falſ.* v. *l. ult. D. ad L. Pompej. de parricid.* accuſare permittitur. *d. l. 13. D. h. t.*

§. 27. Delictum etiam coheredis, coheredi ignoranti vel invito non nocere, nemo non intelligit. *l. ult. D. h. t.*

TITU-

TITULUS VI.

Si Quis Aliquem Testari Prohibuerit, Vel Coegerit. C. VI. 34.

§. 1.

Similiter hereditas tanquam indigno aufertur ei, *Qui aliquem teſtari prohibuit.*

§. 2. Si quis enim, dum captat hereditatem legitimam, vel ex teſtamento, prohibuit teſtamentarium introire, volente eo facere teſtamentum, vel mutare, Divus Hadrianus conſtituit, denegari ei debere actiones, denegatisque ei actionibus Fiſco locum fore. *l. 1. pr. §. 1. 2. D. h. t.*

§. 3. Idem dicendum, ſi quis dolo malo fecerit, ut teſtes non veniant, & per hoc facultas teſtamenti faciendi deficiat. *l. 2. pr. D. h. t.*

§. 4. Sed ſi vir, non per vim nec dolum, quo minus uxor contra eum mutata voluntate codicillos faceret, interceſſerit, &, ut fieri adſolet, offenſam ægræ mulieris maritali ſermone placaverit, in crimen non incidit; nec ei, quod teſtamento fuerat datum, auferendum eſt. *l. ult. D. l. ult. C. h. t.*

§. 5. Plane factum coheredis, coheredi innocenti non nocet. *l. 2. §. 1.* junct. *l. 1. §. ult. D. h. t.*

§. 6. Quod *Si* vero *quis aliquem teſtari coegerit*, teſtamentum ipſo jure nullum eſt: arg. *l. 15. D. de jurisd. l. 1. §. 3. D. de ſerv. corr. l. 20. §. f. D. qui teſt. fac. poſſ. l. 1. C. de SS. Eccl. l. 5. C. de ll.* adeoque eo caſu hereditas non Fiſco, ſed heredibus Legitimis, ab inteſtato ſuccedentibus, competit. arg. *l. 155. D. de R. J.*

TITULUS VII.

De Jure Codicillorum. C. VI. 36.

§. 1.

Cum autem ad cauſam *Teſtamenti* etiam *Codicilli* pertineant, *l. pen. D. teſtam. quemadm. aper. l. 3. §. 25. D. de SCt. Silan. l. 1. §. 2. D. de tab. exhib.* iisque hereditas per fideicommiſſum relinqui poſſit, de *Jure Codicillorum* hoc loco ſubjiciendum viſum eſt.

§. 2. Qui deſcribi poſſunt, quod ſint *Teſtati*, *vel Inteſtati ultima voluntas minus ſolennis, non in hoc comparata, ut ſit teſtamentum. l. 1. & 13. §. 1.* D. *h. t.*

§. 3. Et quidem Jus *Codicillorum* ante Auguſti tempora non fuit in uſu; ſed occaſione Lucii Lentuli, ex cujus perſona etiam fideicommiſſa cœperunt, ob utilitatem maxime peregrinantium, temporibus Auguſti introductum eſt. *pr. I. h. t.*

§. 4.

Digitized by Google

§. 4. Ex quo jus Codicillorum cœpit ſingulare eſſe, ut, quæcunque in his ſcriberentur, perinde haberentur, ac ſi in teſtamento ſcripta eſſent. *l. 2. §. 2. D. h. t.*

§. 5. Quin & receptum, ut *Codicilli* non tantum *Scripti* valerent, ſed & *Non ſcripti* effectum haberent. *l. 13. C. de SS. Eccleſ. l. ult. §. ult. C. h. t.*

§. 6. Ut adeo *Codicilli I.* Sint vel *Scripti*, in quibus ultima voluntas ſcripta eſt; vel *Nuncupativi*, cum viva voce nuncupata eſt. *d. l. 13. C. de SS. Eccleſ. l. ult. §. ult. C. h. t.*

§. 7. *II.* Vel *Teſtato*, vel ab *Inteſtato* facti. *l. 3. pr. l. 8. pr. §. 1. l. 16.* D. *h. t. §. 1. I. h. t.*

§. 8. *Codicilli ab Inteſtato* facti vicem teſtamenti exhibent, ſuisque viribus ſubſiſtunt; & proinde, quicunque Inteſtati ſucceſſor erit, etiam poſtea natus, *Codicillis* relicta præſtabit. *d. l. 3. pr. §. 1. l. 8. pr. §. 1. l. 16. D. h. t.*

§. 9. *Teſtato* vero *facti*, ſive ante teſtamentum, ſive poſt illud ſint compoſiti, vires ex teſtamento accipiunt, & jus ejus ſequuntur. *l. 3. §. ult. l. 16. D. h. t.*

§. 10. Quod &, rejecta ſententia Papiniani, v. *l. 5. D. h. t.* ex Reſcripto Divi Severi & Antonini procedit, licet *Codicilli* teſtamentum præcedentes, teſtamento poſtea facto ſpecialiter non ſint confirmati. *§. 1. I. h. t.*

§. 11. Conveniunt *Codicilli* cum *Teſtamento* in eo, quod *Codicillos* is demum facere poſſit, qui & teſtamentum facere poteſt. *l. 6. §. 3. l. 8. §. 2. D. h. t.* v. *l. 2. §. 3. l. 7. pr. D. eod.*

§. 12. Quod tamen non ita intelligimus, ut exigamus, potuiſſe eum eo tempore, quo ſcribit Codicillos, teſtamentum facere; quid enim, ſi ſufficientium teſtium facultatem non habuit? ſed ut jure teſtamenti factionem habeat. *l. 8. §. 2. D. h. t.*

§. 13. Differunt vero *Codicilli* a *Teſtamentis*, *I.* Quod in *Codicillis* hereditas directo (per fideicommiſſum poteſt) neque dari, neque adimi, & proinde nec exheredatio ſcribi, nec conditio adjici, nec heredi ſubſtitui poſſit. *l. 6. pr. l 10. D. l. 2. C. §. 2. I. h. t.* Tum ne per Codicillos, qui ex teſtamento valerent, ipſum teſtamentum, quod vires per inſtitutionem heredum accipit, v. *§. 34. I. de legat.* confirmari videatur; *l. 10. D. h. t.* tum ne Jus *Teſtamentorum* & *Codicillorum* confundatur. *d. §. 2. I. l. 7. C. h. t.*

§. 14. *II.* Quod *Codicillos* etiam plures, ſi modo ſibi non ſint contrarii, quis facere poſſit: *l. 6. §. 1. D. §. 3. I. l. 3. C. h. t.* licet in prioribus adjecerit, ſeſe alios neque valere velle. arg. *l. 6. §. 2. D. h. t.*

§. 15. *III.* Quod nullam *fere* ſolennitatem ordinationis deſiderent. *§. 3. I. h. t.* Quinque enim teſtes, etiam feminæ, arg. *l. 20. §. 6. D. qui teſt. fac. poſſ. l. 18. D. de teſtib.* eorumque ſubſcriptio, ſi ſcripti ſunt *Codicilli*, unitasque Actus, hic ſufficiunt. *l. ult. §. ult. C. h. t.*

§. 16.

Digitized by Google

§. 16. Quæ ſecus ſeſe habent in teſtamentis; *§. 3.* & *ult. I. de teſtam. ordin.* adeo ut, ſi quædam ſolennia juris deſint, teſtamentum tanquam injuſtum non ſubſiſtat. *l. 1. D. de injuſt. rupt. irrit. teſtam.*

§. 17. Niſi forte adjecta ſit *Clauſula Codicillaris*, qua Teſtator dicit, *Se ſe velle, ut, ſi teſtamentum non valeat tanquam teſtamentum, valeat jure Codicillorum, & Scriptura vim Codicillorum obtineat. l. 41. §. 3 D. de vulg. & pup. ſubſt. l. 3. inſ. D. de teſtam. mil. l. ult §. 1. C. h. t.* add. *l. 29. §. 1. D. qui teſtam. fac. poſſ. l. 88. §. ult. D. de leg. 2.*

§. 18. Quæ Teſtamentum, ratione ſolennitatum, invalidum, in vim Fideicommiſſi ſuſtinet. *d. l. 29. §. 1. D. qui teſtam. fac. poſſ. d. l. ult. §. 1. C. h. t.* Non etiam, quod invalidum eſt ratione voluntatis teſtatoris, exheredationis vel præteritionis, vel non aditæ hereditatis. *l. 25. D. qui teſtam. fac. poſſ. l. 3. D. de vulg. & pup. ſubſt.*

* *

LIBER XXX. XXXI. XXXII.

De Legatis Et Fideicommissis.

C. VI. 37. 42.

§. 1.

Cum vero tam codicillis, *l. 8. §. 1. ult. l. ult. D. de jur. codicill. l. 43. D. de man. teſt.* quam *Teſtamento Legata* & *Fideicommiſſa* relinqui ſoleant, poſt *tit. de Jure Codicillorum*, de *Legatis & Fideicommiſſis*, ſequentibus Libris, tum in genere, tum in ſpecie, late agitur.

§. 2. *Legatum* varie deſcribitur. Secundum Florentinum enim eſt *Delibatio hereditatis, qua teſtator, ex eo quod univerſum heredis foret, alicui quid collatum velit; l. 116. pr. D. de legat. 1.* ſecundum Modeſtinum vero, *Donatio teſtamento relicta: l. 36. D. de leg. 2.* quam ſequitur, ſed plenius exhibet Imp. Juſtinianus, *pr. I. h. t.* cui Legatum eſt *Donatio quædam, a Defuncto relicta, ab herede præſtanda.*

§. 3. Dicitur *Donatio;* quia continet liberalitatem: ſed *Quædam;* quia eſt impropria. *Donatio* enim *propria* non niſi in præſentem & acceptantem confertur; *l. 19. §. 2. D. de don. Legatum* vero plerumque abſenti & ignoranti relinquitur.

§. 4. *A defuncto relicta*; ſcil. directe & immediate: in quo differt a *Fideicommiſſo*, quod etiam a defuncto quidem relinquitur, ſed mediate per heredem.

Digitized by Google

§. 5. *Ab herede præſtanda.* Licet enim Legata ratione *dominii* recta via tranſeant ad Legatarium; *l. 80. D. de leg. 2. l. 64. D. de furt. Poſſeſſio* tamen Legatorum ab herede petenda eſt. *l. 1. §. 2. D. quod legator.*

§. 6. Legatorum genera olim erant quatuor, *per Vindicationem*, *per Damnationem*, *Sinendi modo*, *& per Præceptionem. §. 2. I. h. t.* Ulp. *Fragm. T. XXIV. §. 2.* Caj. *L. II. T. VII. pr.* Theoph. *ad §. 2. I. h. t.*

§. 7. *Per Vindicationem* legabatur, cum dicebat Teſtator: D*o; Lego; Capito; Sumito;* ſive *Habeto.* Ulp. *d. T. XXIV. §. 3.* Caj. *d. T. VII. §. 1.* Quæ Vindicatio dominum faciebat Legatarium, ſimul atque heres adiiſſet, ita ut adverſus quemvis *Actione in Rem* uti poſſet. Theoph. *d. l.*

§. 8. *Per* D*amnationem*, cum dicebat: *Heres meus damnas eſto dare; Dato; Facito; Heredem meum dare jubeo.* Ulp. *d. T. XXIV. §. 4.* Caj. *d. T. VII. §. 2.* Unde naſcebatur *Actio Perſonalis ex Teſtamento.* Theoph. *d. l.*

§. 9. *Sinendi modo*, cum dicebat: *Heres meus damnas eſto ſinere, Lucium, Titium ſumere illam rem, ſibique habere.* Ulp. *d. T. XXIV. §. 5.* Caj. *d. T. VII. §. 6.* Unde ſimiliter competebat *Actio ex Teſtamento.* Theoph. *d. l.*

§. 10. *Per Præceptionem*, cum dicebat: *Lucius, Titius illam rem præcipito,* vel *præcipuam accipito.* Ulp. *d. T. XXIV. §. 6.* Theoph. *d. l.* Quod non niſi uni ex heredibus relinqui poterat, & locum faciebat *Actioni Familiæ erciſcundæ.* Caj. *d. T. VII. §. 7.* Theoph. *d. l.*

§. 11. Sed ſolennitas verborum in ultimis voluntatibus ſublata; *l. 15. C. de teſtam. l. ult. C. qui admitt. ad bon. poſſeſſ. poſſ.* omnibusque legatis eadem natura data eſt. *l. 1. C. comm. de legat. §. 2. I. h. t.*

§. 12. *Fideicommiſſum* eſt, quod non civilibus verbis ſeu directe, ſed obliquis & precative relinquitur. Ulp. *T. XXV. pr.*

§. 13. Idque duplex eſt, *Univerſale, & Particulare* ſeu *Singulare.* arg. *t. I. de fideic. hered, & de ſing. reb. per fideic. relict.*

§. 14. *Fideicommiſſum Univerſale eſt, cum vel tota hereditas, vel pars hereditatis, relinquitur titulo univerſali.* §. *2. I. de fideic. her.*

§. 15. *Particulare* vero ſeu *Singulare*, (de quo hic tantum agitur) *cum res ſingulæ relinquuntur titulo ſingulari. pr. I. de ſing. reb. per fideic. relict.*

§. 16. Inter *Legata* autem & *Fideicommiſſa* olim etiam multum intererat. *I.* In *Legatis* enim verba ſolennia erant neceſſaria; in *Fideicommiſſis* non.

II. Legata relinqui tantum poterant in teſtamento, aut codicillis teſtamento confirmatis; *§. 10. I. de fideic. hered. Fideicommiſſa* etiam codicillis non confirmatis.

III. Legatorum ſtricta; *Fideicommiſſorum* pinguior erat natura. v. Ulp. *T. XXIV. pr. T. XXV. pr.* Caj. *L. II. T. VII. §. 3. I. h. t.*

§. 17. Sed & hæc jure novo mutata, omniaque *Legata*, quemadmodum inter ſe, ita *Fideicommiſſis Singularibus* exæquata ſunt, ut nulla ſunt, ut nulla ſit (quoad effectum)

effectum) inter ea differentia, ſed quod deeſt *Legatis*, hoc jam repleatur ex natura *Fideicommiſſorum*, & ſi quid amplius eſt in *Legatis*, per hoc creſcat *Fideicommiſſorum* natura. *l. 1.* D. *de leg. 1. l. 2. C. comm. de legat. §. 3. I. h. t.*

§. 18. *Legata & Fideicommiſſa relinquere poſſunt*, quicunque teſtandi jus habent: *l. 2.* D. *l. 114. pr. §. 1. D. de leg. 1. l. 1. pr. l. 22. §. 1. D. de leg. 3.* junct. *l. 1. D. de leg. 1.* Non etiam filiifamilias, ſervi, deportati, ſimilesque. *d. l. 1. pr. §. 1. & ſeqq.* D. *de leg. 3.*

§. 19. *Relinqui poſſunt illis*, cum quibus eſt teſtamenti factio, ſc. paſſiva: *§. 24. I. h. t.* Non in metallum damnatis, deportatis, ſimilibusque; *l. 3. pr. D. quæ pro non ſcript. l. 16. D. de interdict. & releg.* exceptis alimentis, quæ relicta præſtanda ſunt. *dd. ll. l. 11.* D. *de aliment. leg.*

§. 20. Incertis perſonis, quas incerta opinione teſtator animo ſubjicit, olim legari non poterat; *§. 25. I. h. t.* Ulp. *T. XXIV. §. 18.* certum enim debet eſſe conſilium teſtatoris. Ulp. *T. XXII. §. 4.* Licet Pauperibus, *l. 24. C. de Epiſc. & Cler.* Civitatibus, *l. 117. 122. D. de leg. 1. l. 12. C. de her. inſt. l. 26. D. ad SCt. Treb.* Vicis, *l. 73. §. 1. D. de leg. 1.* Corporibus & Collegiis licitis relicta rata eſſent. *l. 1. §. 15.* D. *ad SCt. Treb.*

§. 21. Poſtumo etiam alieno, i. e. ei, qui natus inter ſuos heredes futurus non eſt, (quia ſimiliter quodammodo incertus eſt,) inutiliter antea legabatur. *§. 26. I. h. t.*

§. 22. Sed utrumque mutatum eſt; *§. 27. I. h. t.* dummodo in præſens, vel ex futuro eventu certitudo aliqua apparere, & voluntas defuncti exitum habere poſſit.

§. 23. Servo heredis pure inutiliter legatur; §. *32. I. h. t.* vi ipſa enim heredi a ſemet ipſo legatur, quod fieri nequit, cum nemo ſibi ipſi poſſit eſſe creditor & debitor. *l. 18. 116. §. 1.* D. *de legat. 1.* Nec quicquam proficit, ſi vivo teſtatore de poteſtate heredis exierit, propter *Regulam Catonianam. d. §. 32. l. 1. D. de reg. Caton.*

§. 24. Sub conditione vero ſervo legari poteſt; *d. §. 32. I. h. t.* ad conditionalia enim *Regula Catonis* non pertinet. *l. 4. D. de reg. Caton.*

§. 25. Quin autem, herede inſtituto ſervo, Domino ejus recte legetur, non dubitatur; quia per eum ſervum alius heres effici poteſt, quo caſu legatum utile eſt. *§. 33. I. h. t.*

§. 26. *Relinqui poſſunt Legata & Fideicommiſſa ab iis*, ad quos vel ex expreſſa, vel ex tacita voluntate defuncti, aliquid perventurum eſt: *l. 92. §. ult. D. de leg. 1. l. 1. §. 6.* D. *de leg. 3. l. 9. C. de fideic. l. 8. §. 1.* D. *de jur. codicill.* puta ab herede inſtituto, *d. l. 9. C. de fideic.* & ſubſtituto; *l. 74. D. de legat. 1. l. 34. §. ult. D. de vulg. & pup. ſubſt. l. 11. §. 5. D. ad L. Falcid.* nec non ab ipſo Legatario

Digitized by Google

tario & Fideicommiſſario, *pr. I. de ſing. reb. per fideic. rel.* eorumque herede, *l. 5. §. 1. D. de leg. 3.*

§. 27. Ita tamen, ut nemo onerari poſſit ultra, quam ipſi relictum eſt. *§. 1. I. de ſing. reb. per fideic. relict. l. 114. §. 3. l. 122. §. ult. in f.* D. *de leg. 1.*

§. 28. *Legari & per Fideicommiſſum relinqui poſſunt res* omnes, quæ ſunt in rerum natura, vel eſſe poſſunt, & quæ in commercio, *§. 4. I. h. t.*

§. 29 Res vero, quæ in rerum natura non ſunt, neque eſſe poſſunt, legari nequeunt. arg. *§. 1. I. de inut. ſtip.*

§. 30. Sed ſi futuræ ſunt, veluti *Fructus, qui in illo fundo nati erunt*, recte leguntur. *§. 7. I. h. t. l. 24. D. de leg. 1. l. 17. D. de leg. 3.*

§. 31. Quarum rerum legatum *purum* habetur, quoad tranſmiſſionem; *l. 25. §. 1. D. quand. dies leg. ced. l. 99. D. de cond. & dem.* pro *conditionali*, quoad obligationem. *l. 5. D. de trit. vin. ol. l. 1. §. ult.* D. *de cond. & dem.*

§. 32. Si enim nihil natum eſt, nihil debetur: utique ſi fundus *taxationis gratia* adjectus ſit; *d. l. 5. D. de trit. vin. ol. l. 8. §. 2. D. de leg. 2.* ſi vero tantum *demonſtrationis gratia*, ſecus eſt. *l. 12. D. de alim. leg. l. 13. D. de trit. leg. l. 17. §. 1. D. de ann. leg.*

§. 33. Res, *quæ in commercio non ſunt*, vel *abſolute & ſimpliciter* non ſunt in commercio, veluti Campus Martius, Baſilicæ, Templa, quarum rerum legatum prorſus inutile eſt, adeo, ut ne quidem æſtimatio debeatur. *§. 4. I. h. t. l. 39. §. 8. & ſeqq.* D. *de leg. 1.*

§. 34. Vel non ſunt in commercio *certo modo & ſecundum quid*, veluti ædibus juncta, quamdiu juncta ſunt: *l. 41. §. 1. & ſeqq. l. 43. D. de leg. 1.* quarum rerum legatum pure relictum propter *Regulam Catonianam* inutile eſt; ſub conditione, ſi ædibus juncta non ſint, relictum valet. *d. l. 41. §. 2.*

§. 35. Vel ſunt quidem *in commercio quorundam*, ſed non omnium; quo caſu diſtinguendum. Si enim teſtator & heres rei legatæ commercium habeant, Legatarius non habeat, legatum non ſubſiſtit; *l. 49. §. 2. D. de leg. 2.* quia ei, qui dominium acquirere non poteſt, legari nequit: *l. 9. §. ult.* D. *de don.* ſi vero Legatarius rei commercium habeat, legatum valet. *d. l. 49. §. 3.* D. *de leg. 2.* Non obſt. *l. 40. D. de leg. 1.* ubi ſecunda negatio delenda videtur.

§. 36 Quæcunque res itaque ſunt in commercio Legatarii, legari poſſunt, ſive illæ ſint *Corporales*, ſive *Incorporales*; veluti Nomina & Servitutes: *l. 41. pr. D. de leg. 1. §. 21. I. h. t. t. t. D. de uſu & uſufr. leg. t. D. de ſerv. leg.* ſive *Mobiles* ſint, ſive *Immobiles*: ſive teſtatoris *Propria* ſint, ſive *Aliena*. *l. 39. §. 7. l. 40. D. de leg. 1. §. 4. I. h. t.*

§. 37. Lege XII. Tab. quidem de *ſuo* tantum diſponendi poteſtas teſtatori conceſſa eſt; *l. 120. D. de V. S.* ſed, qui legat rem alienam, de *ſuo* legare intelligitur.

§. 38. Debet enim heres eam redimere & præſtare, etiamſi difficilis ejus ſit

paratio.

paratio. *d. l. 39. §. 7. D. de leg. 1.* Vel ſi eam non poteſt redimere, eo quod dominus eam vendere nolit, aut immodicum pretium exigat, *l. 14. §. ult. l. 30. §. ult. D. de leg. 3. l. 71. §. 3.* D. *de leg. 1.* æſtimationem ejus, Judicis arbitrio ſtatuendam, *d. l. 71. §. 3.* D. *de leg. 1.* dare tenetur. *§. 4. I. h. t.*

§. 39. Si tamen defunctus ſciebat (quod legatarius probare debet, *d. §. 4. I. h. t. l. 21. D. de prob.*) rem alienam eſſe; non ſi ignorabat. Forſitan enim, ſi ſciviſſet alienam rem eſſe, non legaſſet, *d. §. 4. I. h. t.* Niſi forte proximæ perſonæ reliquerit, i. e. tali, cui veriſimile ſit quovis modo legaturum fuiſſe. *l. 10. C. de legat.*

§. 40. Quod ſi res aliena legata fuerit, & ejus rei vivo teſtatore Legatarius dominus factus fuerit, ſi quidem ex *Cauſa Onerosa*, puta emtionis, *ex Teſtamento actione* pretium conſequi poteſt; ſi vero *ex Cauſa Lucrativa*, velut ex donatione, agere non poteſt. Duæ enim lucrativæ cauſæ in eundem hominem & eandem rem concurrere non poſſunt. *§. 6. I. h. t. l. 108.* §. 4. *D. de leg. 1. l. 17.* D. *de O. & A.*

§. 41. Ratio eſt, quia, cum res creditoris jam eſſe cœpit, in eum caſum devenit obligatio, a quo incipere non potuit. *§. 10. I. h. t. §. 2. I. de inut. ſtip. §. 14. I. de act.*

§. 42. Diverſa ratio eſt *Cauſæ Oneroſæ*, quia, cui pretium abeſt, ei adhuc res abeſſe videtur. *l. 14.* D. *de V. S.*

§. 43. Unde, ſi ex duobus teſtamentis (ex eodem teſtamento, licet bis relictum, ſemel tantum debetur, *l. 34. §. 1.* D. *de leg. 1.* niſi alia fuerit voluntas teſtatoris, *l. 53. §. 2.* D. *de legat. 1.*) eadem res ſeu ſpecies eidem debeatur, intereſt, utrum *Rem*, an *Æſtimationem*, ex teſtamento conſecutus ſit? Nam ſi *Rem* habet, agere non poteſt, quia habet ex cauſa lucrativa: ſi *Æſtimationem*, agere poteſt. *§. 6. I. h. t.* Ita accip. *l. 34. §. 2.* D. *de leg. 1. Æſtimatio* enim *Re*, non vero *Res Æſtimatione* continetur. *l. 88.* D. *de V. S.*

§. 44. Si quis v. c. fundum communem legaverit, non adjecta portione, ſed *Meum* nominaverit, portio ejus tantum debetur; *l. 5. §. ult.* D. *de leg. 1.* arg. *l. 67. §. 8.* D. *de leg. 2.* ſi vero *Omnem* dixerit, totus debetur. *l. 68. pr.* D. *de leg. 3.*

§. 45. Similiter, ſi quis rem obligatam creditori alicui legaverit, neceſſe habet heres (niſi aliud teſtator voluerit) eam luere ſeu liberare. *§. 5. I. h. t. l. 57.* D. *de leg. 1. l. 6. C. de fideic.* Si modo defunctus obligatam ſciverit; ſi enim neſciverit, Legatarius luere debet: niſi teſtator etiam relicturus fuiſſet, ſi ſciviſſet obligatam. *l. 57.* D. *de leg. 1. l. 6. C. de fideic. l. 10. C. de legat.*

§. 46. Sed ſi rem Legatarii quis ei legaverit, inutile eſt legatum; quia, quod proprium eſt ipſius, amplius ejus fieri non poteſt. *§. 10. I. h. t.* Unde etiam ſtipulatio & emtio rei ſuæ inutilis eſt; *l. 82.* D. *de V. O. l. 16. D. de contr. emt* quia Dominium non niſi ex una cauſa acquiri poteſt. *l. 3. §. 4.* D. *de acq. poſſ.*

Qqq 3 §. 47.

§. 47. Adeo ut, licet Legatarius alienaverit eam, non debeatur, nec ipſa res, nec ejus æſtimatio, *d. §. 10. l. 41. §. 2. D. de leg. 1.* Rejecta ſententia Celſi, quæ extat in *l. 1. §. ult. D. de reg. Cat.*

§. 48. Neque tantum res legari poſſunt, ſed etiam *Facta:* dummodo juri non ſint contraria, *l. 112. §. 3. D. de leg. 1.* & tertio ſint utilia. *l. 114. §. 14. D. eod.* Alias enim tale legatum, tanquam nudum præceptum, & inepta voluntas impune contemnitur. *l. 113. §. 5.* D. *de leg. 1.*

§. 49. Relinqui autem poſſunt *Legata & Fideicommiſſa* non tantum in *Teſtamento*, ſed & *Codicillis. l. 8. §. 1. 5. 6. l. ult. D. de jur. codicill. l. 43. D. de man. teſt.* Non tantum *pure*, ſed & *ſub conditione.* arg. *§. 9. I. de hered. inſtit.* Nec verbis tantum directis & ſolennibus, ſed & quibuscunque aliis: dummodo ex iis de voluntate defuncti conſtare poſſit. *§. 3. I. h. t.*

§. 50. Adeo ut, licet in *nomine* erratum ſit, legatum nihilominus utile ſit. *§. 29. I. h. t. l. 6. D. de reb. cred.*

§. 51. Si quidem erratum ſit in *Nomine proprio*, ſive *Hominis*, puta *Prænomine*, i. e. proprio in ſpecie, *Nomine*, i. e. totius generis, *Cognomine*, i. e. familiæ, vel *Agnomine*, i. e. ab eventu impoſito; *d. §. 29. I. h. t. l. 4. C. de teſtam.* ſive *Rei*, puta, ſi quis fundum *Cornelianum* pro *Semproniano* nominaverit. *l. 4. D. de leg. 1.*

§. 52. Secus enim eſt, ſi erratum ſit in *nomine* rei *appellativo:* puta, ſi, cum *Veſtem* legare vellet, *Supellectilem* dixerit. Quia rerum vocabula naturæ conſona publica ac immutabilia, alia autem mutabilia ſunt. *l. 4. D. de leg. 1. l. 7. §. 2. D. de ſupellect. leg.* add. *l. 5. D. de reb. dub.*

§. 53. An uni res plures, an una eademque res pluribus conjunctim relinquatur, nihil intereſt. Quo caſu, ſi omnes perveniant ad legatum, ſcinditur inter eos legatum, ſeu concurſu partes faciunt. *§. 8. I. h. t. l. 3. pr. D. de uſufr. accreſc. l. 80. D. de leg. 3.*

§. 54. Sed ſi alter deficiat, quia ſpreverit legatum, aut vivo teſtatore (mortuo enim eo cedit dies legati, *l. un. §. 5. C. de cad. toll.* ideoque non ad collegatarium, ſed ad heredes tranſmittit, *l. 5. D. quand. dies leg. ced.*) deceſſerit, vel alio quoquo modo defecerit, totum ad collegatarium pertinet. *d. §. 8. I. h. t. Jure* ſcil. *Accreſcendi*, quod inter omnes conjunctos, etiam eos, qui *verbis tantum conjuncti* ſunt, locum habet. *l. 89.* D. *de leg. 3.* vid. ſupr. *ad t.* D. *de uſufr. accr. §. 2. & ſeqq.*

§. 55. Cavendum tamen, ne legatum conferatur in arbitrium heredis, vel tertii; *l. 43. §. 2. D. de leg. 1. l. 52. D. de cond. & dem.* licet in arbitrium Legatarii conferri poſſit. *l. 65. §. 1. D. de leg. 1. l. 69. D. de cond. & dem.*

§. 56. *Captatoriæ* etiam *ſcripturæ*, quemadmodum locum non habent in hereditatibus, ſic nec in legatis valent. *l. 64.* D. *de leg. 1.*

§. 57.

Digitized by Google

§. 57. *Effectus* autem *Legatorum* & *Fideicommiſſorum* legitime relictorum eſt, quod ea ab herede *Legatariis* & *Fideicommiſſariis* præſtanda ſint. *pr. I. h. t.*

§ 58. Quem in finem *Legatariis* & *Fideicommiſſariis* triplex competit Actio, *Rei* ſcil. *Vindicatio*, *Actio in perſonam ex Teſtamento*, & *Hypothecaria. l. 1. C. comm. de legat. §. 2. I. h. t.*

§. 59. *Rei Vindicatio* naſcitur ex dominio, *l. 23. pr. D. de R. V.* quod recta via tranſit in Legatarium & Fideicommiſſarium; *l. 80. D. de leg. 2. l. 64. D. de furt.* eaque tum locum habet, cum legatum eſt certum corpus, ſeu ſpecies Teſtatoris propria. arg. *l. 54. D. de R. J.*

§. 60. *Actio in Perſonam ex Teſtamento* naſcitur ex quaſi contractu *Aditionis hereditatis; §. 5. I. de obl. quæ quaſ. ex contr.* quæ tantum contra heredem locum habet: *d. §. 5.* & ſi plures ſint, contra ſingulos competit pro partibus hereditariis. *l. 33. pr. D. de leg. 2. l. 17. D. de duob. reis.*

§. 61. *Actio Hypothecaria* vero naſcitur ex jure pignoris, quo omnia bona Teſtatoris Legatariis & Fideicommiſſariis tacite pignori obligata ſunt. *l. 1. C comm. de legat.*

§. 62. Quæ Actiones non tantum ad ipſas res legatas petendas competunt, ſed & ad fructus & acceſſiones, nec non uſuras ex tempore moræ. *l. 39. §. 1. D. de leg. 1. l. 42. D. de uſur. l. 78. §. 2. l. 87. §. 1. D. de leg. 2. l. 1. 2. C. de uſur. & fruct. legat.*

* *

LIBER XXXIII. TITULUS I.

De Annuis Legatis, Et Fideicommissis.

§. 1.

Expoſitis *Legatis* & *Fideicommiſſis in genere*, ſubjiciuntur, ob jus ſingulare, quod in iis obtinet, *Legata* quædam *Specialia*.

§. 2. Quale I. eſt *Annum Legatum & Fideicommiſſum: cum* ſcil. *in ſingulos annos aliquid relinquitur. l. 1. 2. & 4. D. h. t.*

§. 3. Quod vel *Expreſſe* relinquitur, *d. l. 1. 2. 5. & 7. pr. l. 10. pr. l. 12. 13. pr. §. 1. l. 18. pr. §. h. l. 19. pr.* D. *h. t.* vel *Tacite;* veluti, ſi ita legetur, *Attia, donec nubat, quinquaginta damnas eſto heres meus dare.* Licet enim non ſit adſcriptum *in annos ſingulos*, in annos ſingulos tamen relictum intelligitur. *l. 17. pr. D. h. t.* add. *l. 58. §. 1. D. de uſufr.*

§. 4. Eſt autem *Legatum Annuum* non unum, ſed multiplex: *l. 4. & 11. D. h. t. l. un. pr. D. quand. dies uſusfr. leg. ced. l. 10. D. quand. dies leg.* & quidem

dem *primi* anni *purum*, *ſequentium* vero *conditionale*; quia huic legato tacite ineſt conditio, *ſi vivat. d. l. 4. & 11. D. h. t.*

§. 5. Unde & non ſemel, ſed ſæpius hujus legati dies cedit; *primi* ſcil. anni ex die mortis teſtatoris, *ſequentium* vero ex initio ſingulorum annorum. *l. 12. pr. §. 1. 3. D. quand. dies leg. ced.* Et ſi ingreſſu cujuslibet anni deceſſerit Legatarius, ejus anni legatum heredi ſuo relinquit. *l. 8. D. h. t.* Quod in uſufructu non ita eſt; cum Fructuarius, etiamſi maturis fructibus, nondum tamen perceptis, deceſſerit, heredi ſuo non relinquat. *l. 8. D. h. t. §. 36. I. de R. D.*

§. 6. Præſtandum eſt legatum annuum eo loco, qui a teſtatore adſcriptus eſt; vel ſi non adſcriptus ſit, quocunque loco petetur. *l. 1. D. h. t.*

§. 7. Et quidem ea quantitate, quæ a teſtatore expreſſa eſt; licet minus natum ſit. *l. 17. §. 1. D. h. t. l. 12. D. de alim. leg.*

§. 8. Si vero quantitas expreſſa non ſit, id relictum videtur, quod teſtator præſtare ſolitus eſt; vel modus ex facultatibus defuncti, & caritate ac dignitate Legatarii, ſtatuendus. *l. 14. D. h. t. l. 22. D. de alim. leg.*

§. 9. *Finitur* autem hoc legatum *I.* Tempore adjecto, *l. 17. pr. l. 18. pr. D. h. t.*

II. Morte Legatarii: *l. 4. & 8. D. h. t. l. 20. D. quand. dies leg. ced.* licet in *Stipulatione, in annos ſingulos* concepta, ſecus ſit. *l. 16. §. 1. D. de V. O.*

III. Præſcriptione XXX. annorum; ita tamen, ut ſingulorum annorum legatum tanto tempore præſcribi debeat. *l. 7. §. 4. ſ. C. de præſcr. XXX. vel XL. annor.*

§. 10. *II. Menſtruum Legatum, cum in ſingulos menſes aliquid relinquitur:* cujus eadem, quæ *Annui Legati*, ratio eſt. v. *l. 18. §. 1. D. h. t. l. 12. §. 6. D. quand. dies leg. ced. l. 7. §. ult. C. de præſcr. XXX. vel XL. ann.*

TITULUS II.

De Usu, Et Usufructu, Et Reditu, Et Habitatione, Et Operis, Per Legatum, Vel Fideicommissum Datis.

§. 1.

III. Legatum *Uſus:* qui non tantum pactionibus & ſtipulationibus conſtitui, ſed & legari poteſt; *pr. I. de uſu.* junct. *§. 1. I. de uſufr. l. 3. §. 3. D. eod.* & ordinario minus continet, quam *Uſusfructus. §. 1. I. de uſu & hab.*

§. 2. *IV. Legatum Uſusfructus:* qui ſimiliter teſtamento recte relinquitur; *§. 1. I. de uſufr.* dum modo relinquatur *Uſusfructus fundi* vel ſimilis rei, non itineris, actus, viæ, aquæductus: quia *ſervitus ſervitutis eſſe non poteſt. l. 1. D. h. t.* Licet incerti actio ſit cum herede, ut Legatario, quamdiu vixerit, eundi, agendi, ducendi facultatem præſtet. *d. l. 1.*

§. 3.

§. 3. Sive autem *Uſusfructus*, ſive *Fructus annui fundi*, v. c. *Corneliani*, legentur, nihil intereſt; *l. 41.* D. *h. t. l. 20. D. de uſufr.* niſi alia ſit meus teſtatoris. *d. l. 41. l. un. pr. D. quand. dies uſusfr. leg. ced.*

§. 4. Quod Legatum ſimplex eſt, non multiplex, uti *Annuum:* niſi *Uſusfructus alternis annis* legetur: quo caſu non unum, ſed plura legata ſunt. *l. 13. D. h. t.*

§. 5. Sive uni *Uſusfructus* legetur, ſive pluribus, ſimiliter non intereſt. Ubi tamen ſciendum, quod, ſi quis alicui uſumfructum ſeparatum a proprietate relinquere velit, *detracto uſufructu* proprietatem legare debeat, hoc modo: *Titio fundum detracto uſufructu lego; Sejo ejusdem fundi uſumfructum heres dato.* Quod niſi fecerit,, uſusfructus inter eos communicabitur. *l. 19. & 26. §. 1. D. h. t. l. 58. D. de V. O.*

§. 6. Non etiam intereſt, an unius pluriumve rerum uſusfructus relinquatur, an omnium bonorum. *l. 24. & 37. D. h. t.* Quo caſu omnium rerum, etiam Calendarii, uſusfructus ad Legatarium pertinet. *d. l. 37. D. h. t.*

§. 7. Quemadmodum autem *Annuum legatum*, ſic & *Uſusfructus* morte Fructuarii extinguitur. *l. 8. D. de ann. leg.*

§. 8. *V. Legatum Reditus:* quo continetur annua præſtatio fructuum, ex re quadam hereditaria provenientium. *l. 38. D. h. t. l. 6. D. uſufr. quemadm. cav.*

§. 9. Quod a *Legato Uſusfructus* in multis differt; *Reditu* enim *legato*, non Legatarius, ſed Heres fructus percipit, eosque Legatario præſtat. Unde & Heres fundum, cujus reditus legatus, vendere poteſt, neque habitationem Legatario præſtare cogitur. *l. 38. D. h. t.*

§. 10. Quod ſi legatum Civitati relictum eſt, ut ex reditibus quotannis, in ea civitate, memoriæ conſervandæ defuncti gratia, ſpectaculum celebretur, quod illic celebrare non licet, quantitas, quam in ſpectaculum defunctus deſtinavit, non cedit lucro heredum; ſed adhibitis heredibus, & primoribus civitatis, diſpiciendum eſt, in quam rem converti debeat fideicommiſſum, ut memoria teſtatoris alio & licito genere celebretur. *l. 16. D. h. t. l. 4. D. de adm. rer. ad civ. pert.*

§. 11. *VI. Legatum Habitationis:* quod, ſi in ſingulos annos relictum eſt, multiplex eſt, & ab initio cujusque anni debetur. *l. 11. D. h. t. l. 12. §. 1. D. quand. dies leg. ced.* Si vero ſimpliciter, vel *Quoad vivet*, unum eſt legatum, & ſemel tantum dies cedit. *l. 15. pr. D. h. t.*

§. 12. *VII. Legatum Operarum:* quo continetur jus percipiendi omnem utilitatem ex operis alterius, *l. 3. 4. 5. D. de op. ſerv. l. 2. D. h. t.* ſive ſervi, ſive hominis liberi, *l. 2. 3.* D. *h. t.*

§. 13. Cujus legati dies cedit non ex quo adita eſt hereditas, ſed ex die petitionis. *l. 7. D. h. t.*

Digitized by Google

§. 14. Idque capitis deminutione, vel non utendo non amittitur; *l. 2. D. de op. ſerv. l. 2. D. h. t.* & ad heredes tranſmittitur. *l. 2. D. h. t.*

TITULUS III.

De Servitute Legata.

§. 1.

VIII. Legatum *Servitutis*, ſcil. Realis: quo ſenſu *Servitus* ſimpliciter poſita non ſemel accipitur. v. *Inſcr. l. 4. 8. D. de ſervit. l. 2.* D. *ſi ſerv. vind. §. un. in f. I. de reb. corp. & incorp. §. ult. I. de uſu.*

§. 2. Quæ illis demum legari poteſt, quibus utilis eſſe poteſt, prædium ſcil. vicinum habentibus. *l. 1. 2. 3. D. h. t.*

§. 3. Dies autem hujus legati cedit a morte teſtatoris; *l. 3. D. h. t.* junct. *l. un. §. 5. 6. C. de cad. toll.* neque morte Legatarii finitur, ſed ad heredes tranſmittitur. *l. 6.* D. *h. t. l. 4.* D. *de S. P. R.* Quod utrumque in *Uſufructu* legato ſecus eſt. *l. un. §. 2.* D. *quand. dies uſusfr. leg. ced. §. 3. I. de uſufr.*

TITULUS IV.

De Dote Prælegata.

§. 1.

IX. Legatum *Dotis, cum Maritus uxori dotem legat: l. 1. pr.* D. *h. t. §. 15. I. de legat.* quæ non tantum *legari, d. §. 15. I. de legat.* ſed & *prælegari, Inſcr. h. t. l. 77. §. 12.* D. *de leg. 2.* & *relegari* dicitur; *l. 1. pr. §. 1. 2. 11. l. 2. 5.* D. *h. t.* quia reddi potius, quam dari videtur. *d. l. 77. §. 12.* D. *de leg. 2.*

§. 2. Eſt tamen nihilominus utile hoc legatum, quia plenius eſt *Legatum Dotis*, quam *de Dote Actio. d. §. 15. I. de legat.*

§. 3. *I.* Propter repræſentationem in dote pecuniaria; *l. 1. §. 2.* D. *h. t.* quæ olim annua bima trima die, i. e. tribus annuis penſionibus reddebatur: Ulp. *Fragm. T. VI. §. 8.* Jure novo vero annua demum die reſtituitur. *l. un. §. 7. C. de rei uxor. act.*

§. 4. *II.* Quia excludit Pacta Dotalia mulieri damnoſa. *l. 1. §. 1.* D. *h. t.*

§. 5. *III.* Quia ſolutio ejus differri nequit ob donationes in mulierem factas, vel impenſas non neceſſarias. *l. 5.* D. *h. t.*

§. 6. Sed ſi Maritus, quam non accepit, Dotem legaverit, videndum, an ſimpliciter legaverit? Quo caſu inutile eſt legatum; *§. 15. I. de legat.* quia non apparet, quid vel quantum legatum ſit: *l. 75. §. 1.* D. *de leg. 1.* an vero certa pecunia, vel certum corpus, aut inſtrumentum demonſtratum ſit? Quo caſu legatum valet; *d. §. 15. I. de legat. l. 6. §. 1. l. 8.* D. *h.* quia falſa demonſtratio legatum non vitiat, *§. 30. I. de legat. l. 75. §. 1.* D. *de leg. 1.*

§. 7.

Digitized by Google

§. 7. Differt autem a *Dote Relegata*, *Legatum Dotis*; cum non maritus uxori, ſed alius aliquis Virgini vel Viduæ, certam quantitatem, dotis nomine, relinquit. *l. 71.* §. *3.* D. *de cond. & dem.*

§. 8. Quod tacitam in ſe continet conditionem, *ſi nuptiæ ſequantur*: *l. 3. 21. & 41. §. 1. D. de jur. dot. l. 21. D. de V. O.* iisque non ſecutis exſtinguitur. *l. 71. §. 3. D. de cond. & dem.*

TITULUS V.

De Optione Vel Electione Legata.

§. 1.

X. Legatum Optionis ſeu *Electionis* (quæ ſunt ſynonyma, *Inſcr. l. 2. pr. l. 4. & 8. pr. D. h. t. l. 5. pr. D. de leg. 1.*) ubi teſtator ex ſervis ſuis, vel aliis rebus Legatarium rem quandam optare, ſeu eligere jubet. §. *23. I. de legat.*

§. 2. Quod olim in ſe conditionem habebat, ut, niſi ipſe Legatarius vivus optaſſet, ad heredem legatum non transmitteret. *d. §. 23.* Sed Conſtitutione Imp. Juſtiani heredi Legatarii optare etiam licet. *l. ult. C. comm. de leg. d. §. 23. I. de legat.*

§. 3. In qua *l. ult.* & illud conſtitutum eſt, ut, ſi forte plures ſint Legatarii, vel unius plures heredes, & in eligendo diſſentiant ſorte hoc dirimatur: ut unus rem habeat, reliquis portionum ſuarum pretium præſtetur. *d. §. 23.*

§. 4. *Optare* itaque ſeu *eligere poteſt* tum Legatarius, tum heres ejus; *d. l. ult. d. §. 23.* ipſe ſcil. non etiam per procuratorem. *l. 77. & 123. D. de R. J.*

§. 5. Poſt aditam hereditatem; *l. 16. D. h. t.* intra tempus a Teſtatore vel Prætore præfinitum. *l. 6. & 8. D. h. t.*

§. 6. Eſtque hæc Electio liberrima, ut Legatarius id optare poſſit, quod velit, *l. 2. §. 1. D. h. t.* quodque optimum eſt. *l. 9. §. 1. D. de dol. mal.*

§. 7. Ubi autem ſemel optavit, mutare voluntatem amplius non poteſt, quia omne jus legati prima teſtatione conſumſit, *l. 20. & 2. §. 2. 3. l. 3. 4. 5. 10. & 16. D. h. t. l. 5. pr. D. de leg. 1.*

§. 8. Non tantum vero Legatarius eligere poteſt, ſi *Optio* expreſſe legata ſit; ſed & ſi *Homo*, aliave res in *Genere* relicta ſit. *l. 2. §. 1. D. h. t. §. 22. I. de legat.*

§. 9. Quod tamen legatum indiſtincte non procedit.

§. 10. Legatum enim *Generis Summi*, puta *Subſtantiæ*, ut & *Subalterni*, puta *Animalis*, inutile eſt; quia redigi poteſt ad minimum.

§. 11. Legatum vero *Generis Infimi* ſeu *Speciei*, ſi certam determinationem a natura habeat, & utilitatem contineat, qualis eſt *bos*, *equus* &c. valet. v. *l. 15. & 37. D. de leg. 1.*

§. 12. Quod ſi certam determinationem a natura non habeat, uti *fundus*,

Digitized by Google

domus &c. v. *l. 24. §. 3. D. de leg. 1. l. 60. D. de V. S.* videndum, an teſtator talem rem in bonis habeat? & valet: an non habeat? & non valet, ſed magis deriſorium eſt. *l. 69. §. 4. D. de jur. dot. l. 71. pr.* D. *de leg. 1.*

§. 13. Ubi igitur legatum *Generis* valet, electio (etiam cum domus legata eſt, *l. 71. pr. D. de leg. 1.)* quoque Legatarii eſt, non heredis: *l. 2. §. 1. D. h. t. §. 22. I. de legat. l. 108. §. 2. D. de leg. 1.* niſi forte aliud teſtator dixerit, vel voluerit. *d. §. 22. I. de legat. l. 37. §. 1. D. de leg. 1.*

§. 14. Sed hæc electio non eſt libera; id enim, quod optimum eſt, eligere nequit: licet nec id, quod peſſimum eſt, accipere cogatur. *d. l. 37. pr. D. de leg. 1.*

§. 15. Ex quibus differentiæ, inter *Legatum Optionis*, & *Generis*, ſimul manifeſtæ ſunt.

TITULUS VI.

DE TRITICO, VINO, VEL OLEO LEGATO.

§. 1.

Sunt etiam quædam Legata, quæ ſingulari jure cenſentur, tum ex verborum uſu & proprietate, tum ex conſuetudine teſtatoris; ita tamen, ut ante omnia ad voluntatem teſtatoris attendendum ſit. *l. 1. & 9. pr. §. 1. l. 13.* D. *h. t. l. 7. 8.* D. *de ſupell. leg. l. 69.* D. *de leg. 3. l. 35. §. 3.* D. *de her. inſt. l. 12. §. 3. in f. D. de leg. 1.*

§. 2. Tale eſt *I.* Legatum *Tritici*: quod, uti varii generis eſt, *l. 94.* D. *de V. O.* ita omne frumentum continere non videtur. v. *l. 77.* D. *de V. S.*

§. 3. *Si quis vero Tritici modios centum Titio legaverit, qui ſinguli pendeant pondo centum*, legatum inutile eſt; quoniam ejusmodi triticum in rerum natura non eſt. *l. 7. §. 1.* D. *h. t.*

§. 4. *II. Legatum Vini:* quo omne id continetur, quod ex vinea natum vinum permanſit, vel quod teſtator *Vini* nomine habuit. *l. 1. & 9. pr.* D. *h. t.*

§. 5. Non etiam mulſum, zythum, camum, cerveſia, hydromeli, defrutum, cydoneum, nec acetum; niſi & ea Vini numero a teſtatore ſint habita. *l. 9. pr. l. 1.* D. *h. t.* add. *l. 9. §. ult. D. de contr. emt.*

§. 6. Si *Vinum Vetus* legatum ſit, ex uſu teſtatoris legatum æſtimabitur, id eſt, quot annorum vino pro vetere utebatur; quod ſi non appareat, *Vetus* accipiendum, quod non eſt novum, & *anni prioris vinum* appellatione *Veteris* continebitur. *l. 9. §. ult. l. 10. 11. & 12. D. h. t.* add. *l. 10. C. de erog. mil. ann.*

§. 7. Quod *ſi certus numerus amphorarum vini* legatur, ex eo, *quod in fundo Semproniano natum eſſet*, & ibi minus natum ſit, non plus debetur, quam natum eſt; quia *taxationis* vicem obtinent verba, *quod natum erit. l. 5.* D. *h t.*

licet.

licet, ſi in annos ſingulos decem v. c. amphoræ relictæ ſint, ſecus ſit. *l. 13. D. h. t.* v. ſupr. *ad t. de leg. & fideic. §. 31.*

§. 8. Legato vino autem non tantum ipſum vinum continetur, ſed etiam vaſa, ſcil. minora; non etiam majora, quæ per magnitudinem difficile moveri poſſunt. v. *l. 3. §. 1. l. 6. 14. 15. D. h. t.*

§. 9. *III. Legatum Olei:* cujus ſi certum pondus, non adjecta qualitate, legetur, non ſolet quæri, cujus generis oleo uti ſolitus fuerit teſtator, aut cujus generis oleum iſtius regionis homines in uſu habeant; & ideo liberum eſt heredi, cujus velit generis oleum Legatario ſolvere. *l. 4. D. h. t.*

§. 10. Quod ſi vero *Vinum, Oleum, Frumentum, Acetum, Mella, Salſamenta,* ſine quantitate legata ſint, omne, quantum paterfam. reliquit, legatum videtur. *l. 7. pr. D. h. t.*

TITULUS VII.

De Instructo, Vel Instrumento Legato.

§. 1.

IV. **L***egatum Fundi inſtructi:* quo continetur non tantum inſtrumentum agri, ſed & proprium patrisfamilias, omniaque, quæ eo collata ſunt, ut inſtructior eſſet paterfamilias; ſive uſus, ſive ornatus cauſa ibi habeantur: ut ſupellex, menſæ etiam eboreæ, vitrea, aurum & argentum, vinum, oleum, cibaria, veſtis, pædagogium, bibliotheca, imagines, miniſteria, medicamenta &c. *l. 12. §. 27. & ſeqq.* D. *h. t.* quæ ſcil. ibi ſunt eo tempore, quo dies legati cedit. *l. 28. D. h. t. l. 29.* D. *quand. dies leg. ced.*

§. 2. Non etiam res venales; pecunia fœnori deſtinata; *l. 12. §. 30.* D. *h. t. l. 44. D. de leg. 3. l. 1. C. de V. S.* quæ propter tutelam, cuſtodiam, vel ſecuritatem, vel ad tempus eo translata ſunt; *l. 1. 2. C. de V. S. d. l. 12. §. 29. 30. 37.* imagines, quæ in ornatu villæ non fuerunt; frumentum; nec denique vina in horreis repoſita, quibus paterfamilias alibi inſtrueretur. *d. l. 12. §. 36. 39.* D. *h. t.*

§. 3. Niſi fundus *cum omnibus, quæ in eodem erunt,* legatus ſit; quo caſu & hæc præſtanda ſunt. *l. 27. §. 3. D. h. t.*

§. 4. *V. Legatum fundi cum Inſtrumento:* quod tantum comprehendit inſtrumentum fundi ad agriculturam neceſſarium; non vero ſupellectilem, cæteraque, quæ forte in fundo ſunt, quo inſtructior eſſet paterfamilias. *l. 12. §. 15. 16. 27. D. h. t.*

§. 5. *Inſtrumentum Fundi* enim eſt *Apparatus rerum diutius manſurarum, ſine quibus exerceri nequiret poſſeſſio: l. 12. pr. §. 1. & ſeqq. D. h. t.* ſeu, *quod fructus quærendi, cogendi, conſervandi gratia, paratum eſt. l. 8. pr. D. h. t.*

§. 6. *Quærendi;* veluti homines, qui agrum colunt, & qui eos exercent, præpo-

præpoſitive ſunt his: quorum in numero ſunt villici & monitores; præterea boves domiti, & pecora ſtercorandi cauſa parata; vaſaque utilia culturæ, quæ ſunt aratra, ligones, ſarculi, falces putatoriæ, bidentes, & ſi qua ſimilia dici poſſunt.

Cogendi; quemadmodum torcularia, corbes, falceſque meſſoriæ, falces fenariæ, quali vindemiatoria, exceptoriique, in quibus uvæ comportantur.

Conſervandi; quaſi dolia, licet defoſſa non ſint, & cupæ. *d. l. 8. pr. D. h. t.* add. *l. 13. 14. 16. 17. 18.* D. *h. t.*

§. 7. Sed optimum hic eſt, non propriam verborum ſignificationem ſcrutari, ſed imprimis obſervare, quid teſtator demonſtrare voluerit; deinde, in qua præſumtione ſint, qui in quaque regione commorantur. *l. 18. §. 3.* D. *h. t.*

§. 8. *Exſtinguitur* autem hoc Legatum, ut & *Fundi inſtructi*, ſi fundus exſtinctus vel alienatus ſit; *l. 1. §. 1. D. h. t. §. 17. I. de legat.* niſi conſtet, teſtatorem *Inſtrumentum* non tanquam acceſſorium; ſed tanquam principale legaſſe. *l. 5. D. h. t.*

TITULUS VIII.

DE PECULIO LEGATO.

§. 1.

VI. Legatum Peculii ſcil. ſervi: *l. 1. 24. D. h. t.* §. *20. I. h. t.* quod *vel ipſi ſervo* teſtamento manumiſſo expreſſe relinquitur, vel tacite; ſi ſcil. Dominus vivus eum manumiſerit, neque peculium ademerit. *§. 20. I. de legat. Vel Extraneo; d. §. 20.* cui tamen, ſi ſervus ſimpliciter legatus ſit, Peculium non debetur. *l. 24. D. h. t.*

§. 2. Ubi vero *Peculium* legatum eſt, ſine dubio, quicquid peculio accedit, vel decedit vivo teſtatore, Legatarii lucro vel damno eſt. *d. §. 20.*

§. 3. Quod ſi poſt mortem teſtatoris, diſtinguitur. Si enim Peculium *ipſi ſervo* fuerit legatum, omne, quod ante aditam hereditatem accedit, Legatario cedit; quia hujusmodi legati dies ab adita demum hereditate cedit. *l. 8. §. 8. D. h. t. d. §. 20. l. 7. in f. l. 8. D. quand. dies leg. ced.* Si vero *Extraneo*, non item, niſi ex rebus peculiaribus auctum ſit peculium; extraneo enim dies legati cedit ſtatim a morte teſtatoris. *l. 5. §. 1. & ſeqq.* D. *quand. dies leg. ced. l. un. §. 1. 5. 6. C. de cad. toll.*

§. 4. *Si* vero *Servus cum Peculio legatus ſit*, & ſervus vel alienatus, vel manumiſſus, vel mortuus ſit, legatum peculii exſtinguitur. Nam quæ acceſſionum locum obtinent, exſtinguuntur, cum principales res peremtæ ſunt. *l. 1. 2. D. h. t. §. 17. I. de leg. l. 178. D. de R. J.*

TITU-

Digitized by Google

TITULUS IX.

De Penu Legata.

§. 1.

VII. **L***egatum Penus* ſeu *Penoris:* nomen *penus* enim omnibus generibus dictum eſt. *l. 4. §. 3. D. h. t.* Gell. *L. IV. c. 1.* Quo continentur, *quæ in futurum eſui potuique, vel alendi cauſa ſunt; l. 3. 5. pr. D. h. t.* in uſum patrisfamilias, uxoris, liberorum, vel familiæ, amicorum, clientum, & univerſorum, quos circa ſe habet: ut & jumentorum, quæ dominici uſus cauſa comparata ſunt, non quæ agris deſerviunt, vel locantur. *l. 3. pr.* §. *6.* 7. D. *h. t.* Gell. *L. IV. c. 1.*

§. 2. Continentur etiam ſub *Penu* ligna, & *carbones*, cæteraque, per quæ penus conficitur: ut & *thus*, *& cerei*, in domeſticum uſum parati, *l. 3. §. 9. D. h. t.* Gell. *d. l.* nec non *unguentum, odores, chartæ epiſtolares*, & ad ratiunculam vel logarium paratæ. *d. l. 3. §. 10.* D. *h. t.*

§. 3. Quin & *Vaſa penuaria* continentur, ſine quibus penus recte haberi non poteſt. *l. 3. §. ult. l. 4. pr. D. h. t.*

§. 4. Non etiam huc pertinent ea, quæ teſtator promercii cauſa habuit; *l. 4. §. 2. D. h. t.* nec medicamenta; *l. 5. pr.* D. *h. t.* neque dolia, leguminum thecæ, arculæ forte vel ſportæ, aliaque, quæ horrei penuarii, vel cellæ penuariæ inſtruendæ gratia habentur; *l. 3. §. ult. D. h. t.* nec denique inſtrumentum piſtrini, neque vaſa cocinatoria. *l. 6.* D. *h. t.*

§. 5. Quod ſi *Penus ſit legata, & ſi ea non detur, certa pecunia;* penus duntaxat in præſtatione eſt, ſed quantitas etiam peti poteſt. Habebit igitur heres oblationem tamdiu, quamdiu lis cum eo de pecunia conteſtetur; niſi forte aliud tempus, vel mente, vel verbis, teſtator præſtituit. *l. 1.* D. *h. t.*

§. 6. Quod *ſi vero Penus in annos ſingulos una ſumma legata ſit*, & primo penus non ſit præſtita, tota ſumma illico, poſtquam ceſſavit heres penum dare, præſtari debet, heredis indevotione coërcenda. *d. l. 1. in f.* D. *h. t.*

TITULUS X.

De Supellectile Legata.

§. 1.

VIII. **L***egatum Supellectilis:* cujus originem Labeo fuiſſe ait, quod olim his, qui in Legationem proficiſcerentur, locari ſolerent, quæ ſub pellibus uſui forent. *l. 7. pr.* D. *h. t.*

§. 2. Eſt autem *Supellex*, auctore Pomponio, *Domeſticum patrisfamilias inſtrumentum, quod neque argento, aurove facto, vel veſti annumeratur: l. 1. D. h. t.* ſeu

h. t. ſeu uti Tubero volebat, *Inſtrumentum quoddam patrisfamiliæ rerum ad cottidianum uſum paratarum, quod in aliam ſpeciem non caderet; ut verbi gratia penum, argentum, veſtem, ornamenta, inſtrumenta agri, aut domus. l. 7. §. 1. D. h. t.* add. *l. 6. pr. D. h. t.*

§. 2. Unde *Supellectili legata* hæc continentur, *menſa, trapezophora, delficæ, ſubſellia, ſcamna, lecti* etiam inargentati, *culcitæ, toralia, impelia, vaſa aquaria, pelves, aquiminalia, candelabra, lucernæ, trullæ; l. 3. pr. D h. t. vaſa ænea* vulgaria; *d. l. 3. §. 1. capſæ, armaria*, niſi librorum, veſtium, aut armamentorum gratia parata ſunt; *d. l. 3. §. 2. vitrea, eſcaria, & potoria*, ſicut *fictilia; d. l. 3. §. 3. rhedæ & ſedularia; l. 4. D. h. t.* nec non *tapeta, l. 5. pr. D. h. t.* & ſimilia.

§. 4. Non res animales; *l. 2. D. h. t.* penus, veſtis, ornamentum, inſtrumenta agri aut domus; *l. 1. 7. §. 1. l. 10. D. h. t.* quæ ad artificii genus aliquod pertinent, *l. 6. pr.* D. *h. t.* pugillares, codices, libri; *l. 6. §. 1. l. 3. §. 2. D. h. t.* neque vaſa ænea, ſalientis aquæ cauſa poſita. *l. 11. D. h t.*

§. 5. Non etiam priſcis temporibus inſtrumentum ex' auro argentove factum, ſecundum ſeculi ſeveritatem, nondum admittentis ſupellectilem argenteam. *l. 1. 3. §. ult. l. 7.* §. *1. D. h. t.*

§. 6. Sed poſterior ætas ſupellectilem etiam argenteam, imo auream recepit: *l. 7. §. 1. l. 9. §. 1.* D. *h. t.* ut nunc non interſit, cujus materiæ ſint res, quæ ſunt in ſupellectili; *l. 3. §. ult. l. 7.* §. *1. l. 9. §. 1.* D. *h. t.* & pelves, aquiminalia, candelabra, menſæ, lecti, tum argentei, tum aurei, imo & gemmati, *Supellectili* annumerentur. *d. l. 3. §. 3. l. 7. §. 1. l. 9. §. 1. D. h. t.*

§. 7. Plane, quid proprie hujus legati nomine præſtandum ſit, non tam ex uſu aliorum, quam ex ſententia teſtatoris æſtimandum eſt; *l. 7. §. 2. D. h. t.* adeo, ut & error teſtatoris hic jus faciat. *l. 3. §. ult.* D. *h. t.*

§. 8. Niſi forte ea, de quibus non ambigeretur, quin in alieno genere eſſent, *Supellectili* adſcripſerit; quæ hoc legato non continentur. Non enim ex opinionibus ſingulorum, ſed ex communi uſu nomina exaudiri debent. *d. l. 7. §. 2. D. h. t.*

✡ ✡ ✡

LIBER

Digitized by Google

* *

LIBER XXXIV. TITULUS I.

De Alimentis, Vel Cibariis Legatis.

§ I.

Singularem etiam interpretationem recipiunt Legata quædam favorabilia, puta *Alimentorum* & *Cibariorum*.

§. 2. Si *Alimenta* fuerint legata, non tantum aqua debetur, (ſi ſcil. in ea regione, veluti Africa, Ægypto, *l. 14. §. 3.* D. *h. t.* fuerint legata, ubi aqua venundari ſolet,) *l. 1. D. h. t.* ſed & Cibaria, & veſtitus, & habitatio; quia ſine his ali corpus non poteſt. *l. 6.* D. *h. t.*

§. 3. Cætera, quæ ad diſciplinam pertinent, legato non continentur; niſi aliud teſtatorem ſenſiſſe probetur. *d. l. 6. 7.* D. *h. t. l. 12. D. de leg. 3.* Licet in *Alimentis* liberis & pupillis præſtandis ſecus ſit. *l. 5. §. 12. D. de agn. & al. lib. l. 6. §. 5. D. de Carbon. ed. l. 12. §. 3. D. de adm. tut. l. 4. D. ubi pup. educ. deb. l. 2. C. de alim. pup. præſt.*

§. 4. Præſtantur alimenta omnibus, quibus relicta ſunt, etiam incapacibus, velut in metallum damnatis, *l. 11. D. h. t. l. 3. pr. D. de his quæ pro non ſcript. hab.* & ſervis teſtatoris propriis. *l. 17. D. h. t.*

§. 5. Præſtantur ea quantitate, quam teſtator expreſſit; licet in fundis, quos teſtator ſimul pignoris cauſa obligavit, minus natum ſit. *l. 12. D. h. t.* v. ſupr. ad *t. de ann. leg. §. 7.*

§. 6. Quod ſi quantitas non ſit adjecta, ante omnia inſpiciendum eſt, quæ defunctus ſolitus fuerat ei præſtare; deinde quid cæteris ejuſdem ordinis reliquerit: ſi neutrum apparuerit, tum ex facultatibus defuncti & caritate ejus, cui legatum vel fidei commiſſum datum eſt, modus ſtatuendus eſt. *l. 22. pr. D. h. t. l. 14. D. de ann. leg. l. 8. §. 10. D. de tranſact.* add. *l. 10. §. ult. D. h. t.*

§. 7. Præſtantur autem tamdiu, quamdiu teſtator voluit, &, ſi non patet, quid ſentiat, per totum tempus vitæ debebuntur. *l. 14. pr. D. h. t. l. 8. §. 10. D. de tranſact.*

§. 8. Si vero *usque ad pubertatem Alimenta relinquantur*, ſciendum, Hadrianum conſtituiſſe, ut pueri usque ad decimum octavum, puellæ usque ad quartum decimum annum alantur. Etſi enim generaliter pubertas non ſic definiatur. v. *pr. I. quib. mod. tut. fin.* tamen pietatis intuitu, in ſola ſpecie *Alimentorum*, hoc tempus ætatis eſſe obſervandum non eſt incivile. *l. 14. §. 1. D. h. t.*

§. 9. Illud etiam hic ſingulare eſt, quod de *Alimentis Legatis*, non niſi

Digitized by Google

Prætore auctore tranſigere liceat. *l. 8. pr. §. 1. & ſeqq. D. de tranſact.* v. ſupr. *ad d. t. §. 17. & ſeqq.*

§. 10. Sive autem *Alimenta* relinquantur, ſive *Educatio*, v. *l. f. D. h. t.* ſive *Victus* legetur, nihil intereſt; verbo *Victus* enim continentur, quæ eſui, potuique, cultuique corporis, quæque ad vivendum homini neceſſaria ſunt: ut & veſtis, & cætera, quibus tuendi curandive corporis noſtri gratia utimur, ea appellatione ſignificentur. *l. 43. 44. & 234. §. 2. D. de V. S.*

§. 11. Sed ſi *Diaria* vel *Cibaria* relicta ſint, neque habitatio, neque veſtiarium, neque calciarium debetur; quoniam de *cibo* tantum teſtator ſenſiſſe videtur. *l. 21. D. h. t.*

TITULUS II.

De Auro, Argento, Mundo, Ornamentis, Unguentis, Veste Vel Vestimentis, Et Statuis Legatis.

§. 1.

Sunt denique Legata, quæ interpretationem recipiunt ex varietate circumſtantiarum, quale eſt *I. Legatum Auri, & Argenti.*

§. 2. Quo *ſimpliciter* legato continetur, quicquid auri argentique relictum eſt, ſive id factum, ſive infectum ſit; *l. 19. pr. D. h. t.* quia ea, quæ talis naturæ ſunt, ut ſæpius in ſua redigi poſſint initia, materiæ potentia victa, nunquam vires ejus effugiunt. *l. 78. §. 4. D. de leg. 3.*

§. 3. Non etiam pecunia ſignata; quia nemo facile auro vel argento nummos computat, & pecunia publica forma percuſſa in aliam ſpeciem quodammodo tranſit: *l. 19. pr. l. 27. §. 1. 4. D. h. t.* arg. *l. 9. §. 3. D. ad exhib.* niſi evidenter contra ſenſiſſe teſtatorem appareat. *d. l. 27. §. 1.*

§. 4. Similiter ſub *Auro* non continentur inaurata, nec aurea emblemata, quæ ſunt in abſidibus argenteis; *l. 19. §. 6. D. h. t.* neque ſub *Argento* lecti argentei, vel ſi qua alia ſuppellex argentea fuit: ſi modo non in *Argenti* numero habita ſint. *l. 19. §. 8. l. 32. §. 1. D. h. t.*

§. 5. Si *Aurum* vel *Argentum Factum* legatum ſit, omne ad eum pertinet, cui legatum eſt, ex quo auro vel argento aliquid effectum eſt; ſive id ſuæ, ſive alterius uſionis cauſa paratum eſt, veluti vaſa aurea & argentea, emblemata, ſigna, aliaque his ſimilia, quæ ſupellectilis non ſunt. *l. 27. §. 4. l. 19. §. 9. D. h. t.*

§. 6. *Aurum* enim & *Argentum Factum* eſt, quod neque in maſſa, neque in lamina, neque in ſignato, neque in ſupellectili, neque in mundo, neque ornamentis ineſt; quoque commode uti poſſumus. *l. 27. §. 6. 3. D. h. t.*

§. 7. Unde & ſi aurum vel argentum fractum aut colliſum ſit, ut eo uti non poſſimus, ſub *Auro* vel *Argento Facto* non continebitur. *d. l. 27. §. 3. D. h. t.*

§. 8. Si

§. 8. Si vero *Infectum* legatum ſit, id ad Legatarium pertinet, quod ita factum eſt, ut eo non poſſis uti ſine refectione, quodque patrifamilias *infecti* nomine fuit. *l. 27. §. 4.* D. *h. t.*

§. 9. *Auri* enim & *Argenti Infecti* appellatio rudem materiam, i. e. non factam, continet. *l. 19. §. 11.* D. *h. t.*

§. 10. Quod ſi *Aurum* vel *Argentum Signatum* legatum eſt, id paterfamilias videtur legaſſe, quod ejus aliqua forma eſt expreſſum; veluti, quæ Philippi ſunt, itemque nomismata ſimilia. *d. l. 27. §. 4. D. h. t.*

§. 11. Si quis *Aurum* vel *Argentum* legaverit, *quod ſuum eſt*, legatum videtur, quod teſtamenti tempore ejus fuit; non etiam, quod in credito eſt: quia non videtur *ſuum* eſſe, quod vindicari non poteſt. *l. 7. & 27. §. 2. l. 34. pr. D. h. t.*

§. 12. Si vero *Certum pondus auri vel argenti* legatum ſit, ſi non certa ſpecies deſignata ſit, non tam materia, quam pretium præſentis temporis, ſeu quantitas legata videtur. *l. 1. §. 1. l. 7. & 19. §. 2. D. h. t.*

§. 13. *II. Legatum Mundi muliebris:* quo ſcil. mulier (ſive infans, ſive puella, ſive virgo ſit, *l. 25. §. 9. D. h. t.*) mundior fit. *l. 25. §. 10. D. h. t.* Quo continentur *ſpecula*, *matulæ*, *unguenta*, (quibus ſcil. voluptatis cauſa unguntur fœminæ, *l. 21. §. 1. D. h. t.* Eſther. XI, 12.) *vaſa unguentaria*, & ſi qua ſimilia dici poſſunt, veluti *lavatio*, *riſcus*, *l. 25. §. 10.* D. *h. t.* ut & argentum balneare. *l. 32. §. 7.* D. *h. t.*

§. 14. Non etiam ornamenta, Tertull. *de Hab. Muliebr. c. 3.* monilia, annuli & veſtes: *d. l. 32. §. 7.* quoniam mulier munda eſſe poteſt, licet non ſit ornata, & contra. *l. 25. §. 10. D. h. t.*

§. 15. *III. Legatum Ornamentorum:* qualia ſunt, quibus mulieres venuſtatis & ornatus cauſa utuntur. Veluti *inaures*, *armillæ*, *viriolæ*, *annuli*, præter ſignatorios, & omnia, quæ ad aliam rem nullam parantur, niſi corporis ornandi cauſa: quo ex numero etiam hæc ſunt, *aurum*, *gemmæ*, *lapilli*, quia nullam aliam in ſe utilitatem habent; *vittæ*, *mitræ*, *ſemimitræ*, *calautica*, *acus cum margarita*, *reticula*, *crocuſantia*, & ſimilia. *l. 25. §. 10. l. 32. §. 8. 9. D. h. t.*

§. 16. Sed annuli ſignatorii, lapilli, margaritæ, & gemmæ rudes, *Ornamentorum* loco non fiunt; niſi alias mens fuerit teſtantis. *l. 25. §. 10. 11. D. h. t.* Neque veſtes *Ornamentorum* appellatione continentur, adeo ut ne error quidem jus heredis mutare queat. *l. 37. D. h. t.*

§. 17. *IV. Legatum Unguentorum:* quo omnia continentur unguenta, non tantum ea, quibus ungimur voluptatis cauſa, ſed & munditiei & valetudinis; qualia ſunt *commagena*, *glaucina*, *crina*, *roſa*, *mura*, & *nardum purum*. *l. 21. §. 1. D. h. t.*

§. 18. *V. Legatum Veſtis, vel Veſtimentorum: Veſtis* enim an *Veſtimenta* legentur nihil refert. *l. 23. D. h. t.*

§. 19. *Veſtimentorum* autem ſunt omnia lanea, lineaque, vel ſerica, vel bombucina,

Digitized by Google

bucina, quæ induendi, præcingendi, amiciendi, inſternendi, injiciendi, incubandive cauſa parata ſunt; & quæ his acceſſionis vice cedunt, quæ ſunt inſitæ picturæ, clavique, qui veſtibus inſuuntur. *l. 23. §. 1. ult. l. 24. 25. pr. §. 1. 3. 4. 5. 7. D. h. t.*

§. 20. Eaque aut *Virilia* ſunt, aut *Puerilia*, aut *Muliebria*, aut *Communia*, aut *Familiarica*. *l. 23. §. 2.* D. *h. t.*

§. 21. *Virilia* ſunt, quæ ipſius patrisfamilias cauſa parata ſunt, veluti *togæ, tunicæ, palliola, veſtimenta, ſtragula, amfitapa, ſaga*, reliquaque ſimilia. *d. l. 23. §. 2.*

§. 22. *Puerilia*, quæ ad nullum alium uſum pertinent, niſi puerilem, veluti *togæ prætextæ, aliculæ, chlamydes, pallia*, quæ filiis noſtris comparamus. *d. §. 2.*

§. 23. *Muliebria*, quæ matrisfamilias cauſa ſunt comparata, quibus vir non facile uti poteſt ſine vituperatione; v. Deut. XXII, 5. veluti *ſtolæ, pallia, tunicæ, capitia, zonæ, mitræ*, quæ magis capitis tegendi, quam ornandi cauſa ſunt comparatæ, *plagulæ, penulæ. d. §. 2.*

§ 24. *Communia*, quibus promiſcue utitur mulier cum viro, veluti, ſi ejusmodi *penula palliumve* eſt, & reliqua hujusmodi, quibus ſine reprehenſione vel vir vel uxor utatur. *d. §. 2.*

§. 25. *Familiarica* denique ſunt, quæ ad familiam veſtiendam parata ſunt; ſicuti *ſagæ, tunicæ, penulæ, lintea, veſtimenta, ſtragula*, & conſimilia. *d. l. 23. §. 2. D. h. t.*

§. 26. In quibus tamen maxime ad mentem teſtatoris; *l. 33. D. h. t.* nec non ad conditionem & qualitatem Legatarii, attendendum eſt. *l. 39. D. h. t. l. pen.* D. *de alim. leg.*

§. 27. *VI. Legatum Statuarum:* quo non tantum ipſæ ſtatuæ continentur, ſed & earum acceſſiones; veluti, ſi ex alia ſtatua brachium adjectum ſit. *l. 14. D. h. t. l. 23. §. 2. D. de R. V.* Quod & in *Imaginibus* obtinet. *l. 12. D. h. t.*

TITULUS III.

DE LIBERATIONE LEGATA.

§. 1.

VII. **L***egatum Liberationis*: cum debitori legatur id, quod teſtatori debet. *l. 1. pr. l. 3. pr. D. h. t. §. 13. I. de legat.*

§. 2. Quod, licet debitor dominus ſit ejus, quod debetur, & legatum rei ſuæ non valeat, *§. 10. I. de leg.* nihilominus utile eſt; *l. 1. pr. l. 3. pr.* D. *h. t. §. 13. I. de legat.* non enim tam conſideratur id, quod debetur, quam obligatio, quæ in bonis eſt creditoris. *l. 49. & 143. D. de V. S.*

§. 3. Non

Digitized by Google

§. 3. Non tantum ſi *expreſſe* relinquatur; v. *l. 1. pr. l. 15. D. h. t.* ſed & ſi *tacite:* quod factum cenſetur, ſi teſtator chirographum debitori dederit, vel legaverit. *l. 3. §. 1. D. h. t. l. 44. §. 5. D. de leg. 1. l. 59. D. de leg. 3.*

§. 4. Non etiam, ſi res pignori data debitori legata ſit; quo caſu debitor quidem actionem habet ad pignus recipiendum, priusquam pecuniam ſolvat, ſed ipſum debitum non lucratur: niſi alia ſit voluntas teſtoris. *l. 1. §. 11. D. h. t.*

§. 5. Cujus legati *effectus* eſt, ut heres teſtatoris neque a debitore, neque ab herede ejus, neque alio, qui heredis loco eſt, cum effectu petere poſſit, ſed petens per exceptionem (ipſo jure enim obligatio non tollitur) repellatur. *l. 3. §. 3. D. h. t. §. 13. I. de legat.*

§. 6. Sed & poteſt heres teſtatoris conveniri a debitore, ejusque herede, ut liberet eum per acceptilationem *l. 3. §. 3. l. 22. D. h. t. §. 13. I. de legat.*

§. 7. Dummodo verba liberationis in rem collata ſint. *l. 8. §. 4.* D. *h. t.* Si enim teſtator *a ſolo Lucio Titio peti* vetuerit, id heredi Lucii Titii non prodeſt; quotiens enim cohæret perſonæ id, quod legatur, veluti perſonalis ſervitus, ad heredem ejus non tranſit. *d. l. 8. §. 3. D. h. t.*

§. 8. Neque etiam neceſſe eſt, ut in perpetuum *Liberatio* legetur; ſed & damnari poteſt heres, ne ad certum tempus a debitore petat: *l. 8. §. 1. D. h. t. §. 13. I. de legat.* quo tamen caſu intra id tempus debitorem liberare non compellitur. *d. l. 8. §. 1. D. h. t.*

§. 9. Quemadmodum autem creditor debitori legare poteſt, quod ſibi debetur, ſic & *debitor creditori recte legat, quod ipſi debet;* dummodo plus ſit in legato, quam in debito: *§. 14. I. de legat. l. 11. D. h. t.* Debet enim legatum ſemper aliquid utilitatis continere; *l. 29.* D. *de leg. 1. l. 1. §. 10. D. ad L. Falcid.* cæteroquin enim non ex teſtamento ſed ex priſtina obligatione agitur.

§. 10. Eſt autem plus in legato, quam in debito, ſi id, quod in diem, vel ſub conditione debetur, pure legatur, propter *repræſentationem, §. 14. I. de legat. l. 14. D. h. t.* i. e. ſolutionem ante tempus faciendam; *l. 8. §. 6. D. de tranſact. l. 36. §. 1. D. de cond. & dem. l. 24. §. 2. D. ſol. matr. l. 1. §. 2. D. de dot. prælegat. l. 3. §. 5.* D. *de Carbon. ed.* Suet. *in Aug. c. ult.* vel ſi creditori, tutus adverſus eum exceptione, legat quod debet; *l. 13.* D. *h. t. l. 28. pr.* D. *de leg. 1.* vel alio modo *Actio Legati* melior eſt. v. *l. 28. 29.* D. *de leg. 1.*

§. 11. Imo poſt *l. 1. C. comm. de legat.* qua legatorum nomine hypotheca datur in bonis defuncti, tale legatum plerumque utile eſt.

§. 12. Licet etiam vivo teſtatore dies venerit, vel conditio exiterit, nihilominus utile eſt legatum, quia ſemel conſtitit. *l. 5.* D. *ad L. Falcid.* Non enim placuit ſententia Pauli, v. *l. 82. pr.* D. *de leg.* 2 aliorumque, exiſtimantium extinctum eſſe legatum, quia in eam cauſam pervenerit, a qua incipere non poteſt. *§. 14. I. de legat.* Ubi jus eſt noviſſimum.

Digitized by Google

§. 13. Quin & valet *Legatum debiti, cum teſtator tertio legat, quod ſibi v. c. Titius debet.* *l. 21. pr. D. h. t. §. 21. I. de legat. l. 75. §. 1. 2. D. de leg. 1.* Quod in ſpecie legatum *Nominis* dici ſolet. *l. 44. §. 6. D. de leg. 3. l. 18. C. de legat.*

§. 14. Quo legato continetur, ut actiones ſuas adverſus debitorem heres Legatario præſtet, *d. §. 21. I. de legat. l. 44. §. 6. l. 75. §. 2.* D. *de leg. 1.* Ulterius non obligatur. *l. 105.* D. *de leg. 1.* *Utilibus* tamen Legatarius, etiam non expectata ceſſione actionum directarum, ſuo expecta ceſſione actionum directarum, ſuo nomine experiri poteſt. *l. 18. C. de legat.*

§. 15. Niſi ſine neceſſitate exegerit vivus teſtator pecuniam, nam hoc caſu legatum exſtinguitur; *d. §. 21 I. de legat. l. 75. §. 2. D. de leg. 1.* perinde ac ſi rem legatam alienaſſet. *l. 11. §. 12. 13.* D. *de leg. 3.* Idemque juris eſt, ſi debitor teſtatori ultro ſolvit, quia utroque modo legati ſubſtantia perit: *d. §. 13. l. 22. D. h. t.* niſi forte utroque caſu teſtator pecuniam pro depoſito ſervaverit. *d. l. 11, §. 13. D. de leg. 3.*

TITULUS IV.

DE ADIMENDIS VEL TRANSFERENDIS LEGATIS, VEL FIDEICOMMISSIS.

§. 1.

Semel autem data legata non raro *exſtinguuntur*, *adimuntur*, vel *transferuntur*.

§. 2. *Exſtinguuntur*, *I.* Si res legata ex alia cauſa lucrativa ad Legatarium pervenerit. §. *6. I. de legat.*

II. Si res legata ſine facto heredis perierit, vel commercio hominum exemta ſit. *§. 16. I. de legat. l. 36. §. ult. l. 47. §. ult. D. de leg. 1.*

III. Si conditio defecerit. *l. un. §. 2. 4. 7. C. de cad. toll.*

IV. Si teſtamentum ruptum vel irritum ſit. *l. 17. D. de injuſt. rupt. irr.* Sed ſi reſciſſum ſit per *Querelam inofficioſi*, jure novo ſecus eſt. *Nov. 115. c. 3. §. ult. c. 4. §. ult. Auth. Ex cauſa. C. de lib. præter.* junct *l. 8. §. pen. l. 28.* D. *de inoff. teſt.*

V. Si Legatarius ante teſtatorem mortuus ſit. *l. un. §. 2. C. de cad. toll.*

§. 3. *Adimuntur* vel *Ipſo Jure*, vel *Ope Exceptionis.*

§. 4. *Ipſo Jure*, cum teſtator eodem teſtamento, vel codicillis teſtamento confirmatis, voluntatem de adimendo legato, vel parte ejus, v. *l. 2. pr. §. 1. 2.* D. *h. t* expreſſe declarat; *pr. I. h. t.* ambulatoria enim eſt voluntas defuncti usque ad vitæ ſupremum exitum. *l. 4. & 6. §. 2. l. 17. D. h. t. l. 12. §. 3.* D. *de leg. 1.* neque poteſt aliquis ſibi eam legem ponere, ut a priore voluntate ei recedere non liceat. *l. 22. pr.* D. *de leg. 3.*

§. 5. Id-

Digitized by Google

§. 5. Idque non tantum procedit, ſi teſtator contrariam voluntatem *verbis*, ſed etiam ſi *factis* eam declaraverit: veluti, ſi legatum induxerit; *l. 16. D. h. t.* rem legatam deſtruxerit; *l. 65. §. 2.* D. *de leg. 1.* in aliam formam mutaverit, ut ad priſtinam ſpeciem reduci nequeat, *l. 88. §. 2.* D. *de leg. 3.* nulla urgente neceſſitate diſtraxerit; *§. 12. I. de legat.* alii donaverit; *l. 18.* D. *h. t.* vel nomen legatum exegerit. *§. 21. I. de legat.*

§. 6. *Ope Exceptionis* vero adimuntur legata, ſi quid contigerit, ob quod ademtio præſumi debeat: veluti, ſi inimicitiæ capitales interceſſerint, neque reconciliatio ſecuta ſit; *l. 3.* §. *ult. l. 4. D. h. t.* vel teſtator codicillis teſtamento non confirmatis, *l. 4. §. 10.* D. *de dol. mal. & met. except.* aliove modo, coram duobus teſtibus, vel in ſchedula, contrariam voluntatem teſtatus ſit. arg. *d. l. 3.* §. *ult. l. 13.* D. *h. t. l. 27. C. de fideic.* junct. *l. 12. D. de teſtib.*

§. 7. *Transferuntur* autem legata fere quatuor modis: aut enim *I. a Perſona in Perſonam* transfertur legatum; aut *II. ab eo, qui dare juſſus eſt*, transfertur, *ut alius det*; aut *III.* cum *Res* pro *Re* datur, ut pro fundo decem aurei; aut *IV.* quod *Pure* datum eſt, transfertur ſub *Conditione; l. 6. pr. D. h. t.* aut contra. *l. 89. D. de cond. & dem.*

§. 8. Ubi vero a *Perſona* in *Perſonam* translatio fit, veluti, ſi ita quis dixerit, *quod Titio legavi, id Sejo do lego*, ſimul tacita ademtio intercedit, idque, quod *Titio* relictum erat, *Sejo* dari videtur: *l. 5. D. h. t. §. 1. I. h. t.* licet in eum, cum quo non eſt teſtamenti factio, translatio facta ſit. *l. 20. D. h. t.*

TITULUS V.

De Rebus Dubiis.

§. 1.

Sed & ob varias cauſas, legata quandoque ſunt inutilia, ut effectum non habeant; & quidem *I. Si res ſit dubia.*

§. 2. Quod maxime contingit *ob dubium & ambiguum ſermonem teſtatoris.* Qui, ſi adeo dubius & ambiguus ſit, ut nullo modo intelligi poſſit, nihil debetur: quæ enim in teſtamento ſcripta ſunt, neque intelliguntur, quid ſignificent, ea perinde ſunt, ac ſi ſcripta non eſſent. *l. 2.* D. *de his quæ pro non ſcript. hab.*

§. 3. Idem eſt, ſi teſtator aliud dixerit, vel ſcripſerit, quam voluit; in ambiguo ſermone enim non utrumque dicimus, ſed id duntaxat, quod volumus. Itaque, qui aliud dicit, quam vult, neque id dicit, quod vox ſignificat, quia non vult, neque id, quod vult, quia non loquitur. *l. 3. D. h. t.*

§. 4. Adeo ut, licet utcunque conſtet de voluntate teſtatoris, ſi tamen verba

ad

Digitized by Google

ad eam accommodari nequeant, voluntas quoque deficiat. *l. 4. pr. D. de leg. 1. l. 7. §. 2. D. de ſupell. leg.*

§. 5. Si vero ſermo ambiguus commodam recipiat interpretationem, humaniorem ſententiam ſequi oportet; *l. 10. §. 1. l. 24.* D. *h. t. l. 56.* D. *de R. J.* & id agendum, ut res, de qua agitur, magis valeat, quam pereat. *l. 12.* D. *h. t. l. 67.* D. *de R. J.*

§. 6. Adeoque ſecundum id, quod credibile eſt cogitatum, credendum, *l. 24.* D. *h. t.* & ad voluntatem uſumque teſtatoris maxime attendendum eſt: licet quodammo improprie, & minus apte, vel imperite locutus ſit. *d. l. 24.* D. *h. t. l. 3. §. ult.* D. *de ſupell. leg. l. 50. §. ult.* D. *de leg. 1. l. 18. §. 3.* D. *de inſtr. vel inſtrum. leg. l. 19.* D. *de cond. & dem.* v. ſupr. *ad t. de trit. vin. vel ol. leg. §. 1. & ad t. de ſupell. leg. §. 7. 8.*

§. 7. Sed ſi non conſtet de voluntate teſtatoris, ſignificationem verborum ſequi oportet; *l. 69. pr.* D. *de leg. 3.* quia præſumitur teſtator ſecundum conſuetudinem locutus fuiſſe. *l. 7. §. 2. in f.* D. *de ſupell. leg.*

§. 8. Non tantum autem ob ſermonem ambiguum res dubia eſt, ſed & *ob alias ſæpe circumſtantias.*

§. 9. Ut puta, ſi *ambiguitas* ſit *circa perſonam Legatarii*, ut non conſtet, cui legatum relictum ſit. Quod contingit *I.* Si perſonæ prorſus incertæ legatum ſit. v. *§. 25. 27. I. de legat.*

II. Si legatum relictum ſit ex cognatis, *qui primus Capitolium aſcenderit*, & duo ſimul veniſſe dicantur; ut non appareat, quis prior venerit. *l. 10. pr. D. h. t.*

III. Vel *ei*, *qui monumentum fecerit*, & plures fecerint. *d. pr.*

IV. Vel *ei*, *qui maximus natu eſt*, & duo pares ætate ſint. *d. pr.*

V. Si legatum relictum ſit *Sempronio* amico, & duo ſint æqua caritate conjuncti. Quibus ſimilibusque caſibus legata impediuntur. *d. l. 10. pr. l. 27. D. h. t.*

§. 10. Quemadmodum & ambiguitas naſcitur, ſi duo ſimul mortui ſint, nec appareat, quis ſupervixerit? Quo caſu fere eodem tempore mortui, neque alter alteri ſupervixiſſe cenſetur, v. *l. 8. 16. 17. 18. pr.* D. *h. t.*

§. 11. Niſi libertus cum filio ſimul perierit; qui filio ſupervixiſſe creditur, reverentia patronatus. *l. 9. §. 2 D. h. t.* Vel pater, vel mater, naufragio, ruina, aliove modo, una cum filio occubuerit; quo caſu, ſi filius *pubes* fuerit, filius intelligitur ſupervixiſſe patri; ſi vero *impubes*, pater creditur ſupervixiſſe filio. *l. 9. §. ult. l. 22. 23.* D. *h. t. l. 26. pr. D. de pact. dot.* add. *l. 17. §. 7. l. 34.* D. *ad SCt. Treb.*

TITULUS VI.

De His Quæ Poenæ Causa Relinquuntur.

C. VI. 41.

§. 1.

II. Inutile erat *Legatum, Pœnæ cauſa ſeu nomine relictum:* quod ſcil. coërcendi heredis cauſa relinquitur, quo magis aliquid faciat, vel non faciat. Ulp. *Tit. XXIV. §. 17. §. 36. I. de legat. l. un. C. h. t.*

§. 2. Si enim pœna adjiciatur Legatarii cauſa, ut eo facilius legatum obtineat: v. *l. 1. D. de pen. leg. l. 1. §. 8.* D. *ad L. Falc. l. 19. D. quand. dies leg. ced.* vel etiam teſtatoris gratia, ut provocetur heres ad faciendum id, quod teſtator voluit; v. *l. 6. 27.* D. *de cond. & dem.* non eſt legatum pœnæ nomine relictum, ſemperque valuit. *dd. ll.*

§. 3. Sed Imp. Juſtinianus jus antiquum hac in parte mutavit, ut legatum pœnæ nomine relictum jure novo valeat: *l. un. C. h. t. §. 36. in f. I. de legat.* ſi modo nihil impoſſibile, vel legibus interdictum, vel alias probroſum, adjectum ſit. Si quid enim ejusmodi *heredi* adſcriptum ſit, etiamnum inutile eſt legatum; *d. l. un. d. §. 36. l. 1. D. h. t.* quæ a Triboniano, in verbis *illicite vel probroſe,* haud dubie ſecundum jus novum inflexa eſt; ſi vero *Legatario,* pro non ſcripto habetur. *§. 10. I. de hered. inſtit.*

TITULUS VII.

De Regula Catoniana.

§. 1.

Ad legata autem, quæ ab initio ſunt inutilia, pertinet *Regula* ſeu *Sententia Catoniana,* v. *l. 86.* D. *de cond. & dem.* a M. Porcio Catone ſic dicta. *l.* 4. D. *h. t. l. 2. §. 38.* D. *de O. J.* Gell. *L. XIII. c. 18.*

§. 2. Quæ ſic definit: *Quod, ſi teſtamenti facti tempore deceſſiſſet teſtator, inutile foret, id legatum quandocunque deceſſerit, non valere; l. 1. pr.* D. *h. t.* ſeu, *Quod ab initio vitioſum eſt, tractu temporis non convaleſcere. l. 41. §. 2.* D. *de leg. 1. l. 29. l. pen.* D. *de R. J.*

§. 3. Et non tantum in legatis, ſed & inſtitutionibus obtinet. *d. l. pen.* D. *de R. J.*

§. 4. Dummodo legata & hereditates pure relictæ ſint. Ad hereditates enim & legata, quorum dies non mortis tempore, ſed poſt aditam cedit hereditatem, quæve ſub conditione relicta ſunt; *l. 3. 4. D. h. t. l. 41. §. 2. D. de leg. 1.* ut & novas Leges, Juliam ſcil. & Papiam, ſecundum quas dies legatorum ex apertis tabulis cedebat, Ulp. *T. XXIV. §. 31.* Paul. *III. Sent. T. VI. §. 7. l. 44. §. 1. D. de bon. lib. Regula Catoniana* non pertinet. *l. ult. D. h. t.*

Digitized by Google

TITULUS VIII.

DE HIS QUÆ PRO NON SCRIPTIS HABENTUR.

§. 1.

III. Inutilia ſunt Legata, *quæ pro non ſcriptis* habentur.

§. 2. Qualia ſunt: *I.* Quæ quis ſibi, vel ei, quem in poteſtate habet, in teſtamento adſcripſit. *l. 1. l. ult. D. h. t. l. 4. 5. l. ult. C. de his qui ſib. adſcrib. in teſtam. l. 14. 15. 10.* D. *ad L. Corn. de falſ.*

II. Quæ intelligi non poſſunt. *l. 2.. D. h t. l. 73 §. 3. l. 188. pr.* D. *de R. J.*

III. Quæ incapacibus palam relicta ſunt; *l. 3. pr. l.* 4. *§. 1.* D. *h. t. l. 101. §. 1.* D. *de leg. 1. l. 40. D. de jur. fiſc.* ſi enim ipſis clam aliquid relinquatur, tanquam indignis aufertur, & fiſco cedit. *l. 10. 23. D. de his quæ ut indign. l. 103. D. de leg. 1. l. 1. 3. D. de jur. fiſc.* v. *ad t. ſeq. §. 4.*

IV. Quæ in eam cauſam pervenerunt, a qua incipere non poſſunt. *l. 3. §. 1. 2. D. h. t.*

Nec non *V.* Quæ iis relicta ſunt, qui eo tempore, quo legabatur, non erant in rebus humanis. *l. 4. D. h. t.*

VI. Turpia legata, quæ denotandi magis Legatarii gratia ſcribuntur, odio ſcribentis. *l. 54. D. de leg. 1.*

§. 3. Quæ non ad fiſcum, ſed vel ad coheredem, vel ſubſtitutum, ad collegatarium pertinent. *l. 3. pr. D. h. t. l. un. §. 2. 3. 4. C. de caduc. toll.*

TITULUS IX.

DE HIS QUÆ UT INDIGNIS AUFERUNTUR.

C. VI. 35.

§. 1.

IV. Denique inutilia ſunt quædam Legata ratione effectus, *Quæ* ſcil. Legatariis *ut indignis auferuntur:* quæ antiquis *Ereptitia* dicta ſunt. Ulp. *Fragm. Tit. XIX. §. 17. l. pen. D. de jur. fiſc. l. 26.* D. *ad L. Corn. de falſ.*

§. 2. Sunt autem hoc loco *Indigni*, qui quidem teſtamenti factionem habent paſſivam, ſed tamen propter delictum adverſus teſtatorem, ejusve voluntatem commiſſum, vel ſimilem ob cauſam, legatis, aut hereditatibus indigni cenſentur.

§. 3. Et quidem *ob delictum, contra Teſtatorem commiſſum, indigni* habentur: *I.* Qui teſtatorem occiderunt, vel interimi curarunt; *l. 10. C. h. t. l. 7. §. 4. D. de bon. damn.* vel per negligentiam cauſam mortis præbuerunt. *l. 3. D. h. t.*

II. Qui

II. Qui vindictam defuncti ſcientes inſuper habuerunt, neque necem defunfuncti ulti ſunt. *l. 17. 20. 21. D. l. 6. C. h. t.*

III. Qui palam & aperte teſtatori maledixerunt, & infauſtas voces adverſus eum jactarunt. *l. 9.* §. *1. D. h. t.*

IV. Qui teſtatori ſtatus controverſiam moverunt. *d. l. 9. §. 2.*

V. Qui eum poſt mortem ob crimen quoddam detulerunt, *l. 1. D. h. t.* vel accuſantem adjuvarunt. *l. 5. §. 10. D. h. t.*

VI. Qui de hereditate viventis & ignorantis pacti ſunt, eamque vel partem ejus alicui donarunt. *l. 2. §. 3.* D. *h. t. l. 29. §. f. l. 30. D. de don.*

§. 4. *Ob commiſſum contra ultimam voluntatem defuncti: I.* Qui aliquem teſtari, aliudve teſtamentum mutata voluntate facere, prohibuerunt. *l. 1. §. 1. 2. l. 2.* D. *ſi quis aliq. teſt. prohib. &* ſupr. *ad d. t. §. 1. 2. 3. l. 19. D. h. t.*

II. Qui teſtamentum falſum, vel inofficioſum accuſarunt, neque obtinuerunt; *l. 5. pr. §. 1. & ſeqq. l. 15.* D. *l. 8. C. h. t. d. l. 5. §. 8. D. h. t. l. 8. §. 14. D. de inoff. teſtam.* niſi tutor, pupilli ſui nomine, falſum vel inofficioſum teſtamentum dixerit: quia officii neceſſitas, & tutoris fides excuſata eſſe debet. *l. 22.* D. *h. t. l. 30. §. 1. D. §. 5. I. de inoff. teſt.*

III. Qui Bonorum poſſeſſionem contra tabulas petierunt, & ex ſubſtitutione impuberis hereditatem adierunt. *l. 2. pr.* D. *h. t.*

IV. Qui teſtamentum celarunt. *l. pen. C. de legat.*

§. 5. *Ob alias vero juſtas cauſas indigni* cenſentur: v. c. *I.* Qui contra mandata uxorem duxerunt. *l. 2. §. 1. 2.* D. *h. t.*

II. Qui tutores dati ſe excuſarunt a tutela. *l. 5.* §. *2.* D. *h. t.*

III. Qui res hereditarias amoverunt. v. *l. 6.* D. *h. t.*

IV. Qui in fraudem juris fidem accommodarunt, & tacite, ſive chirographo, ſive domeſtica cautione, ſive nuda pollicitatione, ſe incapaci reſtituturos promiſerunt. *l. 10. pr. l. 18. pr. l. 23. D. h. t. l. 103.* D. *de leg. 1.*

V. Adulteri, quibus ab adultero vel adultera aliquid relictum eſt. *l. 13.* D *h. t.* add. *l. 14.* D. *eod.*

VI. Quorum nomen a teſtatore inductum eſt. *l. 12. 16. §. 2. D. h. t.*

§. 6. Ea autem, quæ ut indignis auferuntur, plerumque Fiſco cedunt. *l. 2. §. 1. l. 6. 13. 16. §. 2. D. h. t. l. 11. D. de jur. fiſc. l. 96. §. 1. D. de leg. 1.*

§. 7. Niſi aperte aliud conſtitutum ſit: veluti, *I.* Si tutor datus ſe excuſaverit. *l. 5. §. 2.* D. *h. t. l. 32. verſ. Recte.* D. *de excuſ.*

II. Si inimicitiæ capitales interceſſerint. *l. 9. pr. D. h. t.*

III. Si legatarius teſtatori maledixerit. *d. l. 9. §. 1.*

IV. Si legatarius teſtamentum celaverit. *l. pen. C. de legat.* Quibus ſimilibusque caſibus excluditur. *dd. ll.*

Digitized by Google

LIBER XXXV. TITULUS I.

DE CONDITIONIBUS, ET DEMONSTRATIONIBUS, ET CAUSIS, ET MODIS EORUM, QUÆ IN TESTAMENTO SCRIBUNTUR.

C. VI. 46. 45. 44.

§. 1.

Cum autem Legatis & Fideicommiſſis, quæ relinquuntur, non raro *Conditio*, vel *Demonſtratio*, vel *Cauſa*, vel *Modus* adſcribatur, v. *l. 1. pr.* D. *h. t.* eaque & ob eas adjectiones quandoque intercidant, de hiſce ſeparatim hoc loco ſubjicitur.

§. 2. De *Conditionibus*, ut & *die incerto*, actum ſupra, ad *tit de condit. inſt.*

§. 3. *Demonſtratio* eſt *adjectio, quæ, præter nomen, rei vel perſonæ deſignandæ cauſa adhibetur. l. 34. pr.* D. *h. t.*.

§. 4. Inter quam & *Conditionem* hoc intereſt, quod D*emonſtratio* plerumque rem factam oſtendit, *Conditio* futuram. *d. l. 34. §. 1.* D. *h. t.*

§. 5. Sive Vera, ſive Falſa *Demonſtratio* ſit, nihil intereſt; falſa enim demonſtratione legatum vel fideicommiſſum non perimitur: *l. 17. pr. l. 33. 40. §. 4. D. h. t. §. 30. I. de legat.* dummodo conſtet, de qua re vel perſona teſtator ſenſerit. *d. l. 17. 34. pr. D. h. t. §. 30. I. de leg.* v. *l. 108. §. 10.* D. *de leg. 1. l. 1. §. 7.* D. *de dot. præleg.* junct. *l. 34. §. 4. l. 75. §. 1. 2. D. de leg. 1. l. 40. §. 4.* D. *h. t.*

§. 6. Nam D*emonſtratio* vice *Nominis* fungitur; *l. 34. pr.* D. *h. t. l. 6.* D. *de reb. cred.* error autem in nomine proprio legatum non vitiat. *l. 4. D. de leg. 1. §. 30. I. de legat.* v. ſupr. *de legat. & fideic. §. 49. & ſeqq.*

§. 7. *Cauſa* eſt *ratio legandi*, propter quam legatum vel fideicommiſſum relinquitur. *l. 72.* §. *6. D. h. t. §. 31. I. de leg. l. 52. D. de cond. ind.* Unde in præteritum confertur, *l. 12.* D. *h. t.* & per verba *Quoniam*, *Quia*, exprimi ſolet. *d. l. 12. §. 31. I. de leg. l. 52. D. de cond. indeb.*

§. 8. Quemadmodum autem non *Falſa Demonſtratio*, ſic nec *Falſa Cauſa* legatum vitiat. *l. 17. §. 2. l. 72. §. 6.* D. *h. t. §. 31. I. de leg.*

§. 9. Ratio enim legandi legato non cohæret; *l. 72. §. 6. D. h. t.* i. e. legatum, cum ſit donatio & liberalitas, *pr. I. de legat.* etiam ſine ratione legandi ſubſiſtit. arg. *l. 82. D. de R. J.*

§. 10. Niſi *I.* Heres probet, teſtatorem alias legaturum non fuiſſe; quo caſu exceptio locum habet. *d. l. 72. §. 6. D. h. t.*

Vel

Vel *II.* Cauſa conditionaliter adjecta ſit. *l. 17. §. 3. D. h. t. §. 31. I. de leg.*

§. 11. *Modus* eſt *adjectio. qua teſtator indicat, quid poſt acceptum legatum fieri velit:* isque exprimitur per particulam *Ut. l. 17. §. ult.* D. *h. t.*

§. 12. Ubi vero *Modus* adjectus eſt, legatum ſtatim peti poteſt; dummodo Legatarius de modo adimplendo caveat, *l. 40. §. ult. l. 80. D. h. t.*

§. 13. Quod ſi *Modus* non impleatur, vel Legatarius ad implendum cogi, *l. 17. §. 4. D. h. t.* junct. *l. 1. C. de his quæ ſub mod.* vel legatum repeti poteſt: arg. *l. 1. C. de don. quæ ſub mod.* eaque ratione *Modus* pro conditione obſervatur, *l. 1. C. de his quæ ſub mod. l. 92. D. h. t.*

TITULUS II.

Ad Legem Falcidiam. C. VI. 50.

§. 1.

Quemadmodum vero legata & fideicommiſſa dictis caſibus infirmantur, ſic & quandoque minuuntur, propter *Legem Falcidiam* ſcil. & *SCtum Trebellianum.*

§. 2. Cum enim *Lege XII. Tab.* libera eſſet legandi poteſtas, ut liceret vel totum patrimonium legatis erogare; *pr. I. h. t. l. 120. D. de V. S.* eoque non ſemel contingeret, ut teſtatores inteſtati morerentur, recuſantibus ſcriptis heredibus, pro nullo aut minimo lucro, hereditates adire: *d. pr. I. h. t.* liberam hanc legandi licentiam coarctare viſum eſt. *d. pr. I. h. t.*

§. 3. Et primum quidem ſuper hac re a C. Furio lata eſt *Lex Furia*, v. Cic. *pro Balb. c. 8. pr. I. h. t.* qua cavebatur, *ne ſupra mille aſſes legare liceret, &, ſi plus acceptum eſſet, quadruplum redderetur.* Ulp. *T. I. §. 2. T. XXVIII. §. 7.* Deinceps vero a Q. Voconio Saxa *Lex Voconia*, v. Cic. *pro Balb. d. c. 8. in* Verr. *de Prat. Urb. 1. c. 42.* Epit. *Liv. L. XLI. pr. I. h. t.* qua cautum, *ne quis cenſus plus cuiquam legaret, quam ad heredem perveniret.* Cic. *d. l. c. 43.* Theoph. *ad I. h. t.*

§. 4. Sed neutra ſufficiens ad rei conſummationem videbatur; *d. pr. I. h. t.* quia neutra finem legandi faciebat: & utraque de ſingulis tantum Legatariis cavebat: ut variis legatis tota fere hereditas adhuc exhauriri poſſet.

§. 5. Noviſſime itaque lata eſt *Lex Falcidia*, a P. Falcidio Tribuno Plebis, A. U. C. 714. ante Nat. Chr. 39. Dion Caſſ. L. 48.

§. 6. Quæ *Primo Capite* liberam legandi facultatem dedit, usque ad dodrantem, his verbis: „*Qui Cives Romani ſunt, qui eorum poſt hanc Legem* „*rogatam teſtamentum facere volet, ut* quam pecuniam, quasque res, (ſic leg. „v.) *quibusque dare legare volet, jus poteſtasque eſto ut hac Lege ſequenti licebit.* „*Secundo* vero *capite* modum legatorum conſtituit his verbis: *Quicunque Civis* „*Romanus, poſt hanc Legem rogatam, teſtamentum faciet, is quantam cuique civi*

Digitized by Google

„*Romano pecuniam, jure publico, dare legare volet, jus poteſtaſque eſto; Dum ita* „*detur* legetur, (ſic leg.) *ne minus quam partem quartam hereditatis eo teſta-* „*mento heredes capiant. Eis, quibus quid ita datum legatumve erit, eam pecu-* „*niam ſine fraude ſua capere liceto. Iſque heres, qui eam pecuniam dare juſ-* „*ſus damnatus erit, eam pecuniam debeto dare, quam damnatus eſt.*„ *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 7. Ait Lex, „*Qui Cives Romani ſunt*;„ ſoli enim Cives teſtamenti faciendi jus habent. *§. ult. I. qui teſtam. fac. poſſ.*

§. 8. „*Qui eorum poſt hanc legem rogatam*;„ quia Leges futuris dant formam negotiis. *l. 7. C. de ll.*

§. 9. „*Teſtamentum facere volet*;„ quo ſolo ſcil. olim legata relinqui poterant. *§. 10. I. de fideic. her.*

§. 10. Ut *quam pecuniam, quaſque res*, „*quibusque dare legare volet, jus* „*poteſtaſque eſto, ut hac Lege ſequenti licebit*,„ Sive pecunia hereditaria ſit, ſive res extra computationem patrimonii ſint; v. *l. 1. §. 6. D. h. t. l. 5. pr. D. de V. S.* ſive teſtator *det* per modum *vindicationis*, ſive alio modo leget. v. *§. 2. I. de legat.*

§. 11. „*Quicunque civis Romanus poſt hanc Legem rogatam teſtamentum fa-* „*ciet*;„ ſive poſtmodum in civitate, ſive apud hoſtes mortuus ſit. *Lex Falcidia* enim etiam ad eos, qui apud hoſtes moriuntur, propter *Legem Corneliam* pertinere videtur; quod ea Lex perinde eorum teſtamenta confirmat, atque ſi in civitate deceſſiſſent *l. 1. §. 1. D. h. t. l. 12. D. qui teſtam. fac. poſſ. §. ult. I. eod.*

§. 12. Ad eos, qui omiſſa cauſa teſtamenti, poſſident hereditatem, non pertinet *Lex Falcidia*; ſed per *Edictum Prætoris* inducitur poteſtas Legis. *l. 1. §. 2. D. h. t.*

§. 13. „*Is quantam cuique Civi Romano Pecuniam, jure publico, dare lega-* „*re volet, jus poteſtaſque eſto*;„ licet enim libera teſtandi facultas permittatur, non tamen conceditur poteſtas recedendi a Juris publici forma. v. *l. 3. D. qui teſtam. fac. poſſ. l. 35. pr. C. de inoff. teſt.*

§. 14. „*Dum ita detur legetur*;„ pertinet ſcil. hæc Lex proprie ad *Legata*, qualiacunque ea ſint, etiam ad legata municipum, nec non ea, quæ Deo relinquuntur. *l. 1. §. 5. & ſeqq. l. 28. 68. & 89. D. l. 4. & 6. §. 1. C. h. t.* Sed ob ſimilitudinem rationis, poſtmodum extenſa eſt ad fideicommiſſa ſingularia, & ſucceſſiones ab inteſtato; *l. 18. D. h. t.* donationes mortis cauſa; *l. 5. C. h. t. l. 2. C. de don. cauſ. mort.* nec non donationes inter virum & uxorem. *l. 12. C. h. t.*

§. 15. „*Ne minus, quam partem quartam hereditatis, eo teſtamento heredes capiant.*„ add. Ulp. *T. XXIV. §. 32.* Proſpicit ſcil. hæc Lex heredibus, *l. 71. D. h. t.* & proprie quidem teſtamentariis; *d. l. 1. pr. D. h. t.* tum primis, tum ſecundis; *l. 1. §. 13. l. 11. §. 5. D. h. t.* per extenſionem vero quoque ab inte-

ſtato

ſtato ſuccedentibus: *l. 18. D. h. t.* non etiam Legatariis & Fideicommiſſariis; licet totum legatum vel fideicommiſſum ab iis aliis relictum ſit. *l. 47. §. 1. D. h. t.*

§. 16. Neque tantum omnibus heredibus in genere, ſi plures ſint, conſultum vult, ſed & in ſingulis ratio ejus ponenda eſt. *l. 77. D. h. t. §. 1. I. h. t.*

§. 17. Unde ſi duo heredes inſtituti ſint, & alterius pars legatis exhauſta, ab altero autem vel nulla vel pauca admodum legata relicta ſint, ut partem quartam hereditatis ſalvam habeat, poteſt nihilominus ille, cujus pars legatis exhauſta eſt, quartam partem ſuæ partis detrahere. *d. l. 77. d. §. 1.*

§. 18. Quo tamen caſu, ſi, altero deficiente, alter ſolus heres exiſtat, diſtinguendum: *An portio onerata accreſcat non oneratæ?* & quarta adhuc detrahi poterit: *An* vero *non onerata accreſcat oneratæ?* & detrahi nequit. *l. 78. & 87. §. 4. verſ. Si vero. D. h. t.*

§. 19. In Quantitate autem patrimonii exquirenda, ad quam ratio Legis Falcidiæ redigitur, mortis tempus ſpectandum eſt; *l. 56. pr. l. 73. pr. D. §. 2. I. h. t.* ex quo ſcil. cedit dies legatorum. *l. un. §. 1. & 5. C. de cad. toll.*

§. 20. Adeo ut, ſi mortis tempore hereditas tanta fuerit, ut heres Quartam ſalvam haberet, licet poſtea deminuta ſit, integra nihilominus legata præſtanda ſint. Et contra, ſi tantum mortis tempore in bonis defuncti non fuerit, licet poſtea hereditas aucta ſit, Quarta detrahi poſſit. *d. l. 73. pr. §. 2. I. h. t.*

§. 21. Et quidem ex iis, quæ mortis tempore inveniuntur, *I. Deducitur* æs alienum; *§. 3. I. l. 6. C. h. t.* i. e. omne, cujus præſtandi neceſſitate defunctus obſtrictus fuit: v. *l. 54. in f. l. 72. D. h. t.* quia Falcidia detrahitur ex bonis, *Bona* autem non intelliguntur, niſi quæ deducto ære alieno ſuperſunt. *l. 39. §. 1. D. de V. S.*

II. Funeris impenſa, *d. §. 3. I. h. t.* ſine qua ſcil. funus honeſte duci & ſepeliri non potuit. *l. 14. §. 3. D. de relig.*

III. Pretia ſervorum manumiſſorum. *d. §. 3. I. l. 39. D. h. t.*

Nec non *IV.* omnis impenſa ſuſcipiendæ hereditatis cauſa facta. arg. *l. ult. §. 9. C. de jur. delib.*

§. 22. Quibus deductis in reliquo ita ratio habetur, ut ex eo quarta pars apud heredem remaneat, tres vero partes inter Legatarios diſtribuantur; pro rata ſcil. portione ejus, quod cuique eorum legatum fuerit. *d. §. 3. I. h. t.* Facienda æſtimatione rerum ex veritate, *l. 42. D. h. t.* ſecundum præſens, non ſecundum *formale pretium; l. 62. §. 1. D. h. t.* neque ex affectu vel utilitate ſingulorum. *l. 63. pr. §. 2. D. h. t.* vid. *l. 1. §. 9. l. 80. §. 1. l. 81. & 68. pr. D. h. t.*

§. 23. In quam *Quartam Falcidiam* tantum imputantur res, quas heres jure hereditario capit, non quas jure legati vel fideicommiſſi, vel implendæ conditionis cauſa accepit: licet in *Quarta Trebellianica* ſecus ſit. *l. 74. 76. 91. D. h. t.*

§. 24. „*Eis, quibus quid ita datum legatumve erit, eam pecuniam ſine fraude ſua capere liceto;*„ i. e. ſine pœna quadrupli ex Lege Furia, v. Ulp. *T. I. §. 2.*

Digitized by Google

§. 2. & *ſupr. §. 3.* vel ſimili. *„Isque heres, qui eam pecuniam dare juſſus da-„mnatus erit, eam pecuniam debeto dare, quam damnatus eſt.„ l. 1. pr.* D. *h. t.*

§. 25. Quod ſi exceſſerit quis dodrantem, legata pro rata portione per legem ipſo jure minuuntur. *l. 73. §. ult. D. h. t.*

§. 26. De quo hiſce ſimilibusve verbis ſubjectum videtur: *Si quis aliter, quam hac Lege liceat, pecuniam dederit, legaverit, heredi Quartam partem ejus pecuniæ, quæ data, legata erit, ex eo teſtamento retinere liceto. Præterquam ſi dos mulieris, aut res ipſius cauſa paratæ ipſi legatæ fuerint.* arg. Caj. *Inſt. L. II. T. VIII. d. l. 73. §. ult. l. 81. §. 1. 2. D. h. t.*

§. 27. Ut adeo hoc caſu heres, ſi quidem adhuc poſſideat totam hereditatem, Quartam *jure Retentionis* deducere poſſit. Caj. *d. L. II. T. VIII. l. 73. §. ult. D. l. pen. C. h. t.*

§. 28. Quod ſi vero in poſſeſſione legatorum jam ſint Legatarii, Heres eam *vindicare; l. 26. pr. l. pen. C. h. t.* vel *Actione in factum, l. 77. §. 2. D. de leg. 2.* vel etiam *Interdicto Quod legatorum* agere poteſt. *l. 1. D. quod legat.*

§. 29. Plane non pauci ſunt caſus, quibus *Quarta Falcidia* detrahi nequit. Ceſſat enim *I. Lex Falcidia* (uti ipſa *Lege Falcidia* nominatim expreſſum eſt, *l. 81. §. 2.* D. *h. t.*) in Dote mulieri relegata, aliisque rebus, quæ mulieris cauſa emtæ vel paratæ ſunt. *d. l. 81. §. 1. 2. D. h. t.*

II. In Teſtamento militis. *l. 17. 92. 96. D. l. 7. C. h. t.*

III. In Libertate legata. *l. 33. 34. & 43.* D. *h. t. l. 8. §. 9. D. de inoff. teſtam.*

IV. Si heres mortuo teſtatore ſpoponderit, ſeſe integra legata daturum; *l. 46. 71. D. l. ult. C. h. t. l. 20. §. 1.* D. *de don.* vel ſciens, vel jus ignorans integra legata ſolverit. *l. 9. C. h. t.*

V. In Legatis ab ipſo Legatario relictis. *l. 47. §. 1. D. h. t.*

VI. In ea re, quæ ita relicta eſt, ne alienetur. *l. 54. D. h. t. N. 119. c. 11. Auth. Sed &. C. h. t.*

VII. Si vivus Teſtator heredi Quartam dederit, ſeu quantitatem Quartæ æquivalentem. *l. 56. §. ult. l. 91. D. h. t.*

VIII. Si heres id egerit, ut legatum vel fideicommiſſum intercidat. *l. 59. pr. l. 68. §. 1. D. h. t.*

IX. Si heres ex judicio defuncti jure hereditario Quartam habeat. *l. 74. D. h. t.*

X. In mortis cauſa capione. *l. 76. pr. l. 93. D. h. t.*

XI. In Inſtrumentis prædiorum domino relictis. *l. 15. C. h. t.*

XII. In Portione legitima. *l. 36. C. de inoff. teſtam.*

XIII. In legatis ad Pias cauſas, ſi heres in mora ſit ſolvendi, vel dolo malo negaverit ſufficere vires hereditatis. *Nov. 131. c. 12. Auth. Similiter. C. h. t.*

XIV Si

XIV. Si heres Inventarium facere neglexerit. *l. ult. §. pen. C. de jur. delib.*

XV. Si Teſtator expreſſe prohibuerit heredem beneficio Legis uti; *Nov. 1. c. 2. §. 2. Auth. Sed. cum. C. h. t.* mutato jure antiquo. *l. 15. §. ult. D. h. t.*

TITULUS III.

Si Cui Plus, Quam Per Legem Falcidiam Licuerit, Legatum Esse Dicetur.

§. 1.

Quod ſi, ob legata forte conditionalia, vel æs alienum latens, juſte dubitetur, an *Lex Falcidia* locum habeat, heres integra legata ſolvere non cogitur, priusquam a Legatariis, datis fidejuſſoribus, *l. 3. §. 1. D. h. t.* cautum ſit, ſeſe, ſi poſtea apparuerit, *Legi Falcidiæ* locum eſſe, id quod amplius legatorum nomine ceperint, quam per *Legem Falcidiam* liceat, reddituros. *l. 1. §. 16. l. 45. §. 1. l. 72. §. 3. & ſeqq. D. ad L. Falcid. l. 1. pr. §. 4. 7. 9. 11. l. 3. §. 1. l. 4. pr. l. 5. D. h. t.*

§. 2. De quo tale Edictum Prætor propoſuiſſe videtur: *Si cui plus, quam per Legem Falcidiam liceat, legatum eſſe dicetur, & dubitari juſte poſſit, utrum Lex Falcidia locum habitura ſit, nec ne, cauſa cognita ſubveniam heredi, ut ei legatarius ſatisdet, ſi apparuerit, eum amplius legatorum nomine cepiſſe, quam e Lege Falcidia capere licebit, quanti ea res erit, tantam pecuniam daturum, dolumque malum ab eo abſuturum.* arg. *Inſcr. l. 1. pr. §. 11. l. 4. pr. l. 5.* D. *h. t. l. 1. §. 16. D. ad L. Falcid.*

§. 3. Quin & non tantum ante præſtita legata, ſed & poſtea hæc ſatisdatio exigi poteſt, ſi ſcil. per *errorem facti* omiſſa ſit. *l. 3. §. ult. D. h. t.*

§. 4. Eaque ab omnibus Legatariis & Fideicommiſſariis, paucis tamen exceptis, præſtanda eſt. *l. 3. §. 4. D. h. t.*

§. 5. *Remittitur* enim *I.* Ex reſcripto Divorum Fratrum iis, quibus minuta alimenta relicta ſunt. *d. l. 3. §. 4. D. h. t.* v. Diſſ. *N. XII. ad Conſt. Marc. §. 13. & ſeqq.*

II. Fiſco, qui tamen perinde, ac ſi caviſſet, conveniri poteſt. *d. l. 3. §. 5. D. h. t.*

III. Iis, qui ſatisdationem non facile præſtare poſſunt. *l. 6. D. h. t.*

Nec non IV. Iis, qui annua legata ad diſtribuendum præcipere juſſi ſunt; a quibus vetatur cautio exigi *ceſſantium partes reddi. l. 7. D. h. t.*

Digitized by Google

* *

LIBER XXXVI. TITULUS I.

Ad Senatusconsultum Trebellianum.

C. VI. 49.

§. 1.

Explicito Tractatu, qui ad *Legata* & *Fideicommiſſa ſingularum rerum* pertinet, tranſit Imp. ad interpretationem *Senatusconſulti Trebelliani*, quod *de Fideicommiſſis Univerſalibus* factum eſt. *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 2. Eſt autem *Fideicommiſſum Univerſale, cum vel tota hereditas, vel pars hereditatis, verbis precariis relinquitur titulo univerſali. §. 2. I. de fideic. hered.* v. ſupr. *ad L. XXX. & ſeqq. de legat. & fideic. §. 13.*

§. 3. Quod ſubdividi poteſt, In *Expreſſum*, quod expreſſa, & *Tacitum*, quod tacita voluntate teſtatoris relinquitur: veluti, ſi roget heredem, *Ut alium heredem faciat; l. 17. pr. D. h. t.* vel ſi mandet, *Ne heres teſtamentum faciat, donec liberos ſuſceperit; l. 74. D. h. t. Neve hereditas, vel pars ejus, alienetur, ſed ut in familia relinquatur.* v. *l. 69.* §. *3. D. de leg. 2. l. 114. §. 14. D. de leg. 1.*

§. 4. Quo caſu, ſi non paruerit heres voluntati teſtatoris, ſed hereditatem vel partem ejus alienaverit, *Proximis* in familia competit *Actio in rem* ad res alienatas vindicandas: *d. l. 69. §. 3.* D. *de leg. 2. l. 1. C. comm. de leg. l. 23. pr.* D. *de R. V.* iis ſcil. qui teſtatorem, non qui gravatum, proximo gradu contingunt. arg. *l. ſ. C. de V. S.*

§. 5. *II.* In *purum, ex die,* & *ſub conditione* relictum, *§. 2. in f. I. de fideic. hered.*

§. 6. Qualis eſt conditio, *Si heres ſine liberis deceſſerit, l. 17.* §. 4. D. *h. t.* i. e. ſive legitimis, ſive naturalibus; *l. 6. §. 1.* v. *Cum autem. C. de inſtit. & ſubſt.* (qua derogatur *d. l. 17. §. 4.*) non etiam adoptivis. *l. 76. D. de cond. & dem.*

§. 7. Quæ ipſa conditio & aliquando tacite ineſt, ſi quis ſcil. filium vel nepotem heredem inſtituerit, eumque rogaverit, *Ut hereditatem poſt mortem alteri reſtituat. l. 102. D. de C. & D. l. 30. C. de fideicomm.*

§. 8. *Fideicommiſſum relinquere poſſunt,* qui teſtamenti faciendi jus habent. *l. 2. D. de leg. 1.*

§. 9. *Ab omnibus,* ad quos hereditas ejusve pars perventura eſt. *l. 1. §. 17. D. h. t. l. 9. C. de fideic.*

§. 10. *Iis,* cum quibus eſt teſtamenti factio; arg. §. *24. I. de legat.* ſive certi ſint, ſive incerti, *l. ult. C. de V. S.* Non etiam incapacibus: *l. 67. §. ult. D. h. t. l. 103. D. de leg. 1. l. 1. D. de jur. fiſc. l. 1. C. de delator. l. 10. C. de his quib. ut indign.* licet olim ſecus fuerit, Ulp. *Fragm. T. XXV. §. 7. & 1. I. de fideic. her.*

§. 11.

§. 11. Non tantum proximis cognatis, ſed & toti *familiæ*; *l. 32. §. ult.* D. *de leg. 2.* etiam ultra quartum gradum, in infinitum. *d. l. 32. §. ult. l. 67. §. 5. l. 69. §. 3.* D. *de leg. 2.* Non obſt. *Nov. 159. c. 2.*

§. 12. Neque tantum *in Teſtamento* fideicommiſſa relinqui poſſunt, ſed etiam *ab Inteſtato. §. 10. ult. I. de fideic. hered. l. ult. & 22. C. de fideic.*

§. 13. Licet enim fidei ejus, qui a defuncto nihil accepit, committi non poſſit; *l. 9. C. de fideic.* hic tamen illud non obſtat: tacite enim ab inteſtato datur hereditas, eo ipſo, quod non adimitur. *l. 8. §. 1.* D. *de jur. codicill.*

§. 14. *Effectus* autem Fideicommiſſi eſt: *I.* Quod Fiduciarius bona fideicommiſſaria (excepto Quadrante) alienare nequeat: *l. 3. §. 3. D. h. t. niſi* ex cauſa dotis vel propter nuptias donationis; *Nov. 39. c. 1. Auth. Res quæ. C comm. de legat.* vel quis rogatus ſit *ex hereditate reſtituere, quod ex hereditate cum morietur, ſuperfuerit.* v. *Nov. 108. c. 1. Auth. Contra. C. h. t.*

§. 15. *II.* Quod teneatur de dolo & lata culpa. *l. 22. §. 3. D. h. t.*

§. 16. *III.* Quod hereditatem fideicommiſſariam, ejusve partem, tempore a defuncto definito, vel ſtatim, ſi nullum tempus expreſſum ſit, fideicommiſſario reſtituere debeat. *l. 41. §. ult. D. de leg. 3.*

§. 17. Licet enim Fideicommiſſa primis temporibus infirma eſſent, & tantum pudore eorum, qui rogabantur, continerentur; *§. 1. I. de fideic. hered.* poſtea tamen temporibus Auguſti vim juris acceperunt, *d. §. 1. I. de fideic. hered. pr. I. de codicill.* tantusque eorum favor paulatim factus eſt, ut & Prætor proprius crearetur, qui de Fideicommiſſis jus diceret: indeque *Fideicommiſſarius* appellatus eſt. *d. §. 1. I. de fideic. hered. l. 2. §. 32.* D. *de O. J.*

§. 18. Cum vero heres fiduciarius, qui rogatus erat hereditatem reſtituere, reſtituta hereditate nihilominus adhuc heres permaneret; *§. 3. I. de fideic. hered.* quia, qui ſemel heres eſt, heres eſſe deſinere nequit: *l. 88. D. de hered. inſt. l. 7. §. 10. D. de min.* adeoque non raro hereditatem adire recuſaret; *l. 1. §. 2. D. h. t.* factum eſt *SCtum Trebellianum*, temporibus Neronis, octavo Calendas Septembris, Annæo Seneca & Trebellio Maximo Conſulibus, non ordinariis, ſed ſuffectis. A. U. C. 814. poſt C. N. 62. *l. 1. §. 1.* D. *h t. §. 4. I. de fideic. hered.* Quo cautum, *Ut, ſi hereditas ex cauſa fideicommiſſi reſtituta ſit, omnes actiones, quæ jure Civili heredi & in heredem competerent, ei & in eum darentur, cui ex fideicommiſſo reſtituta eſſet hereditas. d. §.* 4.

§. 19. Verba SCti hæc ſunt: „*Cum eſſet æquiſſimum, in omnibus fideicom-„miſſariis hereditatibus, ſi qua de his bonis judicia penderent, ex his eos ſubire, „in quos jus fructusque transferetur, potius quam cuique periculoſam eſſe fidem „ſuam: placet, ut Actiones, quæ in heredem, heredibusque dari ſolent, eas ne-„que in eos, neque his dari, qui fidei ſuæ commiſſum, ſicuti rogati eſſent, reſti-„tuiſſent; ſed his, & in eos, quibus ex teſtamento fideicommiſſum reſtitutum fuiſ-*

Digitized by Google

„*ſet: quo magis in reliquum confirmentur ſupremæ defunctorum voluntates. l. 1. §. 2. D. h. t.*

§. 20. Ait Senatus, „*Cum eſſet æquiſſimum, in omnibus fideicommiſſariis* „*hereditatibus, ſi qua de his bonis judicia penderent, ex his eos ſubire, in quos* „*jus fructusque transferetur, potius quam cuique periculoſam eſſe fidem ſuam;*„ ſecundum naturam enim eſt, incommoda cujusque rei eum ſequi, quem ſequuntur commoda. *l. 10.* D. *de R. J.*

§. 21. „*Placet, ut Actiones, quæ in heredem, heredibusque dari ſolent;*„ ſive Civiles ſint, de quibus proprie loquitur SCtum, ſive Honorariæ, ſeu Prætoriæ: *l. 40. pr. D. h. t.* non etiam jura ſepulchrorum. *l. 42. §. 1. D. h. t.*

§. 22. „*Eas neque in eos, neque his dari, qui fidei ſuæ commiſſum, ſicuti* „*rogati eſſent, reſtituiſſent;* cum effectu ſcil. Nam ſummo jure Actiones heredi, & in heredem competunt, arg. *l. 88. D. de hered. inſt.* v. ſupr. *§. 18.* ſed per exceptionem eliduntur. *l. 1. §.* 4. D. *h. t.* v. *l. 112. D. de R. J.*

§. 23. „*Sed his, & in eos;*„ quemadmodum enim Senatus ſubventum voluit heredibus, ſic ſubvenit & Fideicommiſſario. Nam in eo, quod heredes, ſi conveniantur, exceptione uti poſſunt, heredibus ſubventum eſt; in eo vero, quod, ſi agant heredes, repelluntur per exceptionem: quodque agendi facultas fideicommiſſariis competit, procul dubio conſultum eſt fideicommiſſariis. *l. 1. §. 4.* D. *h. t.*

§. 24. „*Quibus ex teſtamento;*„ ſi ſcil. teſtamento, uti fere ſolet, fideicommiſſum relictum ſit. Senatusconſultum enim hoc locum habet, ſive ex teſtamento quis heres ſit, ſive ab inteſtato, rogatusque ſit reſtituere hereditatem. *l. 1. §. 5. 6. 7. D. h. t.*

§. 25. „*Fideicommiſſum reſtitutum fuiſſet;*„ quod fit vel *re ipſa*, ſi ſcil. paſſus eſt heres poſſideri res hereditarias, vel totas, vel aliquas earum, hac mente, ut vellet reſtituere, & ille ſuſcipere, poſteave id ratum habuit: vel *verbo*, ſi ſcil. dixerit, ſe reſtituere, vel per epiſtolam, vel nuntium, voluntatem declaraverit. *l. 37. pr. D. h. t.*

§. 26. „*Quo magis in reliquum confirmentur ſupremæ defunctorum volunta*„*tes.*„ Ut adeo hoc SCtum tum in favorem heredum, *l. 1. §. 2. 4. D. h. t.* tum Teſtatorum introductum ſit. *d. l. 1. §. 2. in f.*

§. 27. Sed quia heredes ſcripti, quum aut totam hereditatem, aut pene totam plerumque reſtituere rogabantur, adire hereditatem ob nullum vel minimum lucrum recuſabant, atque ob id exſtinguebantur fideicommiſſa, adeoque *SCtum Trebellianum* non ſufficeret, poſtea Veſpaſiani Auguſti temporibus, Pegaſo & Puſione Coſſ. (ſcil. ſuffectis) *Senatusconſultum Pegaſianum* factum eſt, quo cautum *I. Ut ei, qui rogatus eſſet hereditatem reſtituere, perinde liceret Quartam partem retinere, atque ex Lege Falcidia ex Legatis retinere conceditur. §. 5. I. de fideic.*

Digitized by Google

fideic. hered. & *II. Ut, ſi ea non contentus heres adire nollet, ad adeundum & reſtituendum cogi poſſet. §. 6. verſ. Sed ſi. I de fideic. hered.*

§. 28. Poſt quod SCtum, ſi quidem non plus, quam dodrantem hereditatis, ſcriptus heres rogatus eſſet reſtituere, tunc ex *Trebelliano SCto* reſtituebatur hereditas, & in utrumque Actiones hereditariæ dabantur: at ſi plus quam dodrantem, vel totam hereditatem reſtituere rogatus eſſet, reſtituebatur ex *SCto Pegaſiano;* eoque caſu Quarta retenta quaſi *partis*, & *pro parte ſtipulationes* interponebantur, tanquam inter *Legatarium partiarium* & *Heredem*: quemadmodum, ſi tota hereditas reſtituta eſſet, *ſtipulationes Emtæ* & *Venditæ hereditatis* intercedere ſolebant. *§. 6. I. de fideic. hered.* Paul. IV. *Sent. III.* Ulp. *Tit. XXV. §. 15.* Theoph. *ad d. §. 6.*

§. 29. Cum autem & hæ ſtipulationes quibusdam caſibus *captioſæ*, i. e. damnoſæ eſſent; v. *l. 14. §. 5. D. quod met. cauſ. l. 6. §. 10. D. quæ in fraud. cred.* placuit, exploſo *SCto Pegaſiano*, omnem auctoritatem *Trebelliano* præſtare, ut ex eo ſolo deinceps hereditates fideicommiſſariæ reſtituerentur. *§. 7. I. de fideic. hered.*

§. 30. Ut adeo *SCti Trebelliani* jam tria ſint capita: quorum *Primo* continetur, *Ut liceat heredi Fiduciario Quartam partem fideicommiſſi, vel quod deeſt retinere, vel per errorem facti ſolutum repetere. §. 7. I. de fideic. hered. l. 9. C. ad L. Falcid.* Sive totam hereditatem, ſive partem quis reſtituere rogatus ſit. *§. 8. I. de fideic. hered.*

§. 31. Quod cum ad imitationem *Falcidiæ* conceſſum ſit, *§. 5. I. de fideic. hered.* hæc Quarta ab antiquis fere etiam *Falcidia*, v. *l. 16. §. 9. l. 22. §. 2. l. 30. pr. D. h. t. l. 41. §. 3. D. de vulg. & pup. ſubſt. l. 30. §. 7. l. 47. §. 1. l. 86. D. ad L. Falcid.* nunc vero *Trebellianica* vocari ſolet.

§. 32. Illud tamen intereſt, quod in *hanc Quartam* imputentur omnia ea, quæ heres quocunque titulo habet ex judicio defuncti; etiam fructus, ex bonis, quæ extra Quartam ſunt, percepti: *l. 18. §. 1. l. 22. §. 2. D. h. t. l. 91. D. ad L. Falcid.* in *Quartam Falcidiam* vero tantum ea, quæ habet jure hereditario titulo inſtitutionis. *d. l. 91. D. ad L. Falcid.*

§. 33. Detrahit autem hanc Quartam ſolus *heres Fiduciarius;* non etiam *Fideicommiſſarius*, licet is totum alteri iterum reſtituere (uti fieri poteſt, *§. 11. I. de fideic. hered.*) rogatus ſit. *l. 22. §. ult. l. 55. §. 2. D. h. t. l. 47. §. 1. D. ad SCt. Treb.* Semel enim adita hereditate voluntas defuncti rata conſtituitur. *d. l. 55. §. 2.*

§. 34. Niſi forte *I. Fiduciarius* in gratiam *Fideicommiſſarii* Quartam non detraxerit; *l. 1. §. 19. D. h. t.* vel *II. Fiduciarius* coactus adierit, & totam hereditatem reſtituerit. *l. 35. §. 2. D. h. t.*

§. 35. Neque præter hanc *Quartam* aliud quid deducere permittitur. Ut adeo liberi, Fideicommiſſo Univerſali ultra dodrantem onerati, *Portionem Legitimam*

Digitized by Google

timam & *Quartam Trebellianicam* ſimul detrahere nequeant. *l. 6. pr. C. h. t. l. 24 C. fam. ercisc. l. 10. C. ad L. Falcid. Nov. 1. c. 1. §. 1.*

§. 36. *Secundo Capite SCti Trebelliani* continetur, *Ut pro rata portione Actiones tum Activa, tum Paſſiva, in Fideicommiſſarium tranſeant. §. 7. I. de fideic. hered. l. 1. C. h. t.*

§. 37. Exceptis oneribus legatorum, quæ ad ſolum Fideicommiſſarium pertinent: *l. 1. §. ult. D. h. t.* niſi minus dodrante heres reſtituere rogatus ſit. *d. l. 1. §. pen.* Ita accip. *l. 2. C. h. t.*

§. 38. *Tertio* vero, *Ut heres Fiduciarius*, ejusque ſucceſſores, *l. 40. §. 1. D. h. t. ad adeundum, & reſtituendum cogi poſſit. §. 7. I. de fideic. her. l. 4. D. h. t.* Quo caſu nullum neque commodum, neque damnum apud heredem remanet. *d. §. 7. d. l. 4.*

§. 39. *Ceſſat* itaque *Detractio Quartæ Trebellianicæ*, *I.* Si heres coactus adeat. *d. §. 7. I. de fideic. hered. d. l. 4. D. h. t.*

II. In Teſtamento Militis. arg. *l. 7. C. ad L. Falcid.*

III. Si heres Fiduciarius ſciens, v. *l. 45. D. h. t.* vel jus ignorans, integrum Fideicommiſſum reſtituerit. *l. 9. C. ad L. Falcid.*

IV. Si heres Inventarium facere neglexerit. arg. *l. ult. §. 12. 14. verſ. Si quid. C. de jur. delib. N. 1. c. 2. §. 2.* v. ſupr. *ad T. de jur. delib. §. ult.*

V. Si teſtator detractionem *Quartæ Trebellianicæ* expreſſe prohibuerit. *Nov. 1. c. 2. §. 2.* Exceptis tamen liberis, quibus prohibitio illa paterna non præjudicat. *l. 6. C. h. t.*

TITULUS II.

QUANDO DIES LEGATORUM VEL FIDEICOMMISSORUM CEDAT. C, VI. 53.

§. 1.

Expoſito etiam *Senatusconſulto Trebelliano*, ſubjiciuntur denique tria *Legatis & Fideicommiſſis* communia.

§. 2. Quorum *Primum* eſt, *Quando dies Legatorum vel Fideicommiſſorum cedat*, i. e. quando Legata & Fideicommiſſa deberi incipiant. v. *l. 213. D. de V. S.*

§. 3. Et *Jure antiquo* quidem, legatorum, quæ *pure* vel *in diem certum* relicta erant, dies cedebat ex tempore mortis teſtatoris. Ulp. *T. XXIV. §. 31.* Per *Legem* autem *Papiam Poppæam* ex apertis tabulis teſtamenti; Ulp. *d. l. l. un. §. 1. C. de cad. toll.* eorum vero, quæ *ſub conditione* relicta, cum conditio extiterit. Ulp. *d. l.*

§. 4. Sed poſtea Jus antiquum reductum eſt; *Jure Novo* enim, *Si purum*

eſt

eſt legatum, dies ejus cedit ex die ſeu tempore mortis teſtatoris, *l. 5. §. 1. D. h. t. l. un. §. 1. 5. C. de cad. toll.*

§. 5. Ut, ſi poſt diem legati cedentem Legatarius deceſſerit, ad heredem ſuum transferat legatum. *d. l. 5. pr.* D. *l. 3. C. h. t.*

§. 6. Excepto Legato Uſusfructus, Uſus, Habitationis, *l. 2. 3. 9. D. h. t. l. un. §. 2. D. quand. dies uſusfr. leg. ced.* v. ſupr. *ad d. t. §. 1.* Libertatis, *l. 8.* D. *h. t. l. un.* §. *6. C. de cad. toll.* Optionis, *l. 16. D. de opt. vel elect. leg.* & ſimilibus; quorum dies non prius cedit, quam ex tempore editæ hereditatis. *dd. ll.*

§. 7. *Si* vero legatum *poſt diem*, vel *ex die*, *certo* ſcil. relictum ſit, ſimili modo atque in puro dies cedit, i. e. ex tempore mortis: *l. 5. §. 1. l. 21. D. h. t.* licet ante diem exiſtentem peti nequeat, *d. l. 21. 203. D. de V. S.*

§. 8. *Si* enim *ex die incerto*, qui conditionem facit, *l. 75.* D. *de cond. & dem.* dies non cedit, niſi dies adjectus extiterit. *d. l. 21. 22. pr.* D. *h. t.*

§. 9. Sed *Si ſub conditione* legatum ſit, non prius dies legati cedit, quam conditio fuerit impleta; ne quidem, ſi ea ſit conditio, quæ in poteſtate ſit Legatarii: *l. 5. §. 2.* D. *h. t. l. 41. D. de cond. & dem.* neque antea quicquam transmittitur. *l. 4. pr.* D. *h. t. l. un. §. 7. C. de cad. toll.*

§. 10. Niſi *I.* Ea ſit conditio, quam Prætor remittit; *l. 5. §. 3. D. h. t.* vel impoſſibilis: quia pro puro hoc legatum habetur. *d. l. 5. §. 4.*

II. Quæ per Legatarium non ſtat, quo minus impleatur, ſed aut per heredem, aut per ejus perſonam, in cujus perſona juſſus eſt parere conditioni: quoniam pro impleta habetur. *d. l. 5. §. 5.* D. *h. t. l. 161.* D. *de R. J.*

III. Quæ non expreſſe adjecta, ſed tacite ineſt. *l. 99. D. de cond. & dem. l. 6. §. 1. l. 22. §. 1. D. h. t.*

IV. Quæ non in futurum, ſed præſens, vel præteritum collata eſt; quæ proprie *Conditio* dici nequit. *l. 10. §. 1. D. de cond. inſt. l. 120.* D. *de V. O. §. 6. I. eod.*

Vel niſi *V.* Officio ſeu Miniſterio magis relictum ſit, quam perſonæ. v. *l. 56.* D. *de leg. 2. l. 20. §. 1.* D. *de ann. leg.*

TITULUS III.

UT LEGATORUM SEU FIDEICOMMISSORUM SERVANDORUM CAUSA CAVEATUR.

C. VI. 54.

§. 1.

Secundum commune eſt *Cautio*, *Legatorum* ſeu *Fideicommiſſorum ſervandorum cauſa*, ſi forte, ob diem vel conditionem adjectam, mora injiciatur, *ab herede præſtanda.*

§. 2.

Digitized by Google

§. 2. De quo Prætor tale Edictum propoſuiſſe videtur: *Legatorum & Fideicommiſſorum nomine ſatisdari jubebo, ut, quibus teſtator diebus dari fierive voluit, iisdem detur vel fiat, dolumque malum abeſſe abſuturumque eſſe, inter ſe ſtipulari cogam.* arg. *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 3. Nec ſine ratione hoc Prætori viſum eſt. Sicuti enim heres incumbit poſſeſſioni bonorum, ita Legatarii quoque carere non debent bonis defuncti; ſed aut ſatisdabitur eis, aut, ſi ſatis non datur, in poſſeſſionem bonorum Prætor venire voluit. *l. 1. §. 2. D. h. t.*

§. 4. Locum habet hæc Satisdatio in Legatis & Fideicommiſſis, ex die vel ſub conditione relictis, quæ ſcil. probabiliter debentur. *l. 1. pr. l. 5. §. 2. l. 14. pr. §. 1.* D. *h. t.*

§. 5. Non etiam in puris, niſi præſtatio eorum moram quandam contineat; *l. 14. pr. D. h. t.* neque tum, ſi certum ſit, Legato vel Fideicommiſſo locum non eſſe: perquam enim iniquum eſſet ſupervacua cautione onerari heredem. *d. l. 14. §. 1. D. h. t.*

§. 6. Præſtant Satisdationem heredes, cujuscunque ſint dignitatis, vel quarumcunque facultatum, *l. 1. §. 1.* D.*h. t.* eorumque ſucceſſores; *d. l. 1. §. 6.* ut & quibus ex SCto Trebelliano reſtituta eſt hereditas, quique per alios heredes exiſtunt. *d. l. 1. §. 7. 8. D. h. t.*

§. 7. Præſtatur Legatariis & Fideicommiſſariis, eorumque heredibus & procuratoribus; *l. 1. §. 3. 4. D. h. t.* dummodo ante litem conteſtatam cautionem exegerint. *l. 1. §. 9.* D. *h. t.*

§. 8. Eum in finem, ut, non ſolutis ſuo tempore Legatis vel Fideicommiſſis, heredes vel fidejuſſores ex hac ſtipulatione conveniri poſſint. v. *l. 5. pr.* §. *10.* D. *h. t.*

§. 9. *Ceſſat* vero *I.* Si a Teſtatore remiſſa ſit; *l. 12. 18. pr.* D. *h. t. l. 1. pr. D. ut in poſſ. legat. l. 2. 7. C. h. t. l. 41. §. ult. D. de leg. 3.* vel a Legatariis & Fideicommiſſariis ei renunciatum ſit. *l. 46.* D. *l. pen. C. de pact.*

II. Si Legatum vel Fideicommiſſum relictum ſit a Fiſco vel Rep. *l. 1. §. 18. l. 6. §. 1.* D. *h. t*

III. Si relictum ſit Filio vel Servo, a Patre vel Domino herede inſtituto. *l. 7. D. h. t. l. 50. D. ad SCt. Trebell.*

IV. Si lis conteſtata ſit. *l. 1. §. 9. D. h. t.*

V. Si heres paratus ſit ſtatim judicium pati & probare, nihil deberi, vel per calumniam aliquid peti. *l. 14. §. 1.* D. *h. t. l. 3. pr. §. 1. D. ut. in poſſ. leg.*

TITU-

TITULUS IV.

Ut In Poſſeſſionem Legatorum Vel Fideicommiſſorum Servandorum Cauſa Eſſe Liceat.

C. VI. 54.

§. 1.

Tertium vero eſt *Miſſio in poſſeſſionem Bonorum, Legatorum & Fideicommiſſorum ſervandorum cauſa.*

§. 2. Si enim heres Legatariis & Fideicommiſſariis dicto modo non caveat, neque per eos ſtet, quo minus caveatur, mittuntur illi in poſſeſſionem hereditatis. *l. 1. §. 2. D. ut legat. ſeu fideic. ſerv. cauſ. cav. l. 5. pr.* D. *h. t.*

§. 3. De quo Prætor ita edixiſſe videtur: *Si legatorum fideicommiſſorumve nomine ſatisdatum non erit, neque per eos ſtet, quo minus eis caveatur, in poſſeſſionem bonorum iri jubebo,* arg. *d. l. 1. §. 2. D. ut legat. ſeu fideic. ſerv. cauſ. cav. l. 1. §. 1.* D. *h. t.*

§. 4 Non exigit Prætor, ut per heredem ſtet, quo minus caveat; ſed contentus fuit per Legatarium vel Fideicommiſſarium non ſtare, quo minus ei caveatur. Quare, ſi non fuerit, qui interpelletur cautionis nomine, hoc eſt is, a quo legatum fideive commiſſum relictum eſt, omnimodo poterit Legatarius & Fideicommiſſarius in poſſeſſionem ex hoc Edicto mitti. Quia verum eſt, per eum, cui caveri oportebat, non fieri, quo minus caveatur. *d. l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 5. Plane neceſſe non habet heres offerre Satisdationem, ſed requiritur, ut Edicto huic locus ſit, ut Legatarius cautionem deſideraverit, vel nullus ſit, a quo deſiderari poſſit. *d. l. 1. §. 1. in f.* D. *h. t.*

§. 6. Mittuntur autem hoc caſu Legatarii & Fideicommiſſarii, in poſſeſſionem bonorum ſeu rerum hereditariarum defuncti, *l. 5. §. 5. 6. & ſeqq. l. ult. D. h. t.* & quidem omnium, licet minima res legata ſit. *l. 13. D. h. t. l. 5. §. 1. D. ut legat. ſeu fideic. cauſ. cav.* Non obſt. *N. 53. c. 4. §. 1.*

§. 7. Non etiam in poſſeſſionem propriorum bonorum heredis; niſi dolo vel lata culpa fecerit, quo minus res in cauſa hereditaria maneant; *l. 5. §. 13. 14. 15. D. h. t.* vel per ſex menſes continuos ab eo in ſatisfactione ceſſatum ſit. *l. 5. §. 16. & ſeqq. D. h. t.*

§. 8. Si miſſus in poſſeſſionem non admittatur, habet interdictum propoſitum, *l. 5. §. 27. D. h. t. Ne* ſcil. *vis fiat ei, qui in poſſeſſionem miſſus eſt*; v. *l. 3. in f. D. ne vis fiat ei.* aut per Magiſtratus introducendus eſt in poſſeſſionem. *d. l. 5. §. 27.* D. *h. t. d. l. 3. pr. D. ne vis fiat ei.*

§. 9. Ubi vero admittitur, miſſus non dominium acquirit, nec tam poſſeſſio rerum ei datur, quam cuſtodia, & jus pignoris. Neque enim expellendi

heredem jus habet, ſed ſimul cum eo poſſidere jubetur, ut ſaltem tædio perpetuæ cuſtodiæ extorqueat heredi cautionem. *l. 5. pr.* D. *h. t. l. 3. & 5. C. h. t.*

§. 10. Quæ tamen legatorum ſervandorum cauſa in bonis eſt, in cauſa veſcendi deminuet, ſi filia, neptis, proneptis, uxorve eſſet, nec nupta ſit, nec ſuum quicquam habeat. *l. 14. D. h. t.*

* *

PARS SEXTA.

LIBER XXXVII. TITULUS I.

De Bonorum Possessionibus.

§. 1.

Actum adhuc eſt de *Succeſſione* ſeu *Hereditate Civili*, quæ *Teſtamento* defertur, aliisque eo pertinentibus; ſequitur *Hereditas Prætoria*, ſeu *Bonorum Poſſeſſio*. De qua, cum ſimiliter & Teſtamento facto, & ab Inteſtato locum habeat, ante *Succeſſionem ab Inteſtato Civilem* agendum viſum eſt.

§. 2. Eſt autem *Bonorum Poſſeſſio*, *Jus perſequendi retinendique Patrimonii, ſive rei, quæ cujusque, cum moritur, fuit. l. 3. §. 2. D. h. t.*

§. 3. Dicitur *Jus*; *Bonorum* enim *Poſſeſſio*, non uti *rerum poſſeſſio* accipienda eſt, quia juris magis eſt, quam corporis: adeo ut, etſi nihil corporale ſit in hereditate, attamen recte ejus bonorum poſſeſſio agnita dicatur. *l. 3. §. 1. D. h. t.*

§. 4. *Jus* vero intelligendum non *Civile*, ſed *Prætorium*; quia *Bonorum Poſſeſſio* Juris Civilis adjuvandi, ſupplendi, & emendandi gratia, a Prætore introducta eſt. *pr. I. h. t. l. 6. §. 1. D. h. t.*

§. 5. Additur *Perſequendi retinendique patrimonii*, *ſive rei*, *quæ cujusque*, *cum moritur*, *fuit*. *Bona* enim hic non ea accipienda, quæ deducto ære alieno ſuperſunt, uti fere alibi; v. *l. 39. §. 1. D. de V. S.* ſed univerſitatis cujusque ſucceſſio, qua ſucceditur in jus demortui, ſuſcipiturque ejus rei commodum & incommodum. Nam ſive ſolvendo ſunt bona, ſive non ſunt, ſive damnum habent, ſive lucrum, ſive in corporibus ſunt, ſive in actionibus, in hoc loco proprie *bona* appellabuntur. *l. 3. pr. D. h. t. l. 119. & 208. D. de V. S.*

§. 6. *Bonorum Poſſeſſionis* autem beneficium multiplex eſt. *l. 6. §. 1. D. h. t.* Eſt enim *Bonorum Poſſeſſio* vel *Edictalis* ſeu *Ordinaria*, vel *Decretalis* ſeu *Extraordinaria*. *l. 1. §. 4. D. unde lib. l. 30. §. 1. D. de acq. her. l. 5. §. 3. D. de legat. præſt. l. 3. §. 14. 15. 16. D. de Carb. ed. l. 1. §. 7.* D. *de ſucceſſ. ed.*

§. 7.

§. 7. *Bonorum Poſſeſſio Edictalis* ſeu *Ordinaria* eſt, *quæ Edicto Prætoris defertur, & ſine cauſæ cognitione de plano peti poteſt, l. 30. §. 1. D. de acq. hær, l. 2. §. 1. D. quis ord. in bon. poſſ.*

§. 8. *Decretalis* vero ſeu *Extraordinaria*, *quæ cauſa pro tribunali cognita datur Decreto Prætoris: d. l. 2. §. 1. D. quis ord. in bon. poſſ.* qualis eſt *Carboniana; l. 1. pr. D. de Carbon. ed. Ventris nomine; l. 1. pr. §. 7. & ſeqq. D. de ventr. in poſſ. mitt.* nec non *Litis ordinandæ gratia* data. *l. 8. pr. D. de inoff. teſtam.*

§. 9. *Bonorum Poſſeſſio Edictalis* iterum eſt *Ordinaria*, vel *Extraordinaria.*

§. 10. *Ordinaria* eſt, quæ Edicto Prætoris, certis perſonis, certo ordine, vel *Facto Teſtamento*, vel *ab Inteſtato* defertur. *l. 6. §. 1. D. h. t.*

§. 11. *Facto teſtamento* datur *Bonorum Poſſeſſio* vel *Secundum Tabulas*, vel *Contra Tabulas. d. l. 6. §. 1. D. h. t. §. 1. 2. I. h. t. T. T.* D. *de bon. poſſ. ſec. & contr. tab.*

§. 12. *Ab Inteſtato* defertur *Bonorum Poſſeſſio Unde Liberi*, *Unde Legitimi*, *Unde Cognati*, *Unde Vir & Uxor. d. §. 1. 2. I. h. t.*

§. 13. *Edictalis* vero *Extraordinaria* eſt, quæ ex Lege, SCto, Conſtitutione Principis, aliove novo Jure, extra ordinem conceditur. *§. 3. I. h. t. t. t. ut ex leg. SC. bon. poſſ. detur.*

§. 14. Datur *Bonorum Poſſeſſio* tam Patrisfamilias, quam Filiifamilias, ſi modo jus teſtandi habuit, de peculio caſtrenſi, vel quaſi caſtrenſi. *l. 3. §. 5. D. h. t.*

§. 15. Datur iis, qui delatam agnoſcunt; v. *l. f. C. qui admitt. ad bon. poſſ.* invito enim nemini Bonorum Poſſeſſio acquiritur. *l. 3. §. 3. D. h. t.*

§. 16. Agnoſcere autem poſſunt, *quicunque non impediuntur*: quales ſunt, Furioſi, Infantes, quorum nomine Tutores, Curatores, vel Parentes agnoſcunt; *l. 1. D. de bon. poſſ. fur. neque prohibentur*, quales ſunt Pupilli & Minores ſine Tutorum Curatorumve auctoritate; *l. 7. §. 1. D. h. t.* arg. *l. 3. C. de in int. reſt. min.* nec non qui rei capitalis damnati ſunt. *l. 13. D. h. t.*

§. 17. De quibus inter alia Prætor nominatim ita edixiſſe videtur: *Iis qui rei capitalis damnati ſunt, neque in integrum reſtituti ſunt, bonorum poſſeſſionem non dabo.* arg. *d. l. 13. D. h. t.*

§. 18. Dummodo agnitio fiat intra *tempus legitimum*: quod reſpectu Liberorum & Parentum annus eſt; reſpectu aliorum vero ſpatium centum dierum. *§. 1. & 4. I. h. t. l. 1. §. 9. & 12. D. de ſucceſſ. ed.* v. infr. ad *t. de Succ. Ed. §. 2.*

§. 19. Quod tempus cedit ex quo quis ſcivit aliquem mortuum, ſeque proximum cognatum eſſe; *l. 10. D. h. t.* adeo, ut juris ignorantia hic non proſit, *d. l. 10. D. h. t. l. 2. §. ult. D. quis ord.* & dies, quibus tutor aut pater ſcit, cedere placeat. *l. 7. §. 2. D. h. t.*

§. 20. Effectus agnitionis & admiſſionis eſt, quod *Bonorum Poſſeſſio* com-

Digitized by Google

moda & incommoda hereditaria, itemque dominium rerum, quæ in his bonis ſunt, tribuat. *l. 1. D. h. t. l. 40 §. 1. D. de pign. act.* In omnibus enim *fere* vice heredum Bonorum Poſſeſſores habentur. *l. 2. D. h. t. l. 1. 2. D. de poſſ. hered. pet. l. 117. D. de R. J.*

§. 21. *Ceſſat* vero *Bonorum Poſſeſſio: I.* Si quis eam repudiaverit. *l. 3. §. 3. D. h. t.*

II. Si tempus præſcriptum tranſactum ſit. *l. 1. C. qui admitt. ad bon. poſſ.*

III. Si Lex, vel Senatus, vel Conſtitutio, hereditatem capere prohibeat. *l. 12. §. 1. D. h. t.*

TITULUS II.

SI TABULÆ TESTAMENTI EXTABUNT.

§. 1.

Ubi igitur petitur *Bonorum Poſſeſſio;* in primis videndum, an Teſtamentum factum ſit, & Tabulæ Teſtamenti mortis tempore extiterint? *l. 1. pr. D. und. lib. l. un. D. h. t. l. 19. D. de bon. poſſ. contr. tab.*

§. 2. Nam ſi Tabulæ Teſtamenti mortis tempore non extent; vel extent quidem, ſed in iis nomen heredis, licet inconſulto, ita deletum ſit, ut penitus legi non poſſit, *Bonorum poſſeſſio* minime dari poteſt: quia ex conjectura non proprie ſcriptus videtur. *l. un.* D. *h. t.*

§. 3. Si vero mortis tempore tabulæ fuerint, licet poſt eas prolatas & publicatas deletum ſit Teſtamentum, vel poſtea Tabulæ interierint, competet *Bonorum Poſſeſſio*: quia verum fuit Tabulas extitiſſe, *d. l. un. D. h. t.*

§. 4. Quæ Prætor in Edicto hiſce ſimilibusve verbis complexus videtur: *Si Tabulæ teſtamenti extabunt, in quibus heredis nomen ita deletum ſit, ut penitus legi nequeat, Bonorum Poſſeſſionem non dabo. Si tamen poſt prolatas tabulas deletum fuerit teſtamentum, aut tabulæ deinde interierint, ſecundum eas nihilominus Bonorum Poſſeſſionem dabo.* arg. *d. l. un.* D. *h. t.*

TITULUS III.

DE BONORUM POSSESSIONE FURIOSO, INFANTI, MUTO. SURDO, COECO, COMPETENTE.

§ 1.

Illud etiam conſiderandum, an tempus petendæ Bonorum Poſſeſſioni præſtitutum forte tranſactum ſit? Quo caſu, ſi vel maxime Tabulæ Teſtamenti extent, Bonorum Poſſeſſioni etiam locus non eſt. *l. 1. C. qui admitt. ad bon. poſſ. §. ult.*

§. 2.

Digitized by Google

§. 2. Niſi *Furioſo* vel *Infanti* competat, qui, licet Curator vel Pater Bonorum Poſſeſſionem intra præſtitutum tempus non petierint, tamen non excluduntur. *l. 1.* D. *h. t.*

§. 3. Sed ſecus eſt in *Muto*, *Surdo*, *Cæco*: dummodo quid agatur intelligant. *l. 2. D. h. t.*

TITULUS IV.

De Ponorum Poſſeſſione Contra tabulas.
C. VI. 12.

§. 1.

Tabulis autem extantibus, neque tempore legitimo præterlapſo, locum habet *Bonorum poſſeſſio* vel *Contra Tabulas* vel *Secundum Tabulas.*

§. 2. *Bonorum poſſeſſio Contra Tabulas* in primis competit Liberis emancipatis, a Patre in Teſtamento præteritis. *§. 1. I. de bon. poſſ. §. 3. I. de exher. lib.*

§. 3. De quo Prætor ita edixiſſe videtur: *Si Liberi ſui juris facti neque inſtitui, neque qui maſculini ſexus ſunt nominatim, vel fœminini inter cæteros exheredati ſint, iis Contra Tabulas Bonorum Poſſeſſionem dabo; exceptis iis qui jure heredes inſtitui non poſſunt. l. 1. pr. §. 6. l. 3. §. 10. D. h. t. §. 3. I. de exher. lib. §. 12. I. de her. quæ ab int.*

§. 4. Datur itaque hæc Bonorum Poſſeſſio *Liberis*: ſive naturales ſint, ſive adoptivi, ſive nati, ſive poſtumi; *l. 1. pr. §. 1. & ſeqq. D. h. t.* ſive primi, ſive ſecundi, vel ulterioris gradus ſint. *l. 3. pr. §. 1. & ſeqq. D. h. t.*

§. 5. Datur autem *Liberis ſui juris factis*: ſive emancipati ſint, ſive alias exierint de patris poteſtate. *l. 1. §. 6. l. 3. pr. D. h. t. §. 3. I. de exher. lib.*

§. 6. *Qui neque inſtituti, neque exheredati ſunt; l. pr. D. h. t. d. §. 3. I. de exher. lib. d. §. 12. I. de her. quæ ab inteſt.* vel quod idem eſt, qui non rite exheredati ſunt. *l. 8. §. 2. D. h. t. §. 12. I. de hered. quæ ab inteſt.*

§. 7. Non datur proprie *Suis*; qui præteriti teſtamentum nullum dicunt: *pr. I. de exher. lib. l. 1. D. de injuſt. rupt. irr. teſtam.* ob æquitatis tamen rationem & ad eos extenditur. arg. *l. 2. C. h. t. §. 12. I. de hered. quæ ab inteſt.*

§. 8. Non etiam *Inſtitutis*; cum enim tales poſſint *Secundum tabulas* habere *Poſſeſſionem*, quo bonum eſt iis *Contra tabulas* dari? Plane ſi alius committat Edictum, & ipſe ad *Contra tabulas Bonorum Poſſeſſionem* admittetur. *l 3. §. 11. l. 10. §. ult. D. h. t.*

§. 9. Neque *rite Exheredatis*; quibus ſola competit *Querela Teſtamenti inofficioſi. l. 8. pr. §. 2. l. 10. §. pen. D. h. t.*

§. 10. Nec denique *Liberis, qui heredes inſtitui non poſſunt*; in quo mortis tempus ſpectandum eſt. *l. 3. §. 10. D. h. t.*

§. 11. Quin & ad Teſtamenta fœminarum *Edictum contra Tabulas Bono-*

rum Poſſeſſionis, non pertinet; quia ſuos heredes non habent, *l. 4. §. 2. D. h. t.* & earum præteritio pro exheredatione habetur. *§. ult. I. de exher. lib.*

§. 12. Cum autem emancipatus *Bonorum Poſſeſſionem Contra Tabulas* accipit, ſcriptus heres ei hereditatem petenti cogendus eſt, & prædia, & ſervos hereditarios præſtare: omne enim Jus transferri æquum eſt, quod per cauſam hereditariam ſcriptus heres nanciſcitur, ad eum, quem Prætor heredis loco conſtituit. *l. 13. pr. D. h. t.*

TITULUS V.

DE LEGATIS PRÆSTANDIS, CONTRA TABULAS BONORUM POSSESSIONE PETITA.

§. 1.

Licet autem per *Bonorum Poſſeſſionem Contra Tabulas* teſtamentum Patris reſcindatur, *l. 1. pr. D. h. t.* adeoque & Legata in eo relicta ſummo jure corruant; *l. 181. D. de R. J.* Prætor tamen, ex æquitate, quibusdam perſonis Legata relicta præſtari voluit. *d. l. 1. pr.* D. *h. t.*

§. 2. De quo ſic forte edixit: *Qui Judicia patris reſcindunt per contra tabulas Bonorum Poſſeſſionem, ex judicio ejus Legata & Fideicommiſſa, liberis, parentibus, uxori, nurui quoque dotis nomine relicta, eos præſtare cogam. Non tamen iis liberis, quibus ex ſuperioribus cauſis Bonorum Poſſeſſionem polliceor, ſi eam petierint, aut ſi quid aliud ex defuncti voluntate obtinuerint.* arg. *l. 1. pr. l. 5. §. 2.* & *4. D. h t.*

§. 3. Generaliter autem *Parentes* & *Liberos* Prætor excepit; nec gradus liberorum parentiumve enumeravit: in infinitum igitur eis præſtabitur. *l. 1. §. 1. & ſeqq. D. h. t.*

§. 4. Sed Uxori, *Nuruique*, tantum *dotis* nomine relicta præſtari voluit. Si quid enim *Uxori*, *Nuruique* fuerit legatum, præter dotem, accepta *Contra Tabulas Bonorum poſſeſſione*, non præſtabitur. *l. 8. §. 3. D. h. t.*

§. 5. Plane non ſolum *Dotem* prælegatam Prætor complectitur, verum etiam, ſi pro dote aliquid fuerit relictum; ut puta, ſi dos in rebus ſit, & pro rebus ei quantitas relinquatur, vel contra: dum tamen hoc nominetur, quod pro dote relinquitur, *l. 8. §. ult. D. h. t.* & *Uxor*, *Nururve* revera dotem habeat. *l. 15. §. 3. D. h. t.*

§. 6. Non tamen præſtanda veniunt Legata iis liberis, quibus *Bonorum Poſſeſſio contra tabulas* data eſt; quive aliud quid ex voluntate defuncti acceperunt: *l. 5. §. 2. 4. D. h. t. l. 18. §. 1. D. de bon. poſſ. contr. tab.* uti neque Fratribus vel Sororibus, quibus Prætor non proſpexit. *l. 3. §. 1. D. h. t.*

§. 7. Quod Edictum per *Nov. 115. c. 3.* minime mutatum videtur.

TITU-

TITULUS VI.

De Collatione. C. VI, 20.

§. 1.

Cum vero Prætor, ad *Bonorum Poſſeſſionem Contra Tabulas* emancipatos admittendo, eos participes faciat cum his, qui ſunt in poteſtate, conſequens etiam eſſe credidit, ut ſua quoque bona in medium conferant, qui appetunt paterna. *l. 1. pr. §. 5. 6. l. 2. §. 5. D. h. t.*

§. 2. De quo ita edixiſſe videtur: *Filios emancipatos, quibus Bonorum Poſſeſſio dabitur, ſua bona in medium conferre filiis in poteſtate exiſtentibus, boni viri arbitratu jubebo; ita ut Collatio fieri cenſeatur, ſi recte eo nomine cautum fuerit.* arg. *l. 1. pr. §. 1. & 9. l. 2. §. 2. l. 5. §. 1. D. h. t. l. 20. §. 1. D. de bon. poſſ. contr. tab.* Ulp. *Tit. XXVIII. §. 4.*

§. 3. Eſt itaque hoc loco *Collatio, Confuſio propriorum bonorum cum paternis;* ſeu *Actus, quo coheredes Aſcendentibus ſuccedentes, res, quas ab ipſis vivis acceperunt, in communem hereditatem inferunt. l. 1. pr. D. l. 17. C. h. t.*

§. 4. Introducta eſt primum a Prætore: *d. l. 1. pr.* D. *h. t.* ſed deinceps, tum interpretatione Prudentum, tum maxime conſtitutionibus Principum, aucta & confirmata. v. *l. 10. D. h. t. l. 1. pr. D. de dot. coll. l. 17. & ult. C. h. t. Nov. 18. c. 6.*

§. 5. Summa æquitatis ratione, ſive jus antiquum conſideremus, ſive novum. Ratio enim, quæ Prætorem movit ad jus *Collationis* introducendum, in eo conſiſtit, ne, dum *Emancipatos* cum *Suis* ad ſucceſſionem admittit, *Sui* injuria afficerentur; *d. l. 1. pr. l. 10. D. h. t.* quæ vero Impp. ad illud augendum & extendendum induxit, in *æqualitate* inter liberos ſervanda ſita eſt. *l. 17. C. h. t. Nov. 18. c. 6.*

§. 6. Conferunt ſecundum *Edictum Prætoris & jus antiquum* Liberi *Emancipati*, qui per Bonorum Poſſeſſionem contra tabulas, ab inteſtato ad Aſcendentium hereditatem admittuntur; & quidem tantum *Suis*, non *Sui Suis*, nec *Emancipati Emancipatis. l. 1. pr. §. 5. 6. l. 2. §. 5.* D. *h. t.* Sed *Jure novo* omnes *Deſcendentes* Aſcendentibus ſuccedentes; non tantum *Emancipati ſuis*, ſed & *Sui Suis*, & *Emancipati Emancipatis*: cujuscunque ſexus vel gradus ſint; ſive ab Inteſtato, ſive ex Teſtamento ſuccedentes. *l. 17. & 19. C. h. t. Nov. 18. c. 6.*

§. 7. Ut & Nepotes, ea, quæ parentes eorum acceperunt, conferre debeant, licet Parentibus ſuis heredes non exiſtant. *l. 7. D. l. 17. & 19. C. h. t.*

§. 8. Non etiam Aſcendentes; arg. *l. 1. pr. §. 5.* D. *l. 17. & 19. verſ. Eo quod nulla. C. h. t.* Collaterales, vel Extranei; v. *l. f. C. comm. utr. jud.* nec Succeſſores ſingulares, Legatarii ſcil. & Fideicommiſſarii, *l. 12. 16. C. h. t.* v. infr. *§. 16.*

§. 9. *Conferenda* ſunt omnia, quæ computantur in Portionem Legitimam; *l. pen.*

l. pen. pr. C. h. t. adeoque omnia *Profectitia*, quæ ſcil. a vivis parentibus, de quorum ſucceſſione agitur, ad liberos pervenerunt, *l. 1. pr. §. 19.* [*D. l. 6. l. 12. 13. & 17. C. h. t.* & in eorum bonis tempore mortis patris v. c. inveniuntur. *l. 6. & 20. pr. C. h. t.*

§. 10. *Excipiuntur* tamen *I.* Sumtus in ſtudia, peregrinationem, & dignitatem liberorum ſubminiſtrati. *l. 50. D. fam. erc. l. 1. §. 16. D. h. t. l. 3. §. ult. D. de mun. l. un. C. de peric. ſucceſſ. par.*

§. 11. Niſi *I.* Pater, non donandi, ſed credendi animo, iſtos ſumtus fecerit; *d. l. 50. D. fam. ercifc.* quo caſu tamen ſumtus in alimenta prius detrahendi ſunt. arg. *l. 11. C. de neg. geſt.*

II. Filius habeat bona Adventitia, eaque pater adminiſtret. arg. *l. 3. D. de neg. geſt. l. ult. D. de pet. her. l. 5. §. 7.* D. *de. agn. & al. lib.*

III. Reliqui liberi ſalvam non habeant Portionem Legitimam. v. *l. 7. pr. D. de bon. damnat. l. 7. §. 1. D. ſi tab. teſt. null. extab.*

Vel *IV.* Sumtus iſti a liberis male impenſi ſint. arg. *l. 1. §. 23. l. 2. §. 2. D. h. t.*

§. 12. *II. Exc.* Si quid ex alia ſingulari pietate, veluti ad redimendum captivum, datum ſit. *l. 17. C. de poſtlim.*

§. 13. *III.* Si quid ob bene merita ad remunerandum datum ſit. arg. *l. 10. C. h. t.*

§. 14. *IV.* Si quid ex mera liberalitate datum ſit. *l. pen. §. 1. C. h. t. l. 18. C. fam. ercifc.* Non obſt. *l. 13. C. h. t.*

§. 15. Niſi aliud Pater voluerit; vel plures ſint liberi, & quidam habeant donationem ſimplicem, quidam vero donationem propter nuptias: quo caſu utrique conferre debent. *d. l. pen. §. 1. C. h. t.*

§. 16. *V.* Si legatum, vel fideicommiſſum, vel, quæ iis ſimilis eſt, mortis cauſa donatio relicta ſit. *l. 1. §. 19. D. l. 10. 12. 13. 15. C. h. t.*

§. 17. Non etiam conferuntur Bona Adventitia, mutato jure antiquo; *l. ult. C. h. t.* neque Caſtrenſia, vel Quaſi Caſtrenſia. *l. 1. §. 15. D. l. 12. C. h. t.*

§. 18. Facienda *Collatio tempore diviſionis*; ita tamen, ut omnia conferant liberi, quæ habuerunt tempore mortis ejus, de cujus ſucceſſione agitur. *l. 6. & 20 pr. C. h. t.*

§. 19. Facienda autem vel *Re*, bona ſcil. realiter inferendo & communicando; *l. 1. §. 11. D. h. t.* vel *Cautione*, *d. l. 1. §. 11.* præſtando ſcil. *ſatisdationem: l. 1. §. 9. D. h. t.* quæ tamen hic ita accipitur, ut & pignoribus caveri ſufficiat. *d. l. 1. §. 9.*

§. 20. Sed &, ſi tantum forte in bonis paternis emancipatus v. c. remittat, quantum ex collatione ſuus habere debet, dicendum eſt, emancipatum ſatis contuliſſe videri. Idemque juris eſt, ſi nomen paterni debitoris delegaverit, vel ſuu-

Digitized by Google

fundum remve aliam dederit pro portione bonorum, quæ conferri debuit. *l. t. §. 12. D. h. t.*

§. 21. Quod ſi non fiat *Collatio* ab eo, qui conferre debet, vel denegantur ei Actiones hereditariæ, donec contulerit; *l. 1. §. 10. D. l. 14. C. h. t.* vel *Actione Extraordinaria* (quæ ex mera æquitate deſcendit) ad hoc cogitur. *l. 8. C. h. t. l. 1. pr. D. de dot. coll.* v. Diſſert. *N. VIII. de Cauſ. Obl. C. I. §. 21. & ſeqq.*

§ 22. *Ceſſat* vero *Collatio*, (præter caſus exceptos) *I.* Si defunctus eam expreſſe prohibuerit. *Nov. 18. c. 6. Auth. Ex teſtamento. C. h. t.*

II. Si liberi paternæ hereditati renunciaverint. *l. pen. & ult. D. de dot. coll. N. 92. c. 1.*

TITULUS VII.

De Dotis Collatione.

§. 1.

Quemadmodum autem Filii omnia Profectitia, adeoque & Donationem propter nuptias conferunt; *l. 29. C. de inoff. teſt. l. 17. 19. §. 1. l. pen. C. de collat.* ſic & Filiæ *Dotem* conferre tenentur. *l. 1. pr.* D. *h. t. l. 12. 19. C. de collat.*

§. 2. De quo Prætor ſic locutus videtur: *Filiam, quæ Bonorum Poſſeſſionem petet, Dotem conferre cogam.* arg. *l. 1. pr.* D. *h. t.*

§. 3. Confert itaque *Dotem* ſecundum Edictum *Filia emancipata*, quæ petit Bonorum Poſſeſſionem contra tabulas. *d. l. 1. pr.* D. *h. t* Sed extenſum id eſt etiam ad Filias Neptesque *Suas*, quæ in poteſtate ſunt, ſi ſcil. bonis paternis ſeſe miſceant. *l. 1. pr. l. ult. D. h. t.*

§. 4. Adeo ut, ſive Patri ſuccedant, ſive matri; *l. 17. C. de collat.* ſive facto teſtamento, ſive ab inteſtato, nihil interſit, *l. 1. §. 8. D. h. t. d. l. 17. C. de coll.*

§. 5. Et olim quidem conferenda erat *Dos* non ſolum *Profectitia*, ſed etiam *Adventitia*; *l. 1. §. 7.* D. *h. t.* ſed Jure novo confertur tantum *Profectitia.* arg. *l. ult. C. de collat.*

§. 6. Confertur autem non tantum *tradita*, ſed & *promiſſa*: *l. 1. §. 1. D. h. t.* ita ſcil. ut pro portionibus fratres a neceſſitate præſtandæ dotis liberentur; *l. 2. C. de collat.* neque tantum ſoluto, ſed & conſtante matrimonio. *l. 5. C. de collat.*

§. 7. Si enim adhuc perſeveret matrimonium, ita fit collatio, ut filia tanto minus ex ſucceſſione patris capiat. *d. l. 5. C. de collat.*

§. 8. Si vero v. c. jam factum ſit divortium, & maritus non ſit ſolvendo, non debebit integra dos computari mulieri, ſed id, quod ad mulierem poteſt pervenire, hoc eſt, quod maritus facere poteſt. *l. 1. §. 6. D. h. t.*

§. 9. Niſi mulieri imputari poſſit, quare marito ad inopiam vergente, etiam

conſtante matrimonio, dotem non exegerit. *Nov. 97. c. 6. Auth. Quod locum. C. de collat.*

§. 10. Quod autem de *Dote* dictum eſt, etiam locum habet in aliis pretioſis, tempore nuptiarum filiæ datis. *l. 8. D. h. t. Nov. 18. c. 6. Auth. Ex teſtamento. C. de collat.*

§. 11. *Ceſſat* vero *Dotis collatio I.* Si maritus non ſit ſolvendo. *l. 1. §. 6. D. h. t.*

II. Si filia dote contenta paterna hereditate ſeſe abſtineat. *l. pen. & ult. D. h. t.*

III. Si parentes *Dotis Collationem* prohibuerint. *Nov. 18. c. 6. Auth. Ex teſtamento. C. de collat.*

TITULUS VIII.

DE CONJUNGENDIS CUM EMANCIPATO LIBERIS EJUS.

§. 1.

Quod ſi filius emancipatus, qui petit Bonorum Poſſeſſionem contra tabulas, liberos habeat, qui ſunt in poteſtate avi, non ſolus admittitur, ſed liberi ejus cum ipſo conjunguntur, ex novo capite Edicti, quod a Juliano introductum eſt. *l. 3.* D. *h. t. l. 1. §. 13. D. de ventr. in poſſ. mitt.*

§. 2. Quod ita conceptum videtur: *Si quis ex his, quibus Bonorum Poſſeſſio datur, in poteſtate parentis cum moritur non fuerit, ei, liberisque, quos in ejusdem parentis familia habet, ſi ad eos hereditas ſuo nomine pertineat, neque notam exheredationis meruerint, Bonorum Poſſeſſionem ejus partis dabo, quæ ad eum pertineret, ſi in poteſtate permanſiſſet, ita ut ex ea parte demidiam ipſe, reliquam liberi ejus habeant, hisque duntaxat bona ſua conferat.* arg. *l. 1. pr. §. 7. & 13. D. h. t.*

§. 3. Cujus Edicti ratio in æquitate poſita eſt, ut ſcil. neque *Filius Emancipatus* ſolus veniat, & excludat *Nepotes in poteſtate manentes;* neque *Nepotes* jure poteſtatis objiciantur patri ſuo. *l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 4. Sed hoc Edictum poſt *Nov 118. c. 1.* uſum amplius non habet, quo filius emancipatus liberis ſuis in poteſtate avi poſitis præfertur.

TITULUS IX.

DE VENTRE IN POSSESSIONEM MITTENDO, ET CURATORE EJUS.

§. 1.

Sicuti autem liberorum eorum, qui jam in rebus humanis ſunt, curam Prætor habuit, ita etiam eos, qui nondum nati ſunt, propter ſpem naſcendi non neglexit,

Digitized by Google

glexit, dum *Ventrem* mittit in poſſeſſionem vice contra tabulas Bonorum Poſſeſſionis. *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 2. Quæ pars Edicti ita concepta videtur: *Si mulier prægnans eſſe dicetur mortis tempore, & non ſit exheredatus, qui in utero erit, ſitque inter ſuos heredes futurus, cum iis, quibus poſſeſſio data erit, cauſa cognita, ventrem in poſſeſſionem eſſe jubebo.* arg. *l. 1. pr. §. 1. 2. l. 7. §. 2.* D. *h. t. l. 13. §. ult. D. de man. teſt.*

§. 3. Prægnantem eſſe mulierem oportet omnimodo, nec dicere ſe prægnantem ſufficit, quare nec tenet datio Bonorum Poſſeſſionis, niſi vere prægnans fuit, & mortis tempore, & eo, quo mitti in poſſeſſionem petit. *l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 4. Totiens autem mittitur in poſſeſſionem *Venter*, ſi non eſt exheredatus, (quod jure novo cum effectu fieri nequit, v. *N. 115. c. 3. pr.*) & id, quod in utero erit, inter ſuos heredes futurum erit; ſed &, ſi incertum ſit, aliquo tamen caſu poſſit exiſtere, quo qui editur ſuus futurus ſit, *Ventrem* mittemus: æquius enim eſt vel fruſtra nonnunquam impendia fieri, quam denegari aliquando alimenta ei, qui dominus bonorum aliquo caſu futurus eſt. *l. 1. §. 2. & ſeqq. D. h. t.*

§. 5. Unde ſi ea, quæ in poſſeſſionem vult ire, uxor negetur, vel nurus, vel eſſe, vel fuiſſe, vel ex eo prægnans non eſſe contendatur; non niſi cauſa cognita, an mulier forte calumniatrix ſit, & interpoſito decreto, ad exemplum *Carboniani Edicti*, mittenda eſt. *l. 1. §. 14. l. 7. §. 1. D. h. t.*

§. 6. Ex quibus enim cauſis *Carbonianam Bonorum Poſſeſſionem* Prætor dare ſolitus eſt, ex iisdem cauſis *Ventri* ſubvenire debet. *l. 1. §. 15.* D. *h. t.*

§. 7. Quotiens autem *Venter* in poſſeſſionem mittitur, Curator *Ventri* & bonis conſtituitur. Qui interim bona adminiſtrat, & cibum, potum, veſtitum, tectum mulieri præſtat, pro facultatibus defuncti; & pro dignitate ejus atque mulieris: *l. 1. §. 17. 19. D. h. t.* ad exemplum Tutorum & Curatorum. *l. 1. §. 22.* D. *h. t.*

§. 8. Manetque *Venter* tamdiu in poſſeſſione, quamdiu aut pariat, aut abortum faciat, aut certum ſit, eam prægnantem non eſſe. *l. 1. §. 27.* D. *h. t.*

§. 9. Quæ, ſi ſciens prudensque ſe prægnantem non eſſe conſumſerit, de ſuo id conſumſiſſe intelligitur. Sumtus autem ab ea bona fide facti non repetuntur. *l. 1. §. ult. l. 3. D. h. t.*

TITULUS X.

De Carboniano Edicto. C. VI. 17.

§. 1.

Quod ſi jam nato controverſia fiat, an inter liberos ſit, & impubes ſit, cauſa cognita ei datur *Bonorum Poſſeſſio Decretalis* ex *Edicto Carboniano*.

§. 2. Quod a Cn. Carbone Prætore ſic dictum, v. Val. Max. *L. V. c. III. n. 5. L. VI. c. II. n. 8. & L. IX. c. XIII. n. 8.* Diſſ. *N. XVI. ad Conſt. Marci. §. 4.* & ita conceptum videtur: *Si cui controverſia fiat, an inter liberos ſit, iſque impubes eſſe dicatur, cauſa cognita, intra annum, ei Bonorum Poſſeſſionem dabo, ac ſi nulla ea de re controverſia eſſet, eumque eo nomine ſatisdare jubebo: Judicium vero cauſa cognita in tempus Pubertatis differam.* arg. *l. 1. pr. l. 3. §. 4. 5. D. h. t. l. 1. 2. C. h. t.*

§. 3. Datur ex hoc Edicto Bonorum Poſſeſſio Liberis impuberibus, quibus de bonis ſimul & ſtatu controverſia movetur; ſive ex liberis eſſe negentur, ſive ſervi eſſe dicantur. *l. 1. pr. §. 5. l. 2. §. 2 l. 6. §. 3. D. h. t.* v. *d.* Diſſ. *N. XVI. §. 8.*

§. 4. Datur autem *cauſa cognita. l. 1. pr. D. h. t.* Summatim enim debet Prætor cognoſcere: &, ſi quidem abſolutam cauſam invenerit, evidenterque probetur filium non eſſe, negare debet ei *Bonorum Poſſeſſionem Carbonianam;* ſi vero ambiguam cauſam, hoc eſt vel modicum pro puero facientem, ut non videatur evidenter filius non eſſe, dabit ei *Carbonianam Bonorum Poſſeſſionem. l. 1. §. ult. l. 3. §. 4. 5.* D. *h t. d.* Diſſ. *§. 5.*

§. 5. Eoque caſu Judicium in tempus pubertatis differtur. *l. 1. pr.* D. *h. t.* Niſi pupillorum interſit, ſtatim potius ea de re judicari, quam in tempus pubertatis cognitionem differri. *d. l. 2. §. 5. D. h. t.*

§. 6. Sed hæc ita demum procedunt, ſi adverſario pupilli nomine ſatisdatum ſit, de bonis reſtituendis, ſi appareat, eum filium non eſſe. *l. 1. C. h. t.*

§. 7. Si enim adverſario non ſatisdetur, is, licet extraneus ſit, (ſi enim ex liberis ſit, ſemper ſimul mittitur, *l. 5. pr.* D. *h t.*) ſimul cum pupillo in bonorum poſſeſſionem mittitur. *l. 1. §. 1. l. 5. §. 2. D. l. 1. C. h. t.*

§. 8. Cui ſatisdanti ipſa quoque adminiſtratio committitur; ſi vero non ſatisdet, Curator conſtituitur, per quem bona adminiſtrentur. *l. 5. §. 1. 2. ult.* D. *h. t.*

§. 9. Si vero pupilli nomine ſatisdatum ſit, Tutores adminiſtrant; qui pupillo non tantum alimenta præſtant, ſed & ſumtus in ſtudia, aliasque impenſas neceſſarias, pro modo facultatum. *l. 5. §. 3. ult. l. 6. §. 5. l. 15. D. h. t.*

§. 10. Datur autem *Bonorum Poſſeſſio* ex *hoc Edicto*, non tantum *contra tabulas*, ſed & *ſecundum tabulas*, & *ab inteſtato. l. 3. pr. §. 2. l. 6. §. 2. D. h. t.*

§. 11. *Ceſſat* vero *Edictum Carbonianum* I. Si filius heres, vel exheres ſcriptus eſt. *l. 1. §. 8. l. 11. D. h. t.*

II. Si mater ſubjecti partus arguatur, & id ipſum probetur. *l. 1. §. ult. l. 3. §. 4. 5. D. h. t.*

TITU-

TITULUS XI.

De Bonorum Poſſeſſionibus Secundum Tabulas.

C. VI. 11.

§. 1.

Ubi vero non petitur, vel peti nequit *Bonorum Poſſeſſio contra tabulas*, locum habet *Bonorum Poſſeſſio Secundum Tabulas. l. 2. pr. D. h. t.* Ulp. *T. XXVIII. §. 1.*

§. 2. De qua Prætor ſic edixiſſe videtur: *Si de hereditate ambigitur, & tabulæ teſtamenti ſeptem teſtium ſignis obſignatæ extabunt, ſecundum tabulas teſtamenti potiſſimum hereditatem dabo, ſi Teſtator civis Romanus, & ſuæ poteſtatis, & cum facit teſtamentum, & cum moritur, fuerit.* arg. *l. 1. pr. §. 1. & ſeqq. l. 7. D. l. 2. C. h. t.* Ulp. *T. XXIII. §. 6.*

§. 3. Ut itaque hæc Bonorum Poſſeſſio locum habeat, neceſſe eſt, *ut tabulæ teſtamenti extent* tempore mortis teſtatoris. *l. 1. §. 23. D. h. t. l. un. D. ſi tab. teſtam. extab.*

§. 4. *Tabulas teſtamenti* accipere debemus omnem materiæ figuram; ſive tabulæ ſint ligneæ, ſive cujuscunque alterius materiæ, ſive chartæ, ſive membranæ. *l. 1. §. 1. l. 4.* D. *h. t.*

§. 5. Non autem omnes Tabulas Prætor ſequitur hac Edicti parte, ſed *ſupremas*; hoc eſt eas, quæ noviſſime ita factæ ſunt, ut poſt eas nullæ factæ ſint. *l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 6. Sufficit autem extare tabulas, etſi non proferantur, ſi certum ſit, eas extare. *l. 1. §. 2.* D. *h. t.*

§. 7. Semel autem extitiſſe tabulas mortuo teſtatore deſideratur, tametſi extare deſierint; quare &, ſi poſtea intercideruut, Bonorum Poſſeſſio peti poterit. *l. 1. §. 3 D. h. t. l. un. D. ſi tab. teſt. extab.*

§. 8. *Scientiam* tamen exigimus, ut ſciat heres extare tabulas, certusque ſit delatam ſibi Bonorum Poſſeſſionem. *l. 1. §. 4. D. h. t.*

§. 9. Si quis in duobus exemplaribus fecerit teſtamentum, & aliud extet, aliud non extet, tabulæ extare videntur, petique poteſt Bonorum Poſſeſſio. *l. 1. §. 5. D. h. t.*

§. 10. Sed etſi in duobus codicibus ſimul ſignatis alios heredes ſcripſerit, & utrumque extet, ex utroque quaſi ex uno competit Bonorum Poſſeſſio; quia pro unis tabulis habendum eſt, & ſupremum utrumque accipiemus. *l. 1. §. 6. D. h. t.*

§. 11. Sed ſi unum fecerit teſtator quaſi teſtamentum, aliud quaſi exemplum ſiquidem id extat, quod voluit eſſe teſtamentum, Bonorum Poſſeſſio petetur; ſi

ſi vero id, quod exemplum erat, Bonorum Poſſeſſio peti non poterit. *l. 1. §. 7. D. h. t.*

§. 12. Plane Tabulas teſtamenti extare non ſufficit, ſed inſuper requiritur, *ut ſeptem teſtium ſignis ſignatæ ſint; l. 7. & 9. D. h. t.* & *teſtator utroque tempore, & quo facit teſtamentum, & quo moritur, jus teſtamenti faciendi habuerit. l. 1. §. 8. D. h. t.*

§. 13. Datur autem hæc *Bonorum Poſſeſſio Secundum Tabulas* heredibus Scriptis; *l. 2. pr. §. 4.* D. *h. t. §. 1. I. de bon. poſſ.* pro ea parte, ex qua ſcripti ſunt. *l. 2. §. 2. l. 12. D. h. t*

§. 14. Et quidem *emendandi juris Civilis gratia* datur iis, qui juris ſubtilitate heredes eſſe non poterant, veluti poſtumo alieno. *pr. I. de bon. poſſ.* v. *l. 2. §. 1. & 5. l. 10. D. h. t. l. 12. & 17.* D. *de inj. rupt. irr. teſt. §. 6. I. quib. mod. teſtam. inf.*

§. 15. *Confirmandi* vero *juris Civilis gratia*, reliquis omnibus in teſtamento ſcripto recte heredibus inſtitutis. *pr. I. de bon. poſſ.*

§. 16. Non etiam ſecundum hoc Edictum inſtitutis in teſtamento Nuncupativo; *l. 2. C. h. t.* ad quos tamen, ſi ſeptem teſtium numerum adfuiſſe doceri poteſt, id etiam poſtmodum extenſum eſt, ut tali caſu *Bonorum Poſſeſſio Secundum Nuncupationem* locum habeat. *l. 8. §. ſ. D. l. 2. C. h. t. l. ſ. pr. in ſ. C. de codicill.*

TITULUS XII.

SI A PARENTE QUIS MANUMISSUS SIT.

§. 1.

B*onorum Poſſeſio* autem *contra tabulas* non tantum datur Liberis Emancipatis, ſed & exemplo Patroni *Parentibus Emancipatoribus præteritis. l. 1. pr. D. h. t.*

§. 2. De quo Prætor ita edixiſſe videtur: *In eo, qui a patre, avove paterno, proavove paterni avi patre, manumiſſus erit, idem jus conſtituam, eandemque contra tabulas Bonorum Poſſeſionem dabo, quam Patrono in bonis liberti.* arg. *l. 1. pr. §. 1.* D. *h. t. §. 6. I. quib. mod. jus patr. pot. ſolv.*

§. 3. Emancipatus enim a parente in ea cauſa eſt, ut in *Contra Tabulas Bonorum Poſſeſione* liberti patiatur exitum. Quod æquiſſimum Prætori viſum eſt, quia a parente beneficium habuit bonorum quærendorum: quippe, ſi filiusfamilias eſſet, quodcunque ſibi acquireret, ejus emolumentum patri quæreret; & ideo itum eſt in hoc, ut parens exemplo patroni ad *Contra Tabulas Bonorum Poſſeſionem* admittatur. *l. 1. pr. D. h. t.* add. *d. §. 6. I. quib. mod. jus patr. pot. ſolv.*

§. 4. Et quidem totorum bonorum, ſi filius emancipatus turpes perſonas ſcripſe-

Digitized by Google

ſcripſerit heredes; vel conſtitutæ patris ſeu Legitimæ, ſi non turpis heres inſtitutus ſit. *l. 3.* D. *h. t.* junct. *§. 3. I. de ſucceſſ. libertor.*

§. 5. Niſi *I.* Parens vel acceperit pecuniam, ut emanciparet; vel poſtea vivus in eum filius quantum ſatis eſt contulit, ne judicia ejus inquietet. *l. 1. §. 3. D. h. t.*

II. Filius militare cœperit. *l. 1. §. 4. D. h. t.*

III. Pater filium, quem male contra pietatem adficiebat, emancipare coactus ſit. *l. ult. D. h. t.* Quibus caſibus huic Bonorum Poſſeſſio locus non eſt.

§. 6. Sed & Jure novo poſt *Nov. 115. c. 4.* hoc Edictum in totum ceſſare videtur.

TITULUS XIII.

De Bonorum Possessione Ex Testamento Militis.

§. 1.

Illud ſingulare eſt *in Teſtamento Militis*, quod quidem *Bonorum Poſſeſſio ſecundum tabulas* teſtamenti militis locum habeat, *l. un. pr. D. h. t.* non vero *Bonorum Poſſeſſio contra tabulas. l. 29. §. 3.* D. *de teſtam. mil.* Quemadmodum nec contra teſtamentum militis locum habet Querela inofficioſi. *l. 27. §. 2.* D. *de inoff. teſt*

§. 2. De quo Prætor hiſce ſimilibusve verbis edixiſſe videtur: *Si miles teſtamentum feciſſe dicatur, quocunque modo teſtatus fuerit, & qualemcunque hereditatis partem aut legatum cuicunque reliquerit, in ſcriptis, aut ſine ſcriptis, eo in militia defuncto, aut intra annum poſt miſſionem, ex Principum conſtitutionibus, juxta eorum voluntatem Bonorum Poſſeſſionem dabo.* arg. *l. 1. 2. 13. 15. 17. 19. 38. & 40. de teſtam. mil.*

§. 3. Sed non ſolis militibus hoc tributum eſt, verum etiam omnibus aliis qui in hoſticolo verſantur. De quo Prætor ita ſubjeciſſe videtur: *Si qui in hoſticolo ſuprema ſua judicia quoquo modo ordinaſſe, ibidemque ſupremum diem functi eſſe dicantur, etiamſi milites non fuerint, ſecundum eorum voluntatem Bonorum Poſſeſſionem dabo.* arg. *l. un. pr. D. h. t.*

§. 4. Quanquam enim diſtet conditio militum ab his perſonis, quas conſtitutiones Principales ſeparant; tamen, qui in procinctu verſantur, cum eadem pericula experiantur, jura quoque eadem merito ſibi vindicant. Omnes igitur omnino, qui ejus ſunt conditionis, ut jure militari teſtari non poſſint, ſi in hoſticolo deprehendantur, & illic decedant, quomodo velint, & quomodo poſſint, teſtabuntur; ſive Præſes quis ſit Provinciæ, ſive Legatus, ſive quis alius, qui jure militari teſtari non poteſt. *d. l. un. pr. D. h. t.*

TITU-

TITULUS XIV.

DE JURE PATRONATUS. C. VI. 4.

§. 1.

Et hæc quidem ratione Teſtamentorum *Ingenuorum* locum habent. Sequitur *Bonorum Poſſeſſio Contra Tabulas* teſtamenti *Liberti*, *Patrono* competens; quæ cum ex *Jure*, quod *Patronus* habet in libertum, deſcendat, de *Jure Patronatus* præmittendum viſum eſt.

§. 2. Quod hic eſt *Jus*, *quod Patronus ſeu Manumiſſor, ex manumiſſione, in perſonam, & bona Liberti ſeu manumiſſi, conſequitur*.

§. 3. Acquiritur hoc *Jus Patronatus* manumiſſione ſervi, non tantum proprii, ſed & alieni, ea conditione legati, ut manumittatur. *l. 3. §. 1. & ſeqq. D. de ſuis & legit. her. l. 3.* D. *h. t. §. 2. I. de ſing. reb. per fidec. rel*

§. 4. Amittitur vero *I.* Si Patronus libertum non aluerit. *l. 5. §. 1. D. h. t. l. 8. §. 1. D. de in jus voc.*

II. Si libertum libertamve jurejurando adegerit, ne uxorem ducat, neve nubat. Quod & *Lege Julia de maritandis ordinibus* libertis remittitur. *l. 6. pr. §. ult.* D. *h. t. l. 24.* D. *de bon. libert.*

III. Si libertum, capitis accuſaverit. *l. 9. §. ult. l. 10. D. h. t.*

IV. Si Patronus id liberto remiſerit. *l. 3. C. de bon. libert.* quod tamen ita accipiendum, ut reverentia Patrono debita, & jus ipſi adverſus libertum ingratum competens, ſalva maneant. *d. l. 3.*

TITULUS XV.

DE OBSEQUIIS PARENTIBUS, ET PATRONIS PRÆSTANDIS.

§. 1.

Verſatur autem *Jus Patronatus* tum circa *Perſonam*, tum circa *Bona Liberti*.

§. 2. Quantum ad *Perſonam Liberti* attinet, obſtrictus eſt Libertus; *I.* Ad Obſequium & reverentiam Patrono præſtandam. *h. t.*

§. 3. Hinc *I.* Liberti non poſſunt ſine venia Patronos ſuos in jus vocare. *l. 4. §. 1. l. ult. D. de in jus voc.*

§. 4. *II.* Non poſſunt contra Patronos inſtituere *Actionem de Dolo*, aut *Injuriarum*, aut *Interdictum unde vi*, aut ullas famoſas, vel quæ doli vel fraudis habent mentionem; *l. 2. pr. §. 1. l. 5. §. 1. l. 6. 7. pr. D. h. t. l. 11. §. 1.* D. *de dol.* neque *Exceptiones Doli*, *Vis*, *Metusve cauſa*, vel ſimiles, quæ opinionem Patroni apud bonos viros ſugillent, iis opponere. *d. l. 7. §. 2. D. h. t. l. 4. §. 16. D. de dol. mal. & met. exc.*

§. 5. *III.* Patroni deferentes libertis jusjurandum non jurant de calumnia

Quis

Quia libertus de calumnia Patroni queri non debet. *l. 7. §. 3. 4. D. h. t. l. 16. D. de jurejur.*

§. 6. *IV.* Damnantur tantum Patroni, in quantum facere poſſunt: *l. 7. §. 1. D. h. t. l. 17. D. de re jud. §. 38. I. de act.* quin & egentes a libertis alendi ſunt. *l. 5. §. 18. 20. D. de agn. & alend. lib.*

§. 7. *V.* Denique Perſona Patroni liberto ſemper honeſta & ſancta videri debet. *l. 9. D. h. t.*

§. 8. Quod ſi ingratus ſit libertus, neque debitum obſequium & reverentiam Patrono præſtet, v. *l. 19. D. de jur. patr.* ſecundum delictum admiſſum a Præfecto Urbi vel Præſide coërceri, v. *l. 1. & 7. §. 1. D. de jur. patron. l. 1. §. 10. D. de off. Præf. Urb.* vel etiam in ſervitutem a Patrono revocari poteſt. *l. 5. pr. D. de jur. patr. l. 30. pr. §. 1. & ſeqq.* D. *qui & a quib. man. l. 70. D. de V. S.* Sueton. *in Claud. c. XXV. l. 2. C. de libert. & lib. eor.*

§. 9. Quemadmodum autem obſequium & reverentia a *Libertis* debentur *Patronis*, ſic eadem *Parentibus* a *Liberis*, & quidem multo magis, præſtanda, Parentiſque perſona ipſis ſancta habenda eſt: *Inſcr. l. 9. D. h. t.* ut & militibus pietatis ratio in parentes conſtare debeat. *l. 1. pr. D. h. t.* neque ruſticitati in ea re venia præbeatur. *l. 2. C. de in jus voc.*

* *

LIBER XXXVIII. TITULUS I.

De Operis Libertorum. C. VI. 3.

§. 1.

II. Obſtrictus eſt Libertus ad præſtandas *Operas*. De quo Prætor ſic edixiſſe videtur: *Si operæ, a Patrono Patrona, liberiſque eorum, petantur, adverſus libertos & libertas ea de re judicium dabo.* arg. *l. 2. §. 1. D. h. t.*

§. 2. *Operæ* ſunt *diurnum officium. l. 1. D. h. t.*

§. 3. Eæque ſunt vel *Officiales*, vel *Fabriles*. *l. 6. 9. §. 1. D. h. t. l. 26. §. 12. D. de cond. indeb.*

§. 4. *Officiales* ſunt, *quæ in officio perſonæ conſiſtunt*, & ad perſonam Patroni referuntur; ut adeſſe, comitari &c. *l. 9. §. 1. l. 20. §. 1. l. 38. §. 1. D. h. t.*

§. 5. *Fabriles* vero ſeu *Artificiales*, *quæ in artificio, & pecuniæ quaſi præſtatione, conſiſtunt*; *l. 6. D. h. t.* veluti pingere, ſcribere &c. *l. 26. §. 12. D. de condict. indeb. l. 7. §. 5. l. 23. pr. D. h. t.*

§. 6. Operas *Officiales* natura debet libertus, adeoque indiſtincte, ſive eas promiſerit, ſive non promiſerit. *d. l. 26. §. 12. D. de condict. indeb.*

Digitized by Google

§. 7. *Fabriles* vero non debentur niſi promiſſæ, ſtipulatione ſcil. vel jurejurando. *l. 3. pr. l. 5. 7. pr. D. h t. l. ult. D. de lib. cauſ.* Quo modo &, præter operas, *Donum, munus*, non raro promittebatur. v. *l. 7. §. 3. l. 37. D. h. t.* Gaj. *L. II. Inſt. T. IX. §. 4.* Adeo, ut non promiſſæ ſolutæ tanquam indebitæ condici & repeti poſſint. *l. 26. §. 12. D. de condict. indeb.*

§ 8. Operæ *Officiales* ſoli debentur Patrono; *l. 9. §. 1. D. h. t.* neque ad heredes tranſeunt. *l. 6. D. h. t.*

§. 9. *Fabriles* vero jubente Patrono etiam aliis edi poſſunt; *d. l. 9. §. 1.* & ad heredes tranſeunt. *d. l. 6. D. h. t.*

§. 10. *Deſinunt* autem *deberi operæ I.* Ex *Lege Julia & Papia*, ſi libertus duos filios vel unum quinquennem in poteſtate habeat. Quod caput *L. Juliæ Papiæ* extat in *l. 37. pr. D. h. t.* & ita habet: „Qui Libertinus duos pluresve a ſe „genitos, natasve, in ſua poteſtate habebit: præter eum, qui artem ludicram fe„cerit; quive operas ſuas, ut cum beſtiis pugnaret, locaverit; ne quis eorum „operas, donum, munus, aliudve quicquam, libertatis cauſa, patrono patronæ, „liberisve eorum, de quibus juraverit, vel promiſerit, obligatusve erit, dare, „facere, præſtare debeto. Etſi non eodem tempore duos in poteſtate habuerit, „ſed vel unum quinquennem, liberabitur operarum obligatione. „

II. Ob infirmitatem, vel ſenium liberti. *l. 15. 17. 34. 35. D. h. t.*

III. Si Libertus operarum obligatione dimiſſus ſit. *l. 41. D. h. t.*

TITULUS II.

DE BONIS LIBERTORUM. C. VI. 4.

§. 1.

Quantum vero ad *Bona Liberti* attinet, Patrono ratione eorum *Jus* competit *Bonorum Poſſeſſionis.*

§. 2. Qua in re diſtinguendum inter tempora. Nam olim licebat liberto Patronum ſuum impune teſtamento præterire; quia *Lex XII. Tab.* ad hereditatem liberti tum demum vocabat Patronum, ſi inteſtatus mortuus eſſet libertus, herede ſuo nullo relicto. *pr. I. de ſucceſſ. libert.* Ulp. *T. ult. §. 1.*

§. 3. Qua de cauſa poſtea Prætoris Edicto hæc juris iniquitas emendata eſt. Sive enim faciebat teſtamentum libertus, jubebatur ita teſtari, ut Patrono partem dimidiam bonorum ſuorum relinqueret; & ſi aut nihil, aut minus parte dimidia reliquerat, dabatur Patrono contra tabulas teſtamenti partis dimidiæ Bonorum Poſſeſſio. Sive inteſtatus moriebatur, ſuo herede relicto filio adoptivo, dabatur æque Patrono contra hunc ſuum heredem partis dimidiæ Bonorum Poſſeſſio. Sed liberi naturales ad excludendum Patronum liberto prodeſſe ſolebant. *§. 1. I. de ſucceſſ. libert.* Ulp. *d. Tit. ult. §. 1. & 3.*

§. 4.

§. 4. Quod Edictum ſic conceptum fuiſſe probabile eſt: „Libertus, qui „Teſtamentum faciet, ita teſtari debet, ut partem dimidiam bonorum ſuorum pa„trono relinquat. Si nihil, aut minus parte dimidia, reliquerit, Patrono contra „tabulas teſtamenti, heredi ſcripto ſecundum tabulas partis dimidiæ Bonorum „Poſſeſſionem dabo. Si libertus inteſtatus mortuus eſſe dicetur, ſuo herede re„licto filio adoptivo, Patrono itidem partis dimidiæ Bonorum Poſſeſſionem da„bo. Si naturales liberos reliquerit, ſive ii in poteſtate mortis tempore fuerint, „ſive emancipati, ſive etiam in adoptionem dati, modo ex aliqua parte ſcripti „heredes fuerint, Patrono Bonorum Poſſeſſionem non dabo.„ arg. *d. §. 1. de ſucceſſ. libert. l. 6. D. de bon. poſſ.*

§. 5. Poſtea vero *Lege Papia* adaucta ſunt jura Patronorum, qui locupletiores libertos habebant. Cautum eſt enim, ut ex bonis ejus, qui ſeſtertium centum millium patrimonium reliquerat, & pauciores quam tres liberos, (ſive is teſtamento facto, ſive inteſtatus mortuus erat) virilis pars Patrono deberetur. *§. 2. I. de ſucceſſ. libert.*

§. 6. Noviſſime autem Imp. Juſtinianus conſtituit, ut, ſi quidem libertus vel liberta *Minores centenariis* ſint, i. e. minus centum aureis habeant ſubſtantiam, nullum locum habeat Patronus in eorum ſucceſſione; *ſi* tamen *Teſtamentum* fecerint: *ſin* autem *Inteſtati* deceſſerint, nullo liberorum relicto, jus Patronatus integrum reſervetur, & Patronus ſecundum *Leg. XII. Tab.* totam hereditatem accipiat. *Cum vero Majores centenariis ſunt, ſi liberos habeant*, ad eos ſucceſſiones parentum deducuntur, Patronis omnibus modis cum ſua progenie ſemotis: *ſin* autem *ſine liberis deceſſerint, ſi quidem Inteſtati*, ad omnem hereditatem Patroni Patronæque vocantur; *ſi* vero *Teſtamentum fecerint*, & Patronos Patronasque præterierint, Patroni Patronæque, per Bonorum Poſſeſſionem contra tabulas, non dimidiam, ut antea, ſed *tertiam* partem bonorum conſequuntur. *§. 3. I. de ſucceſſ. libert.*

§. 7. *Quod Jus* tamen *Bonorum Poſſeſſionis ceſſat* *I.* Si Patronus heres inſtitutus, vel debita portio ejusve pars ei relicta ſit. *l. 3 §. 10. 15. & ſeqq. l. 19. §. 1. l. 50. pr. D. h. t. l. 21. §. 1. D. de jur. patr.*

II. Si Patronus majorennis libertum capitis accuſaverit. *l. 14. pr. §. 1. & ſeqq. l. 48. D. h. t.*

III. Si Patronus libertatis cauſa impoſita liberto revendiderit; *l. 37. pr. D. h. t.* de quo Prætor ita ſubjeciſſe videtur: *Si donum, munus, operas, redemerit libertus, contra tabulas teſtamenti, Patrono, cui nihil relictum erit, Bonorum Poſſeſſionem non dabo.* arg. *d. l. 37. D. h. t. l. 53. pr. D. de V. S.*

Digitized by Google

TITULUS III.

DE LIBERTIS UNIVERSITATUM.

§. 1.

Quemadmodum autem privatis, ſic & *Univerſitatibus*, Municipiis, & Collegiis, datur *Bonorum poſſeſſio Contra Tabulas Teſtamenti libertorum. l. un. D. h. t.* arg. *l. 16. D. de V. S.*

§. 2. De quo Prætor ſic edixiſſe videtur: *Quod jus Patrono in libertorum & libertarum bonis tributum eſt, idem Municipibus acquiſitum eſto.* arg. *d. l. un. pr. D. h. t.*

§. 3. Neque movet, quod Municipes conſentire non poſſint; qua ratione enim fideicommiſſum ipſis reſtitui & hereditas acquiri poteſt, eadem ratione eos & Bonorum Poſſeſſionem petere dicendum eſt. *l. un. §. 1. D. h. t.*

TITULUS IV.

DE ADSIGNANDIS LIBERTIS.

§. 1.

Dicta vero de Patronis ad omnes etiam eorum liberos pertinent; *§. 3. I. de ſucceſſion. libert. pr. I. de adſignat. libertor.* niſi Patronus uni ex liberis Libertum *aſſignaverit*, i. e. teſtificatus ſit, cujus ex liberis libertum eum eſſe voluerit. *l. 107. D. de V. S.*

§. 2. Senatus enim Claudianis temporibus, Vellejo Rufo & Oſterio Scapula Coſſ. Suff. A. U. C. 798. Poſt natum Chr. 46. cenſuit, ut, quamvis ad omnes Patroni liberos, qui ejusdem gradus ſint, æqualiter bona libertorum pertineant, tamen liceat Parenti uni ex liberis adſignare libertum, ut poſt mortem ejus ſolus is Patronus habeatur, cui adſignatus eſt; & cæteri liberi, qui ipſi quoque ad eadem bona, nulla adſignatione interveniente, pariter admitterentur, nihil juris in his bonis habeant, ſed ita demum priſtinum jus recipiant, ſi is, cui adſignatus eſt, deceſſerit, nullis liberis relictis. *pr. I. de aſſign. libertor.*

§. 3. Cujus SCti verba hæc ſunt: „Si, qui duos pluresve liberos juſtis nuptiis quæſitos in poteſtate haberet, de liberto libertave ſua ſignificaſſet, cujus „ex liberis ſuis eum libertum eamve libertam eſſe vellet; is eave, quandoque is, „qui eum eamve manumiſit inter vivos vel teſtamento, in civitate eſſe deſiſſet, „ſolus ei patronus ſolave patrona eſſet, perinde atque ſi ab eo eave libertatem „conſecutus conſecutave eſt. Utique ſi ex liberis quis in civitate eſſe deſiſſet, neque ei liberi ulli eſſent; cæteris ejus liberis, qui manumiſit, perinde omnia jura „ſerventur, ac ſi nihil de eo liberto eave liberta is parens ſignificaſſet. v. *l. 1. pr. §. 1. & ſeqq. l. ult. pr. §. 1. & ſeqq. D. h. t.*

TITU-

TITULUS V.

Si Quid In Fraudem Patroni Factum Sit.
C. VI. 5.

§. 1.

Sed & ille egregius *Juris Patronatus*, *ratione Bonorum Liberti*, effectus eſt, quod libertus in fraudem Patroni nihil alienare, &, ſi contra factum ſit, Patronus in fraudem ſuam alienata revocare poſſit.

§. 2. Qua de re Prætor tale Edictum propoſuiſſe videtur: „Si quid dolo „malo liberti factum eſſe dicetur, ſive teſtamento facto, ſive inteſtatus deceſſerit „libertus, quo minus pars debita bonorum ad eorum quem perveniat, quibus „contra tabulas Bonorum Poſſeſſio competit, de ea re cognoſcam, operamque „dabo, ne ea res cuiquam fraudi ſit.„ arg. *l. 1. pr.* D. *h. t.*

§. 3. Sive a liberto aliquid alienatum ſit, ſive quid aliud in fraudem Patroni geſtum ſit, nihil intereſt. *l. 4. pr. l. 1. §. 1. 3. 7. 13. 18. 19. 20. D. h. t.*

§. 4. *Alienaſſe* autem hic cenſetur, uti alibi, qui de bonis quid deminuit & dominium transtulit; *l. 1. C. de fund. dot.* non etiam, qui non acquiſivit, ſeu acquirendi conditione uſus non eſt. *l. 1. §. 6. & ſeqq. D. h. t. l. 6. D. quæ in fraud. cred. l. 119. 134.* D. *de R. J.*

§. 5. *Dolum* vero accipere oportet ejus, qui alienavit, non ejus, cui alienatum eſt; *l. 1. §. 4.* D. *h. t.* eumque, qui in damno pecuniario conſiſtit. *l. 1. §. 15.* D. *h. t.*

§. 6. Et *ſi* quidem *Teſtatus deceſſerit libertus*, ad revocandum, quod in fraudem Patroni geſtum eſt, competit *Actio Faviana*, a *Fabio* Prætore forte ſic dicta; v. *l. 1. §. 5. 6 & ſeqq. l. 4. pr. D. h. t. ſi* vero *Inteſtatus*, *Actio Calviſiana*, a Prætore *Calviſio* haud dubie ſic vocata. *l. 3. §. 3. D. l. 2. C. h. t.*

§. 7. Quæ utraque eſt *Actio in perſonam*, *l. 1. §. 26.* D. *h. t. arbitraria; l. 1. §. 12. l. 5. §. 1.* D. *h. t. Competens Patrono ejusque heredibus; d. l. 1. §. 26. D. h. t. Contra quemcunque etiam b. f. poſſeſſorem. d. l. 1. §. 4. D. h. t. ejusque heredes; d. l. 1. §. 26. Ad res in fraudem patroni alienatas, pro parte debita, l. 1. l. 11. 21. D. l. 1. C. h. t. una cum fructibus & acceſſionibus, revocandas: l. 1. §. ult. l. 2. D. h. t. l. 38. §. 4. D. de uſur.* vel, ſi res non reſtituatur, ad id, quanti Actor in litem juraverit. *l. 5. §. 1.* D. *h. t.*

§. 8. *Utraque* autem *ceſſat I.* Si libertus filiam dotaverit. *l. 1. §. 10.* D. *h. t.*
II. Si vivus amicis bene merentibus donaverit. *l. 9. D. h. t.*
III. Si id, quod a liberto in fraudem Patroni alienatum eſt, non extet. *l. 10.* D. *h. t.*
IV. Si Patronus in alienationem conſenſerit. *l. 11.* D. *h. t.*

§. 9. Affinis eſt Actio *Quaſi Faviana*, *& Calviſiana*, quæ *datur Impuberi arrogato, ad revocandum id, quod in fraudem Quartæ ipſi debitæ, a Patre arrogatore alienatum eſt. l. ult. D. h. t.*

TITULUS VI.

SI TABULÆ TESTAMENTI NULLÆ EXTABUNT, UNDE LIBERI. C. VI. 14.

§. 1.

Quod ſi Tabulæ teſtamenti nullæ extent, locum habet *Bonorum Poſſeſſio ab Inteſtato. l. 1. §. 2. l. 3. D. h. t.* Poſteaquam enim Prætor locutus eſt de Bonorum Poſſeſſione ejus, qui teſtatus eſt, tranſitum fecit ad inteſtatos; eum ordinem ſecutus, quem & *Lex XII. Tab.* ſecuta eſt, *l. 1. pr. D. h. t. §. 1. I. de bon. poſſ.*

§. 2. Sed ſucceſſionem ab Inteſtato in plures partes diviſit. Fecit enim gradus varios: Primum *Liberorum*, Secundum *Legitimorum*, Tertium *Cognatorum*; Deinde *Viri & Uxoris. l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 3. Recte autem Prætor a *Liberis* initium fecit ab *Inteſtato ſucceſſionibus*; ut, ſicuti Contra tabulas ipſis defert, ita & ab Inteſtato ipſos primo loco vocet, *l. 1. §. 5. D. h. t.* quos ſcil. naturæ ſimul & Parentum commune votum ad bona admittit. *l. 7. §. 1. D. h. t.*

§. 4. De quibus Prætor ita edixiſſe videtur: „Si Tabulæ Teſtamenti nullæ „extabunt, Unde liberi Bonorum Poſſeſſionem petent; ſive ſui ſint, ſive emanci„pati, aut capite minuti, itemque civitate donati, eis ab Inteſtato Bonorum poſ„ſeſſionem dabo. Si quis ex iis in poteſtate Parentis, cum is moritur, non fue„rit, ei, liberisque, quos in ejusdem familia habebit, ſi ad eos hereditas ſuo no„mine pertinebit, neque nominatim exheredes ſcripti erunt, Bonorum Poſſeſſio„nem ejus partis dabo, quæ ad eum pertineret, ſi in poteſtate manſiſſet, ita, ut ex „ea parte dimidium ipſe habeat, reliquum liberi ejus; hisque duntaxat bona ſua „conferat.„ arg. *Inſcr. l. 1. §. 5. 6. l. 4. 5. pr. D. h. t.* Collat. Leg. Moſaic. & Rom. *Tit. ult. §. 5. & ſeqq.*

§. 5. Et *Emancipatos* quidem, quia jure Civili nihil juris habebant, Prætor vocat ex neceſſitate; *§. 9. I. de hered. quæ ab inteſt. l. 1. §. 7. 9. l. 2. 4. D. h. t.* *Suos* vero adjuvandi juris Civilis gratia. *l. 1. §. 6. 9. l. 7. pr. D. h. t. §. 1. I. de bon. poſſ.*

§. 6. Sed hæc *Bonorum Poſſeſſio* poſt *Nov. 118. c. 1.* quo differentia, qua ratione ſucceſſionis erat inter *Suos & Emancipatos*, ſublata eſt, amplius non eſt neceſſaria.

TITU-

Digitized by Google

TITULUS VII.

UNDE LEGITIMI. C. VI. 15.

§ 1.

Poſt *Liberos*, *Secundo loco* ad *Bonorum Poſſeſſionem* Prætor vocat *Legitimos*. v. *l. 5. §. 1. D. h. t. §. 1. 2. I. de bon. poſſ.*

§. 2. De quibus ſic edixiſſe videtur: „Unde Legitimi Bonorum Poſſeſſio-„nem petent, ſi nullæ inde teſtamenti tabulæ proferantur; tum quem ei heredem „eſſe oporteret, ſi inteſtatus mortuus eſſet, eum bonorum poſſeſſorem faciam: „ita ut conſanguinei cæteris præferantur. arg. *l. 1. 4.* D. *h. t.* Collat. Leg. Moſ. & Rom. *T. ult. §. 6. 8.*

§. 3. Quæ *Bonorum poſſeſſio* omnem vocat, qui ab inteſtato potuit eſſe heres, ſive *Lex XII. Tab.* eum legitimum heredem faciat, ſive alia Lex Senatusve conſultum: *l. 2. §. 4. l. 3. D. h. t.* maxime *Agnatos* ſeu *Conſanguineos*, *qui per virilis ſexus perſonas cognatione conjuncti ſunt;* v. *pr. §. 1. 2. I. de legit. agn. ſucceſſ. l. 5. pr.* D. *h. t. l. 2. §. 1.* D. *de ſuis & legit. her. §. 1. I. de leg. agn. tut.* ſecundum prærogativam gradus, tempore petitæ Bonorum Poſſeſſionis ſpectandam. *l. 1. 4.* D. *h. t.*

TITULUS VIII.

UNDE COGNATI. C. VI. 15.

§. 1.

Poſt *Legitimos* vero *Tertio loco* vocat *Cognatos*. *pr.* §. *1. I. de ſucceſſ. cognat. §. 2. I. de bon. poſſ.*

§. 2. De quibus ita edixiſſe videtur: „Unde Cognati Bonorum Poſſeſſio-„nem petent, ſi nullæ inde teſtamenti tabulæ proferantur, eis, qui defuncto „mortis tempore cognati fuerunt, proximitatis nomine, usque ad ſextum gradum „cognationis, Bonorum Poſſeſſionem dabo, & ſeptimo ſobrino ſobrinaque nato na-„tæve. Agnatis capite minutis, exceptis fratre & ſorore emancipatis, niſi ſint in ado-„ptiva familia, itemque liberis naturalibus, ex hac parte eandem Bonorum Poſ-„ſeſſionem dabo.„ arg. *Inſcr. l. 1. §. 3. & ſeqq. l. 2. D. h. t. §. 1. & ſeqq. I. de ſucc. cogn. l. 8. D. de ſuis & leg. her.*

§. 3. Quæ Bonorum Poſſeſſio nudam habet Prætoris indulgentiam, neque ex jure Civili originem habet, quia *Cognati* jure Civili ad ſucceſſionem non admittebantur. *l. 1. pr. D. h. t. l. 2. l. ult. C. und. legit.*

§. 4. *Cognati* autem appellati ſunt *quaſi ex uno nati*, aut quaſi commune naſcenti initium habuerint; *d. l. 1. §. 1.* D. *h. t.* ſuntque proprie *qui per fæminini ſexus perſonas conjuncti ſunt. §. 1. I. de legit. agn. tut. l. 10. §. 2. D. de grad. & affin.*

§. 5.

§. 5. Plane non omnes omnino admittuntur *Cognati*, ſed ii, qui *proximi* ſunt; eo ſcil. tempore, quo Bonorum Poſſeſſio defertur. *l. 1. §. 5. 6. D. h. t.*

§. 6. Sed neque dictæ Bonorum Poſſeſſiones, *Unde Legitimi* ſcil. & *Unde Cognati*, poſt *Nov. 118. c. 4.* amplius ſunt neceſſariæ.

TITULUS IX.

DE SUCCESSORIO EDICTO.

C. VI. 16.

§. 1.

Cum igitur plures ſpecies ſucceſſionum Prætor introduxerit, easque per ordinem diſpoſuerit, & in unaquaque ſpecie ſucceſſionis ſæpe plures extent diſpari gradu perſonæ, ne actiones creditorum differrentur, ſed haberent, quos convenirent, & ne facile in poſſeſſionem bonorum defuncti mitterentur, & eo modo ſibi conſulerent, ideo petendæ *Bonorum Poſſeſſioni* certum tempus præfinivit. *§. 4. I. de bon. poſſ. l. 1. pr. D. h. t.*

§. 2. Et *Liberis* quidem & *Parentibus*, tam naturalibus, quam adoptivis, in petenda Bonorum Poſſeſſione *anni* ſpatium, *cæteris* autem agnatis vel cognatis *centum dierum* dedit. *d.* §. 4. *I. de bon. poſſ. l. 1. §. 8. 9. 12. 16.* D. *h. t.* v. ſupr. *ad t. de bon. poſſ. §. 18.*

§. 3. Et ſi quis intra hoc tempus Bonorum Poſſeſſionem non petierit, ejusdem gradus perſonis accreſcit; vel ſi nullus ſit, deinceps cæteris Bonorum Poſſeſſionem perinde ex *Succeſſorio Edicto* pollicetur, ac ſi is, qui præcedebat, ex eo numero non eſſet. *§. 5. I. de bon. poſſ.*

§. 4. Quod ita conceptum videtur: „Qui ad Bonorum Poſſeſſionem ex ſu„perioribus capitibus vocantur, eam petant liberi & parentes intra annum; cæ„teri intra centeſimum diem. Si quis eorum eam Bonorum Poſſeſſionem dari „ſibi noluerit, aut diebus ſtatis non admiſerit, tunc cæteris Bonorum Poſſeſſionem „ita dabo, ac ſi prior ex eo numero non fuiſſet.„ arg. *d. §. 4. 5. I. de bon. poſſ. l. 1. pr. §. 8. 9. 10. 12. D. h. t.*

§. 5. Ut adeo, ſi proximus Bonorum Poſſeſſionem repudiaverit, vel intra legitimum tempus non petierit, non tantum de gradu in gradum in eodem ordine, *l. 1. §. 6. 10. D. h. t. §. 5. I. de bon. poſſ. l. 1. 2. C. h. t.* ſed & de ordine in ordinem, ſucceſſioni locus ſit. *l. 1. §. 11. D. h. t. t. t.* D. *quis ord. in bon. poſſ. ſerv.*

§. 6. Secus ac jure antiquo, quo, proximo deficiente, hereditas tanquam caduca fiſco cedebat. *l. 2. D. h. t.* Ulp. *T. XXVI. §. 5.* Paul. *L. IV. Sent. T. VIII.*

TITU-

TITULUS X.

De Gradibus, Et Affinibus, Et Nominibus Eorum.

§. 1.

Ut autem intelligatur, quis ſit proximior, *Gradus Cognationum* noſſe oportet. *l. 10. pr. D. h. t.*

§. 2. *Cognatio* triplex eſt, *Naturalis*, *Civilis*, *&* *Mixta*. *l.* 4. *§. 2. D. h. t.*

§. 3. *Cognatio Naturalis* eſt, quæ per Fœminam deſcendit, quæ vulgo liberos peperit. *d. l.* 4. *§. 2.* ut &, quæ inter ſervos intercedit. *l. 10. §. 5. D. h t.*

§. 4. *Civilis* (quæ etiam *Legitima* dicitur) eſt, quæ per Adoptionem contrahitur. *d. l.* 4. *§. 2. D. h. t.*

§. 5. *Mixta* vero, quæ juſtis nuptiis contractis copulatur. *d. l.* 4. *§. 2.*

§. 6. Quæ hic maxime conſideratur, & nihil alind eſt, quam *Vinculum perſonarum, ab eodem ſtipite deſcendentium, carnali propagatione contractum.*

§. 7. *In Cognatione* autem conſiderandæ veniunt *Lineæ*, & in Lineis *Gradus*.

§. 8. *Linea* eſt collectio *perſonarum* ab *eodem ſtipite deſcendentium*, *gradus continens*, *&* *cognationes diſtinguens*, v. *l. 9. D. h. t*, *pr. I. h. t.*

§. 9. Eſtque duplex, *Recta*, *&* *Transverſa* ſeu *Obliqua*. *d. l. 9. D. h. t. d. pr. I. h. t.* Paul. *L. IV. Sent. T. XI. §. 1. & ſeqq.*

§. 10. *Recta* continet *Aſcendentes*, *&* *Deſcendentes*, ſeu eos, quorum alter alterum genuit; & proinde iterum duplex eſt, *Superior*, *&* *Inferior*. *d. l. 9.* D. *h. t. d. pr. I. h. t.* Paul. *d. l.*

§. 11. *Transverſa* ſeu *Obliqua* vero eos, qui a latere veniunt; *d. l. 9.* unde & *A latere*, *d. pr. I. l. 1. pr.* D. *h. t.* ſeu *Collateralis* dici ſolet.

§. 12. Eaque *Æqualis* eſt, vel *Inæqualis*.

§. 13. *Æqualis* eſt, quæ eos continet, qui æqualiter a communi ſtipite diſtant.

§. 14. *Inæqualis* vero, quæ eos continet, quorum alter communi ſtipiti propior, alter remotior eſt.

§. 15. *Gradus* eſt *diſtantia perſonarum a ſe invicem. Gradus* enim dicti ſunt a ſimilitudine ſcalarum, locorumve proclivium; quos ita ingredimur, ut a proximo in proximum, id eſt, in eum, qui quaſi ex eo naſcitur, tranſeamus. *l. 10. §. 10. D. h. t.*

§. 16. Quantum autem ad *computationem graduum* attinet, hæc tenenda regula: *Quot ſunt generatæ perſonæ, totidem ſunt gradus, demto ſtipite communi. d. l. 10. §. 9. 16. D. h. t. §. 7. I. de grad. cogn.*

§. 17. Hinc *Filius* a *Patre* diſtat gradu primo, *Frater* a *Fratre* gradu ſecundo,

do, *Conſobrinus* a *Conſobrino* gradu quarto, & ſic ulterius cæteri. *d. l. 10. §. 9. & ſeqq. l. 1. pr. §. 1. & ſeqq. l. 2. 3. D. h. t.*

§. 18. Eandemque Regulam ſervat *Jus Canonicum*, in *Linea Recta*.

§. 19. Sed in *Linea Obliqua Æquali* hanc habet regulam: *Quoto gradu ſinguli diſtant a ſtipite communi, eodem inter ſe diſtant.* Uti ex graduum computatione, quæ eſt in *c. 2. Cauſ. 35. Q. 5.* manifeſtum eſt.

§. 20. In *Linea Obliqua Inæquali* vero hanc: *Quoto gradu remotior diſtat a ſtipite communi, eodem inter ſe diſtant. c. 9. X. de conſang.*

§. 21. Et hæc quidem in Cognatione procedunt, non etiam in *Affinitate*; Affinitati enim Gradus proprie nulli ſunt. *l. 4. §. 5. D. h. t.* licet improprie & analogice *Gradus* quoque *Affinium* quandoque dicantur. *l. 10. pr. D. h. t.*

§. 22. Eſt autem *Affinitas Vinculum inter conjugem unum, & alterius conjugis cognatos. l. 4. §. 3. D. h. t.*

§. 23. Adeoque *Affines* ſunt Viri & Uxoris cognati; dicti ab eo, quod duæ cognationes, quæ diverſæ inter ſe ſunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit. *d. l. 4. §. 3.*

§. 24. *Nomina* vero eorum hæc ſunt, *Socer Socrus, Gener Nurus, Noverca Vitricus, Privignus Privigna. l. 4. §. 4. 6. D. h. t.*

TITULUS XI.

UNDE VIR ET UXOR. C. VI. 18.

§. 1.

Quod ſi deficiant *Cognati*, Prætor *Quarto loco* ad Bonorum Poſſeſſionem ab Inteſtato vocat *Virum & Uxorem. §. 2. I. de bon. poſſ. l. un. C. h. t.*

§. 2. De quibus ita edixiſſe videtur: *Unde Vir & Uxor Bonorum Poſſeſſionem petent, ſi nullæ inde teſtamenti tabulæ proferantur, eis, qui petent, ab inteſtato Bonorum Poſſeſſionem dabo.* arg. *h. t. §. 2. I. de bon. poſſ.*

§. 3. Ut autem hæc Bonorum Poſſeſſio locum habeat, juſtum matrimonium, & quidem mortis tempore eſſe oportet. *l. un. pr. §. 1. D. h. t.*

TITULUS XII.

DE VETERANORUM ET MILITUM SUCCESSIONE.

§. 1.

Deficientibus vero quoque *Viro & Uxore*, denique bona tanquam vacantia *Fiſco* deferuntur; *l. 1. pr. l. 2. D. de ſucceſſ. ed.* cui etiam locus eſt, ſi is, de cujus bonis agitur, capitis damnatus ſit. *l. 1. pr. D. de bon. damn.*

§. 2. Niſi *Miles* ſit, vel *Veteranus*: cui damnato non tantum conceſſum eſt,

ut

ut de bonis caſtrenſibus teſtamentum facere poſſit; *l. 11. pr. D. de teſtam. mil. l. 1. D. h. t.* ſed & ut, ſi inteſtatus moriatur, bona ejus caſtrenſia ad heredes ejus legitimos, vel cognatos, ad finem quinti gradus pertineant, *l. 1. 2. D. h. t.* & poſt quintum gradum demum Fiſco locus ſit. *d. l. 2. D. h. t.*

§. 3. Dummodo ex militari delicto, non ex communi, punitus, neque ſacramenti fides rupta ſit. *l. 1. D. h. t. l. 11. pr. D. de teſtam. mil.*

§. 4. De quo forte Prætor ita edixit: „Si miles aut veteranus inteſtatus „mortuus eſſe dicatur, cui ſint caſtrenſia bona; legitimo heredi, aut ſi is non „erit, proximo cognato usque ad quintum gradum, Bonorum Poſſeſſionem da- „bo: poſt eum gradum fiſco vindicabuntur.„ arg. *l. 2. D. h. t.*

TITULUS XIII.

Quibus Non Competit Bonorum Poſſeſſio.

§. 1.

Sed & Fiſco locus eſt, ſi cui tanquam indigno non competat Bonorum Poſſeſſio, veluti, ſi ſervo vel filio herede inſtituto, dominus vel pater dolo fecerit, ne teſtamentum mutaretur. *l. un. D. h. t. l. 1. §. 1. D. ſi quis aliq. teſt. prohib.* Cui enim tanquam indigno aufertur hereditas, is neque ad Bonorum Poſſeſſionem admittitur. arg. *l. 12. §. 1. D. de bon. poſſ.*

TITULUS XIV.

Ut Ex Legibus, Senatusve Consultis, Bonorum Poſſeſſio Detur.

§. 1.

Et hæc quidem de *Bonorum Poſſeſſione Ordinaria*; ſequitur *Bonorum Poſſeſſio Extraordinaria, quæ ſc. ex Legibus, SCtis, Conſtitutionibus Principum, aliove novo jure extra ordinem conceditur. §. 3. I. de bon. poſſ.* v. *§. 2 I. de ſucceſſ. libert. l. 2. D. de vet. & mil. ſucc.* junct. *l. 6. §. 6. D. de injuſt. rupt. irr. teſt.*

§. 2. De qua Prætor ait: „*Uti me quaque Lege, Senatusconſulto, Bonorum* „*Poſſeſſionem dare oportebit; ita dabo.*„ *l. un. pr. D. h. t.*

§. 3. Quam neque Bonorum Poſſeſſionibus, quæ ab inteſtato veniunt, neque iis, quæ ex teſtamento, Prætor ſtabili jure connumeravit, ſed quaſi ultimum & extraordinarium auxilium, prout res exigit, accommodavit; ſcil. iis, qui ex Legibus, SCtis, Conſtitutionibusve Principum, ex novo jure, vel ex teſtamento, vel ab inteſtato veniunt. *§. 3. I. de bon. poſſ.*

Digitized by Google

TITULUS XV.

QUIS ORDO IN POSSESSIONIBUS SERVETUR.

§. 1.

Quis itaque *Ordo in Bonorum Poſſeſſionibus ſervandus ſit*, ex dictis facile intelligitur.

§. 2. *Si* enim *Teſtamentum factum* ſit, & tabulæ teſtamenti extent, locum habet *Bonorum Poſſeſſio* vel *Contra tabulas*, vel *Secundum tabulas. l. 1. §. 1. D. h. t. t. t. D. & C. de bon. poſſ. cont. tab. & ſec. tab.* v. *ſupr. ad T. de bon. poſſ. §. 11.*

§. 3. *Si* vero *Teſtamenti tabulæ non extent*, vel Bonorum Poſſeſſionem contra vel ſecundum tabulas nemo acceperit, *Bonorum Poſſeſſio ab Inteſtato* locum habet. *d. l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 4. *Inteſtati* autem hi gradus vocantur: *Primum* Sui heredes; *Secundo* Legitimi; *Tertio* Proximi cognati; & *Quarto* denique Vir & Uxor. *l. 1. pr. D. h. t.*

TITULUS XVI.

DE SUIS, ET LEGITIMIS HEREDIBUS.

C. VI. 55. 58.

§. 1.

Atque ita expoſita etiam *Succeſſione Prætoria*, ſubjicitur porro *Legitima ab Inteſtato.* v. *l. 8. C. comm. de ſucceſſ.*

§. 2. *Inteſtati* proprie appellantur, qui, cum poſſent teſtamentum facere, teſtati non ſunt. Sed & is, qui teſtamentum fecit, ſi ejus hereditas adita non eſt, vel ruptum, vel irritum eſt teſtamentum, *inteſtatus* non improprie dicitur deceſſiſſe. Plane qui teſtari non potuit, proprie non eſt *inteſtatus*, puta impubes, furioſus, vel cui bonis interdictum eſt; ſed hos quoque pro *inteſtatis* accipere debemus. *l. 1. pr. D. h. t. pr. I. de hered. quæ ab inteſt.*

§. 3. Et quidem Hereditas *ab Inteſtato* ex *Lege XII. Tab.* primo defertur *Suis.* Ulp. *T. XXVI. §. 1. §. 1. I. de hered. quæ ab inteſt.*

§. 4. Sunt autem *Sui heredes Liberi, qui ſunt in poteſtate morientis, gradu proximo;* ſive naturales, ſive adoptivi. *§. 2. 7. I. de hered. quæ ab inteſt. l. 1. §. 9. D. h. t. §. 2. I. de hered. qual. & diff. l. 53. §. 1. D. de teſtam. mil.* v. ſupr. *ad t. de acq. her. §. 6. 7. pr. I. de legit. agn. ſucceſſ.*

§. 5. Poſt *Suos* vero defertur *Legitimis*, Conſanguineis ſcil. & Agnatis. Ulp. *d. l. 1. §. 9. D. h. t.*

§. 6. *Conſanguinei* ſunt, *qui ſanguine inter ſe connexi ſunt*, proprie fratres ex eodem patre nati. *l. 1. §. 10. 11. D. h. t. §. 1. I. de legit. agnat. ſucceſſ.*

§. 7. *Agnati, reliqui cognati virilis ſexus ab eodem orti; l. 2. pr. §. 1. D. h. t.*

Digitized by Google

h. t. ſeu *Cognati per virilis ſexus perſonas cognatione conjuncti*, quaſi a patre cognati. *§. 1. I. de legit. agn. ſucceſſ. §. 1. I. de legit. agn. tut.*

§. 8. *Sui* autem heredes ſtatim ipſo jure heredes ſunt, ſed in *cæteris* aditio eſt neceſſaria. *l. 14. D. h. t.*

TITULUS XVII.

Ad SCtum Tertyllianum, Et Orphitianum.
C. VI. 56. 57.

§. 1.

Quod ſi neque *Sui*, neque *Agnati* exiſterent, reliqui excludebantur. *Lex* enim *XII. Tab.* ita ſtricto jure utebatur, & præponebat maſculorum progeniem; & eos, qui per fœminini ſexus neceſſitudinem ſibi junguntur, adeo expellebat, ut ne quidem inter matrem & filium filiamve ultro citroque hereditatis capiendæ jus daret; niſi quod Prætores, ex proximitate cognatorum, eas perſonas ad ſucceſſionem, Bonorum Poſſeſſione *Unde Cognati* accommodata, vocabant. *pr. I. de SCt. Tertull.* Ulp. *Tit. XXVI. pr. §. 6. & ſeqq.*

§. 2. Sed hæ juris anguſtiæ poſtea emendatæ ſunt. Et primus quidem *Divus Claudius* Matri ad ſolatium liberorum amiſſorum legitimam eorum detulit hereditatem. *§. 1. I. de SCt. Tertull.*

§. 3. Poſtea *SCto Tertulliano*, quod Divi Adriani, ſeu potius D. Pii temporibus, Q. Flavio Tertullo & Licinio Sacerdote Coſſ. A. U. C. 911. poſt N. C. 158. factum eſt, pleniſſime de triſti ſucceſſione *Matri*, non etiam aviæ, deferenda, cautum eſt: ut mater ingenua trium liberorum jus habens, libertina quatuor, ad bona filiorum filiarumve admittatur inteſtato mortuorum; licet in poteſtate parentis ſit: ut ſcil. cum alieno juri ſubjecta eſt, juſſu ejus adeat hereditatem, cujus juri ſubjecta eſt. *§. 2. I. de SCt. Tertull. l. 2. pr. §. 1. & ſeqq.* D. *h. t.* Paul. IV. *Sent. IX.* Ulp. *Tit. XXVI. §. ult.*

§. 4. Imperator autem *Juſtinianus* reſpiciens ad naturam & puerperii periculum, impium credidit caſum fortuitum in matris admitti detrimentum, adeoque Matri jus legitimæ ſucceſſionis omnimodo conceſſit, licet ingenua tres, libertina quatuor liberos non pepererit. *l. 2. C. de jur. liberor. l. ult. C. ad SCt. Tertull. §. 4. 5. I. eod.*

§. 5. Per contrarium autem *Liberi* ad bona materna inteſtatarum admittuntur ex *SCto Orphitiano*, quod Orphito & Ruſo Coſſ. Divi Marci temporibus A. U. C. 931. poſt N. C. 178. latum eſt: quo, ſive ingenua ſit mater, ſive libertina, tam filiæ quam filio, etiam vulgo quæſitis, legitima matris hereditas data eſt. *pr. §. 3. I. de SCto Orfit. l. 1. pr. §. 1. & ſeqq. l. 6. §. 1. D. h. t.*

§. 6. Sed cum ex hoc SCto *nepotes & neptes* ad *aviæ* ſucceſſionem legitimo

Digitized by Google

jure non vocarentur, poſtea hoc Conſtitutionibus Principalibus emendatum eſt, ut, ad ſimilitudinem filiorum filiarumque, & *nepotes* & *neptes* vocarentur. *§. 1. I. de SCt. Orfit.*

De Successione Ab Intestao Secundum Ordinem N. 118. C. 1. 2. 3.

§. 7. Cum autem ne ſic quidem *Succeſſio ab Inteſtato* ſatis expedita eſſet, Imp. Juſtinianus, prioribus legibus abrogatis, neceſſarium cenſuit, omnes ſimul ab inteſtato cognationum ſucceſſiones, per *Nov. 118.* clara compendioſaque diviſione diſponere.

§. 8. Ubi *Gradus* ſeu *Ordines ſuccedendi ab Inteſtato tres* conſtituuntur, *Deſcendentium, Aſcendentium* & *Collateralium. d. Nov. 118. præf.*

§. 9. *Primus Ordo* eſt *Deſcendentium,* ſeu *Liberorum. d. N. 118. præf.*

§. 10. Ratio enim naturalis, tanquam lex quædam tacita, liberis parentum bona addicit, velut ad debitam ſucceſſionem eos vocando. *l. 7. pr. D. de bon. damn. l. 7. §. 1. D. und. lib.* unde & filii, vivo quoque patre, quodammodo domini dicuntur rerum paternarum, *l. 11. D. de lib. & poſt. her. inſt.* & tanquam inmotam regulam ponit Apoſtolus, *Si filii ergo heredes.* Ep. ad Rom. VIII, 17.

§. 11. Si quis igitur *Deſcendentium* fuerit ei, qui inteſtatus moritur, cujuslibet naturæ aut gradus, ſive ex maſculorum genere, ſive ex fœminarum deſcendens, & ſive ſuæ poteſtatis, ſive ſub poteſtate ſit, omnibus Aſcendentibus & ex latere cognatis præponitur. *d. Nov. 118. c. 1.*

§. 12. An Pater mortuus ſit, an Mater? an liberi maſculi ſint, an fœminæ? an primi, an ulterioris gradus? an ex filio, an ex filia nati? an denique ſui ſint, an emancipati? nihil intereſt. *d. c. 1.*

§. 13. Adeo ut, licet defunctus ſub alterius poteſtate fuerit, tamen ejus filii, cujuslibet ſexus ſint aut gradus, etiam ipſis parentibus præponantur, quorum ſub poteſtate fuerit, qui defunctus eſt; in illis videlicet rebus, quæ ſecundum Leges patribus non acquiruntur. *d. N. 118. c. 1.*

§. 14. Et quidem, *ſi Deſcendentes* omnes *ſint primi gradus*, filii ſcil. vel filiæ, ſuccedunt *in Capita*, i. e. æqualiter, ſeu in tot partes, quot ſunt perſonæ. *Auth. In Succeſſionem. C. de ſuis & leg. lib.*

§. 15. *Si partim ſint primi, partim ulterioris gradus*, tunc, qui *primi* ſunt, ſuccedunt *in Capita*, qui vero *ulterioris* gradus, *in Stirpes.*

§. 16. Sed *ſi omnes ulterioris gradus ſint*, ſuccedunt *in Stirpes*, i. e. tantum ex hereditate defuncti conſequuntur, quantum parens (qui defuncto immediate potuiſſet ſuccedere) accepturus fuiſſet, ſi vixiſſet. *d. N. 118. c. 1. §. 6. I. de hered. quæ ab inteſt.*

§. 17. *Jure* ſcil. *Repræſentationis:* quod eſt *Jus, quo intrant filii filiæque* in

in locum patris & matris prædefunctorum, perſonamque eorum ita repræſentant j ris fictione, ut tantum ex hereditate capiant, quantum parens, ſi vixiſſet, accepturus fuiſſet. arg. *d. c. 1.*

§. 18. Quod juri Divino, nec non rectæ rationi, & æquitati conveniens eſt, *§. 6. I. de hered. quæ ab inteſt. l. 1. §. 4. D. de ſuis & legit. hered.* & locum habet in omnibus Nepotibus & Deſcendentibus in infinitum: *§. ult. verſ. Noſtra autem I. de hered. quæ ab inteſt. N. 118. c. 1. l. 220. §. 3. D. de V. S.* non tantum in privatorum, ſed & Regum & Principum ſucceſſionibus. arg. *d. N. 118. c. 1.*

§. 19. Quod ſi defunctus *Deſcendentes* non relinquat, *Secundus Ordo* ſuccedit, qui eſt *Aſcendentium* ſive *Parentum. N. 118. c. 2.*

§. 20. Etſi enim Parentibus non ſic liberorum, ut liberis parentum debetur hereditas, propter votum parentum & naturalem erga liberos charitatem, ratio tamen miſerationis parentes ad bona liberorum admittit, & turbato ordine mortalitatis, non minus parentibus, quam liberis, pie relinqui debet. *l. 15. pr. D. de inoff. teſt. l. 7. §. 1. D. unde lib.* add. *l. 6. pr. D. de jur. dot.* 1. ad Tim. V, 4.

§. 21. Sive Pater, ſive Mater ſit, ſive alii parentes, qui ſuperſunt, ſive maſculi, ſive fœminæ, ſive ſuæ poteſtatis, ſive ſub poteſtate fuerit is, cui ſuccedunt, nihil intereſt. *N. 118. c. 2.*

§. 22. *Si* autem *plurimi Aſcendentium vivunt, hi præponuntur, qui proximo gradu reperiuntur,* maſculi & fœminæ, ſive paterni, ſive materni ſint. *d. N. 118. c. 2. Auth. Defuncto. C. ad. SCt. Tert.* neque *Juri Repræſentationis* hic locus eſt.

§. 23. *Si* vero *eundem habent gradum, ex æquo inter eos dividitur hereditas:* ut medietatem quidem accipiant omnes a Patre Aſcendentes, quanticunque fuerint; medietatem vero reliquam a matre Aſcendentes, quantoſque eos inveniri contigerit. *d. N. 118. c. 2. d. Auth. Defuncto.*

§. 24. Ut adeo inter bona paterna & materna non ſit diſtinguendum; ut ſcil. bona paterna parentibus paternis, materna maternis deferantur: quæ diſtinctio per *d. c. 2.* plane excluditur.

§. 25. Et quidem hæc ita procedunt, ut *Aſcendentes* ſeu *Parentes* omnibus ex latere cognatis præponantur; exceptis *Fratribus & Sororibus ex utroque Parente defuncto conjunctis. d. N. 118. c. 2. d. Auth. Defuncto.*

§. 26. Qui ſi extent, cum proximis gradu *Adſcendentibus* addmittuntur; dividenda hereditate ſecundum perſonarum numerum, uti & *Aſcendentium* & *Fratrum* ſinguli æqualem habeant portionem: nullum uſum ex filiorum aut filiarum portione in hoc caſu valente patre ſibi penitus vindicare, *d. Nov. 118. c. 2.*

§. 27. Quod ſi cum *Aſcendentibus* ſeu *Parentibus* inveniantur *Fratres Germani*, aliorumque *Germanorum defunctorum liberi,* hi per *d. Nov. 118. c. 2. verſ. Si vero c. 3. verſ. Si autem.* excluduntur; ſed per *Nov. 127. c. 1.* una um prædictis perſonis, ad hereditatem patrui ſui addmittuntur.

§. 28.

§. 28. Et quidem ita, ut, quantum ad *Parentes* & *Fratres* attinet, hereditas dividatur *in capita*; quantum ad hos *liberos* vero, *in Stirpes*, quia veniunt *Jure Repræſentationis. d. N. 127. c. 1.*

§. 29. Sed quid ſi dubium ſit, an parens, an filius prior mortuus ſit? ſi forte naufragio vel quo alio modo ſimul perierint, quid ratione ſucceſſionis ſtatuendum? hoc caſu diſtinguendum eſt; an filius *pubes* fuerit, an *impubes*? ſi *pubes*, patri ſupervixiſſe præſumitur; ſi *impubes*, contra. v. *l. 9. §. ult. l. 22. 23. D. de reb. dub.* ſupr. *ad d. t. §. 10. 11.*

§. 30. Si vero defunctus neque *Deſcendentes* neque *Aſcendentes* reliquerit, locus ſit *Tertio ordini*, qui eſt *Collateralium*, ſeu ex latere venientium. *Nov. 118. c. 3.*

§. 31. Et quidem *primi* ad hereditatem defuncti vocantur *Fratres* & *Sorores Germani*, ſeu ex eodem patre & eadem matre nati. *d. Nov. 118. c. 3.*

§. 32. Optima ſane ratione: æquiſſimum enim videtur, ut parentibus deficientibus bona defuncti concedantur eorum liberis; ita enim defunctis refertur gratia in perſonis liberorum, qui pars quaſi ſunt parentum, & quibus, ſi viverent, parentes maxime relinqui vellent.

§. 33. *Si defunctus relinquat Fratres Sororesve Germanos, & defunctorum Germanorum Filios*, hi ad defuncti hereditatem cum *de patre & matre Thiis* maſculis & fœminis admittuntur, *Jure Repræſentationis*; ita ut reſpectu *Fratrum* diviſio fiat *in Capita*, *liberorum* vero *in Stirpes d. N. 118. c. 3.*

§. 34. Sunt autem *Thii de patre & matre*, patris & matris fratres ſororesque, Patruus & Amita, Avunculus & Matertera *§. 3. I. de grad. cogn. l. 37. §. 5. D. de leg. 3.* quos Greci Θεῖος vocarunt, *d. §. 3.* quaſi divinos, & propter ætatem majorem & gradus ſuperioritatem colendos.

§. 35. Quod *ſi fratrum utrimque conjunctorum filii ſoli inveniantur*, neque cum Thiis paternis vel maternis concurrant, hoc caſu hereditatem defuncti non *in Stirpes* dividunt, ſed *Capita. l. 2. §. 2. D. de ſuis & legit. her. l. 14. §. 1. in f. C. de legit. her.*

§. 36. Ceſſat enim hoc caſu *Jus Repræſentationis*, quod in hoc ordine Fratrum Filiis tantum conceſſum, cum concurrunt cum propriis Thiis: *N. 118. c. 3. verſ. Hujusmodi. verſ. Sed & ipſis.* & veniunt jure proximitatis ex propria quisque perſona.

§. 37. Non exiſtentibus autem *Fratribus Germanis eorumque Filiis*, ad hereditatem vocantur *Fratres Conſanguinei*, & *Uterini*, ſeu qui ex uno parente conjuncti ſunt defuncto, ſive per patrem ſolum, ſive per matrem. *d. N. 118. c. 3. verſ. His autem. & Unde conſequens.*

§. 38. Et *ſi ex iis præmortuus forte aliquis reliquerit Filios*, hi perinde, ut in Germanorum filiis dictum, *Jure Repræſentationis* cum Thiis admittendi ſunt.

§. 39.

§. 39. *Si* vero *neque Fratres*, *neque Filios Fratrum defunctus reliquerit*, omnes deinceps a latere venientes (ſublata *Agnatorum Cognatorumque* differentia) ad hereditatem vocantur, ſecundum uniuscujusque gradus prærogativam, ut viciniores gradu reliquis præponantur; ſi autem plurimi ejusdem gradus inveniantur, ſecundum perſonarum numerum hereditas inter eos *in capita* dividatur. *d. N. 118. c. 3. §. 1. c. 4.*

§. 40. *Affinitatis* jure ſucceſſio non conceditur. *l. 7. C. comm. de ſucceſſ. l. 3. & 5. C. eod.*

§. 41. Deficientibus itaque etiam omnibus *Cognatis*, ad hereditatem defuncti non tantum jure Prætorio, *l. un. D. unde vir & ux.* ſed & jure Civili admittuntur *Conjuges*, & quandoque cum liberis. *l. un. C. unde vir & ux.* v. *Nov. 53. c. 6. N. 117. c. 5. Auth. Præterea. C. unde vir & ux.*

§. 42. Poſt *Conjuges* hereditas conceditur quibusdam *Collegiis*, veluti *Decurionum, Naviculariorum, Cohortalium, Militum, & Fabricenſium. t. t. C. de hereditat. Decur. Navic. &c.*

§. 43. Tandem vero privato herede nullo exiſtentente, bona ut vacantia *Fiſco* addicuntur, jure Regalium. *l. 1. & 4. C. de bon. vac.*

§. 44. Dummodo intra quadriennium, ex quo certum eſſe cœpit, nullum ſucceſſorem extare, a Fiſco agnoſcantur. *l. 1. §. 2. D. de jur. fiſc. l. 10. §. 1. D. de div. temp. præſcr.*

§. 45. Quod per *l. un. C. de caduc. toll.* ubi tantum modi quidam, quibus fiunt caduca, tolluntur, minime mutatum eſt.

§. 46. Fiſcus tamen Creditoribus, utpote de damno vitando certantibus, ſatisfacit; *l. 11. D. de jur. fiſc.* ſed ultra quantitatem bonorum non tenetur: arg. *l. 1. §. 1. D. de jur. fiſc.* licet Inventarium non confecerit.

* *

LIBER XXXIX. TITULUS I.

De Operis Novi Nunciatione. C. VIII. 11.

§. 1.

Poſt Actiones, quæ ratione *Succeſſionis* ſeu *Hereditatis Acquiſitionis* competunt, exhibentur nunc porro ſecundum ordinem Edicti Perpetui, *Actiones* ſeu *Remedia*, quæ ratione *Damni nondum dati*, imminentis tamen, ſeu ejus, quod metuitur, locum habent.

§. 2. Metuitur autem damnum vel *ab Opere novo Faciendo*, vel *jam Facto*.

Digitized by Google

§. 3. Si metuatur *ab Opere novo Faciendo, Novi operis Nunciatio* locum habet.

§. 4. De qua Prætor ita edixiſſe videtur: *Si novum opus nunciatum fuerit, ab eo, qui juraverit ſe non calumniæ cauſa id facere; ne quidquam novi operis fiat, vetabo; antequam nunciatio miſſa facta fuerit, vel vice nunciationis miſſa de opere reſtituendo ſatiſdatum ſit.* arg. *l. 1. pr. l. 5. §. 14. l. 20. §. 1. D. h. t.*

§. 5. Ait Prætor, *Si novum opus nunciatum fuerit; Nunciat novum opus,* qui alteri ne novum opus faciat denunciat & prohibet. *l. 5. §. 17. l. 17. & 20. pr. §. 9. l. 21. pr. D. h. t.*

§ 6. Adeoque *Novi operis Nunciatio* nihil aliud eſt, quam *Legitima prohibitio, novum opus in alterius præjudicium paranti, eum in finem facta, ne in eo pergat, donec Nunciatio vel miſſa facta, vel ſatiſdatio interpoſita ſit. dd. ll. l. 1. pr. l. 20. §. 1. D. h. t.*

§. 17. *Opus novum* autem *facere* videtur, qui aut ædificando, aut detrahendo aliquid, priſtinam faciem operis mutat. *l. 1. §. 11.* D. *h. t.*

§. 8. Hoc Edictum enim remediumque *Operis novi Nunciationis* adverſus futura opera inductum eſt, non adverſus præterita. Nam ſi quid operis fuerit factum, quod fieri non debuit, ceſſat *Edictum de Novi operis Nunciatione*, & transeundum erit *ad Interdictum Quod vi aut clam factum erit*, ut reſtituatur; & *Quod in loco ſacro religioſove;* & *Quod in flumine publico ripave publica factum erit. l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 9. Et ad ea ſola opera pertinet, quæ ſolo conjuncta ſunt; quorum ædificatio vel demolitio videtur opus novum continere: non ad alia, veluti, ſi quis meſſem faciat, arborem ſuccidat, vineamve putet. *l. 1. §. 12.* D. *h. t.*

§. 10. Sive autem intra oppida, ſive extra oppida in villis vel agris, opus novum fiat, ſive in privato, ſive in publico, nihil intereſt. *l. 1. §. 14. 17.* D. *h. t.*

§. 11. Dividi ſolet *Novi operis Nunciatio* in *Publicam*, & *Privatam.*

§. 12. *Novi operis Nunciatio Publica* eſt, *quæ fit publica auctoritate*, ſeu *juſſu Prætoris. l. 5. §. 10. l. 16. D. h. t.*

§. 13. *Privata, quæ fit auctoritate privata. l. 1. §. 2.* D. *h. t.*

§. 14. Eaque *Realis* eſt, vel *Verbalis.*

§. 15. *Realis* eſt, *quæ fit manu, ſeu lapilli jactu. l. 5. §. 10. D. h. t. l. 20. §. 1.* D. *quod vi aut clam.*

§. 16. *Verbalis* vero, *quæ verbis dicentis ſe prohibere; d. l. 20. §. 1. D. quod vi aut clam.* & *Novi operis nunciatio* κατ' ἐξοχὴν dici ſolet. *d. l. 5. §. 10.* D. *h. t.*

§. 17. Et quidem *Nunciatione Publica* & *Reali* fere utimur contra ædificantem, vel opus novum facientem, in noſtro; *Verbali* vero contra facientem in ſuo; *d. l. 5. §. 10.* D. *h. t.* quia *Operis novi nunciatione Verbali* adverſarium poſſeſſorem facimus. *d. l. 5. §. 10. l. 1. §. 6. D. h. t.*

§. 18.

Digitized by Google

§. 18. Fit autem *Nunciatio* aut *juris noſtri conſervandi*, aut *damni depellendi*, aut *publici juris tuendi gratia. l. 1. §. 16. & ſeqq. l. 5.* §. *9. D. h. t.*

§. 19. *Publici juris tuendi cauſa* omnes cives opus novum nunciare poſſunt; quia Reip. intereſt, quamplurimos ad defendendam ſuam cauſam admittere: *l. 3. §. 5. l. 4. D. h. t.* exceptis pupillis, ſervis, mulieribus, ſimilibusque. *l. 5. pr. §. 1. D. h. t.* arg. *l. 6. D. de pop. act.*

§. 20. *Sui juris* autem *conſervandi*, aut *damni depellendi cauſa*, opus novum nunciare poteſt is, ad quem res pertinet: *l. 1. §. 19. D. h. t.* puta dominus; *l. un. §. 3.* D *de remiſſ.* bonæ fidei poſſeſſor; *l. 136. D. de R. J.* ſuperficiarius, & qui jus habet dominio proximum; *l. 3. §. 3. D. h. t.* qui ſervitutem habet; *d. l. un. §. 3. D. de remiſſ. l. 6. §. 1. D. ſi ſerv. vind.* ſive realem, ſive perſonalem; *d. l. un. §. 4.* nec non creditor, cui pignoris nomine prædium tenetur. *l. 9.* D. *h. t.*

§. 21. Non etiam inquilini aut coloni; *l. 3. §. 3.* D. *h. t.* neque ſervi, neque pupilli ſine tutoris auctoritate. *l. 5. pr. §. 1. D. h. t.*

§. 22. Quibus autem jus nunciandi competit, non tantum per ſe, ſed & per Procuratores novum opus nunciare poſſunt: dummodo Procurator ſatisdet dominum rem ratam habiturum. *l. 5. §. 18. l. 13. D. h. t.*

§. 23. *Ab eo, qui juraverit, ſe non calumniæ cauſa id facere;* qui enim novum opus nunciat, jurare debet, ſe non calumniæ cauſa novum opus nunciare. *l. 14. D. h. t.*

§. 24. Nunciatur autem novum opus Domino, inalterius præjudicum opus novum paranti, eive, qui in re præſenti domini operisve nomine fuit; adeo, ut etiam fabris & opificibus, qui eo loci operantur, opus novum nunciari poſſit, neque referat, quis ſit iſte, vel cujus conditionis, qui in re præſenti fuerit. *l. 5. §. 3. l. 10. 11.* D. *h. t.*

§. 25. Et ſi plurium res ſit, in qua novum opus fiat, uni ex dominis nunciaſſe ſufficit. *l. 5. §.* 5. *D. h. t.*

§. 26. Plane Socio, in loco communi novum opus facienti, non niſi per Prætorem nunciatio fieri poteſt, & potius communi dividundo judicio prohibitio facienda eſt. *l. 3. §. 1. 2. D. h. t. l. 28. D. com. div.*

§. 27. Quo tempore vel die nunciatio fiat, ſive feriato, ſive non feriato, nihil intereſt. *l. 1. §. 4.* D. *h. t. l. 1. §. 2. l. 2. D. de fer.*

§. 28. Dummodo fiat in initio, priusquam opus factum ſit; *l. 1. §. 1. l. 21. §. 3. D. h. t.* & in *re præſenti*, i. e. eo loci, ubi opus paratur. *l. 5. §. 2. 3. 4. 15. & 16. D. h. t.*

§. 29. *Ne quidquam novi operis fiat, vetabo, antequam nunciatio miſſa facta fuerit, vel vice nunciationis miſſæ de opere reſtituendo ſatisdatum ſit. Effectus* enim *Nunciationis* eſt, quod is, cui nunciatum eſt, facta nunciatione, ab opere inchoato abſtinere debeat, neque quicquam operis poſtea facere poſſit, donec caveat, vel remiſſio nunciationis fiat. *l. 8. §. 4. l. 20. §. 1. D. h. t.*

§. 30. Si contra fecerit, & poſt *Nunciationem* ulterius ædificaverit, id deſtruere cogitur; de quo *Interdictum Reſtitutorium* propoſuit Prætor, quod ita habet: „*Quem in locum nunciatum eſt, ne quid operis novi fieret, qua de re* „*agitur; quod in eo loco, antequam nunciatio miſſa fieret, aut in ea cauſa eſſet,* „*ut remitti deberet, factum eſt, id reſtituas. l. 20. pr. D. h. t.*

§. 31. Neque intereſt, jure factum ſit, an non; quicquid enim ante remiſſionem ſit, vel illud, quod remiſſionis loco habetur, pro eo habendum eſt, ac ſi nullo jure factum eſſet. *l. 20. §. 3. 4. D. h. t.*

§. 32. Quod Interdictum perpetuum eſt, & heredi cæteriſque ſucceſſoribus competit; non etiam adverſus heredem, niſi in quantum ad eum pervenit, vel dolo malo ipſius factum ſit, quo minus perveniret. *l. 20. §. 6. & 8. D. h. t.*

§. 33. Quod ſi vero novum opus faciens ſatisdet, vel per eum non ſtet, quo minus ſatisdet, cœptum opus perficere prohiberi nequit; de quo *Interdictum Prohibitorium* propoſuit Prætor, quod ita habet: „*Quem in locum nunciatum eſt,* „*ne quid operis novi fieret: qua de re agitur, ſi de ea re ſatisdatum eſt; quod* „*ejus cautum ſit, aut per te ſtat, quo minus ſatisdetur: Quo minus illi in eo* „*loco opus facere liceat, vim fieri veto.*„ *l. 20. §. 9. D. h. t.*

§. 34. Nec quicquam intereſt, jure quis ædificet, an non, cum ſit ſecurus is, qui opus novum nunciavit, poſteaquam ei cautum eſt. *l. 20. §. 11. D. h. t.*

§. 35. Quod Interdictum etiam poſt annum, & heredi, cæteriſque ſucceſſoribus competit. *d. l. 20. §. ult. D. h. t.*

§. 36. Sed jure novo limitatum eſt, ut ſatisdatio tum demum locum habeat, ſi lis intra tres menſes dirimi nequeat. *l. un. C h. t.*

§. 37. *Ceſſat* itaque *Nunciatio ejusque effectus*: *I.* Si opus jam factum ſit. *l. 1. §. 1.* D. *h. t.*

II. Si quis rivos, vel cloacas velit reficere, vel purgare; vel talia ſint opera, quorum mora periculum aliquod allatura eſt. *l. 5. §. 11. 12.* D. *h. t.* De quo Prætor in Edicto adjeciſſe videtur: *Si quis rivos vel cloacas velit reficere aut purgare, aut aliud ejusmodi opus facere, cujus mora periculum aliquod allatura ſit, operis novi nunciationem ei fieri non permittam.* arg. *d. l. 5. §. 11. 12. D. h. t.*

III. Si is, cui nunciatum eſt, ſatisdederit, aut per eum non ſtet, quo minus ſatisdet. *l. 5. §. 17. l 20. §. 9. D. h. t.*

IV. Si remiſſio facta ſit, ſive per ipſum nunciantem; *l. 1. §. 10.* D. *h. t.* ſive per Prætorem, cum ſcil. conſtat, nunciantem jus & cauſam nunciandi non habuiſſe. *l. un. §. 2. D. de remiſſ.*

V. Si Nuncians mortuus ſit; *l. 8. §. 6.* D. *h. t.* non etiam ſi nunciatus. *d. l. 8. §. 7.*

Ut & *VI.* Si nuncians rem alienaverit. *d. l. 8. §. 6. D. h. t.*

TITU-

Digitized by Google

TITULUS II.

De Damno Infecto, Et De Sugrundis, Et Protectionibus.

§. 1.

Si damnum *ab Opere jam Facto* metuatur, locum habet *I.* Cautio *de Damno infecto.*

§. 2. Prætor ait: „Damni infecti ſuo nomine promitti, alieno ſatisdari „jubebo ei, qui juraverit, non calumniæ cauſa id ſe poſtulare, eumve, cujus no„mine aget, poſtulaturum fuiſſe, in eam diem, quam cauſa cognita ſtatuero. Si „controverſia erit, dominus ſit, nec ne, qui cavebit: ſub exceptione ſatisdari „jubebo. De eo opere, quod in flumine publico, ripave ejus fiet, in annos „decem ſatisdari jubebo. Eum, cui ita non cavebitur, in poſſeſſionem ejus rei, „cujus nomine, ut caveatur, poſtulabitur, ire, &, cum juſta cauſa eſſe videbitur, „etiam poſſidere jubebo. In eum, qui neque caverit, neque in poſſeſſione eſſe, „neque poſſidere paſſus erit, judicium dabo, ut tantum præſtet, quantum præſtare „eum oporteret, ſi de ea re ex decreto meo, ejusve, cujus ea de re jurisdictio fuit, „quæ mea eſt, cautum fuiſſet. Ejus rei nomine, in cujus poſſeſſionem miſero, „ſi ab eo, qui in poſſione erit, damni infecti nomine non ſatisdabitur, eum, cui „non ſatisdabitur, ſimul in poſſeſſione eſſe jubebo. „ *l. 7. pr.* D. *h. t.*

§. 3. Inquit Prætor, „*Damni infecti ſuo nomine promitti, alieno ſatisdari* „*jubebo ei, qui juraverit, non calumniæ cauſa id ſe poſtulare, eumve, cujus nomine* „*aget, poſtulaturum fuiſſe;* „ *Damnum Infectum* eſt damnum nondum factum, quod futurum veremur: *l. 2. D.h. t.* ex vitio ſcil. Ædium vicinarum ruinoſarum, v. *l. 5. §. 1. l. 6. 7. §. 1. 2. l. 13. §. 2. D. h. t.* Suggrundarum, Protectionum, *Inſcr. l. 47. D. h. t.* v. *l. 5. §. 6. D. de his qui effud. vel dejec. l. 242. §. 1. D. de V. S.* alteriusve operis. *l. 19. §. 1. l. 30. §. 2. D. h. t.*

§. 4. Vult autem Prætor de damno infecto *caveri*, eamque in rem concedit *Actionem extraordinariam* & ſubſidiariam, *l. 32. D. h. t.* (ex ſola æquitate deſcendentem, v. *l. 7. §. 1.* D. *h. t.* Diſſert. *N. IX. de Cauſ. Obl. C. II. §. 9. & ſeqq.*) *Damni infecti. l. 33. D. h. t.*

§. 5. Quæ competit non tantum ei, cujus in bonis res eſt, ſed etiam cujus periculo res eſt; *l. 18. pr. D. h. t.* adeoque & Superficiario, Fructuario, *l. 13. §. 8. D. h. t.* Creditori, *l. 11. in f.* D. *h. t.* & in genere omni ei, qui juraverit non calumniæ cauſa id ſe poſtulare; *l. 13. §. 3. D. h. t.* adeo, ut non inquiratur, utrum interſit ejus, an non? vicinas ædes habeant, an non habeant? ita tamen, ut arbitrium Prætoris minime excludatur. *d. l. 13. §. 3. & ſeqq. D. h. t.*

§. 6. Contra eum, qui jus habet in re illa, a qua damnum timetur. *l. 13. §. 1. l. 19. pr.* D. *h. t.* Qualis eſt Dominus, *l. 10. 13. §. 1. D. h. t.* Bonæ fidei poſſeſſor,

d. l. 13. pr. Superficiarius, *l. 9.* §. 4. *D. h. t.* Creditor pignoratitius, *l. 19. pr. l. 15. §. 25.* D. *h. t.* nec non qui ſervitutem habet in re vitioſa: *l. 13. §. 1. D. h. t.* dummodo reſpectu ipſius ſervitutis damnum immineat. *l. 30.* D. *h. t.*

§. 7. Ita quidem, ut, ſi quis proprio nomine caveat, nuda repromiſſio ſufficiat; *l. 7. pr. l. 13. pr. §. 1. l. 30. §. 1. D. h. t.* ſi vero alieno, ſatisdatio præſtanda ſit, *d. l. 7. pr. d. l. 13. pr. §. 1. l. 15. §. 2. 25. d. l. 30. §. 1.* D. *h. t.*

§. 8. „*In eam diem, quam cauſa cognita ſtatuero;*„ huic ſtipulationi enim debet dies eſſe inſertus, intra quem, ſi quid damni contigerit, cautio locum habet: neque enim in infinitum obligatus eſſe debet ſtipulatione, *l. 13. §. ult.* D. *h. t.*

§. 9. Dabit autem Prætor diem ſtipulationi, æſtimatione habita, ex cauſa & qualitate ejus damni, quod contingere ſperatur. *d. l. 13. §. ult. l. 14. D. h. t.*

§. 10. Quod ſi vero finita ſit dies ſtatuta in cautione, iterum ex arbitratu Prætoris ex integro cavendum erit, *l. 15. pr. D. h. t.*

§. 11. „*Si controverſia erit, Dominus ſit, nec ne, qui cavebit: ſub exceptione* „*ſatisdari jubebo.*„ v. *l. 31. §. 1. l. 22. §. 1. D. h. t.*

§. 12. „*De eo opere, quod in flumine publico, ripave ejus fiet, in annos decem* „*ſatisdari jubebo.*„ Hic exigitur ſatisdatio, & tempus ſtipulationi præſtituitur idcirco, quia in publico fit; cum autem in alieno fiat, ſatisdationem Prætor injungit. *l. 15. §. 2.* D. *h. t.*

§. 13. Notandum etiam, quod hoc caſu non de loci vitio, ſed de operis tantum cavetur; quamvis, ſi in privato fiat, & de loci, & de operis vitio caveatur *l. 15. §. 3.* D. *h. t.*

§. 14. Si quid igitur damni intra decem annos acciderit, id ſtipulatione continetur; verba enim, *de eo opere*, ſic accipienda, de eo damno, quod ex opere fiet, *l. 15. §. 4. 5.* D. *h. t.*

§. 15. Si enim cautio ſit præſtita & ſtipulatio intercesſerit, damnumque intra præfinitum tempus ex vitio rei datum ſit, *Actio ex ſtipulatu* competit, *l. 15. §. 1. D. h. t.* ad id, quanti ea res eſt, *l. 28. D. h. t.* modice æſtimandum, *l. 39. §. f. l. 40. pr. D. h. t.*

§. 16. „*Eum, cui ita non cavebitur, in poſſeſſionem ejus rei, cujus nomine,* „*ut caveatur, poſtulabitur, ire, &, cum juſta cauſa eſſe videbitur, etiam poſſide-* „*re jubebo.*„ Si enim non caveatur, uti oportet, ei, qui cautionem poſtulat, mittitur is in poſſeſſionem rei ruinoſæ. *l. 4. §. 1. l. 15. §. 11. & ſeqq. l. 38. §. 1. D. h. t.* & quidem ex *Primo Decreto*, ut una cum domino in poſſeſſione ſit; non etiam ut dominium habeat, vel dominus excedere cogatur. *l. 15. §. 16. 20. 30.* D. *h. t. l. 3. §. ult. D. de acq. poſſ.*

§. 17. Si vero contumax ſit, & ne ſic quidem caveat, Prætor poſt intervallum aliquod, cauſa cognita, petitorem in poſſeſſionem mittit ex *Secundo Decreto; l. 15. §. 16. 21.* D. *h. t.* ut jure dominii poſſideat, & effectus dominii reſpectu

ſpectu tertii quidem ſtatim habeat, *l. 15. §. 16. 23. 33. D. h. t. l. 1.* D. *de fund. dot. l. 7. §. 9.* D. *comm. div.* ipſum dominium vero per longam poſſeſſionem capiat. *l. 5. pr. l. 15. §. 16. l. 44. §. 1.* D. *h. t. l. 3. §. ult.* D. *de acq. poſſ.*

§. 18. „*In eum, qui neque caverit, neque in poſſeſſione eſſe, neque poſſidere „paſſus erit, judicium dabo, ut tantum præſtet, quantum præſtare eum oporteret, „ſi de ea re ex decreto meo, ejusve, cujus ea de re jurisdictio fuit, quæ mea eſt, „cautum fuiſſet.*„ Si quis itaque, ex hoc Edicto a Prætore in poſſeſſionem miſſus, non eſt admiſſus, *in Factum Actione* uti poterit, ut tantum præſtetur ei, quantum præſtari ei oporteret, ſi de ea re cautum fuiſſet. *l. 15. §. ult. l. 16. 17. pr. §. 1. 2. D. h. t.*

§. 19. Quæ *Actio in Factum* perpetuo datur, & heredi, & in heredem competit. *l. 17. §. 3. D. h. t.*

§. 20. Non ſolum autem eum punit Prætor, qui in poſſeſſione eſſe, ſed etiam eum, qui poſſidere paſſus non fuerit, cum alioquin, ſi is, qui juſſu Prætoris cœperat poſſidere, & poſſidendo dominium capere, aut non admiſſus, aut ejectus inde fuerit, *Utile Interdictum Unde vi*, vel *Publicianam Actionem* habere poſſit. *l. 18. §. 15. D.h.t.*

§. 21. Sed *ſi in Factum Actione egerit*, his actionibus experiri non poteſt, cum Prætor id agat, ne damnum faciat actor, non ut in lucro verſetur. *d. l. 18. §. 15. D. h. t.*

§. 22. „*Ejus rei nomine, in cujus poſſeſſionem miſero, ſi ab eo, qui in poſ- „ſeſſione erit, damni infecti nomine non ſatisdabitur, eum, cui non ſatisdabitur, „ſimul in poſſeſſione eſſe jubebo.*„ Unde, ſi prior poſſidere juſſus ſit, & alius damni infecti caveat, poſterior mittitur in poſſeſſionem. *l. 15. §. 15. D. h. t.*

§. 23. Cum autem res damni infecti celeritatem ſæpe deſideret, & dilatio periculoſa ſit, *l. 1. D. h. t.* ſi de damno infecto in Municipiis agatur, hæc res Magiſtratibus Municipalibus remittitur, ut apud eos *Cautio damni infecti* poſtuletur, & ſi non caveatur, Actor ab iis in poſſeſſionem mittatur; adeo quidem, ut, ſi Magiſtratus Municipalis cautionis exactionem & miſſionem in poſſeſſionem neglexerit, *Actio in Factum* contra eum locum habeat, ad id quod intereſt. *d. l. 1 4. §. 1. 3. 7. 8. D.h. t.*

§. 24. De quo Prætor ita ſubjeciſſe videtur: „Si damni infecti nomine „agatur, Magiſtratibus Municipalibus remittam, ut apud eos caveatur damni „infecti nomine, fidejuſſoribus datis, aut ſponſione facta, intra eum diem, qui „a me conſtitutus erit. Si intra illum diem non caveatur, eum, cui non cavebitur, in poſſeſſionem ejus rei mitti jubebo, dum ei, qui aberit, prius domum „denunciari jubeam. In eum Magiſtratum, qui non curaverit, quæ ſupra ſcripta ſunt, ſi ab eo id poſtulatum fuerit, quanti ea res erit, cujus damni infecti „nomine cautum non erit, judicium dabo.„ *l. 4. pr. §. 1. 5. 7. 8. D. h. t.*

§. 25.

Digitized by Google

§. 25. *Ceſſat* vero *Damni infecti Actio ejuſque effectus: I.* Si Actor id, cui damnum imminet, illicite exſtruxerit. *l. 13. §. 7.* D. *h. t.*

II. Si ipſe Actor rei vitioſæ nomine cavere ſuperſederit. *d. l. 13. §. 11.*

III. Si damnum metuatur vel detur ex vitio rei naturali, veluti, quia locus aliquis paluſtris eſt vel arenoſus; vel caſu fortuito, *l. 24. §. 2. & ſeqq. l. 43. pr. D. h. t.*

IV. Si is, qui opus aliquod fecit, ſuo jure uſus ſit. *l. 24. §. ult. l. 25. 26.* D. *h. t.*

V. Si damnum alia actione ſarciri poſſit. *l. 32. D. h. t.*

TITULUS III.

DE AQUA, ET AQUÆ PLUVIÆ ARCENDÆ.

§. I.

II. Actio *Aquæ pluviæ arcendæ.* v. *l. 1. pr. l. 11. §. 3. l. 14. §. 1. D. h. t.*

§. 2. De qua, L. XII. Tab. jam introducta, *l. 21. pr. D. de ſtat. lib. l. 22. §. f. D. h. t.* Prætor etiam ſic edixiſſe videtur: *Si cui aqua pluvia damnum dabit opere manu facto, Aquæ Pluviæ Arcendæ ei actionem dabo.* arg. *l. 1. pr. §. 1. 12. D. h. t.*

§. 3. Ait Prætor, *Si cui aqua pluvia damnum dabit;* Decemviri dixerant, *Si aqua pluvia nocet*, i. e. nocere poterit: *l. 21. pr. D. de ſtat. lib.* hæc enim Actio, uti *Actio Damni infecti*, in damno nondum facto, ſed futuro tantum locum habet. *l. 1. §. 1. l. 11. §. 3. in f. l. 14. §. 2. D. h. t.* De eo vero, quod ante datum eſt, *Quod vi aut clam* agendum eſt. *l. 14. §. 3.* D. *h. t.*

§. 4. Eſt autem *Aqua Pluvia*, quæ de cœlo cadit, atque imbre excreſcit; ſive per ſe hæc aqua cœleſtis noceat, ſive cum alia mixta. *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 5. *Opere manu facto; l. 1. §. 1. 15. l. 11. §. 6. D. h. t.* i. e. cum quis manu fecerit, quo aliter flueret aqua, quam natura ſoleret: ſi forte immittendo eam aut majorem fecerit, aut citatiorem, aut vehementiorem; aut ſi comprimendo redundare effecit. *l. 1. §. 1.* D. *h. t.*

§. 6. Si aqua ſine opere facto natura noceat, id hac actione non continetur. *d. l. 1. §. 1. in f.* D. *h. t.*

§. 7. Si vero opus poſt litem conteſtatam factum eſt, novo judicio agendum eſt. *l. 14. §. 4. D. h. t.*

§. 8. *Aquæ Pluviæ Arcendæ ei actionem dabo.* Quæ eſt *Perſonalis, in rem ſcripta; Competens domino fundi, ob damnum, quod in agro metuit, ex aqua pluvia, opere manu facto; Contra dominum loci ubi id factum eſt; Ad id, ut opus reſtituatur, & damnum poſt litem conteſtatam datum reſarciatur.*

§. 9. Eſt hæc Actio *Perſonalis; l. 6. §. 5.* D. *h. t.* quia ex facto illicito naſcitur.

§. 10.

§. 10. *In rem ſcripta;* quia non tantum contra opus facientem, ſed & emtorem, aliosque ſucceſſores competit. *l. 12.* D. *h. t.*

§. 11. *Competens Domino fundi;* qui ſcil. tempore litis conteſtatæ dominium habet. *l. 6. §. 4. D. h. t.*

§. 12. *Ob damnum, quod in agro metuit, ex aqua pluvia, opere manu facto;* ut enim hæc Actio locum habeat, neceſſe eſt, ut aqua pluvia *agro* nocitura ſit: ſi enim *ædificio* vel *oppido* noceat, non hac actione, ſed *Negatoria* agendum, ſcil. jus non eſſe ſtillicidia vel flumina immittere, *l. 1. §. 17.* D. *h. t.*

§. 13. *Contra Dominum loci, ubi id factum eſt;* hac Actione enim nemo tenetur, niſi dominus, qui in ſuo opus fecit. *l. 3. §. 3. l. 4.* §. *2.* D. *h. t.*

§. 14. Si colonus vel Procurator ignorante domino opus fecerit, Dominus nihil amplius quam patientiam præſtat, colonus autem vel Procurator interdicto *Quod vi aut clam* impenſam quoque reſtituendi operis, & damnum, ſi quod ex eo datum fuerit, præſtare cogitur. *l. 4. §. 2. l. 5.* D. *h. t.*

§. 15. *Ad id, ut opus reſtituatur, & damnum poſt litem conteſtatam datum reſarciatur.* Officium enim Judicis hic eſt, ut, ſi quidem a vicino opus factum ſit, eum jubeat reſtituere, damnumque ſarcire, ſi quid poſt litem conteſtatam contigit. Quod ſi ante litem conteſtatam damnum contigit, tantum opus reſtituere debebit, ſed damnum non ſarciet. *l. 6. §. 6. l. 11. §. 3. D. h. t.*

§. 16. Et quidem debet dominus, qui ipſe fecit, opus ſua impenſa tollere; ſi vero alius fecit, qui ad ipſum non pertinet, ſufficit, ſi patiatur ut tollatur. *d. l. 6. §. 7. D. h. t.*

§. 17. Et ita quidem, ut aquam *arceat*, ne influat; *l. 2. §. 9. D. h. t.* non aliter enim *reſtituiſſe* videtur is, qui opus fecit, quam ſi aquam coërceat. *l. 22. §. 1.* D. *h. t.* add. *l. 81. D. de V. S.*

§. 18. Eſt autem hæc Actio *Directa*, vel *Utilis*.

§. 19. *Directa I.* dicitur, quæ datur Domino, cujus agro aqua nocitura eſt, *l. 6. §. 4.* D. *h. t.* adverſus eum, qui actionis movendæ tempore dominium habet; *l. 16. D. h. t. Utilis* vero, quæ Fructuario, ſimilibusque, *l. 3. §. ſ. l. 21. pr. D. h. t.* contra fructuarium, aliosque non dominos competit. *l. 22. §. 2. D. h. t.*

§. 20. *II. Directa* vocatur, quæ ex verbis Legis vel Edicti oritur; *Utilis* contra, quæ ex mente Legislatoris, & ex ſola æquitate naſcitur. v. *l. 2. §. 5. 6. D. h. t.* Diſſert. *N. IX. de Cauſ. Obl. C. III. §. 5. & ſeqq.*

§. 21. *Ceſſat* vero hæc Actio, *I.* Si aqua pluvia non noceat. *l. 1. §. 1. & 17.* D. *h. t.*

II. Si non opere manu facto noceat, ſed natura vel vitio loci. *l. 1. §. 1. 10. l. 14. §. 1.* D. *h. t.*

III. Si opus agri colendi, & fructuum quærendorum cauſa, factum ſit. *l. 1. §. 3. & ſeqq. D. h. t.*

Digitized by Google

IV. Si aqua pluvia non agro ſed ædificio noceat. *l. 1. §. 17. D. h. t.* v ſupr. *§. 12.*

V. Si opus publica auctoritate factum ſit. *l. 2. §. 3. l. 23.* D. *h. t.*

VI. Si vetuſtas operis hominum memoriam excedat. *d. l. 2. pr. §. 3. l. 1. §. ult. D. h. t.*

VII. Si fundus vicinus jure ſervitutis aquam recipiat. *l. 2. §. ult. D. h. t.*

VIII. Si patiente vicino opus factum ſit. *l. 19. 20. D. h. t.*

IX. Si is, cujus agro nocitum eſt, dominium ejus ad alium transtulerit. *l. 6. §. 4. D. h. t.*

TITULUS IV.

DE PUBLICANIS, ET VECTIGALIBUS, ET COMMISSIS. C. VI. 61.

DE PUBLICANIS.

§. 1.

Imminet etiam quodammodo damnum a *Publicanis;* quantæ enim audaciæ, quantæ temeritatis *Publicanorum* factiones ſint, nemo eſt, qui neſciat: *l. 12. pr.* D. *h. t.* v. *l. 9. D. ad L. Rhod. de jact.* Tacit. *Ann. L. XIII. c. 50. 51. Matth. XVIII. 17. Luc. I, 13.* unde ad compeſcendam eorum audaciam Prætor adverſus eos ſpeciale Edictum propoſuit. *d. l. 12. pr. D. h. t.*

§. 2. Quod ita habet, „*Quod Publicanus*, aliusve (ſic leg. v.) *Publicani no-„mine vi ademerit, quodve Familia Publicanorum; ſi id reſtitutum non erit, in „duplum: aut ſi poſt annum agetur, in ſimplum, judicium dabo. Item, ſi damnum „injuria, furtumve factum eſſe dicetur, judicium dabo. Si* hi (ſic leg.) *ad quos „ea res pertinebit, non* exhibebuntur, (ſic leg.) *in dominos ſine noxæ deditione „judicium dabo.„ l. 1. pr. l. 12. §. 1. D. h. t.*

§. 3. Ait Prætor, „*Quod Publicanus*, aliusve *Publicani nomine, vi ademerit;„ Publicani* ſunt, *qui publico fruuntur*, ſeu *qui publica vectigalia conducta habent: l. 1. §. 1. l. 12. §. 3. D. h. t.* & quidem proprie illi, qui a Fiſco ſeu Rep. conduxerunt; *l. 1. §. 1. D. h. t. l. 16. D. de V. S.* per extenſionem vero etiam qui a municipiis, *l. 13. §. 1. D. l. 10. & ult. C. h. t.*

§. 4. „*Quodve Familia Publicanorum;„ Familiæ* nomen hic non tantum ad ſervos publicanorum referendum, verum & ad eos, qui in numero familiarium ſunt *Publicani.* Sive igitur liberi ſint, ſive ſervi alieni, qui *Publicanis* in eo vectigali miniſtrant, hoc Edicto continebuntur. *l. 1. §. 5. l. 12. §. 2. D. h. t. l. 195. §. 3. D. de V. S.*

§. 5. „*Si id reſtitutum non erit, in duplum: aut ſi poſt annum agetur, in „ſimplum judicium dabo.„* Scil. reſtituendi facultas *Publicano* vi abreptum ante judi-

judicium acceptum datur; quod ſi fecerit, omni onere exuitur, & pœnali actione ex hac parte Edicti liberatur: *l. 1. §. 4. l. 5. pr. D. h. t.* ſi vero id non fecerit, Actio contra eum intra annum datur in duplum. Ita tamen, ut duplum non totum pœna ſit, ſed in duplo ſit etiam rei perſecutio. *l. 5. §. 1. D. h. t.*

§. 6. Si plures ſint *Publicani*, omnes partes præſtant; quod tamen ab alio præſtari non poteſt, ab alio exigitur. *l. 6. D. h. t. l. 46. §. ult. D. de jur. fiſc.*

§. 7. Quod ſi vero *Publicanus*, qui vi ademit, deceſſerit, contra heredem, non niſi in quantum locupletior factus ſit, hæc Actio conceditur. *l. 4 pr. D. h. t.*

§. 8. „*Item ſi damnum injuria, furtumve factum eſſe dicetur, judicium* „*dabo.*„ Similiter ſcil. in duplum. v. *l. 1. §. 3. D. h. t.*

§. 9. „*Si hi, ad quos ea res pertinebit, non exhibebuntur, in dominos ſine* „*noxæ deditione judicium dabo.*„ Hoc proprium eſt hujus Edicti, quod, ſi non exhibeantur ſervi, competit judicium ſine noxæ deditione; ſive habeant eos in poteſtate, ſive non, ſive poſſint exhibere, ſive non poſſint. *l. 1. §. ult. D. h. t.*

§. 10. Idcirco autem tam dura conditio eorum effecta eſt, quia debent bonos ſervos ad hoc miniſterium eligere. *l. 3. pr. D. h. t.*

§. 11. Plane præter hanc Actionem in duplum, de eo, quod *Publicani* illicite exegerunt, locum etiam habet ordinaria *Actio Vi bonorum raptorum*, *Furti*, & *Legis Aquiliæ*, *l. 1. §. 4. l. 9. §. 5. D. h. t.* nec non *Extraordinaria perſecutio* ad publicam vindictam. *d. l. 9. §. 5. D. h. t.* Alterum enim utilitas privatorum, alterum vigor diſciplinæ publicæ poſtulat. *d. l. 9. §. 5.*

De Vectigalibus.

§. 12. Quemadmodum autem *Publicani*, ſi quid vi ademerint, vel illicite exegerint, coërcentur, ſic debita *Vectigalia* ipſis ſolvenda, niſi & ipſi, qui ea debent, in pœnam incidere velint.

§. 13. Sunt vero *Vectigalia* alia *Publica*, alia *Privata*.

§. 14. *Privata* tum *in genere* dicuntur omnes reditus & proventus privati; Cic. *Par. VI. L. II. de Off. c. 25.* tum *in ſpecie* ea, quæ a Municipiis ex agris vectigalibus ſeu emphyteuticariis percipiuntur. *l. 1. 2. D. ſi ag. vect.*

§. 15. *Publica* ſunt, quæ Fiſcus capit. *l. 17. §. 1. D. de V. S.*

§. 16. Eaque ſimiliter vel *late* accipiuntur pro omni reditu Publico: qualia erant *Vectigalia Portus*, *Decumarum*, *Scripturæ*, v. Cic. *pro L. Manil. c. 6.* *Rerum Venalium*, *Salinarum*, *Metallorum*, *Picariarum*, *l. 17. §. 1. D. de V. S.* *Cretifodinarum*, *l. 13. D. h. t.* & *Cotoriarum*; *l. 15. D. h. t.* ut & ipſa *Tributa* comprehendant: *l. 7. D. h. t.* vel *ſtricte* pro iis tantum, quæ *Portorii* nomine veniunt. v. *l. 3. C. de vect.* *l. 60. §. pen. D. locat.* *l. 203. D. de V. S.*

§. 17. Quo ſenſu *Vectigalia* (a *vehendo* ſic dicta Iſid. *L. XVI. c. 17.*) ſunt *penſiones, quæ pro invectione vel evectione mercium ſolvuntur.* *l. 3. 6. C. de vectig.*

§. 18. Jus imperandi Vectigalia ſoli competit Principi, iisque, penes quos

eſt

Digitized by Google

eſt τὸ κύριον ſeu Majeſtas; *l. 10. D. h. t. l. 2. 3. C. vect. nov. inſt. non poſſ.* ob utilitatem publicam. Tacit. *Ann. L. XIII. c. 50. Hiſt. L. IV. c. 74. l. 1. §. 20. D. de quæſt. Nov. 149. c. 2.*

§. 19. Alii vectigalia nova conſtituere, & conſtituta minuere vel augere, ſub pœna exilii, prohibentur. *d. l. 10. pr. D. h. t. l. 3. 4. C. vect. nov. inſt. non poſſ.*

§. 20. Qui vero jus vectigalia imperandi habent, poſſunt ea vel per Quæſtores ſimilesve exigere, vel *Publicanis* ea locare; quod fere in uſu fuit apud Romanos, qui vectigalia, ſub libera maxime Rep. per *Cenſores* locare ſolebant: Liv. *L. IV. c. 8.* Cic. *I. Orat. Agrar. contr. Rull. c. 3.* Plin. *L. XVIII. c. 3. l. 203. D. de V. S. l. 15. D. h. t.* ubi pro *Cæſar*, *Cenſor* legendum videtur.

§. 21. Quæ locatio ut legitime procedat, requiritur *I.* Ut Locatio hæc publico Edicto, vel voce Præconis, indicetur. *l. 3. C. de locat. præd. civ. II.* Ut vectigalia eis addicantur, qui ſuperiores in licitatione fuerint. *l. 4. C. de vect.* & idoneam præſtare cautionem parati ſint. *l. 8. pr. D. h. t. l. 1. C. de locat. præd. civ. l. 2. C. de præd. decur.*

§. 22. Conducere autem Vectigalia poſſunt, quicunque non prohibentur; etiam mulieres. *l. 47. D. de jur. fiſc.*

§. 23. Prohibentur *I.* Reliquatores vectigalium, antequam ſuperiori conductioni ſatisfaciant. *l. 9. §. 2.* D. *h. t.*

II. Debitores Fiſci & Reip. ne ex alia cauſa eorum debita onerentur; niſi forte tales fidejuſſores obtulerint, qui debitis eorum ſatisfacere parati ſint. *d. l. 9. §. 3.*

III. Qui tutelam vel curam adminiſtrant pupillorum minorumve, nec rationem adminiſtrationis reddiderunt. *l. un. C. ne tut. vel curat. vect. cond.*

IV. Minores. *l. 45. §. ſ. D. de jur. fiſc.*

V. Filiifam. arg. *l. 3. §. 1. D. ad SCt. Maced.*

VI. Milites. arg. *l. 31. & fin C. locat. cond.*

VII. Magiſtratus. *l. un. C. quib. ad cond. præd. fiſc. acced.*

Nec non *VIII.* Clerici. *N. 123. c. 6.*

§. 24. Vectigalia præſtant omnes, qui ſpecialiter non excipiuntur. *l. 6. C. de vect.*

§. 25. Excipiuntur *I.* Princeps. arg. *l. 10. D. h. t.* junct. *l. 31. D. de ll.*

II. Fiſcus. *l. 9. §. ſ. D. h. t.*

III. Navicularii, cum ſuas merces vehunt. *l. 6. C. de vect.* v. *l. 5. §. 3. D. de jur. immun.*

IV. Legati exterarum gentium; ratione rerum ſcil. quas ex Romano ſolo ad propria loca deferunt. *l. 8. C. de vect.*

Nec non *V.* Profeſſores & Studioſi. *l. 5. 6. & 11. C. de Prof. & Med. Autb. Habita. C. ne fil. pro. patr.*

§. 25

Digitized by Google

§. 26. Similiter præſtantur vectigalia pro omnibus mercibus licitis, quæ negotiationis gratia inveluntur vel evehuntur, *l. 5. 6. C. de vect.* niſi ſpeciali lege immunitatem habeant, iis maxime, quibus homines facilius carere poſſunt: quales memorantur *l. 16. §. 7. D. h. t.*

§. 27 Immunes ſunt *I.* Res, quæ non commercii cauſa, ſed ad uſum proprium, victus ſcil. amictusque ſui & familiæ cauſa, inferuntur. *l. 5. C. de vect.* junct. *l. 203.* D. *de V. S.*

II. Res ad uſum Præſidis, Exercitus, vel Fiſci paratæ. *l. 4. §. 1. l. 9. §. 8. D. h. t. l. 5. C. de vectig.*

III. Res ad argriculturam pertinentes. *d. l. 5. C. de vect.*

IV. Res Legatorum, quæ evehuntur. *l. 8. C. de vect.*

Quibus *V.* annumerari poſſunt res omnes, quarum nomine vectigal nunquam præſtitum eſt. *l. 9. §. 6. D. h. t.*

§. 28. Quantitas vectigallium apud Romanos fere erat *octava mercium pars; l. 7. C. de vect. l. 2. C. de eunuch.* unde *Vectigal Octavarum, l. 7. C. de locat. cond.* & qui illud accipiebant *Octavarii* dicuntur. *l. 8 C. de Vect.* ſed pro diverſitate regionum variat, ut conſuetudo locorum ſpectari debeat. *l. 4. §. ult. l. 9. §. 6. D. h. t.*

De Commissis.

§. 29. Ut autem Vectigalia legitime exigi poſſint, debent illi, qui merces important vel exportant, eas profiteri; *l. ult. §. 3. & 12. D. h. t.* hoc enim ſi factum non fuerit, merces omnes, una cum navi, *l. 11. §. 2. D. h. t. l. 3. C. de naut fœn.* in *Commiſſum* cadunt, *d. l. ult. §. 3. & 12.* i. e. propter commiſſum in Legem de Vectigalibus, v. Suet. *in Cal. c. 41. l. 14. D. h. t.* junct. *l. 39. pr.* D. *ad L. Jul. de adult. l. ult. D. de leg. commiſſ.* proprii domini eſſe deſinunt, & Fiſco cedunt. *l. 14. D. h. t. l. 11. C. de vect.*

§. 30. Adeoque *Commiſſa* ſunt *merces, quæ, ob vectigalium defraudationem, prioris dmini eſſe deſierunt, & Fiſco acquiſitæ ſunt d. l. 14.* D. *h. t.*

§. 31. Ut tamen *Commiſſa* fiant, requiritur, ut profeſſio dolo malo omiſſa ſit; *l. 8. & 11. §. 2. l. 16. §. 11. D. h. t.* ſi enim quis non per fraudem, ſed per errorem in cauſam commiſſi incidat, licet non in totum excuſetur, dupli tamen ſolutione defungi poteſt: *l. 16. §. 10. D. h. t.* dummodo error ſit juſtus ac probabilis; craſſa enim ignorantia veniam non meretur. *l. 6. D. de jur. & fact. ign.* Ita acc. *l. 16. §. 5. D. h. t.*

§. 32. Cadunt etiam in commiſſum res defraudatoris tantum propriæ, non alienæ. *l. 8. §. 1. l. 11. §. 2. l. 14.* D. *h. t* Unde, ſi unus ex pluribus dominis rem communem celaverit, ejus ſolius portio committitur, cæteris autem portiones non auferuntur. *d. l. 8. §. 1.*

§. 33. Ad res autem commiſſas conſequendas *Fiſco* competit *Rei vindicatio* arg. *l. 23. pr. D. de R. V.* vel loco ejus *Publicano. l. 11. C. de vect.*

§. 34. Quæ non tantum adverſus defraudatorem, ſed & omnem poſſeſſorem locum habet; *l. 14. D. h. t.* eaque ratione etiam contra heredem (quatenus ſcil. poſſidet, *l. 14.* D. *h. t.*) competit, *l. 8. pr. l. 11. §. 3. D. h. t.* v. *l. fin. §. 13. eod.*

§. 35. *Ceſſat* vero *Pœna Commiſſi; I.* In pupillo, dummodo intra diem XXX. vectigal inferat. *l.* 7. §. *1. D. h. t.*

II. In minore, qui ex juſta cauſa reſtituitur. *l. 16. §. 9. D. h. t. l. 9. §. pen.* D. *de min.*

III. In milite *l. 3. C. de vectigal.*

IV. Si per eorum profeſſio omiſſa ſit. *l. ult. §. 10.* D. *h. t.*

V. Si propter neceſſitatem adverſæ tempeſtatis onus expoſitum fuerit. *l. ult. §. 8.* D. *h. t.*

VI. Si quis merces profeſſus ſit, ſed concedente Publicano vectigal non ſolverit. *l. ult. §. 2. D. h. t.*

VII. Si quinquennium præterlapſum ſit. *l. 2. C. de vect.*

VIII. Si res, quæ in commiſſi cauſam cecidit, ſine dolo perierit. *d. l. 2. C. de vect.*

TITULUS V.

DE DONATIONIBUS, C. VIII. 54.

§. 1.

Exhibitis etiam *Actionibus*, quæ de *Damno imminenti*, ſeu *quod metuitur*, competunt, ſubjiciuntur nunc porro *Remedia*, quæ ratione *Donationum* locum habent.

§. 2. *Donatio*, ſic dicta quaſi D*oni datio*, *l. 35. §. 1.* D. *de mort. cauſ. don.* eſt *Liberalitas, nullo jure cogente. l. 29. pr. D. l. 10. C. h. t. in accipientem facta. l. 19. §. 2.* D. *h. t.*

§. 3. *Donationum* autem *duo* ſunt *Genera, Mortis cauſa, & Non mortis cauſa. pr. I. h. t.*

§. 4. *Donatio*, quæ *Non mortis cauſa* fit, non male ſubdividitur in *Propriam, l. 1.* D. *h. t. Simplicem, l. 20.* §. *3.* D. *fam. erciſc. l. 20. pr. C. de don. ant. nupt.* ſeu *Veram* & *Abſolutam, l. 35. §. 2. l. 42. §. 1. in f.* D. *de mort. cauſ. don.* & *Impropriam*, ſeu *Relatam, d. l. 1. pr. §. 1. D. h. t.*

§. 5. *Donatio Propria, Simplex*, ſeu *Abſoluta* eſt, *quæ ex nulla alia cauſa, quam ex mera fit liberalitate. l. 1. pr.* D. *h. t.*

§. 6. Perficitur hæc Donatio, ſimul ac donator ſuam voluntatem ſcriptis aut

aut ſine ſcriptis manifeſtavit, & donatarius acceptavit. *§. 2. I. h. t. l. 19. §. 1. D. h. t.*

§. 7. Adeoque fieri poteſt non tantum traditione, ſive vera, *l. 1. pr.* D. *h. t. l. 35. §. 2. D. de mort. cauſ. don. l. 23. D. de don. int. vir. & ux.* ſive *ficta*, *l. 6. D. l. 1. l. 28. C. h. t.* & ſtipulatione; *l. 33. D. h. t.* ſed & nudo pacto, (mutato jure antiquo) tum expreſſo, *l. 35. §. 5. C. §. 2. I. h. t.* tum tacito: v. *l. 53.* D. *de R. J. l. 2. §. 1. D. de pact. l. 34.* D. junct. *l. 11. C. de neg. geſt. l. 13. §. 2.* D. *de don. int. vir. & ux. l. 26. D. de prob.* tum inter præſentes, tum inter abſentes facto. v. *l. 6. & 13. C. h. t.*

§. 8. Dummodo conſtet de voluntate donantis; Donatio enim non præſumitur, ſed probanda eſt. v. *l. 25. pr. D. de prob.* junct. *l. 7. pr.* D. *h. t.*

§. 9. D*onare poſſunt*, quicunque domini ſunt, & liberam rerum ſuarum adminiſtrationem habent; §. *40. I. de R. D. l. 21. C. mand.* etiam ſurdus, mutus, *l. 33. §. 2. D. h. t.* ſenex, *l. 16. C. h. t.* nec non mulier citra conſenſum mariti. *l. 6. C. de rev. don.*

§. 10. Non etiam *I.* Pater filiofam. *l. 1. §. 1.* D. *pro don.* junct. *l. ult. C. de imp. & al. ſubſt.* niſi filio in caſtra eunti donaverit; *l. 4. C. fam. erc. l. 1. C. de caſtr. pecul.* vel donatio morte patris confirmata ſit. *l. 25. C. de don. int. vir. & ux.*

II. Filiusfam. licet liberam peculii adminiſtrationem habeat. *l. 7. pr. D. h. t.* Niſi *I.* Ex juſta cauſa donet; *d. l. 7. §. 1. II.* Pater id filio nominatim conceſſerit; *d. l. 7. §. 2. 3. l. 9. §. 2. D. h. t.* vel *III.* Peculium habeat Caſtrenſe, Quaſi caſtrenſe, *d. l. 7. §. ult.* vel Adventitium extraordinarium. *Nov. 117. c. 1. §. 1.*

III. Tutores, Curatores, & Procuratores. v. *l. 22. l. 46. §. ult. D. l. 16. C. de admin. tut. l. 12. §. pen. l. 13. §. 2. D. eod.*

IV. Reus criminis perduellionis. *l. 31. §. ult. D. h. t.*

V. Reus alterius criminis capitalis, ſi condemnatio ſecuta ſit. *l. 15. D. h. t.* Ubi pro *niſi* leg. *ſi.*

VI. Conjuges ſibi invicem. *t. t. D. & C. de don. int. vir. & ux.*

§. 11. *Donari poteſt* omnibus non prohibitis; etiam Reip. *l. 19. pr.* D. *h. t.* imo & meretrici, & concubinæ *l. 5. & 31. D. h. t. l. 4. §. 3. D. de cond. ob turp. cauſ.*

§. 12. Non vero filiofam. a patre; *l. 17. C. h. t. l. 1. §. 1. D. pro don.* neque conjugi a conjuge. *t. t. D. & C. de don. int. vir. & ux. §. prac. 10. num. 1. 6.*

§. 13. *Donantur* res omnes, quæ ſunt in rerum natura, & hominum commercio: arg. *§. 4. 7. I. de legat. §. 1. 2. I. de inut. ſtip.* ſive illæ corporales ſint, ſive incorporales; v. *l. 9. pr. l. 27. 28. D. h. t.* ſive propriæ, ſive alienæ, quoad conditionem ſcil. uſucapiendi. *l. 2. 3. D. pro don.* v. *l. 9. §. ult. l. 18. §. ult.* D. *h. t.*

§. 14.

Digitized by Google

§. 14. Adeo, ut & omnia bona donare liceat, non tantum præſentia, ſed & futura. *l. 35. §. 4. C. h. t. l. 8. C. de rev. don. l. 17. §. 1. D. quæ in fraud. cred.*

§. 15. Dummodo *I.* Si liberos quis habeat, iis ſalva ſit Portio Legitima; ceteroquin enim Donatio tanquam Inofficioſa per *Querelam inofficioſæ Donationis*, (quæ ex ſola æquitate naſcitur) pro modo ſcil. Portionis Legitimæ reſcinditur. *l. 5. & 7. C. de inoff. don.* v. Diſſert. *N. IV. de Port. Legit. C. III. §. 1. 2. 3. 4.* Diſſert. IX. *de Cauſ. Oblig. c. IV.* Et *II.* Si Donatio D. ſolidos ſeu aureos (v. ſupr. ad *t. de juriſd. §. 79. 80.)* excedat, Actis inſinuetur, ſeu in Acta publica referatur. *l. 36. §. ult. C. §. 2. I. h. t.*

§. 16. Cum enim priores Principes Donationes inſinuari Actis intervenientibus voluiſſent, ſi majores eſſent CC. ſolidorum, Imp. noſter eam quantitatem primum ad CCC. *l. 34. C. h. t.* noviſſime vero ad D. ſolidos ampliavit; *d. l. 36. §. ult. C. h. t.* quam ſtare ſine inſinuatione, majorem inſinuari voluit. *d. l. 36. §. ult. C. §. 2. I. h. t.*

§. 17. Quod ſumma ratione introductum; ne quis ſcil. temerariis largitionibus patrimonium ſuum exhauriat, vel clandeſtinis fraudibus donatio confingatur. *l. 27. C. h. t.*

§. 18. Quod ſi tamen Donatio definitum D. ſolidorum modum excedens inſinuata non ſit, non in totum eſt irrita, ſed quatenus excedit. *d. l. 34. pr. l. 36. §. f. C. h. t.*

§. 19. Sunt etiam quædam Donationes, quæ penitus inſinuationem fieri minime deſiderant: *d. §. 2. I. h. t.* quales ſunt maxime Donationes vel a Principe factæ; quæ fiunt pro redemtione captivorum; nec non pro reſtitutione ædium incendio vel ruina conſumtarum. *d. l. 34. & 36. pr. §. 1. 2. C. h. t.*

§. 20. *Effectus Donationis* eſt, quod, *ſi traditione* facta ſit, *transferatur dominium, §. 40. I. de R. D.* vel uſucapiendi conditio; *t. t. pro donat. ſi* vero *ſtipulatione*, naſcatur *Actio ex ſtipulatu; pr. I. de V. O.* & *ſi nudo pacto*, locum habeat *Condictio ex Lege. l. 35. §. 4. 5. C. h. t. Nov. 162. c. 1. §. 1.*

§. 21. Quæ datur Donatario ejusque heredi, contra Donatorem, ad tradendas res donatas. *§. 2. I. h. t.*

§. 22. Adeo quidem, ut Donatio hæc ſemel perfecta a Donatore revocari nequeat; *d. §. 2. I. h. t. l. 3. 4. 5. C. de rev. don.* niſi forte inſigniter ingrati ſint Donatarii: *d. §. 2. I. h. t.* quo caſu licet Donatoribus, non etiam heredibus, *l. 7. & ult. C. de rev. don.* propter V. cauſas, in *d. l. ult. C. de rev. don.* relatas, Donationes revocare. *d. l. ult. C. de rev. don. §. 2. I. h. t.*

§. 23. Ut tamen ingratitudinis cauſæ ſimiles vel graviores, dummodo ejusdem ſint generis, etiam admittendæ ſint. *l. 12. D. de ll.*

§. 24. Sed & Patrono in ſpecie conceſſum eſt, donationem liberto factam revocare, ſi poſtea liberos ſuſceperit. *l. 8. C. de revoc. don.* Quod Jure noſtro ad alios non extenditur.

§. 25.

Digitized by Google

§. 25. Plane non in ſolidum tenetur Donator, ſed gaudet *Beneficio Competentiæ*, neque in plus conveniri poteſt, quam facere poteſt; *l. 12. & 33. pr. D. h. t. l. 19. §. 1. l. 49. D. de re jud. §. 38. I. de act.* detracto ſcil. (quod hic ſpeciale eſt) primum eo, quod creditoribus debetur. *d. l. 12.* D. *h. t. d. l. 19. §. 1. l. 49. 50. D. de re jud.*

§. 26. *Donatio Impropria* ſeu *Relata* eſt, *quæ fit ob reſpectum aliquem*, quo ceſſante non fieret. *l. 1. pr. §. 1. l. 19. §. 5. 6. D. h. t.*

§. 27. Qualis eſt *I. Donatio, quæ fit ſub modo; d. l. 1. pr. d. l. 19. §. 6. D. h. t. t. t. C. de don. quæ ſub mod.*

II. Donatio Remuneratoria. l. 27. D. h. t.

III. Donatio propter nuptias. d. l. 1. §. 1. D. h. t. v. ſupr. *ad t. de don. int. vir. & ux. §. 21. & ſeqq.*

TITULUS VI.

De Mortis Causa Donationibus, Et Captionibus. C. VIII. 57.

De Mortis Causa Donationibus.

§. 1.

Donatio Mortis cauſa eſt, *quæ propter mortis fit ſuſpicionem, §. 1. I. de don.* ſeu *mortalitatis cogitationem; l. 2. & 31. §. 2. in f. l. 35. §. 4. D. h. t.* cum quis ſe magis habere vult, quam eum, cui donat, magisque eum, cui donat, quam heredem ſuum. *l. 1. & 35. §. 2. D. h. t. §. 1. I. de don.*

§. 2. Cujus ſpecies tres ſunt: *Una*, cum quis nullo præſentis periculi metu conterritus, ſed ſola cogitatione mortalitatis donat. *Alia*, cum quis imminente periculo commotus ita donat, ut ſtatim fiat accipientis. *Tertia*, ſi quis periculo motus non ſic det, ut ſtatim fiat accipientis, ſed tunc demum, cum mors fuerit inſecuta. *l. 2. & 13. §. 1. l. 35. §. 4. D. h. t.*

§. 3 Quale ſit periculum, ſive adverſæ valetudinis, ſive mortis propinquæ, ſive hoſtium, ſive latronum, ſive navigationis, vel locorum inſidioſorum, vel ætatis, nihil intereſt. *l. 3. 4. 5. D. h. t.* Hæc enim omnia *inſtans periculum* demonſtrant. *l. 6. D. h. t.*

§. 4. Dummodo, ſi donatur a morti vicino, exprimatur, *Donationem fieri ob mortis ſuſpicionem;* cæteroquin enim non tam mortis cauſa, quam moriens donaſſe cenſetur. *l. 42. §. 1. in f. D. h. t.*

§. 5. *Mortis cauſa donare poſſunt*, qui teſtamentum facere, & legare poſſunt. arg. *l. 15. D. h. t. l. 2. D. de leg. 1.*

§. 6. Non etiam *I.* Qui pœna capitis afficiuntur. *l. 7. D. h. t.*

II. Qui non ſunt ſolvendo. *l. 17. D. h. t.*

Digitized by Google

III. Neque Filiifam. niſi patre permittente. *l. 25. §. 1. D. h. t. l. 7. §. 4. D. de don.*

§. 7. *Donari poteſt* iis, qui legata accipere poſſunt, ſeu cum quibus eſt teſtamenti factio paſſiva. *l. 35. pr. D. h. t. §. 24. I. de legat.*

§. 8. *Donantur* res omnes, quæ legari poſſunt, quæ ſcil. ſunt in rerum natura & hominum commercio, non tantum propriæ, ſed & alienæ. arg. *§. 4. I. de legat. l. 13. pr. D. h. t.*

§. 9. *Donationes* enim *Mortis Cauſa,* ad exemplum legatorum redactæ ſunt fere per omnia. *l. 15. 17. 35. 37. pr. D. h. t. §. 1. I. de don.*

§. 10. Unde & *I. Hæc Donatio V.* requirit teſtes, qui in omni ultima voluntate ſunt neceſſarii. *l. ult. §. ult. C. de codicill.*

II. Non indiget inſinuatione. *l. ult. C. h. t.*

III. Dominium ſine traditione transfert. *l. 2.* D. *de publician. in rem act.*

IV. Minuitur Falcidia. *l. 2. C. h. t.*

V. Admittit jus accreſcendi. *l. un. §. 14. C. de cad. toll.*

VI. Locum facit ſubſtitutioni. *l. 10. D. l. 1. C. h. t.*

VII. Nec non cautioni Mutianæ. *N. 22. c. 44. §. ult.* v. *l. 7. & 18. D. de cond. & dem.*

§. 11. Licet in quibusdam a legatis differat. Nam *I. Donatio Mortis Cauſa* a præſente in præſentem & acceptantem, non ignorantem confertur. *l. 38. D. h. t.*

II. Non pendet ab aditione hereditatis. arg. *l. 25. & 32. D. h. t. l. 5. §. 17. D. de his quæ ut indign.*

III. Exſtinguitur etiam reconvaleſcentia & liberatione donatoris a periculo. *§. 1. I. de don.* Quæ ſecus ſunt in *Legatis.*

§. 12. *Effectus hujus Donationis* eſt, quod, ſi res a Donatore tradita ſit, dominium transeat in Donatarium, & quidem vivo Donatore revocabiliter; *l. 2. & 29. D. h. t.* mortuo vero eo irrevocabiliter: *l. ult. C. h. t.* ſin tradita non ſit, Donatarius ad eam petendam habeat *Rei vindicationem, Actionem Hypothecariam,* nec non *Actionem in perſonam ex teſtamento.* arg. *l. 1. C. comm. de leg. §. 2. I. de legat.*

§. 13. *Irrita* autem *fit Mortis cauſa Donatio*, *I.* Si Donator ſalvus evaſerit & ſupervixerit. *l. 29.* D. *h. t. §. 1. I. de don.*

II. Si donationis eum pœnituerit. *l. 16. & 30. D. h. t. §. 1. I. de don. l. 4. D. de adim. leg.*

III. Si Donatarius prior deceſſerit. *d. §. 1. I. de don.*

§. 14. Quibus caſibus non ſolum retineri poteſt, quod promiſſum, ſed & repeti, quod datum eſt, *Condictione* ſcil. vel *Utili in rem actione. l. 29. 30. & 35. §. 3. D. h. t.*

De

De Mortis Causa Captionibus.

§. 15. Differt autem a *Mortis cauſa Donatione Mortis cauſa Captio* ſeu *Capio*, v. Gell. *L. VII. c. 10.* quæ nihil aliud eſt, quam *acquiſitio propter mortem alterius obveniens, ſpeciali nomine carens;* veluti, cum quis ſervum ſuum liberum eſſe juſſerit, ſi mihi X. dederit. *l. 8. & 18. pr. l. 31. pr. D. h. t.*

§. 16. Nam *Mortis cauſa Donatur*, quod præſens præſenti dat, at *Mortis cauſa Capi* intelligitur, quod in ſpeciem donationis non cadit. *d. l. 38.* D. *h. t.*

* *

LIBER XL. TITULUS I.

De Manumiſſionibus.

§. 1.

Sequuntur *Actiones Præjudiciales*, v. *§. 13. I. de act.* quibus ſcil. quæritur: An *Libertus* aliquis ſit? An *Servus*? An *Ingenuus*? Cumque *Libertini* maxime fiant *Manumiſſione*, *pr. I. de libertin.* de *Manumiſſionibus* præmittitur.

§. 2. *Manumiſſio* eſt *de manu miſſio*, id eſt *datio libertatis. l. 4. D. de I. & I. pr. I. de libertin.*

§. 3. *Manumittere poſſunt* Domini, & quidem ſine cauſæ cognitione XX. *annis majores*, pro quibus etiam habentur ſupremum diem anni vigeſimi agentes; *l. 1. D. h. t.* *Minores* vero inter vivos manumittentes, adhibita cauſæ cognitione. v. *§. 4. ult. I. qui & ex quib. cauſ. man. non poſſ.*

§. 4. Non etiam Rei criminum capitalium; *l. 8. §. 1. 2. D. h. t.* neque Filiifam. vel Nepotes, niſi conſentiente Patre vel Avo. *l. 16. & 22.* D. *h. t.*

§. 5. *Manumittuntur* ſervi manumittentis proprii, v. *l. 4. C. de his qui a non dom. manumiſſ. l. 2. D. h. t.* etiam furioſi, *l. ult. D. h. t.* infantes, *l. pen.* D. *h. t.* nec non in ventre adhuc exiſtentes. *l. 14. C. de fideic. libert.*

§. 6. Non vero I. Servi alieni *l. 4. C. de his qui a non dom. manumiſſ.*

II. Qui pignori ſpecialirer obligati ſunt, *l. 3. D. h. t. l. 1. C. de ſerv. pign. dat. man.*

III. Qui conventione, teſtamento, vel ob delictum manumitti prohibti ſunt. *l. 9. D. h. t.*

§. 7. Fiebat autem olim *Manumiſſio Cenſu, Vindicta*, & *Teſtamento.* Cic. *in Top. c. 2.* Ulp. *Fragm. Tit. 1. §. 6. & ſeqq.* Theoph. *ad t. I. de libertin.*

§. 8. *Cenſu* manumittebantur, qui luſtrali cenſu, Romæ, juſſu dominorum, inter cives Romanos cenſum profitebantur. Ulp. *d. T. 1. §. 8.*

§. 9. Sed hic modus manumittendi in deſuetudinem abiit, in ejusque locum a Conſtantino Imp. ſuffecta eſt *Manumiſſio, quæ fit in Eccleſiis*. v. *l. 1. 2. C. de his qui in eccleſ. manumitt.*

TITULUS II.

DE MANUMISSIS VINDICTA. C. VII. 1.

§. 1.

Vindicta manumitti dicebantur, cum dominus caput ſervi, aut aliud membrum tenens, eum in gyrum agebat, alapam infligebat, & percuſſum e manu emittebat, dicens *Hunc hominem liberum eſſe volo*: quo facto, lictor juſſu Prætoris virgula caput ſervi verberabat, ſervusque in templum Feroniæ deducebatur, ibique raſo capite pileum accipiebat. v. Feſt. *in voc. Manumitti*. Boët. *ad Top. Cic. c. 2. l. 8. D. h. t.*

§. 2. Sed verba illa ſolennia jure novo non ſunt neceſſaria, &, licet non dicantur, ut dicta tamen accipiuntur. *d. l. 8. l. 23. D. h. t.*

§. 3. Manumittitur autem *Vindicta* apud Magiſtratum, apud quem eſt Legis Actio: arg. *l. 2. §. 1. l. 3.* D. *de offic. Proconſ.* Prætorem ſcil. *l. 1. & 8. D. l. 4. C. h. t. l. 1. D. l. 1. C. de off. Præt.* Ulp. *Tit. 1. §.* 7. Conſulem, *l. 20. §. ult. D. d. l. 4. C. h. t. l. un. D. de off. Conſ.* Ulp. *d. l.* Proconſulem, *l. 17. pr.* D. *h. t.* Ulp. *d. l.* ejusque Legatum, ex quo ſcil. provinciam ingreſſus eſt. *l. 17. §. 1. D. h. t.* Ita acc. *l. 2. §. 1. D. de offic. Proconſ.*

§. 4. Non tamen neceſſe eſt pro tribunali manumittere, ſed & in tranſitu id fieri poteſt, cum aut lavandi, aut geſtandi, aut ludorum gratia prodierit Prætor, aut Proconſul, Legatusve Cæſaris; *l. 7. D. h. t. §. 2. I. de libertin.* eſt enim actus voluntariæ jurisdictionis, *l. 2. pr.* D. *de off. Proconſ.* qui omni loco & tempore fieri poteſt. v. *l. 2. & 8. C. de fer.*

TITULUS III.

DE MANUMISSIONIBUS, QUÆ SERVIS AD UNIVERSITATEM PERTINENTIBUS IMPONUNTUR. C. VII. 9.

§ 1.

Cumque *Manumiſſio*, quæ fit *Vindicta*, actus ſit legitimus, *l. 77.* D. *de R. J.* junct. Paul. *L. II. Sent. T. XXV. §. pen.* ſequitur, aliquem per Procuratorem ſervum *Vindicta* manumittere non poſſe. *l. 3. C. de vind.*

§. 2. Sed *Univerſitatibus* tamen & *Collegiis*, per Actores vel Syndicos manumittendi poteſtas data eſt. *l. 1. D. h. t. l. 3. C. de ſerv. Reip.*

TITU-

TITULUS IV.

De Manumissis Testamento. C. VII. 2.

§. 1.

T*eſtamento* datur libertas vel *Directo*, vel *per Fideicommiſſum.*

§. 2. *Directo* datur, cum Teſtator verbis directis ſervum ſuum liberum eſſe jubet, neque ab alio eum manumitti rogat, ſed velut ex ſuo teſtamento libertatem ei competere vult. *§. 2. I. de ſing. reb. per fideic. rel.* Ulp. *T. II. §. 7.*

§. 3. Sive *expreſſe* id fiat, ſive *tacite;* veluti, ſi ſervum ſine libertate heredem inſtituat. *l. pen. C. de neceſſ. ſerv. hered. inſt. §. 2. I. qui & ex quib. cauſ. man. non poſſ. pr. I. de hered. inſt.*

§. 4. Quo caſu manumiſſus ipſius Teſtatoris libertus fit, & *Orcinus* appellatur, quaſi Libertus Patroni ad orcum demiſſi. *d. §. 2. I. de ſing. reb. per fideic. relict. l. 10. C. h t.*

§. 5. Dummodo ſervus utroque tempore, & quo teſtamentum fit, & quo moritur, teſtatoris fuerit; *l. 35. D. l. 9. C. h. t.* & teſtamentum valeat, & ex eo adita ſit hereditas. *l. 23. pr. D. l. 2. C. h. t.*

§. 6. Quod ſi tamen heres ſcriptus, omiſſa cauſa teſtamenti, ab inteſtato poſſideat hereditatem, vel in fraudem libertatis cum legitimo colludat, libertas nihilominus competit. *d. l. 23. pr. D. l. 12. C. h. t.*

§. 7. Quin & ipſi manumiſſi ex conſtitutione D. Marci, ſi ex teſtamento non adeatur hereditas, petere poſſunt, ut bona ſibi addicantur, *libertatum conſervandarum cauſa. pr. & t. t. I. de eo cui libert. cauſ. bon. addic. l. ult. C. h. t.*

§. 8 Quot autem teſtamento manumittantur, jure novo nihil intereſt; abrogata ſcil. *Lege Fuſia Caninia,* qua certus modus, i. e. numerus in ſervis teſtamento manumittendis conſtitutus erat. v. Suet. *in Aug. c. 40. l. un. C. de L. Fuſ. Can. toll. §. un. I. eod.*

TITULUS V.

De Fideicommissariis Libertatibus. C. VII. 4.

§. 1.

Per *Fideicommiſſum* datur libertas, cum Teſtator utitur verbis precariis, & heredem, vel legatarium, vel fideicommiſſarium rogat, ut ſervum manumittat. *§. 2. I. de ſing. reb. per fideic. rel.* Ulp. *T. II. § 7.*

§. 2. Quo caſu manumiſſus non Teſtatoris fit libertus, ſed ejus, qui manumiſit. *d. §. 2. l. 7. C. h. t.*

§. 3. Quoad obſequium ſcil. honorem, & ſucceſſionem; non vero quoad operas. *l. 5. C. de oper. libert. l. 9. D. de in jus voc. l. 29.* D. *de bon. libert.*

§. 4. Niſi manumiſſor filius ſit Teſtatoris, qui etiam operas exigere poteſt. *l. 33. D. h. t.*

§. 5. Poteſt autem *Libertas Fideicommiſſaria* non tantum Teſtamento dari, ſed & ab Inteſtato, & Codicillis teſtamento non confirmatis. *l. 43.* D. *de manum. teſtam.*

§. 6. Neque ſervo tantum Teſtatoris proprio, ſed & heredis, & legatarii, & cujuslibet extranei. *§. 2. I. de ſing. reb. per fideic. rel.*

§. 7. Adeo, ut Legatarius, qui rogatus eſt proprium ſervum manumittere, agnito legato eum manumittere cogatur, licet plus ſit in pretio ſervi, quam eſt in legato. *l. 24. §. 12. D. h. t. l. 33.* D. *de minor.*

TITULUS VI.

DE ADEMTIONE LIBERTATIS.

§. 1.

Quemadmodum vero Libertas Teſtamento dari poteſt, ſic & Teſtamento, nec non Codicillis, adimi poteſt. *l. un. D. h. t. l. 50.* D. *de fideic. lib. l. 10. §. 1.* D. *de manum. teſtam. l.* 4. D. *de adim. leg.*

§. 2. Quin & contingit nonnunquam, ut libertas teſtamento data, manumiſſo, tanquam indigno, Lege adimatur; veluti *Lege Papia* ei, qui tacitam fidem teſtatori in fraudem legis accommodavit: quo caſu libertas pro non data habetur, *d. l. un.* D. *h. t.*

TITULUS VII.

DE STATULIBERIS.

§. 1.

Non tantum etiam pure Libertas in teſtamento dari poteſt, ſed & in diem, & ſub conditione. *l. 23. §. 1.* D. *de man. teſtam.* quo caſu manumiſſi fiunt *Statuliberi.*

§. 2. Eſt enim *Statuliber, qui ſtatutam & deſtinatam in tempus, vel conditionem, libertatem habet. l. 1. pr. D. h. t.*

§. 3. Fiunt autem *Statuliberi*, vel *conditione expreſſa*, vel *vi ipſa. l. 1. §. 1.* D. *h. t.*

§. 4. *Conditione expreſſa*, cum tempus vel conditio expreſſe adjicitur. *d. l. 1. pr. §. 1. D. h. t.*

§. 5. *Vi ipſa* vero, cum creditoris fraudandi cauſa ſervi manumittuntur; nam dum incertum eſt, an creditor jure ſuo utatur, interim *Statuliberi* ſunt, quoniam fraus eum effectu in *Lege Ælia Sentia* accipitur. *d. l. 1. §. 1.* D. *h. t.*

§. 6. Cum itaque hoc caſu libertas, nondum exiſtente tempore, vel conditione,

tione, in ſuſpenſo ſit, *Statuliberi* medio tempore revera ſervi ſunt; *l. 9. pr. l. 29. pr. D. h. t.* ſed ob ſpem futuræ libertatis ipſis conceſſum, ut in quibusdam pro liberis habeantur. v. *l. 14. D. de quæſt. l. 9. §. ult. D. de. pœn. l. 38. §. 3.* D. *de ſol. l. 63. D. de cond. ind.*

TITULUS VIII.

QUI SINE MANUMISSIONE AD LIBERTATEM PERVENIUNT. C. VII. 13.

§. 1.

Plane non tantum dictis modis *Manumiſſio* procedit, ſed & inter amicos, adhibitis V. teſtibus; nec non per epiſtolam a domino & V. teſtibus ſubſcriptam, aliisque: v. *l. un. §. 1. 2. C. de lat. lib. toll. §. 1. I. de libertin.*

§. 2. Quin & Servi quandoque *ipſo jure ſine manumiſſione* ad libertatem perveniunt. Veluti, *I.* Si ſervus ita venditus ſit, ut intra certum tempus manumittatur, nec manumiſſus ſit. *l. 1. & 3. D. h. t. l. 4. C. ſi mancip. ita fuer. alien.*

II. Si ſervus ob gravem infirmitatem pro derelicto habitus ſit. *l. 2. D. h. t.*

III. Si ſervus necem domini detexerit. *l. 5. D. h. t. l. 1. C. pro quib. cauſ. ſerv. pro præm. lib. acc.*

IV. Si ſervus venditus ſit ne proſtitueretur, & proſtitutus ſit. *l. 6. §. 1. D. h. t.*

V. Si ſervus ea lege donatus ſit, ut poſt mortem donatarii liber ſit. *l. pen.* D. *h. t.*

VI. Si ſervus venditus ſit, ut manumitteretur, non addito tempore, neque intra duos vel quatuor menſes manumiſſus ſit. *l. ult. D. h. t. l. 2. & ult. C. ſi mancip. ita fuer. alien.*

VII. Si ſervus adulterinam monetam exercentes, raptum committentes, vel deſertores militiæ, detulerit, vel prodiderit, *l. 2. 3. & 4. C. pro. quib. cauſ. ſerv. pro præm. libert. acc.*

TITULUS IX.

QUI, ET A QUIBUS MANUMISSI LIBERI NON FIUNT, ET AD LEGEM ÆLIAM SENTIAM. C. VII. 11.

§. 1.

Non tamen manumiſſi ſemper liberi fiunt, quandoquidem Leges quibusdam caſibus libertates impediunt.

§. 2. Veluti *I.* Si ſervus relegatus in urbe moratus ſit. *l. 2.* D. *h. t.*

II. Si ſervus ſpecialiter pignori datus ſit. *l. 4. 26. & 27. §. 1.* D. *h. t.* junct. *l. 3.*

l. 3. D. de manum. l. 1. C. de ſerv. pign. dat. manum. v. ſupr. *ad t. de manumi. §. 6. n. 11.*

III. Si ſervus dominum ad manumittendum coëgerit. *l. 9. pr.* D *h. t.*

IV. Si ſervus manumitti prohibitus ſit. *d. l. 9. §. 2.* D. *h. t. l. 9.* D. *de manumiſſ.*

V. Si ſervus manumiſſus ſit a muliere dimiſſa, & adulterii rea, intra diem ſexageſimum; *l. 12. pr. §. 1. & ſeqq. l 13. 14. pr. &. §. 1.* D. *h. t.* adeo, ut talis mulier, ne eum quidem ſervum manumittere poſſit, qui extra miniſterium ejus fuit, vel in agro, vel in provincia: *d. l. 12. §. 1.* quæ tamen hujus Legis durities poſtea mutata eſt, per *l. 32. C. ad L. Jul. de adult.*

VI. Si quis manumittat in fraudem creditorum, ob *Legem Æliam Sentiam. pr. I. qui & ex quib. cauſ. man. non poſſ. l. 8. pr. l. 16. §. 2. l. 27. pr. l. 29. pr.* D. *h. t.*

§. 3. Quæ lata eſt ſub Auguſto, v. Dion Caſſ. *L. LV.* S. Ælio Cato & G. Sentio Saturnino Coſſ. A. U. C. 756. poſt N. C. 4. & duo maxime notanda habuit capita. v. Diſſ. N. XV. *ad Conſt. Marci. §. 6. & ſeqq.*

§. 4. Quorum *altero* cautum fuit, *Ne quis manumittat in fraudem creditorum, &, ſi quis contra faciat, nihil agat. pr. I. qui & ex quib. cauſ. man. non poſſ. l. 16. §. 2. D. h. t. l. 1. C. qui man. non poſſ.*

§. 5. *In fraudem* autem *creditorum manumittere* videtur, qui vel jam eo tempore, quo manumittit, ſolvendo non eſt, vel datis libertatibus deſiturus eſt ſolvendo eſſe. *l. 10. D. h. t. §. 3. I. qui & ex quib. cauſ. man. non poſſ.*

§. 6. Dummodo & fraudandi conſilium manumiſſor habuerit, & creditores re ipſa fraudentur; *d. l. 10. §. 3. l. 79.* D. *de R. J.* & utrumque in ejuſdem creditoris perſona concurrat. *l. 15. D. quæ in fraud. cred.*

§. 7. Licet in *Libertate Fideicommiſſaria* ſolum creditorum damnum ſufficiat, licet animus fraudandi abfuerit. *l. 4. §. 19. in f.* D. *de fideic. lib. l. 1. & ult. C. qui man. non poſſ.*

§. 8. Excipitur tamen caſus, quo dominus, qui ſolvendo non eſt, in teſtamento ſervum ſuum, cum libertate, vel ſine ea, heredem inſtituit neceſſarium; ſi modo alium heredem ex eo teſtamento non habeat. *§. 1. 2. I. qui & ex quib. cauſ. man. non poſſ.*

§. 9. Quod ideo conceſſum, ne *Injuria*, i. e. ignominia defunctus afficiatur. *d. §. 1. I. qui & ex quib. cauſ. man. non poſſ.*

§. 10. *Altero* vero capite cautum eſt, *Ne minor XX. annis aliter manumittat, quam vindicta, juſta cauſa manumiſſionis*, (quænam ſint juſtæ cauſæ? v. *§. 5. I. qui & ex quib. cauſ. man. non poſſ. l. 9. 11. & ſeqq. D. de man. vind. l. 21. D. h. t.*) *apud Conſilium probata. §. 4. I. eod. l. 4. §. ult.* D. *de man. vind.*

§. 11. Quod Romæ conſtabat ex V. Senatoribus & V. Equitibus; in Provin-

cis

ciis vero ex XX. Recuperatoribus Civibus Romanis. Ulp. *T. I. §. 13.* Theoph. *ad d. t. I. qui & ex quib. cauſ. man. non poſſ.*

§. 12. Sed caput hoc poſterius deinceps in tantum mutatum eſt, ut minor annis XX. ſi modo expleverit annum XVII. *v. §. ult. I. qui & ex quib. cauſ. man. poſſ.* imo ſi modo ea ætate ſit, ut teſtamentum facere poſſit, in teſtamento etiam manumittere poſſit, *Nov. 119. c. 2.*

TITULUS X.

De Jure Aureorum Annulorum. C. VI. 8.

§ 1.

Quod ſi vero manumiſſio cum effectu facta eſſet, manumiſſus *Libertinus* fiebat, non *Ingenuus. pr. I. de libertin.*

§. 2. Niſi, conſentiente Patrono, *l. 3. D. h. t. Jus aureorum annulorum* impetraſſet a Principe; quo caſu jura Ingenuitatis adipiſcebatur, ſalvo jure Patronatus. *l. pen. & ult. D. l. 2. C. h. t. l. 44. §. ult.* D. *de excuſ. tut.*

TITULUS XI.

De Natalibus Restituendis. C. VI. 8.

§. 1.

Sed & ipſam Ingenuitatem accipiebat, ſublato jure Patronatus, qui a Principe *Natalibus reſtituebatur; l. 2. 3. & ult. §. 1. D. h. t.* quandoquidem illis Natalibus reſtituebatur, in quibus initio omnes homines fuerunt. *d. l. 2. D. h. t.*

§. 2. Plane Jure novo hiſce ad ingenuitatem adipiſcendam minime opus eſt; cum Imp. noſter non tantum omnem differentiam, quæ olim inter *Libertos* erat, ſuſtulerit, *v. l. un. pr. §. 12. C. de latin. libert. toll. §. 3. I. de libertin.* ſed & *Jus aureorum annulorum*, & *Natalium reſtitutionis*, manumiſſis conceſſerit, omnesque *Libertos* fecerit *Ingenuos; Nov. 78. c. 1. 5.* ſalvo tamen jure *Patronatus. d. N. 78. c. 2.*

TITULUS XII.

De Liberali Causa. C. VII. 16.

§. 1.

Ubi itaque contenditur, an *Libertus*, vel *Liber* quis ſit, an *Servus? Liberalis cauſa*, ſeu *Judicium Liberale*, v. *l. 24. pr.* junct. *l. 25. §. 2. D. h. t.* Terent. *Adelph. A. II. Sc. I. verſ. 40.* & ibid. Don. quo *Actione præjudiciali*, de ſtatu libertatis vel ſervitutis agitur, locum habet. *§. 3. I. de act.* v. Don. *d. l.* Diſſ. N. XVI. *ad Conſt. Marci. §. 11.*

Digitized by Google

§. 2. Et olim quidem is, qui ad libertatem proclamabat, per ſe agere non poterat, ſed pro eo *Aſſertor*, pater ſcil. vel cognatus, vel alius extraneus, intercedebat. *l. un. C. de aſſert. toll. l. 2. §. 24.* D. *de O. I. pr. I. de iis per quos ag. poſſ.*

§. 3. Neque tantum petente eo, qui in poſſeſſione ſervitutis conſtitutus eſt, Aſſertor audiebatur, ſed &, invito eo, quibusdam perſonis pro eo litigandi licentia dabatur; parenti ſcil. liberis & cognatis. *l. 1. & ſeqq. D. h. t.*

§. 4. De quo & Prætor ſic edixiſſe videtur: *In liberali cauſa, Parentibus & Liberis, aliisque neceſſariis perſonis, invito eo, qui in ſervitutem aſſeritur, cauſa cognita litigare permittam.* arg. *d. l. 1. & ſeqq. D. h. t.*

§. 5. Sed *Aſſertionem* ejusque difficultatem poſtea ſuſtulit Imp. Juſtinianus, ſtatuitque, ut, ſi quis ex libertate ad ſervitutem vocetur, vel per ſe, vel per alium cauſam agere poſſit; ſin ex ſervitute ad libertatem proclamet, omnimodo ipſe cauſam ſuam liberalalem agat, nec procuratorem dare poſſit. *l. 1. C. de aſſert. toll.* junct. *l. 33. §. 1.* D. *de procur.*

§. 6. Eſt autem hæc cauſa perpetua, ut libertati nullo unquam tempore præſcribatur; *l. ult. C. de long. temp. præſcr. quæ pro lib. & non adv. libert. opp.* & apud maximos tantum Judices agenda. *l. 32. §. 7. D. de rec. l. ult. C. ubi cauſ. ſtat.*

TITULUS XIII.

QUIBUS AD LIBERTATEM PROCLAMARE NON LICET.

C. VII. 18.

§. 1.

Non tamen omnibus ad libertatem proclamare licet: quales ſunt *I.* Majores annis XX. qui pretii participandi cauſa ſeſe venundari paſſi ſunt. *l. 1. & 3. D. h. t. l. 7 pr. §. 1. de liberal. cauſ.*

II. Servus, quem quis per vim ab alio accepit, & teſtamenao liberum eſſe juſſit. *l. 2. D. h. t.*

III. Qui teſtamento liber eſſe dicitur, quod aperiri Prætor vetat, quia teſtator a familia necatus eſſe dicitur. *l. 7. §. 4. D. de lib. cauſ.*

TITULUS XIV.

SI INGENUUS ESSE DICETUR.

§. 1.

Similiter quotiens de hoc contenditur, an quis *Libertus* ſit, an *Ingenuus?* ſive operæ petantur, ſive obſequium deſideretur, ſive etiam famoſa actio intendatur

Digitized by Google

datur, ſive in jus vocetur, qui ſe Patronum dicit, ſive nulla cauſa interveniat, redditur *Præjudicium. l. ult. D. h. t. l. 5. C. de ingen. manumiſſ.*

§. 2. Dummodo is, qui ex Libertinitate Ingenuitati ſe adſerit, Ingenuitatem proclamat, ſecundum veteres leges, intra quinquenium a die manumiſſionis computandum, Actionem præjudicialem inſtitueret: *l. 2. §. 1. 2. l. 4. D. h. t.* quod poſtmodum mutatum per *l. ult. C. ub. cauſ. ſtat.*

TITULUS XV.

Ne De Statu Defunctorum Post Quinquennium Quæratur. C. VII. 21.

§. 1.

Illud autem *Actionibus Præjudicialibus* commune eſt, quod de ſtatu defunctorum poſt quinquennium quærere non licet, neque privatim, neque Fiſci nomine: *l. 1. pr. D. h. t.* ſi quidem in deteriorem conditionem quis ſtatum retractet: *l. 1. §. ult. D. h. t.* in meliorem enim conditionem ſtatus defunctorum vindicari non prohibetur. *d. l. 1. §. ult. l. 3. D. h. t.*

TITULUS XVI.

De Collusione Detegenda. C. VII. 20.

§. 1.

Denique & illud ſciendum, *Colluſionem* in hiſce judiciis fuiſſe prohibitam.

§. 2. Ne enim quorundam dominorum erga ſervos nimia indulgentia inquinaret ampliſſimum ordinem, eo quod paterentur ſervos ſuos in ingenuitatem proclamare, liberoſque judicari, *Senatusconſultum* factum eſt Domitiani temporibus, quo cautum eſt, ut, ſi quis probaſſet per colluſionem quicquam factum, ſi iſte homo ſervus ſit, fieret ejus ſervus, qui detexiſſet colluſionem. *l. 1. D. h. t.*

§. 3. Dummodo, ſecundum conſtitutionem Divi Marci, *Colluſio* detegatur inter quinquennium continuum, ex quo ſententia pronuntiata eſt. *l. 2. pr. §. 1. & 3. D. h. t.*

✲ ✲ ✲

LIBER XLI. TITULUS I.

DE ACQUIRENDO RERUM DOMINIO.

§. 1.

Et hactenus quidem de *Actionibus* ſeu *Remediis Petitoriis*, tum *in Rem*, tum *in Perſonam*; videndum nunc porro de *Poſſeſſoriis*. Quia autem *Poſſeſſio* vel cum *Dominio* conjuncta eſt, vel ſine eo conſtituta, *de Acquirendo Rerum* Dominio præmittitur.

§. 2. *Dominium* vel *latius* accipitur, vel *ſtrictius*.

§. 3. *Dominium latius* acceptum ſignificat omne *Jus in re*. v. *l. 48. D. de hered. inſt. l. 70. §. ult. D. de V. S. l. 15. §. 8. D. quod vi aut clam. l. 8. D. de reb. auct. jud. poſſ. l. 2. C. ubi in rem act.*

§. 4. *Strictius* vero acceptum eſt *Plena in rem poteſtas; §. ult. I. de uſufruct.* ſeu *Jus de re corporali libere diſponendi, eamque vindicandi, niſi Lex, Voluntas Teſtatoris, vel Conventio obſtet: l. 21. C. mand. l. ult. C. de reb. alien. non alienand.* quæ ſignificatio hujus loci eſt.

§. 5. Dicitur *Jus diſponendi; l. 21. C. mand.* ut *Dominus* ſeparetur a *Creditore* ratione pignoris. *l. 9. C. de pign. act.*

§. 6. *Libere; d. l. 21. C. mand.* ut *Dominus* ſeparetur a *Tutoribus & Curatoribus*. v. *l. 56. §. 4. D. de furt.* junct. *l. 7. §. 3.* D. *pro emt.*

§. 7. *De re corporali;* quia rei incorporalis proprie neque traditio, *l. 43. §. 1. D. h. t.* neque Dominium eſt. *l. 4.* D. *comm. div. l. 13. §. 1. l. 19. pr.* D. *de damn. inf.*

§. 8. *Eamque vindicandi. l. 23. pr.* D. *de R. V.*

§. 9. *Niſi Lex, Voluntas Teſtatoris, vel Conventio obſtet.* v. *l. ult. C. de reb. alien. non alienand.*

§. 10. Dominium olim duplex erat, *Bonitarium* ſcil. ſeu *Naturale*, & *Quiritarium* ſeu *Civile*. v. Ulp. *T. I. §. 16.*

§. 11. *Dominium Bonitarium* ſeu *Naturale* erat, quo res per traditionem ex juſta cauſa factam, citra uſucapionem, in jure ceſſionem, aut mancipationem, acquiſita eſt. Ulp. *T. I. §. 16.*

§. 12. *Quiritarium* vero ſeu Civile, quod ex *L. XII. Tab.* ſolenni modo per Mancipationem, Ceſſionem in jure, aut Uſucapionem, acquirebatur, v. Ulp. *T. XIX. §. 1. & ſeqq.*

§. 13. Sed hanc Dominii differentiam Juſtinianus Imp. ſuſtulit. *l. un. C. de nud. jur. Quirit. toll. l. un. C. de uſucap. transform.*

Digitized by Google

§. 14. Unde ſecundum Jus novum dividi poteſt *I.* in *Naturale*, quod acquiritur modis acquirendi Juris Gentium; & *Civile*, quod ex Jure Civili deſcendit: & iterum eſt vel *Civile in ſpecie*, vel *Prætorium l. 70. ∫. ult.* D. *de V. S.*

§. 15. *II.* In *Naturale*, quod Mulier conſtante matrimonio habet ratione dotis; & *Civile*, quod habet Maritus. *l. 30. C. de jur. dot.*

∫. 16. *III.* In *Perpetuum*, & *Temporale.* v. *l. 48. pr. D. h. t.* junct. *l. 22. C. de R. V. l. 12. ∫. 2. D. fam. ercifc. l. 66.* D. *de R. V.*

∫. 17. *IV.* In *Plenum, cum quis proprietatem & uſumfructum habet;* & *Minus plenum* ſeu *Nudum, cum quis nudam proprietatem, alter vero uſumfructum habet. ∫. ult. I. de uſufr. l. 17.* D. *quib. mod. uſufr. am. l. 17. ∫. 1. in f.* D. *de R. V. l. 126. ∫. 1.* D. *de V. O.*

∫. 18. Dividi etiam *V.* ſolet *Dominium* in *Directum*, quod habet Dominus Emphytheuſeos, Superficiei & Feudi; & *Utile*, quod habet Emphytheuta, Superficiarius, & Vaſallus.

∫. 19. Sed *Dominium Utile* Leges noſtræ ignorant, idque potius *Jus Dominio proximum* dicendum videtur.

∫. 20. *Transferunt dominium*, quicunque Domini ſunt, & liberam rerum ſuarum adminiſtrationem habent; *l. 21. C. mand. ∫. 40. I. de R.* D. vel per ſe, vel per Procuratorem, ſpeciale mandatum habentem. *l. 9. ∫. 4.* D. *h. t. ∫. 42. I. de R.* D. *l. 63.* D. *de proc.*

§. 21. Non etiam, qui domini non ſunt; *l. 54.* D. *de R. J.* niſi ſingulari jure a Lege hanc poteſtatem acceperint: quales ſunt Creditores, Tutores, Curatores. *l. 46. D. h. t. ∫. 1. I. quib. alien, lic. l. 109.* D. *de V. S.*

∫. 22. *Dominium acquirere poſſunt*, quicunque neque impediuntur, neque prohibentur. *Impediuntur*, furioſi, mente capti, infantes; quibus Tutores & Curatores acquirunt. *l. ult.* §. *3. C. de cur. fur.*

∫. 23. *Prohibentur*, quibus commercium rerum, vel ingenere ob delictum, v. *l. 4. ∫. 2. 3. l. 20. ∫. 3. l. 22. C. de hæret. l. 17. ∫. 1.* D. *de pœn. l. 15.* D. *de interd. & releg.* aut metum concuſſionis; v. *l. 62. pr.* D. *de contr. emt. l. un. C. de contr. jud.* vel in ſpecie interdictum eſt. v. *l. un C. ne Chriſt. manc.*

∫. 24. Qui vero acquirere poſſunt, non tantum per ſemet ipſos acquirunt, ſed & per alios: per *Liberos* ſcil. in cauſa peculii profectitii; *∫. 1. I. per quas perſon. cuique acq.* per *Servos* indiſtincte; *∫. 3. I. per quas perſ. l. 10. pr. ∫. 1.* D. *h. t.* per eos, in quibus quis uſumfructum habet, & qui bona fide ſerviunt, ex duabus cauſis, ſi ſcil. quid ex re ipſius vel ſuis operis acquiſiverint; *∫. 4. I. eod. d. l. 10. ∫. 3. 4.* D. *h. t.* nec non per *Procuratores*, per conſequentiam poſſeſſionis. *∫. 5. I. per quas perſ. l. 13. pr. l. 20. ∫. 2.* D. *h. t.*

∫. 25. *Modi* autem *acquirendi Dominii* alii ſunt *Juris Gentium*, alii *Juris Civilis. ∫. 11. I. de R. D.*

§. 26. *Modi acquirendi Juris Gentium* ab aliis plures, ab aliis pauciores, ſed ab Imp. noſtro *Sex* conſtituuntur: *I. Occupatio. §. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 39. & 46. I. de R. D.*

II. Acceſſio. §. 19. 20. 21. 22. 23. 26. 29. 30. 31. 32. 33. I. de R. D.

III. Specificatio. §. 25. I. de R. D.

IV. Confuſio. §. 27. I. de R. D.

V. Fructuum Perceptio. §. 35. I. de R. D.

VI. Traditio. §. 40. & ſeqq. I. de R. D.

§. 27. *Occupatio* eſt *Apprehenſio rerum, quæ nullius ſunt, cum animo ſibi habendi:* v. *l. 3. §. 3. D. de A. vel A. poſſ. l. 3. pr.* D. *h. t.* earum ſcil. quæ nullius ſunt *Natura*, v. *§. 12. 22. I. de R. D. Tempore, §. 39. I. eod.* & *Facto. §. 17. & 46. I. eod.*

§. 28. Species Occupationis tres ſunt, *I. Venatio. II. Occupatio in bello. III. Inventio.*

§. 29. *Venatio* iterum eſt, *I. Venatio in ſpecie* ſic dicta. *II. Aucupium. III. Piſcatio.*

§. 30. Feræ igitur beſtiæ, & volucres, & piſces, & omnia animalia, quæ mari, cœlo, terra naſcuntur, ſimul atque ab aliquo capta fuerint, jure Gentium ſtatim illius eſſe incipiunt. Quod enim ante nullius eſt, naturali ratione occupanti conceditur. *l. 1. §. 1. l. 3. pr.* D. *h. t. §. 12. I. de R. D.*

§. 31. Nec intereſt, utrum in ſuo fundo quis capiat, an alieno; *l. 3. §. 1. D. h. t. §. 12. I. de R. D.* dummodo feræ non ſint in vivariis, vel piſces in piſcinis. *l. 3. §. 14. D. de A. v. A. poſſ.*

§. 32. Plane, qui in alienum fundum ingreditur, venandi, aucupandique gratia, poteſt a domino, ſi is præviderit, jure prohiberi, ne ingrediatur; *l. 3. §. 1. D. h. t. l. 16. D. de S. P. R.* &, ſi contra fecerit, *Injuriarum* conveniri poteſt. *l. 13. §. ult. D. de injur.*

§. 33. Vulneratio autem animalis non ſufficit, ſed occupatio requiritur: *l. 5. §. 1. D. h. t. §. 13. I. de R. D.* ſive manu fiat, ſive inſtrumento. *l. 55. D. h. t.*

§. 34. Uti neque ſemel occupaſſe ſufficit, ſi iterum evaſerit, & difficilis ſit ejus perſecutio. *l. 3. §. 2. D. h. t. §. 12. in f. I. de R. D.*

§. 35. Occupare vero ita tantum licet *Feras beſtias*, *l. 1. §. 1. D. h. t. §. 12. I. de R. D.*

§. 36. *Manſuefactas* non aliter, quam ſi animum redeundi depoſuerint. *l. 4. & 5. §. 5.* D. *h. t. §. 15. I. de R. D.*

§. 37. *Manſueta animalia*, cum plerumque ſint in dominio, occupare non licet; & ſi quis occupaverit lucrandi animo, furtum committit. *l. 5. §. 6. l. 44.* D. *h. t. §. 16. I. de R. D.*

§. 38. *Occupatio Bellica* eſt, *cum quis occaſione belli quid capit ab hoſtibus. l. 5. §. ult. D. h. t. §. 17. I. de R. D.*

§. 39.

Digitized by Google

§. 39. Quæ enim ex hoſtibus capiuntur, Jure Gentium ſtatim capientium fiunt: *d. l. 5. §. ult. l. 7. pr. D. h. t. d. §. 17. I. de R. D.* ſive mobilia ſint, ſive immobilia.

§. 40. Res hoſtium enim nobis loco rerum nullius ſunt. *l. 1. §. 1. D. de A. vel A. poſſ.*

§. 41. Et hinc, ſi quidem extra actum belli publicum ſinguli quid capiunt, ſibi capiunt. v. *l. 51. §. 1.* D. *h. t.*

§. 42. Si vero in miniſterio & actu belli publico, quia tunc tanquam miniſtri capiunt, arg. *l. 53.* D. *h. t. l. 1. §. 20. D. de A. vel A. poſſ.* ei acquirunt, cujus auſpiciis bellum geritur.

§. 43. Unde præda, & ager ab hoſtibus captus, publicantur, & qui prædam ſurripiunt, peculatus rei ſunt: *l. pen. D. ad L. Jul. pec. l. 20. §. 1. D. de capt.* niſi præda, uti fere fieri ſolet, a Duce exercitus militibus donata ſit. *l. 36. §. 1. C. de don.*

§. 44. *Inventio* eſt *apprehenſio* (vidiſſe non ſufficit, *l. 1. §. 1. l. 3. §. 3. D. de A. vel A. poſſ.*) *rerum, quæ nullius ſunt, vel alicujus eſſe deſierunt.*

§. 45. Per res *nullius* hic eas etiam intelligimus, quæ *nullius* ſunt *natura*, ſed inanimatas, quales ſunt lapilli, gemmæ, & reliqua, quæ in littore maris inveniuntur, *l. 3. D. de R. D. §. 18. I. eod.* ab aliis nondum occupata. *l. 1. §. 1.* D. *de A. vel A. poſſ.*

§. 46. *Res, quæ dominum habere deſierunt*, ſunt *Theſaurus*, & *Res pro Derelicto habitæ.*

§. 47. *Theſaurus* (qui *donum fortunæ* dicitur, *l. 63. §. 1. D. h. t.*) hic eſt *Vetus quædam depoſitio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat. l. 31. §. 1. D. h. t. l. un. C. de theſaur.* Alioquin, ſi quis aliquid vel lucri cauſa, vel metus, vel cuſtodiæ cauſa condiderit ſub terra, & de domino conſtet, *theſaurus* dici nequit. *d. l. 31. §. 1. D. h. t. l. 67. D. de R. V. l. 44. pr. D. de A. vel A. poſſ.*

§. 48. Non autem indiſtincte *Theſaurus* cedit Inventori.

§. 49. *Si quis* enim *in loco ſuo invenerit*, ſive fortuito, ſive data opera, *Theſaurus* totus Inventoris fiet; *§. 39. I. de R. D. l. 63. pr. D. h. t. l. un. C. de theſaur.* dummodo ſine artibus legibus odioſis inventus ſit. *d. l. un.*

§. 50. Neque intereſt, an fundus v. c. avitus ſit, an emtus? *l. 67.* D. *de R. V. Matth. XIII, 44.* religioſus, an profanus? *§. 39. I. de R. D.* dummodo in loco religioſo, caſu fortuito, non data opera inventus ſit. *d. §. 39.*

§. 51. Quod ſi locus religioſus publicus ſit, de quo agitur in *l. 3. §. pen. D. de jur. fiſc.* (ubi pro *vel publicis religioſisve*, legend. *vel publicis religioſis*) aliud juris eſt.

§. 52. Nam *ſi quis Theſaurum in loco alieno invenerit*, ſive privato, ſive publico

Digitized by Google

blico Cæſaris, vel Fiſcali, *Theſaurus* dimidius inventoris eſt, dimidius alterius. *d. §. 39. I. de R. D. l. 63. pr. D. h. t. l. un. C. de theſaur.*

§. 53. Sed debet *Theſaurus* in alieno inventus eſſe, non data ad hoc opera, ſed fortuito: *d. §. 39. I. de R.* D. *l. un. C. de theſaur.* cæteroquin totus cedit domino loci, & inventor inſuper puniendus eſt. *d. l. un.*

§. 54. Et ſi inventor partem ad Fiſcum pertinentem ſuppreſſerit, totum cum altero tanto ſolvere cogitur. *l. 3. §. ult.* D. *de jur. fiſc.*

§. 55. *Res pro Derelicto habita* eſt, *quam dominus ea mente abjecit, ut in numero rerum ſuarum amplius eſſe nolit. §. 46. I. de R.* D.

§. 56. Qualis cum ſtatim deſinat eſſe in dominio, *l. 1. 2. §. 1. D. pro derelict.* cedit primum occupanti. *d. §. 46. d. l. 2. §. 1. l. 5. §. 1.* D. *pro derel.*

§. 57. Pro derelicto autem habitæ non cenſentur res, quæ in tempeſtate levandæ navis cauſa ejiciuntur. Hæ enim dominorum permanent; quia palam eſt, eas non eo animo ejici, quod quis eas habere nolit, ſed quo magis cum ipſa navi maris periculum effugiat, *l. 9. §. ult. l. 44. verſ. Idem ait. D. h. t.* §. 47. *I. de R.* D. *l. 2. §. 5. l. 8.* D. *ad L. Rhod. de jact.*

§. 58. Qua de cauſa, ſi quis eas fluctibus expulſas, vel etiam in ipſo mari nactus lucrandi animo abſtulerit, furtum committit; *d. l. 9. §. ult.* D. *h. t. l. 43. §. 4. & ſeqq. §. pen.* D. *de furt.* ſive ſciat cujus ſint, ſive neſciat: *d. l. 43. §. 4.* quia quilibet ſcit, vel ſcire debet, id, quod ſuum non eſt, quovis modo alienum eſſe. *l. 5. C. unde vi.*

§. 59. Secus eſt, ſi ea reſtituendi animo ſecum tulerit; *d. l. 43. §. 8.* D. *de furt.* licet εὕρετρα, i. e. inventionis præmia, petat *d. l. 43. §. 9.*

§. 60. Eadem cauſa eſt bonorum naufragorum, quæ ſimiliter dominorum permanent; *l. 44. D. h. t. l. 1. C. de naufr. Auth. Navigia. C. de furt.* neque ex iis Fiſco quicquam conceditur. *d. l. 1. C. de naufr. d. Auth. Navigia. C. de furt.* v. ſupr. *ad t. ad L. Rhod. de jact.* §. *10.*

§. 61. Nec non eorum, quæ de rheda currente, non intelligentibus dominis, cadunt, vel iter facientibus excidunt. §. 47. *I. de R.* D.

§. 62. *Acceſſio* eſt *modus acquirendi, quo vi & poteſtate rei noſtræ aliam acquirimus.*

§. 63. Eſtque vel *Naturalis*, vel *Artificialis* ſeu *Induſtrialis*, vel *Mixta.*

§. 64. *Acceſſio Naturalis* eſt, *quæ contingit citra factum hominis, ſola operante natura;* per *Fœturam* ſcil. & *Beneficium Fluminis.*

§. 65. Quicquid enim ex animalibus dominio noſtro ſubjectis naſcitur, id noſtrum eſt: *l. 2. & 6. D. h. t. §. 19. I. de R.* D. *l. 5.* §. *2.* D. *de R. V.* ut & partus ancillarum; *§. pen. I. de jur. perſ. l. 7. C. de R. V.* quia partus, quamdiu nondum editus eſt, pars eſt viſcerum matris: *l. 1. §. 1.* D. *de ventr. inſp.*

§. 66. *Beneficio Fluminis* nobis aliquid acquiritur, *I.* Per *Alluvionem. II.* Per *Vim*

Digitized by Google

Vim Fluminis & *Avulſionem.* *III.* Per *Natam Inſulam.* & *IV.* Per *Alvei Mutationem.*

§. 67. Eſt autem *Alluvio incrementum latens.* §. *20. I. de R.* D. *l. 7. §. 1. D. h. t.*

§. 68. Quodcunque ergo per *Alluvionem* agro noſtro adjicitur, illud noſtrum eſt. *d. l. 7. §. 1. D. h. t. §. 20. I. de R. D. l. 1. C. de alluv.*

§. 69. Sed locum tantum habet in fluminibus, non etiam in lacubus & ſtagnis; *l. 12. pr.* D. *h. t.* & in agris tantum arcifiniis, non etiam limitatis. *l. 16. D. h. t. l. 1. §. 6.* D. *de flum.*

§. 70. Quod ſi vero *Vis fluminis* partem aliquam de tuo prædio detraxerit, & meo prædio attulerit, palam eſt, eam tuam permanere. *l. 7. §. 2. D. h. t. §. 21. I. de R. D.*

§. 71. Plane, ſi longiore tempore fundo meo hæſerit, cum eoque coaluerit, (quod maxime ex eo apparet, ſi arbores, quas ſecum traxerit, in eum fundum radices egerint,) ex eo tempore videtur meo fundo acquiſita eſſe. *d. l. 7. §. 2. D. h. t. d. §. 21. I. de R.* D. *l. 9. §. 2,* D. *de damn, inf.*

§. 72. *Inſula,* (quæ nihil aliud eſt, quam *terra aquis circumflua,* v. Plin. *L. II. c. 85, 86.*) vel in *Mari* naſcitur, & quidem rarius, propter altitudinem maris & perpetuum æſtuum reciprocationem; v. Plin. *d. l. l. 7. §. 3.* D. *h. t. §. 22. I. de R. D.* vel in *Flumine. d. l. 7. §. 3. d. §. 22.*

§. 73. *Inſula in Mari nata* nullius eſt, & proinde cedit primum occupanti. *d. l. 7. §. 3. D. h. t. d. §. 22. I. de R. D.*

§. 74. Sed *in Flumine* naſcitur quadrupliciter: vel enim *I.* Siccum aliquid in medio flumine relinquitur; vel *II.* Sub flumine paulatim aliquid accreſcit, ut deinceps in flumine eminere incipiat. *l. 30. §. 2.* D. *h. t.*

§. 75. Quibus caſibus, ſi quidem mediam partem fluminis tenet, communis eſt eorum, qui ab utraque parte fluminis prope ripam prædia poſſident, pro modo latitudinis cujusque prædii, quæ prope ripam ſit. *l. 7. §. 3. l. 29. 30. §. 2.* D. *h. t,* §. *22. I. de R. D.*

§. 76. Quod ſi vero alteri parti proximor ſit, ejus vel eorum eſt tantum, qui ab ea parte prope ripam prædia poſſident. *d. l. 7. §. 3. l. 29.* D. *h. t.*

§. 77. Adeo ut, ſi *Inſula* nata unius prædio tantum objecta ſit, neque latitudinem ejus prædii excedat, ejus ſolius maneat; licet poſtmodum paulatim ita accreſcat, ut & aliorum prædiis objiciatur, vel altei ripæ proprior fiat. *l. 56, pr. §. 1. D. h. t.*

§. 78. Inſula enim cenſetur pars eſſe alvei, alveus autem pars vicinorum prædiorum.

§. 79. Vel *III.* Flumen aliqua parte diviſum, deinde infra unitum, agrum alicujus in *Inſulæ* formam redigit. *l. 7.* §. *4. l. 30. §. 2. D. h. t. §. 22. I. de R.* D.

Digitized by Google

§. 80. Quo caſu ejusdem permanet is ager, cujus ante fuerat. *d. l.* 7. *§.* 4. *l.* 30. *§.* 2. *D. h. t. §.* 22. *I. de R. D*

§. 81. Vel, *IV.* Limo virgultis adhærente ita in flumine *Inſula* naſcitur, ut flumini innatet, neque ad fundum alvei pertingat. *l. pen. §.* 2. D. *h. t.* v. P. Mel. *de Sit. Orb. L. I. c.* 9. *L. II. c.* 5. Plin. *L. VIII. Ep.* 20. Plin. *L. I. Nat. Hiſt. c.* 95. Hygin. *Fab. LIII.*

§. 82. Quo caſu ejusdem juris eſt, cujus eſt flumen, i. e. publica eſt. *d. l. pen. §.* 2. *D. h. t.*

§. 83. Quod *ſi flumen Alveum mutat Alveus* derelictus fit eorum, qui proxima habent prædia, & novus alveus iterum incipit eſſe publicus. *l.* 7. *§.* 5. D. *h. t. §.* 23. *I. de R. D.*

§. 84. Quod ſi & novum *Alveum* flumen derelinquat, ſimiliter eorum eſt, qui proxima habent prædia. *d. l.* 7. §. 5. *d.* §. 23.

§. 85. Niſi tamen flumen agrum alicujus totum occupaverit, & cum impetu eundem deſeruerit: quo caſu, licet is, cujus ager fuerat, ſtricta ratione nihil in eo alveo habere poſſit, quia ille ager, qui fuerat, deſiit eſſe, amiſſa propria forma, & dominus aliud vicinum prædium non habens, ratione vicinitatis nullam partem in eo alveo habere poteſt; vix tamen eſt, ut id obtineat, & ex æquitate priſtino domino reſtituendus eſt. *l.* 7. *§.* 5. *in f. l.* 30. §. 3. *l.* 38. *D. h. t.*

§. 86. Aliud ſane eſt, ſi cujus totus ager inundatus fuerit: namque inundatio ſpeciem fundi non mutat; & ob id, ſi receſſerit aqua, palam eſt, ejusdem eſſe, cujus & fuit: *l.* 7. *§.* 6. *D. h. t. §.* 24. *I. de R. D. l.* 1. *§.* 9. *D. de flum.* licet quoad poſſeſſionem ſecus ſit. *l.* 3. *§.* 17. *D. de acq. vel am. poſſ.*

§. 87. Eſt autem *Inundatio*, cum flumen, imbribus, nivibus, vel qua alia ratione auctum, in vicinos campos ita ſe effundit, ut nec alveum mutet. *l.* 1. *§.* 5. D. *de flum.*

§. 88. *Acceſſio Artificialis* ſeu *Induſtrialis* eſt, *quando interveniente ſola induſtria factoque hominis, vi rei noſtræ alia acquiritur.*

§. 89. Cujus ſpecies ſunt *Adjunctio*, *Specificatio*, & *Confuſio*.

§. 90. *Adjunctionis* autem ſpecies iterum ſunt, *Incluſio*, *Intextura*, *Inædificatio*, & *Scriptura*.

§. 91. In quibus in genere notanda regula, quod *Acceſſorium ſequatur ſuum principale*; v. *l.* 26. §. 1. D. *h. t. l.* 19. *§.* 13. D. *de aur. arg. leg. l.* 23. *§.* 3. D. *de R. V. c.* 42. *de R. J. in* 6. licet Acceſſiorum ſit pretioſius: *d. l.* 19 *§.* 13. quia per acceſſionem exſtingui videtur. *§.* 26. *I. de R. D.*

§. 92. Quod ſi igitur gemmæ, vel margaritæ, auro vel argento incluſæ ſint, auro argentove cedent. *d. l.* 19. §. 13. *& ſeqq.* D. *de aur. leg.*

§. 93. Sic ſi quis alienam purpuram (licet m. f.) ſuo veſtimento intexuerit, acceſſionis vice cedit veſtimento. *§.* 26. *I. de R. D. l.* 7. *§.* 2. D. *ad exhib.*

§. 94

§. 94. Dominus tamen gemmæ, margaritæ, vel purpuræ, licet hoc modo dominium ejus amittat, Actionem habet; & quidem adverſus *b. f.* poſſeſſorem *Actionem ad exhibendum, l. 23. §. 5. D. de R. V. l. 7. §. 2.* D. *ad exhib. Condictionem ſine cauſa, d. §. 26. I. de R D.* vel etiam generalem illam *Triticariam l. 1. D. de cond. trit.*

§. 95. Contra *m. f.* poſſeſſorem vero *Actionem furti*, & *Condictionem furtivam, d.* §. *26. Actionem ad exhibendum*, & *Rei vindicationem*, tanquam adverſus eum, qui dolo malo deſiit poſſidere. arg. *l. 1. §. 2. l. 2.* D. *de tign. junct. l. 27. §. 3. l. 36. pr. D. de R. V. l. 131. D. de R. J.*

§. 96. Similiter, ſi in ſuo loco aliquis aliena materia ædificaverit, ipſe dominus intelligitur ædificii; quia omne, quod inædificatur, ſolo cedit: *l. 7. §. 10. D. h. t. §. 29. I. de R.* D. *l. 23. §. pen. & ult. D. de R. V. l. 2. C. eod. l. 2.* D. *de ſuperf. l. 50. D. ad L. Aquil.* etiamſi in pariete ædificatum ſit. *l. 28. D. h. t.*

§. 97. Nec tamen ideo is, qui materiæ dominus fuit, deſinit ejus dominus eſſe; *d. l. 7. §. 10. D. h t. §. 29. I. de R. D.* licet ejusdem rei duo in ſolidum domini eſſe nequeant. *l. 5. §. ult. D. commod.*

§. 98. Aliter enim ædificium tanquam univerſitatem quandam, aliter materiam, ex qua ædificium conſtat, tanquam res ſingulas, conſideramus. v. *l. 23. §. ult. D. de R. V. l. 23. D. de uſuc. l. 7. §. 2. D. de exc. rei jud.*

§. 99. Non tamen Dominus materiæ, ſtante ædificio, eam vindicare, neque ad exhibendum de ea agere poteſt, propter *Legem XII. Tab.* qua cavetur, *ne quis tignum alienum ædibus ſuis junctum eximere cogatur: d. l. 7. §. 10.* D. *h. t. §. 29. I. de R. D.* v. Differt. *N. VI. de Cauſ. obl. C. 1. §. 4. & ſeqq.* ne ſcil. ædificia reſcindi neceſſe ſit; *d. §. 29.* neve ruina ædium publicus deformetur Urbis aſpectus. *l. 2. C. de ædif. priv.*

§. 100. Sed *Actionem* habet, ex eadem *Leg. XII. Tab.* quæ vocatur *de Tigno juncto*, contra Poſſeſſorem in duplum. *d. l. 7. §. 10. D. h. t. d. §. 29. I. de R. D.*

§. 101. Et quidem in duplum ideo, quia dominus invitus re ſua carere cogitur, contra *l. 9.* D. *de act. rer. amot.* ut ſcil. Domino præſtetur id, quod ejus intereſt, quod duplum non excedit. *l. un. C. de ſent. quæ pro eo quod intereſt.*

§. 102. Neque tantum contra *m. f.* poſſeſſorem, (a quo & diruto ædificio ipſum tignum repeti poteſt, licet jam duplum ſolutum ſit, *l. 2. D. de tign. junct.*) ſed & contra *b. f.* poſſeſſorem. arg. *d. l. 7. §. 10. D. h. t. §. 29. I. de R. D. l. 23.* §. *6. D. de R. V.* v. d. Differt. *N. VI. C. II. §. 4. & ſeqq.*

§. 103. Quod minime eſt iniquum; tum per datam rationem, tum quia, ſi velit, poteſt tignum eximere, dominoque petenti reſtituere. d. Diff. *VI.* C. II. *§. 10 & ſeqq.*

§. 104. Apellatione autem *tigni* (quod a *tegendo* dictum) omnis materia ſignificatur, ex qua ædificia fiunt. *d. l. 7. §. 10. D. h. t. §. 29. I. de R. D. l. 1. D. de tign. junct. l. 62.* D. *de V. S.*

§. 105. Ex diverſo, ſi quis in alieno ſolo ſua materia ædificaverit, ædificium ſimiliter ſolo cedit: *l. 7. §. 12. D. h. t. §. 30. I. de R D.* niſi horreum poſitum ſit mobile, quod loco moveri queat. *l. 60.* D. *h. t*

§. 106. Sed ſi quidem *bona fide* ædificavit in alieno, materiæ proprietatem non amittit: *d. l. 7. §. 12.* D. *h. t. §. 30. I. de R.* D. poteſtque, quamdiu in poſſeſſione eſt, ſoli dominum petentem domum, neque tamen pretium materiæ & mercedes ſolventem, per exceptionem doli mali repellere, & ita impenſas ſervare. *d. l. 7. §. 12. d. §. 30.* add. *l. 14. D. de cond. indeb. l. 206. D. de R. J.*

§. 107. Quod ſi autem non poſſidet, nulla ei Actio jure prodita eſt, qua pretium materiæ aut ſumtus conſequatur, *l. 33.* D. *de condict. indeb. l. 14.* D. *de dol. mal. & met. exc. l. 48.* D. *de R. V.* v. ſupr. *ad. d. t. de R. V. §. 38.*

§. 108. *Malæ Fidei* vero ædificator proprietatem materiæ amittit, ut ne quidem ſoluto ædificio eam vindicare, *l. 7. §. 12. D. h. t. §. 30. I. de R. D. l. 53.* D. *de R. J.* neque in poſſeſſione poſitus exceptione uti poſſit; objici enim poteſt culpa, quod ædificaverit temere in eo ſolo, quod intelligebat alienum eſſe, *d. l. 7.* §. *12. d. §. 30.*

§. 109. Literæ quoque, licet aureæ ſint, perinde chartis membranisve cedunt, ac ſolo cedere ſolent ea, quæ inædificantur. *l. 9. §. 1. D. h. t. §. 33. I. de R.* D. *l. 23. §. 3. D. de R. V.*

110. Sed aliud juris eſt in Pictura: *§. 34. I. de R. D.* licet enim quidam, & inter eos Paulus JCtus in *l. 23. §. 3.* D. *de R. V.* per eandem rationem Picturam tabulæ cedere voluerint; aliis tamen, & inter eos Gajo JCto, propter dignitatem & præſtantiam artis, ſecus viſum eſt, tabulam ſcil. cedere Picturæ. *l. 9. §. 2. D. h. t.*

§. 111. Quorum ſententiam Imp. expreſſa Deciſione confirmat. *d. §. 34. I. de R. D.*

§. 112. Utique tamen conveniens eſt, domino tabularum adverſus eum, qui pinxit, ſi tabulas poſſidet, ad conſequendum pretium actionem dari. *d. l. 9.* §. *2. D. h. t.*

§. 113. Et quidem contra *m. f.* poſſeſſorem datur *Actio Furti, Utilis in rem, & Condictio Furtiva: d. §. 34. I. de R. D. d. l. 9. §. 2. D. h. t.* contra *b. f.* poſſeſſorem vero *Actio in factum. l. 23. §. 5. D. de R. V.*

§. 114. Quod ſi vero dominus tabulæ picturam poſſidet, contra pictorem (licet rei vindicationem habeat) exceptione tutus eſt. *d. l. 9. §. 2. D. h. t.*

§. 115. *Acceſſio Mixta* eſt, *quæ fit & natura operante, & intercedente facto hominis.* Cujus ſpecies ſunt *Plantatio, Satio, & Fructuum Perceptio*; de qua infr. *§. 132. & ſeqq.* ſeparatim videbimus.

§. 116. Si enim Titius alienam plantam in ſuo ſolo poſuerit, ipſius erit; & ex diverſo, ſi Titius ſuam plantam in Mævii ſolo poſuerit, Mævii planta erit: ſi

ſi modo utroque caſu radices egerit; *l.* 7. *§. ult. D. h. t. §. 31. I. de R. D.* tum enim non videtur ſeparatum amplius a ſolo corpus eſſe. *l. 40. D. de act. emt.*

§. 117. Quod ſi arbor prope confinium poſita ſit, & in vicini fundum etiam radices egerit, communis eſt *pro diviſo*, i. e. regione cujusque prædii. *l.* 7. §. *ult. l. 8. pr. D. h. t. d. §. 31. I. de R. D.* ſed eruta communis eſt *pro indiviſo. l. 19. D. comm. div. d. l. 8. §. 1. D. h. t.*

§. 118. Niſi forte arbor in vicini fundum radices tantum egerit minores: quo caſu arbor ejus eſt, in cujus fundo origo ejus fuerit. Ita acc. *l. 6. §. 2. D. arb. furt. cæſ.*

§. 119. Qua ratione autem plantæ, quæ terra coaleſcunt, ſolo cedunt, eadem ratione frumenta quoque, quæ ſata ſunt, ſolo cedere intelliguntur. *l. 9. pr. D. h. t. §. 32. I. de R. D.*

§. 120. Quæ vero Actiones hoc & ſuperiori caſu locum habeant, ex ante dictis facile intelligitur.

§. 121. *Specificatio* eſt *modus acquirendi juris Gentium, cum quis ex aliena materia, ſuo nomine, l.* 7. *§.* 7. *l. 25.* 27. §. *1.* D. *b. t. & b. f. l. 12. & 3.* D. *ad exhib. novam ſpeciem facit.* §. *25. I. de R.* D.

§. 122. Non tamen nova ſpecies indiſtincte fit ſpecificantis. Cum enim Sabiniani & Proculejani (de quibus v. *l. 2. §. ult.* D. *de O. J. §. 2. I. de emt. vend. §. 8. I. mand.*) hac ſuper re diſſenſiſſent, *l.* 7. *§.* 7. D. *h. t. §. 25. I. de R.* D. & eſſet etiam media ſententia diſtinguentium, Caji ſcil. *l.* 7. *§.* 7. D. *b. t.* Calliſtrati, *l. 12. §. 1. D. h. t.* Pauli, *l. 24. 26. pr.* D. *b. t.* aliorumque, Imp. noſter mediam illam ſententiam elegit, & confirmavit. §. *25. I. de R.* D.

§. 123. Ut ſi nova ſpecies ad priorem & rudem materiam reduci poſſit, is dominus ſit ſpeciei, qui & dominus fuit materiæ; *d. §. 25.* materia enim potenter manet. *l. 24. D. h. t. l. 78.* §. 4. D. *de leg. 3.*

§. 124. Si vero non poſſit reduci, is potius ſit dominus, qui fecerit; *d. §. 25.* quia materia exſtingui videtur. *l. 26. pr. l.* 27. *§. 1.* D. *b. t.* add. *l. 9. §. 3.* D. *ad exhib.*

§. 125. *Confuſio* eſt *modus acquirendi, cum diverſorum* Dominorum *res liquidæ caſu fortuito ita miſcentur, ut ſeparari nequeant. l.* 7. §. *9.* D. *b. t.* §. *27. I. de R. D.*

§. 126. *Si* enim *voluntate Dominorum* confuſæ ſint, totum id corpus, quod ex confuſione fit, utriusque commune eſt; *l.* 7. *§. 8.* D *b. t.* pro rata ſcil. & bonitate ejus materiæ, quæ cujusque ante confuſionem fuit: *l. 3. §. ult. D. de R. V.* propter mutuum Dominorum conſenſum.

§. 127. *Si* vero *voluntate unius* confundantur, ſimiliter res confuſæ, ſi quidem ejusdem generis ſint, communes fiunt, ſi vero diverſi generis, & ſeparari nequeunt, fiunt ſpecificantis. *l. 5. §. 1.* D. *de R. V.*

§. 128. Sed *ſi fortuito*, & non voluntate dominorum, confuſæ fuerint, vel ejus-

ejuſdem generis materiæ liquidæ, vel diverſæ, ſi modo ſeparari non poſſint, ſimpliciter fiunt communes. *d. l. 7. §. 9.* D. *h. t. §. 27. I. de R. D. l. 5. §. 1. D. de R. V.* Qui caſus huc proprie pertinet.

§. 129. Quod ſi *Commixtio* fiat, (quæ proprie rerum aridarum eſt, & earum, quarum corpora diſcreta manent,) ſi quidem mutuo dominorum conſenſu res commixtæ, e. gr. frumentum, ſimiliter communes erunt. *§. 28. I. de R. D.*

§. 130. Si vero voluntate unius, vel caſu fortuito, frumentum e. gr. non fit commune, quia ſingula corpora in ſua ſubſtantia durant; *d. §. 28.* & proinde quilibet dominus ſuum frumentum per *Actionem in rem* vindicare poteſt. *l. 5. pr. D. de R. V.*

§. 131. Plane quoad effectum Actionum non multum intereſt, an *Confuſio* fiat, an *Commixtio?* v. *l. 3. §. ult. l. 4.* D. *de R. V. Confuſioque* ac *Commixtio* promiſcue ſæpenumero de rebus aridis ac liquidis accipiuntur. *l. 7. §. 8. D. h. t. l. 3. §. ult. l. 5. pr. D. de R. V.*

§. 132. *Fructuum Perceptio* eſt *modus acquirendi, cum quis ex re aliena, quam bona fide & ex juſta cauſa poſſidet, fructus percipiendo ſuos facit. l. 48. pr. D. h. t. §. 35. I. de R. D.*

§. 133. Quod ut procedat, requiritur *I.* Ut quis rem alienam poſſideat *Bona fide. d. l. 48. pr. §. 35. I. de R. D.* Quæ eſt *Illæſa conſcientia rei alienæ;* ſive crediderit, eum, a quo rem accepit, dominum fuiſſe, ſive putaverit, eum alienandi poteſtatem habuiſſe. *l. 109. D. de V. S. l. ult. D. pro emt. l. 13. §. 1. D. de publician. in rem act. l. 27. D. de contr. emt.*

§. 134. Unde, qui dubitat, v. *d. l. 32. §. 1. D. de uſucap. l. f. C. unde vi. l. 21. verſ. Cum igitur. C. de furt. l. 13. §. 1. D. de publician. in rem act.* vel in jure errat, pro bonæ fidei poſſeſſore hic non habetur. *d. l. 32. §. 1. d. l. f. & 4. 7. 8. 9. D. de jur. & fact. ign.*

§. 135. *II.* Ut *Bona fides* adſit *continuo* & ſingulis momentis. *l. 23. §. 1. D. h. t.*

§. 136. *III.* Ut poſſideat ex *Juſta cauſa*, i. e. titulo ad transferendum Dominium habili, e. gr. Emtionis, Permutationis, vel ſimili. *§. 35. 40. I. de R. D.*

§. 137. *IV.* Ut ex ea re *fructus perceperit. l. 48. pr. D. h. t. d. §. 35. I. de R.* D.

§. 138. *Percepiſſe* autem fructus hic *Bonæ fidei poſſeſſor* dicitur, ſimul atque fructus a re, qua tenebantur, quovis modo ſeparati ſunt. *l. 48. pr. D. h. t. l. 78.* D. *de R. V. l. 13.* D. *quib. mod. uſusfr. am. l. 25. §. 1.* D. *de uſur.*

§. 139. Fructus autem perceptos *Bonæ fidei poſſeſſor* ſuos facit, non tantum *Induſtriales*, qui diligentia & opera ejus pervenerunt, ſed omnes, adeoque & *Naturales tantum.* Quia, quod ad fructus attinet, loco domini pene eſt, *l. 48. pr. D. h. t.* fructusque percipit jure ſoli, eoque, quod dominis prædiorum tributum eſt,

Digitized by Google

eſt, eive, qui agrum vectigalem habet. *l. 25. §. 1.* D. *de uſur.* v. ſupr. *ad t. de R. V. §. 31.*

§. 140. Ut ratio hujus acquiſitionis non tam in *Cura & Cultura*, quam *Bona fide* ponenda ſit. *d. l. 48. pr. D. h. t. l. 25. §. 1. D. de uſur. l. 136.* D. *de R. J.*

§. 141. Si vero Dominus ſupervenerit, & fundum vindicet, fructus *extantes* ſimiliter omnes *b. f.* poſſeſſor reſtituit; *l. 22. C. de R. V.* quos quidem pleno jure ſuos fecit, ſed *interim*, i. e. revocabiliter. *d. l. 48. pr. D. h. t.*

§. 142. Sed de *conſumtis* non tenetur; *d. §. 35. I. de R. D.* licet factus ſit locupletior. *l. 4. §. 2. D. fin. reg. §. 2. I. de off. jud.*

§. 143. Ei vero, qui alienum fundum ſciens poſſederit *mala fide*, non idem conceſſum eſt; qui cum fundo fructus, licet conſumti ſint, cogitur reſtituere. *§. 35. I. de R. D. d. l. 22. C. de R. V.* Imo & eos, quos non percepit, ſi modo petitor honeſte percipere potuiſſet, ſi ei re ſua uti licuiſſet. *l. 33. l. 62. §. 1. D. de R. V. l. 39. §. 1. D. de leg. 1. l. 4. C. unde vi.*

§. 144. *Traditio* eſt *modus acquirendi, quo dominus liberam rerum ſuarum adminiſtrationem habens, vel qui a Domino alienandi poteſtatem accepit, rem corporalem ex juſta cauſa volens in accipientem transfert. §. 40. & 42. I. de R. D. l. 55. D. de O. & A.*

§. 145. Ut itaque *Traditio* effectum habeat neceſſaria eſt *I. Naturalis datio*, ſeu *translatio poſſeſſionis, l. 8.* D. *de pecul* i. e. de manu in manum datio, ſi res ſit mobilis; *d. l. 8. l. 1. §. pen.* D. *de acq. vel. am poſſ.* vel in fundum prædiumve inductio, ſi res ſit immobilis: *l. 3. §. 1. D. de acq. vel am. poſſ. l. 3. pr.* D. *de uſufr.* nudis enim pactis dominia rerum non transferuntur. *l. 20. C. de pact.*

§. 146. Et quidem *II. Translatio poſſeſſionis vatua; l. 3. §. 1.* D. *de act. emt.* ſine qua res tradita non cenſetur. arg. *l. 20. D. h. t. l. 3. §. 5. & 7. l. 22.* D. *de acq. vel. am. poſſ. l. 16.* D. *de peric. & comm. rei vend.*

§. 147. *III. Rei corporalis*; res incorporales enim traditionem proprie non recipiunt. *l. 43. §. 1. D. h. t. l. 4. §. 27.* D. *de uſurp. & uſuc.*

§. 148. *IV.* Facta a Domino, *liberam rerum ſuarum adminiſtrationem habente; l. 20. pr. D. h. t. §. 40. I. de R.* D. v. *pr. §. 2. I. quib. alien. lic. vel. non lic. l. f. C. de reb. alien. non alien.* vel *eo, qui a domino alienandi poteſtatem accepit*, ſeu Procuratore, ad hoc ſpeciale Mandatum habente: nihil enim intereſt, utrum ipſe dominus per ſe tradat alicui rem, an voluntate ejus alius, cui ejus rei poteſtas permiſſa eſt. *l. 9. §. 4. D. h. t. §. 42. I. de R. D. l. 5. §. 3. D. de adm. tut.*

149. *V. Ex juſta cauſa*; i. e. titulo ad transferendum dominium habili. v. ſupr. *§. 136.* Nunquam enim nuda traditio transfert dominium, ſed ita, ſi venditio, vel aliqua juſta cauſa præceſſerit, propter quam traditio ſequeretur. *l. 31. pr. D. h. t. t. §. 40. I. de R. D.*

§. 150.

§. 150. Sive autem cauſa vera ſit, ſive putativa, nihil intereſt; error enim in cauſa dandi adque accipiendi non eſt impedimento, quo minus dominium tranſeat. *l. 36.* D. *h. t.*

§. 151. *VI. In accipientem.* In omnibus rebus enim, quæ Dominium transferunt, concurrat oportet affectus ex utraque parte contrahentium. *l. 55. D. de O. & A.*

§. 152. Sive autem, qui rem deſiderat, ipſe eam accipiat, ſive per Procuratorem, ſimiliter nihil intereſt. *l. 13. pr. l. 20. §. ult. l. 53.* D. *h. t.*

§. 153. Quibus concurrentibus res tradita accipienti acquiritur; nihil enim tam conveniens eſt naturali æquitati, quam voluntatem Domini, volentis rem ſuam in alium transferre, ratam haberi. *l. 9. §. 3. D. h. t. §. 40. I. de R. D. l. 21. C. mand.*

§. 154. In Emtione Venditione tamen non ſtatim transfertur dominium, niſi emtor pretium ſolverit, vel alio modo, ſcil. expromiſſore vel pignore dato, volenti venditori ſatisfecerit; *§. 41. I. de R. D. l. 6. §. 1. D. quib. mod. pign. vel hyp. ſolv.* vel venditor emtori fidem de pretio habuerit, *d. §. 41. D. de R. D. l. 19. D. de contr. emt.*

§. 155. *Traditio* autem alia *Vera* eſt, ſeu *Propria* & *Naturalis*, de qua adhuc actum; alia *Ficta*, ſeu *Quaſi talis*.

§. 156. *Traditio ficta*, ſeu *Quaſi talis*, proprie eſt rerum incorporalium, in quibus uſus unius & patientia alterius, vel ceſſio, loco traditionis eſt, *l. ult. D. de ſervit. l. 3. D. de uſufruct. l. 4. C. de hered. vel act. vend.*

§. 157. Eſt tamen & aliquando & rerum corporalium, *Traditio* ſcil. *ficta Brevis manus*, & *Symbolica*.

§. 158. *Traditio ficta Brevis manus eſt*, cum dominus rem ſuam, quæ apud alium eſt, ex cauſa ad transferendum dominium inhabili, patitur & vult apud eum eſſe, ex cauſa ad transferendum dominium habili: veluti ſi rem, quam tibi aliquis commodaverit, aut locaverit, aut apud te depoſuerit, poſtea aut vendiderit tibi, aut donaverit, aut dotis nomine dederit. Quamvis enim ex ea cauſa eam rem tibi non tradiderit, eo tamen ipſo, quod patitur tuam eſſe, ſtatim tibi acquiritur proprietas, perinde ac ſi eo nomine tibi tradita fuiſſet. *l. 9. §. 5. l. 21. §. 1.* D. *h. t. §. 43. I. de R. D.* add. *l. 43. §. 1. D. de jur. dot. l. 9. §. 1.* D. *de public. in rem act. l. 3. §. pen. & ult.* D. *de don. int. vir. & ux.*

§. 159. Cujus fictionis brevis manus fundamentum in commoditate rerum agendarum poſitum eſt; ut ſcil. celeritate conjungendarum inter ſe actionum una occultetur. *d. l. 3. §. pen D. de don. int. vir. & ux.*

§. 160. *Symbolica* vero eſt, quæ nota aliqua aut Symbolo veram repræſentat; ut ſi quis merces in horreo depoſitas vendiderit; ſimul atque claves horrei tradiderit emtori, transfert proprietatem mercium. *l. 9 §. 6. D. h. t. §. 44. I. de R.* D. *l. 74.* D. *de contr. emt.*

§. 161.

§. 161. Dummodo id fiat apud horreum. *d. l. 74.* in re præſenti. *l. 1. §. pen.* D. *de acq. vel am. poſſ.* Niſi forte præſentiam ſuppleat aſpectus; *l. 18. §. 2.* D. *de acq. vel. am. poſſ.* quo caſu traditio *Longa manu* fieri dicitur. *l. 79.* D. *de ſol.*

§. 162. Sic inſtrumentis traditis ipſius rei traditio facta cenſetur: *l. 1. C. de don.* ſic & trabes ſignatæ pro traditis; *l. 14. §. 1.* D. *de peric. & comm. rei vend.* nec non acervus lignorum, ſimul atque cuſtodia appoſita fuerit, pro tradito habetur. *l. 51.* D. *de acq. vel am. poſſ.*

§. 163. Ad *Traditionem* denique pertinet *Jactus miſſilium*, ſi quis ſcil. miſſilia jactet in vulgus. *§. 45. I. de R.* D. Licet enim ad transferendum dominium utrinsque affectus requiratur, *l. 55.* D. *de O. & A.* & ſingulæ perſonæ accipientium ſint incertæ, ſufficit tamen certas eſſe in globo & indefinite. *d. §. 45. I. de R.* D.

§. 164. *Modi Acquirendi Juris Civilis* ſunt vel *Univerſales*, vel *Singulares*. *§. ult. I. per. quas perſ. cuique acq.*

§. 165. *Univerſales* potiſſimum ſunt quatuor: *I. Hereditatis acquiſitio, ex Teſtamento, vel ab Inteſtato.*

II. Bonorum Poſſeſſio.

III. Arrogatio.

IV. Addictio bonorum libertatum conſervandarum gratia. d. §. ult.

§. 166. *Singulares* ſimiliter ſunt quator: *I. Uſucapio. II. Donatio. III. Legatum.* & *IV. Fideicommiſſum ſingulare.* De quibus plerisque ſuis locis jam actum eſt.

TITULUS II.

De Acquirenda Vel Amittenda Possessione. C. VII. 32.

§. 1.

Sed quantum ad *Remedia Poſſeſſoria* attinet, ſola *Poſſeſſio* ſine *Dominio* ſufficit.

§. 2 Eſt autem *Poſſeſſio*, (quæ a *Sedibus* quaſi *poſitio* appellata. *l. 1. pr. D. h. t.* & varie accipitur, v. *l. 37.* D. *de jud. l. 5. §. 1. D. ad. L. Jul. de vi publ. l. 78. D. de V. S. l. pen. D. de alien. jud. mut. c. l. 2. C. de ſerv. l. 44. pr.* D. *h. t. l. 2. §. 38. D. ne quid in loc. publ.* junct. *d. l. 5. §. 1. l. 10. C. h. t.*) hic in genere *rei detentio. l. 1. pr. §. 1. D. h. t. l. 9. D. de R. V.*

§. 3. Eaque eſt *I. Vera* ſeu *Propria*, rerum ſcil corporalium; *l. 3. pr. D. h. t. l. 4. §. 27. D. de uſurp. & uſuc. l. 32. §. 1.* D. *de S. P. U.* vel *Quaſi talis*, rerum ſcil. incorporalium. *l. 10. D. ſi ſerv. vind. l. 23. §. 2. D. ex quib. cauſ. maj. l. 3. §. 17. D. de vi & vi arm. l. 18. §. 1. D. de pet. her.*

§. 4. *II. Naturalis*, vel *Civilis*; *l. 10. C. h. t. l. 1. §. 9. D. de vi & vi arm. l. 2. §. 1. D. pro hered. l. 38. §. 7. 8. D. de V. O.* quæ tamen Diviſio non ſemper eodem modo accipitur.

§. 5. *Naturalis* enim *Poſſeſſio* aliquando *late* accipitur pro nuda detentione; *l. 2. §. 1. D. pro hered. l. 7. §. 11. D. comm. div. l. 38. §. 7. D. de V. O.* aliquando *ſtricte* pro ea, qua quis rem non quidem animo domini, ſed propter jus aliquod in re, poſſidet: qualis eſt poſſeſſio Fructuarii, *l. 12. pr.* D. *h. t.* Creditoris ratione pignoris, *l. 37. D. de A. R. D.* Emphyteutæ, *l. 15. §. 1. D. qui ſatisd. cog.* aliorumque.

§. 6. *Civilis* ſimiliter aliquando *late* ponitur pro omni ea, quam Jus Civile agnoſcit, & ex qua *Remedia* oriuntur *Poſſeſſoria*; eoque ſenſu creditor pignus etiam civiliter poſſidere dici poteſt. Aliquando vero *ſtricte* pro ea, qua quis rem detinet animo domini & ſibi habendi. *l. 1. §. 9. D. de vi & vi arm. l. 2. §. 1. D. pro hered. l. 38. §. 7. 8. D. de V. O.*

§. 7. *III. Bonæ fidei* ſeu *Non vitioſa*; & *Malæ fidei* ſeu *Vitioſa*. *l. 3. §. 22. D. h. t.*

§. 8. *IV. Juſta*, quæ ex juſto titulo; & *Injuſta*, quæ ex injuſto acquiſita eſt. *l. 3. §. 5. D. h. t. l. 13. §. 1.* D. *de Publician. in rem act. l. 22. §. 1. D. de noxal. act.*

§. 9. *Acquirere Poſſeſſionem poſſunt* tum Patresfam. tum Filiifam. arg. *l. 4. §. 1. D. de uſurp. & uſucap.* etiam Pupilli, & quidem ſine tutoris auctoritate, ſi infantiam egreſſi ſint; *l. 1. §. 3. l. 32.* §. *2.* D. *h. t.* ſi vero infantes ſint, non niſi intercedente tutoris auctoritate. *d. l. 32. §. 2. l. 1. §. 3. D. h. t.*

§. 10. Non etiam Furioſus, ne quidem Tutore vel Curatore auctore: *l. 5. D. de R. J. l. 1. §. 3. D. h. t.* licet utilitatis cauſa receptum ſit; ut poſſeſſionem ante furorem acquiſitam retineat. arg. *l. 4. §. 3. D. de uſurp. & uſuc.*

§. 11. Acquirimus autem *Poſſeſſionem* non tantum per nosmet ipſos, *l. 1. §. 2. D. h. t.* ſed & per alios, *l. 10. §. 2. D. de A. R. D.* puta per ſervos, & liberos noſtros, quos in poteſtate habemus, *l. 1. §. 5. & ſeqq. l. 4. D. h. t.* ut & per extraneas perſonas, Tutores ſc. Curatores, & Procuratores, *l. 1. §. 20. D. h. t. §. 5. I. per quas perſ. cuique acq. l. 1. C. eod. l. 1. C. h. t.*

§. 12. Ad apprehendendam enim poſſeſſionem miniſterio etiam alieno uti licet. *l. 18. pr. D. h. t. l. 53.* D. *de A. R.* D.

§. 13. Adeo ut, ſi modo voluntas noſtra ab initio interceſſerit, v. *d. l. 53.* licet tempus & circumſtantias ignoremus, tamen poſſeſſio nobis acquiratur. *l. 1. C. h. t. §. 5. I. per quas perſ. cuique acq. l. 49. §. 2.* D. *h. t. l. 13.* D. *de A. R.* D.

§. 14. Dummodo Tutores, Curatores, Procuratores, eo ſint animo, ut nobis ſeu noſtro nomine acquirant; ſi enim expreſſe dicant (ſola cogitatio non nocet,

nocet, *l. 13. D. de don.*) ſe ſibi, vel tertio velle acquirere, nobis poſſeſſionem non acquirunt. *d. l. 1. §. 20. D. h. t.*

§. 15. *Acquiritur Poſſeſſio* proprie *rerum corporalium; l. 3. pr. D. h. t.* (incorporalium enim quaſi poſſeſſio eſt, *l. 10. D. ſi ſerv. vind.*) quæcunque ſc. ſunt in rerum natura & hominum commercio.

§. 16. Non etiam liberi hominis, *l. 23. §. 2. D. h. t.* neque rerum ſacrarum, religioſarum, ſimiliumve, quæ hominum commercio exemtæ ſunt. *l. 30. §. 1. D. h. t.* arg. §. 4. *I. de legat.* §. 2. *I. de inut. ſtip.*

§. 17. Sed & illud neceſſe eſt, ut res, quarum poſſeſſio apprehenditur, ab aliis poſſeſſoribus ſint vacuæ; *l. 2. 3. C. h. t.* quia duo pluresve eandem rem in ſolidum poſſidere non poſſunt: non magis enim eadem poſſeſſio apud duos eſſe poteſt, quam ut tu ſtare videaris in eo loco, in quo ego ſto, vel in quo ego ſedeo tu ſedere videaris. *l. 3. §. 5. D. h. t. l. 5. §. ult. D. commod. l. 19.* D. *de precar.*

§. 18. Quantum vero ad *modum acquirendæ Poſſeſſionis* attinet, adipiſcimur *Poſſeſſionem corpore & animo* ſimul; neque per ſe corpore, aut per ſe animo. *l. 3. §. 1. l. 8. 51.* D. *l. 4. C. h. t. §. 5. I. de interd. l. 153.* D. *de R. J.*

§. 19. Et quidem ſolo animo, ſine actu aliquo apprehenſionis, poſſeſſio acquiri nequit. *l. 3. §. 3. D. l. 4. C. h. t.*

§. 20. Adeo, ut ne quidem poſſeſſio hereditatis aditæ in heredem, ſive ſuum, ſive extraneum, niſi naturaliter comprehenſa, tranſeat. *l. 23. pr. l. 30. §. 5.* D. *h. t.* v. ſupr. *ad t. de acq. her.* §. *36.*

§. 21. Unde, ſi res mobilis eſt, manibus apprehendenda; *l. 1. §. 1. 21. D. h. t.* ſi vero immobilis, in eam intrandum eſt. *l. 3. §. 1.* D. *l. 2. C. h. t.*

§. 22. Quod tamen non ita accipiendum, ut, qui fundum poſſidere velit, omnes glebas circumambulet, ſed ſufficit quamlibet partem ejus fundi introire: dummodo ea mente & cogitatione ſit, ut totum fundum ad terminum poſſidere velit; *d. l. 3. §. 1. l. 48. D. h. t.* neque totum poſſidere impediatur. v. *l. 18. §. ult.* D. *h. t.*

§. 23. Sed in *rebus incorporalibus Ficta* ſeu *Quaſi apprehenſio* ſufficit. v. *l. 32. §. 1. D. de S. P. U.*

§. 24. Quin & in *rebus corporalibus Ficta* ſeu *Quaſi apprehenſio* poſtmodum admiſſa eſt: ſi enim res v. c. venditæ propter magnitudinem ponderis facile moveri non poſſint, & ſint in præſenti; *l. 1. §. 21. D. h. t.* vel claves cellæ vinariæ vel horrei traditæ ſint; *d. l. 1. §. 21. §. 44. I. de R.* D. vel venditor res venditas in emtoris domo depoſuerit; *l. 18. §. 2. D. h. t.* vel emtor volente venditore cuſtodiam appoſuerit; *l. 51. D. h. t.* venditorve fundum in turri demonſtret, vacuamque poſſeſſionem ſe tradere dicat; res illæ pro traditis habentur. *d. l. 18. §. 2. D. h. t.* v. *l. 79.* D. *de ſolut.*

§. 25. Quo etiam pertinet *Conſtitutum Poſſeſſorium: Qui eſt modus analo-*

gicæ traditionis, quo verus poſſeſſor, ex juſta cauſa, nomine & jure præſentis & conſentientis, ſe rem in futurum poſſeſſurum promittit.

§. 26. Quod fit vel *expreſſe*, cum per expreſſam conventionem id agitur, ut, qui poſſidet, deinceps alieno nomine poſſideat; *l. 18. pr. D. h. t.* vel *tacite* & implicite, cum v. c. venditor ante rei traditionem eam ab emtore conducit; *l.* 77. D. *de R. V. l.* 45. D. *de R. J.* vel uſumfructum retinet. *l. 28. C. de don.*

§. 27. Uti vero poſſeſſio ſolo animo non acquiritur, ita & ſolo corpore, ſine animo & affectu tenendi, eam nemo adipiſci poteſt. *l. 1. §. 3. l. 3.* §. *1. l. 8.* D. *l. 4. C. h. t.* Adeo, ut & error ejus acquiſitionem impediat. *l. 34. pr.* D. *h. t.*

§. 28. Non tantum autem ex una, ſed & ex plurimis cauſis *Poſſeſſio* acquiri poteſt; *l. 3. §.* 4. D. *h. t.* (in quo a *Dominio* differt, quod non niſi ex una cauſa contingere poteſt; *d. l. 3. §. 4.*) ita tamen, ut nemo ſibi cauſam poſſeſſionis mutare poſſit. *l. 3. §. 19. l. 19. pr. D. l. 5. C. h. t. l. 33. §. 1.* D. *de uſurp. & uſucap. l. 2. §. 1.* D. *pro hered.*

§. 29. Atque ita *Poſſeſſio* ratione acquiſitionis corporis & facti eſt; *l. 25. 49. §. 1.* D. *h. t. l. 19. D. ex quib. cauſ. maj. l. 10. C. h. t.* ſed acquiſita juris eſt, *d. l. 49. pr. l.* 44. D. *h. t. l. 5. §. 1.* D. *ad L. Jul. de vi publ.* & jus in re tribuit. arg. *l. 3. §. 12.* D. *ad exhib.* junct. *l. 1.* D. *ad exhib. l. 5. §. 1.* D. *ad L. Jul. de vi publ. l. 1. §. 1. 2.* D. *de ſuperf.* v. infr. *ad. t. Uti poſſ. §. 2.* & ad *t. de O. & A. §. 27. n. IV.*

§. 30. Unde & ſemel acquiſita retinetur, non ſolum ſi ipſe quis poſſideat, ſed etiam ſi ejus nomine alius teneat, licet is ejus juri ſubjectus non ſit; qualis eſt Colonus ſeu inquilinus, Commodatarius, Depoſitarius, & ſimiles: *§. 5. I. de interd. l. 3. §. 12. l. 9.* D. *h. t.* qui proprie non poſſident, ſed *in poſſeſſione* eſſe dicuntur. *l. 10.* §. *1. D. h. t. d.* §. *5. I. de interd.*

§. 31. Quin etiam animo quoque ſolo retineri poſſeſſionem placet, id eſt, ut, quamvis neque ipſe ſit in poſſeſſione, neque ejus nomine alius, tamen, ſi non relinquendæ poſſeſſionis animo, ſed poſtea reverſurus, inde deceſſerit, retinere poſſeſſionem videatur. *d. §. 5. I. de interd. l. 3.* §. *7. l. 30.* §. *5.* D. *l. 4. C. h. t.*

§. 32. *Amitti* vero *ſolet Poſſeſſio*, quemadmodum acquiritur, animo ſcil. & corpore ſimul: *l. 8. D. h. t. l. 153. D. de R. J.* veluti, ſi rem mobilem alicui tradamus; *l. 3. §. 9. D. h. t.* vel ex fundo digrediamur ne poſſideamus; *d. l. 3. §. 9.* vel rem derelinquamus. *l. 44. §. ult. D. h. t.* add. *l. 30. §. 1. & ſeqq. eod.*

§. 33. Licet & quandoque ſolo animo, ſi quis conſtituat ſe nolle poſſidere, amitti poſſit. *l. 3. §. 6. l. 17. §. 1. l. 18. pr. D. h. t.* In quo *Poſſeſſio* iterum differt a *Dominio*, quod, licet quis dominus eſſe nolit, nihilominus ejus permanet. *d. l. 17. §. 1.*

TITU-

TITULUS III.

De Uſurpationibus Et Uſucapionibus.
C. VII. 30.

§. 1.

Effectus Poſſeſſionis legitime acquiſitæ varii ſunt: inter quos excellit *Uſucapio*, cui longi temporis poſſeſſio locum facit. v. *§. 3. 5. in f. I. per quas perſ. cuique acq.*

§. 2. Eſt autem *Uſucapio, adjectio dominii, per continuationem poſſeſſionis, temporis Lege definiti. l. 3.* D. *h. t.*

§. 3. Quæ bono publico introducta eſt, ne ſcil. quarundam rerum diu & fere ſemper incerta dominia eſſent, cum ſufficeret dominis ad inquirendas res ſuas ſtatuti temporis ſpatium, *l. 1. D. h. t. pr. I. h. t. l. 5. pr. D. pro ſuo.* add. *l. 28. D. de V. S. l. 203.* D. *de R. J.*

§. 4. Inter *Uſucapionem* vero, & *Longi temporis Præſcriptionem* olim multum intererat. *Uſucapio* enim *I.* locum habebat in rebus immobilibus Italici ſoli tantum, in mobilibus omnibus; *Præſcriptio* in prædiis duntaxat Provincialibus. *l. un. C. de uſucap. transform. pr. I. h. t.*

II. Uſucapio rerum mobilium anno perficiebatur, immobilium biennio; *Præſcriptio* decem annis inter præſentes, viginti inter abſentes. *d. l. un. d. pr.*

III. Uſucapio poſſeſſorem Dominum faciebat; *Præſcriptio* vero tantum Exceptionem tribuebat, & jus aliquod Dominio proximum. *d. l. un. d. pr,* arg. *t. D. de div. temp. præſcr.*

§. 5. Sed Imp. noſter *Uſucapionem* transformavit, omnesque illas differentias ſuſtulit; *d. l. un. C. de uſucap. transform.* ut nunc *Uſucapionis* & *Longi temporis Præſcriptionis* idem effectus ſit.

§. 6. *Uſucapere* itaque ſeu *Præſcribere poteſt* non tantum paterfam. ſed & filiusfam. maxime, ſi miles ſit; *l. 4. §. 1. D. h. t.* non tantum pubes, ſed & impubes, etiam ſine tutoris auctoritate, ſi quidem animum poſſidendi habeat, ſeu infantiam egreſſus ſit. *l. 4. §. 2. D. h. t. l. 1. §. 3. D. de acq. vel am. poſſ. §. 9. I. de inut. ſtip.*

§. 7. Dummodo *I. Poſſideatur res tradita a non domino; pr. I. h. t.* ſine poſſeſſione enim *Uſucapio* contingere non poteſt: *l. 25. D. h. t. l. 20. C. de pact.* ſi vero a domino res tradita ſit, uſucapione opus non eſt. *§. 40. I. de R.* D.

§. 8. *II.* Poſſideatur *Bona fide, pr. I. h. t.* ſeu illæſa conſcientia rei alienæ; *l. 109. D. de V. S.* ut *Dubitatio* & *Error Juris* hic non ſufficiat. *l. 31. pr. l. 32. §. 1.* D. *h. t.* v. ſupr. *ad t. de A. R.* D. *§. 133.*

§. 9. Quæ ordinario tempore traditionis, *l. 15. §. ult. l. 44. §. 2. D. h. t. l. 2. pr. D. pro emt.* ſed in Emtione Venditione etiam conventionis tempore neceſſaria

ceſſaria eſt. *l. pen. D. h. t. d. l. 2. pr. D. pro emt. l. 7. §. ult. D. de Publician. in rem act.*

§. 10. Sufficit autem hic *bonam fidem* adeſſe ab initio; mala fides enim ſuperveniens Uſucapionem non interrumpit: *l. 48. §. 1.* D. *de A. R.* D. *l. un. C. de uſuc. transf.* licet in *Fructuum Perceptione* ſecus ſit. *l. 23. §. 1.* D. *de A. R. D.* v. ſupr. *ad d. t. de A. R. D.* §. 134.

§. 11. *III.* Ex *Juſta cauſa*, ſeu titulo ad transferendum dominium habili: v. *§. 35. 40. I. de R.* D. ſine qua non procedit Uſucapio; *l. 24. C. de R. V.* cum & ſine ea ne quidem dominium a vero domino transferri poſſit. *l. 31. D. de A. R.* D.

§. 12. Adeo, ut opinio erronea juſti tituli non ſufficiat; *l. 27. D. h. t. §. 6. I. h. t l. 1.* D. *pro. donat.* niſi forte error ſit juſtus & probabilis. *l. 11. D. pro emt. l. ult. §. 1.* D. *pro ſuo.*

§. 13. *IV. Res talis, quæ uſucapi poſſit:* non exemta hominum commercio; *l. 9. & 45. pr. D. §. 1. I. h. t.* non vitioſa, i. e. *furtiva* vel *vi poſſeſſa; l. 4. §. 6. l. 33. pr. §. 2. D. §. 2. & 5. I. h. t.* neque talis, cujus Uſucapio alia ratione eſt prohibita.

§. 14. Quales ſunt res Fiſci; *l. 18. & 24. §. 1. D. §. 4. I. h. t.* res Dominicæ. *t. t. C. ne rei dom.* Civitatum, Eccleſiarum &c. de quibus v *l. ult. C. de fund. patr. l. ult. C. de fund. rei priv. l. 23. C. de SS. eccl. Nov. 9. Nov. 111. & 131. c. 6.* Præſidi contra L. Juliam datæ; *l. pen. pr. D. ad L. Jul. rep. l. 48. pr.* D *de A. R.* D. res Pupillorum v. *d. l. 48. pr.* & Minorum; *l. 3. C. quib. non obj. long. temp. præſcr. l. ult. C. in quib. cauſ. in integr. reſt. nec non eſt.* bona adventitia Filiifam. *l. 1. §. 2. C. de annal. exc.* denique res Prohibitæ alienari aut Lege, aut Teſtamento. *l. 12. & 24.* D. *h. t. l. 2. C. pro emt. l. 16. D. de fund. dotal.*

§. 15. Plane *Vitio purgato, res furtivæ* & *vi poſſeſſæ* uſucapi poſſunt *§. 3. I. h. t.*

§. 16. *Purgatur* autem *vitium*, ſi res in poteſtatem Domini ſcientis *l. 84.* D. *de furt.* reverſa fuerit; *l. 4. §. 6. 12. & ſeqq.* D. *d. §. 3. I. h. t. l. 5. & 7. C. pro. emt. l. pen. §. 1.* D. *ad L. Jul. rep.* vel ſi, cum ipſe dominus rem abſtulerit, revertatur in poteſtatem creditoris. *l. ult. D. h. t. l. 6. C. pro emt.*

§. 17. *Res incorporales*, veluti ſervitutes proprie quidem (quia poſſideri non poſſunt, *l. 3. pr.* D. *de acq. vel am. poſſ. l. 1. §. 27.* D. *h. t.*) *Uſucapionem* non recipiunt; *l. 14.* D. *de ſervit. l. 43. §. 1. D. de A. R.* D. unde & aliquando per *Legem Scriboniam*, Servitutum, tam Ruſticarum, quam Urbanarum, *Uſucapio* prohibita fuit. *l. 4. §. ſ. D. h. t.*

§. 18. Sed Prætores quaſi Uſucapionem Servitutum deinde admiſerunt; *l. 10. D. ſi ſerv. vindic. l. 10. §. 1.* D. *h. t.* & Imp. Juſtinianus in *l. ult. C. de long. temp. præſcr.* rerum incorporalium præſcriptionem indiſtincte probavit.

§. 19.

Digitized by Google

§. 19. *V. Poſſeſſio ſit continua,* non uſurpata ſeu interrupta. *l. 2. D. h. t. l. 2. C. de præſcr. long. temp.*

§. 20. Continuatur autem poſſeſſio etiam in ſucceſſore, non tantum Univerſali, puta herede; *l. 20.* D. *§. 7. I. h. t.* ſed & Particulari. v. c. emtore. *l. 14. pr. §. 1. l. 19.* D. *§. 8. I. h. t. l. 2. §. 20.* D. *pro emt.*

§. 21. Sed hoc intereſt: Succeſſor Univerſalis continuat poſſeſſionem *b. f.* cœptam, etiamſi ipſe in mala fide ſit; *d. l. 7. I. h. t.* & ſi defunctus *m. f.* poſſeſſor fuerit, ne quidem a ſua perſona Uſucapionem inchoare poteſt, licet acceſſione poſſeſſionis uti non deſideret. *d. §. 7. l. 11. C. de acq. poſſ.*

§. 22. Heres enim ſuccedit in virtutes & vitia defuncti. *l. 11.* D. *de div. temp. præſcr. l. 22. D. h. t.*

§. 23. Succeſſor vero Singularis poteſt uti acceſſione auctoris ſui, ſi uterque in *b. f.* ſit: *l. 13. §. f.* D. *de acq. poſſ.* poteſtque, ſi ipſe *b. f.* poſſideat, Uſucapionem inchoare, licet Auctor malæ fidei poſſeſſor fuerit. *l. 5. D. de div. temp. præſcr. l. 1. C. de præſcr. long. temp.*

§. 24. *VI. Poſſeſſio ſit continuata per tempus legitimum;* quod olim in Uſucapione annus erat in re mobili. *pr. I. h. t.* Sed per Imp. noſtrum ita mutatum, ut res quidem mobiles per triennium, immobiles vero per decennium inter præſentes, ſed vicennium inter abſentes, uſucapiantur, ſeu præſcribantur. *l. un. C. de uſucap. transform. pr. I. h. t.*

§. 25. Sunt autem hic *præſentes,* qui in eadem ſunt Provincia; *abſentes,* qui in diverſis. *l. ult.* C. *de præſcr. long. temp.*

§. 26. Quod ſi itaque *Uſurpatio* intercedat, ſolus temporis lapſus non prodeſt. *l. 2.* C. de *long. temp. præſcr.*

§. 27. Eſt vero hic *Uſurpatio, Uſucapionis interruptio. l. 2. D. h. t.* Gell. *L. III. c. 3.*

§. 28. Eaque vel *Naturalis* eſt, vel *Civilis.*

§. 29. *Naturalis* eſt, *quæ manu fit;* cum ſcil. quis de poſſeſſione vi dejicitur, vel alicui res eripitur. *l. 5.* D.*h. t. l. 15.* D. *de acq. vel am. poſſ.*

§. 30. *Civilis* vero, *quæ fit per actus judiciales;* libelli ſcil. oblationem, in jus vocationem, *l. pen. & ult. C. de annal. exc.* (mutato jure antiquo, v. *l. 18. & 20.* D. *de R. V. l. 2. §. ult.* D. *pro emt. l. 9. §. 6.* D. *ad exhib.* §. *3. I. de off. jud.)* & litis conteſtationem. *l. 10. C. de acq. poſſ.*

§. 31. Quod tamen ita demum procedit, ſi Actor intentionem ſuam probaverit; *l. 1. & 9. C. de præſcr. long. temp.* cæteroquin enim, ſi reus abſolutus ſit, etiam lite pendente continuatur poſſeſſio, & impletur Uſucapio: *dd. ll. l. 2. D. pro don.* quia per litis conteſtationem vere & naturaliter poſſeſſio non amittitur. *d. l. 2. §. ult.* D. *pro. emt.*

§. 32. In *Fiſco* ſpeciale eſt, quod, qui a Fiſco rem alienam emit, ſtatim ſecurus ſit, Fiſcus autem ipſe poſt *quadriennium* conveniri nequeat: *l. 2. C. de quadr.*

quadr. præſcr. §. 9. I. b. t. quod ad ſubſtantiam Principis & Auguſtæ deinde extenſum eſt. *l. ult. C. de quadr. præſcr. d. §. 9. I. h. t.*

§. 33. Eſt etiam *Præſcriptio longiſſimi temporis*, ad quam ſuperiora illa requiſita non ſunt neceſſaria.

§. 34. Et quidem *I. Præſcriptio XXX. annorum*: qua acquiruntur *I.* Actiones perſonales. *l. 3. C. de præſcr. XXX.* vel *XL. ann.*

II: Res vitioſæ, & ſine titulo, bona fide poſſeſſæ. *l. 8. §. 1. C. eod.*

III. Res minorum. *l. 3. C. quib. non obj. long. temp. præſcr. l. ult. C. in quib. cauſ. in int. reſt. nec. non eſt. l. 3. C. de præſcr. XXX. vel XL. ann.*

IV. Res Adventitiæ filiorumfam. *Nov. 122. c. 24.*

V. Res a malæ fidei poſſeſſore alienatæ, & bona fidei poſſeſſore alienatæ, & bona fide acceptæ. *Nov. 119. c. 7. Auth. Malæ fidei. C. de long. temp. præſcr.*

§. 35. *II. Præſcriptio XL. annorum*: qua acquiritur *I.* Res Patrimonialis Principis. *l. f. C. de fund. patr.*

II. Res Fiſcales. *l. 4. C. de præſcr. XXX.* vel. *XL. ann.*

III. Res immobiles Eccleſiarum. *l. 23. C. de SS. eccl.* junct. *Nov. 111. c. Nov. 131. c. 6. X. de præſcr.* & Civitatum. arg. *dd. ll.*

IV. Actio Hypothecaria, quæ contra ipſum debitorem (non contra tertium, v. ſupr. *ad t. de diſtr. pign. §. 20.*) locum habet. *l. 1. §. 1. C. de ann. exc.*

§. 36. *III.* Præſcriptio C annorum. v. *c. 14. X. de præſcr. Auth. Quas Actiones. C. de SS. eccleſ.*

§. 37. *IV. Præſcriptio immemorialis*; cujus ſcil. in contrarium non extat memoria. v. *l. 2. §. 1. 7. l. 23. §. 2. D. de aq. & aq. pluv. arc.*

PRO SOLUTO.

§. 38. *Tituli* autem Uſucapionum ſeu Præſcriptionum varii ſunt: veluti, *pro Soluto*, *pro Emtore*, *pro Herede*, *pro Donato*, *pro Derelicto*, *pro Legato*, *pro Dote*, *pro Suo*. *l. 3. §. 21.* D. *de acq. vel am. poſſ.*

§. 39. *Pro Soluto* uſucapit, qui rem alienam a debitore debiti cauſa recipit. *l. 46. D. h. t.*

§. 40. Idemque Juris eſt, ſi verus dominus non debitor rem ſolvat; dummodo exiſtimans ſe debere tradat, & putans debitum eſſe accipiat. *l. 48.* D. *h. t.*

TITULUS IV.

PRO EMTORE. C. VII. 26.

§. 1.

Pro *Emtore* uſucapit, qui rem alienam a non domino bona fide emit, ejuſque poſſeſſionem bona fide adeptus eſt. *l. 2. pr.* D. *h. t.*

§. 2.

§. 2. Dummodo Emtio pure, non ſub conditione facta, *l. 2. §. 2. 4. 5. D. h. t.* & pecunia ſoluta ſit. *l. 2. §. 3. D. h. t.*

§. 3. Idemque dicendum de eo Poſſeſſore, qui litis æſtimationem obtulit: *l. 1. D. h. t.* quia litis æſtimatio emtioni ſimilis eſt. *l. 3. D. h. t.*

TITULUS V.

Pro Herede, Vel Pro Possessore. C. VII. 29.

§. 1.

Pro *herede* uſucapit heres, cum quo eſt teſtamenti factio, *l. 4. D. h. t.* qui rem alienam, in hereditate delata (v. *l. 1. D. h. t.*) inventam, *b. f.* poſſidet, tanquam hereditariam: *l. 3.* D. *h. t.* cum juſtam haberet exiſtimandi cauſam eam fuiſſe defuncti. Ita acc. *l. 33. §. 1. D. de uſucap. l. 4. C. de long. temp. præſcr. X. vel XX. annor.*

§. 2. *Pro Poſſeſſore* vero *Bonorum Poſſeſſor*, qui vice heredis habetur, *l. 2.* D. *de bon. poſſ. l. 2. D. de poſſ. hered. pet.*

TITULUS VI.

Pro Donato. C. VII. 27.

§. 1.

Pro *Donato* uſucapit, cui res aliena a non Domino donationis cauſa tradita eſt. *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 2. Dummodo revera donata ſit; *d. l. 1. pr. D. h. t.* & Donatio ſubſiſtat. *l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 3. Non etiam, ſi Donatio nulla ſit: veluti, ſi pater donaverit filio, quem in poteſtate habet; *d. l. 1. §. 1. D. h. t.* vel inter virum & uxorem donatio facta ſit. *l. 1. §. 2.* D. *h. t.*

TITULUS VII.

Pro Derelicto.

§. 1.

Pro *Derelicto* uſucapit, qui *b. f.* poſſidet rem alienam, a non domino pro derelicto habitam. *l. 4. & 6. D. h. t.*

§. 2. Si enim a vero domino pro derelicto habita ſit, ſtatim ſit occupantis, neque uſucapione opus eſt. *l. 1. 2. pr.* D. *h. t.*

Digitized by Google

TITULUS VIII.

PRO LEGATO.

§. 1.

Pro *Legato* uſucapit, qui poſſidet rem alienam ſibi legatam; *l. 1. 2. 4. 9.* D. *h. t.* vel rem quidem teſtatoris propriam, ſed codicillis ſibi ignoranti ademtam. *d. l. 4. 9. D. h. t.*

§. 2. Dummodo revera legata ſit, *l. 2. 3. D. h. t.* & cum legatario ſit teſtamenti factio. *l. 7.* D. *h. t.*

TITULUS IX.

PRO DOTE. C. VII. 28.

§. 1.

Pro *Dote* uſucapit, qui rem alienam in Dotem accepit; *l. 1. pr. §. 2. D. h. t.* ſive res ſingulæ, ſive univerſæ in dotem datæ ſint. *d. l. 1. §. 1.*

§. 2. Dummodo nuptiæ contractæ ſint; *l. 1. §. 2.* & conſtet matrimonium. *l. 1. §. 3. D. h. t.*

TITULUS X.

PRO SUO.

§. 1.

Titulus autem *Pro Suo* vel *Generalis* eſt, vel *Specialis*.

§. 2. *Generalis* eſt, qui cum aliis titulis concurrit; qui enim v. c. *pro Emtore, pro Donato, pro Legato* poſſidet, is ſimul etiam poſſidet *pro Suo*, *l. 1. pr. D. h. t. l. 27. D. de uſucap.*

§. 3. *Specialis* vero, cum poſſidentur res nullius, quæ mari, terra, cœlo capiuntur; *l. 2. D. h. t.* aliæve deficiente juſto titulo traditæ. *l. 3. 4. §. ult. D. h. t. l. 1. §. 2. D. pro dot.*

✡ ✡ ✡

LIBER

LIBER XLII. TITULUS I.

De Re Judicata, Et De Effectu Sententiarum, Et Interlocutionibus, C. VII. 52. 45.

§ 1.

Inſignis etiam effectus, tum *Dominii*, tum *Poſſeſſionis* eſt, quod res poſſeſſa poſſeſſori auferri nequeat; *l. 11. D. de R. J. l. ult.* D. *de acq. vel am. poſſ. l. 6. pr. §. 1. C. unde vi.* niſi juſta cauſa intercedat, ob quam id legitime fieri poſſit: qualis eſt *Res judicata*, *Confeſſio*, *Ceſſio bonorum*, ſimilesque.

De Re Judicata

§. 2. Res judicata dicitur, *quæ finem controverſiarum pronunciatione Judicis accipit;* quod vel condemnatione, vel abſolutione contingit. *l. 1.* D. *h. t.*

§. 3. Adeoque *Sententia* in genere nihil aliud eſt, quam *Pronunciatio Judicis, cauſæ controverſæ deciſionem continens.* arg. *d. l. 1.*

§. 4. Eſt autem *Sententia* vel *Interlocutoria*, vel *Definitiva. h. t. Inſcr. l. 3. & 9. C. h. t. l. 39. D. de minor.*

§. 5. *Sententia Interlocutoria* eſt, *quæ neque condemnationem continet, neque abſolutionem, ſed pronunciatur ſuper articulo ſeu cauſa quadam incidente. d. l. 39.* D. *de min.*

§. 6. Eaque vel *Simplex* eſt, vel *Vim Definitivæ habens.*

§. 7. *Interlocutio Simplex* eſt, *quæ ad cauſam principalem non pertinet, nec ei præjudicium facit. l. 9. C. de ſent. & interl.*

§. 8. *Vim* vero *Definitivæ habens*, *quæ etiam ad cauſam principalem pertinet, eique præjudicium facit.* v. *l. 31. D. de jurej. l. 18.* D. *de dol. l. 14. §. 1. 4* D. *quod met. c. l. 37. C. Theod. de appell. l. 2. C. ſi pend. app. l. 9. C. de ſent. & interl. l. 2.* D. *de appell. recip.*

§. 9. *Sententia Definitiva* eſt, *qua cauſa principalis deciditur, abſolvendo vel condemnando reum. l. 1. D. h. t. l. 19 §. 1. D. de recept. qui arb. recep.*

§. 10. Ut autem *Sententia* effectum habeat, neceſſe eſt, ut pronuncietur a Judice competente; *l. f. D. de juriſd. t. t. C. ſi a non compet. jud.* & quidem, quantum *ad modum* attinet, rite ſeu ſervato judiciorum ordine. *l. 4. C. de ſent. & interl.*

§. 11. Qui in eo conſiſtit, ut *I. Præcedat cauſæ cognitio. l. 7. C. eod.*

II. Citatio partium, *l. 47. D. h. t.* quæ ſcil. litem conteſtatæ ſunt; *l. 1. C. h. t.* quibus abſentibus judicari nequit: *d. l. 47. pr. D. h. t.* niſi forte abſint per contumaciam. v. *l. 60. & 53. D. h. t. l. 73. pr.* D. *de jud.*

III. Ut Sententia pronuncietur loco publico, l. 6. C. h. t. ſolito, & juri dicundo conſecrato. *l. 59. D. de jud. l. pen. D. de juſt. & jur. l. 2. §. 1. 2. D. quis ord. in bon. poſſ.*

IV. Tempore Congruo, die ſcil. faſto, *l. 4. C. quom. & quand. jud. ſent. proſ. deb.* non feriato; *d. l. 4. l. 1. D. de fer.* & quidem ante ſolis occaſum, non noctu, *Nov. 82. c. 3.* v. *l. 2. §. 31. D. de O. I.* Gell. *L. XVII. c. 2.*

V. Ut proferatur *a Judice ſedente. Nov. 71. c. 1. Nov. 82. c. 3. c. f. de ſent. & re jud. in 6.*

VI. Ab ipſo Judice, non alio, *ex periculo* ſeu ſcriptura recitetur, *l. 2. 3. C. de ſent. ex peric. recit. c. f. de ſent. in 6.*

§. 12. Olim etiam neceſſe erat, ut ſententiæ Latine proferrentur; *l. 48. D. h. t.* v. Suet *in Claud. c. 16.* ſed id deinceps mutatum, ut nunc tam Græca, quam Latina lingua pronunciari poſſint. *l. 12. C. de ſent. & interloc.*

§. 13. Quod *ſi Plures ſint Judices*, omnium præſentia deſideratur. *l. 37. 39. D. h. t. l. 17. §. ult. l. 18. D. de recept.*

§. 14. Qui ſi diſſentiant in judicando, plurium ſententiæ ſtandum, & ſecundum plurima vota concludendum eſt. *l. 36. & 39.* D. *h. t. l. 17. §. ult. l. 27. §. 3.* D. *de recept.* Gell. *L. IX. c. 15.* v. Diſſ. *N. de Calc. Minerv. p. 36. & ſeqq.*

§. 15. Si vero pares ſint numero Judices dati, & diſſonæ eorum ſententiæ in pendenti ſunt, donec competens Judex ſeu Prætor unam confirmaverit. *l. 28. D. h. t.*

§. 16. Prætor autem confirmat ſententiam favorabiliorem; ut ſcil. in *Liberalibus cauſis* pro libertate ſtatutum obtineat; *l. 38. pr. D. h. t.* in *cauſis Dotalibus* favor dotis; *l. 70.* D. *de jur. dot. l. 85.* D. *de R. J.* & in *Querela teſtamenti inofficioſi* favor ultimæ voluntatis prævaleat, *l. 10. pr.* D. *de inoff. teſt.* In aliis autem cauſis pro reo ſtatutum obtineat; *d. l. 38. pr.* D. *h. t.* & ſi diverſis ſummis condemnet judices, minima ſumma ſpectetur. *d. l. 38. §. 1.* D. *h. t. l. 27. §. 3.* D. *de recept.* v. d. Diſſ. *p. 48. & ſeqq.* ſupr. *ad t. de recept.* §. 48.

§. 17. Quantum vero ad *ipſam Sententiam* attinet, requiritur *I. Ut Judex certam ferat ſententiam; §. 32. I. de act. t. C. de ſent. quæ ſin cert. quant. l. 11.* D. *de reb. cred.* vel per ſe *l. 59. pr.* D *h. t.* vel per relationem ad aliud: *d. l. 59. §. 1. l. 5. §. 1.* D. *h. t.* etiamſi de incerta quantitate, veluti de eo quod intereſt, apud eum actum ſit; *d. §. 32. I. de act. l. un. C. de ſent. quæ ſin. cert. quant.* adeoque non ſufficiat dicere, *Solve quod debes. l. 21. §. 3. D. de recept.* junct. *l. 1.* D. *h. t.*

§. 18. Dummodo natura rei certam ſententiam admittat. v. *l. 6. §. 1.* D. *h. t. §. 33. verſ. Huic autem. I. de act. l. 7. D. ſi pars hered. pet.*

§. 19. Non tamen neceſſe eſt exprimere verba *Abſolvo*, vel *Condemno*; ſed ſufficit, ſi v. c. *Solvi juſſerit*, vel *Præſtari*, vel quo alio verbo hoc ſignificaverit. *l. 59. pr.* D. *h. t. l. 75. D. de jud. l. 21. §. 1. D. de recept.*

§. 20.

§. 20. Quin & rationes ſententiæ, ſeu decidendi, recte omittuntur. *d. l. 59. pr.* D. *h. t. l. 32. pr.* D. *de excuſ. tut. c. 16. X. de ſent. & re jud.* arg. *l. 11. in f. C. de R. C.*

§. 21. *II.* Requiritur, *ut Sententia ſit Pura*, non ſub conditione prolata; quæ ſi adjecta ſit, pro non ſcripta habetur. *d. l. 37. D. de excuſ. tut. l. 1. §. 5.* D. *quand. appell.*

§. 22. *III. Conformis Libello*, quoad objectum ſcil. & cauſam petendi. *l. 18.* D. *comm. div. l. f. C. de fideic. libert. l. 25.* §. *8. in f. D. de Æd. ed.*

§. 23. *IV. Secundum Acta & probata lata. l. 6. §. 1.* D. *de offic. Præſ. l. 14. C. de jud.* v. ſupr. *ad t. de jud.* §. *54. & ſeqq.*

§. 24. Nec non *V. Secundum Leges & Conſuetudines; pr. I. de off. Jud. l. 13. C. h. t. Auth. Jubemus. l. 14. C. de jud. Nov. 121. c. 2. Nov. 126. c. 1.* licet Leges ſint duræ, dummodo claræ & apertæ, *l. 12. §. 1. D. qui & a quib. man. lib. non fiunt.* Adeo ut, ſi expreſſe contra Leges judicatum ſit, ſententia ſit ipſo jure nulla, neque appellare neceſſe ſit. *l. 19. D. de appell. l. 1.* §. *2. D. quæ ſent. ſin. appell. reſc. l. 2. C. quand. prov. non eſt nec.* v. ſupr. *ad t. de jud. §. 58. 59.*

§. 25. Niſi convenerit inter litigatores, qualem Sententiam Judex pronunciare debeat: quo caſu ſecundum conventionem partium ſententiam proferre ſufficit. *l. 26. D. h. t.*

De Effectu Sententiarum.

§. 26. *Effectus Sententiæ Definitivæ* (Interlocutoria enim ex juſta cauſa mutari poteſt, *l. 14. D. h. t. l. 16. D. de O. N. N. l. 10.* D. *de ſtip. Præt.*) eſt *I.* Quod Judex ſententiam ſemel latam mutare vel retractare nequeat, *l. 42. 55. 62.* D. *h. t.* neque de pœna damnatorum amplianda vel minuenda ſine Principali auctoritate aliquid ſtatuere poſſit: *l. 45. §. 1. D. h. t.* quia, poſtquam ſemel ſententiam dixit, judex eſſe deſinit, & ſemel male ſeu bene officio functus eſt. *l. 55. D. h. t.*

§. 27. Adeo, ut Sententia ne quidem ſub prætextu novorum inſtrumentorum reſcindi poſſit. *l. 35. D. l. 4. C. h. t.* v. ſupr. *ad t. de fid. inſtr. §. 28.*

§. 28. Niſi *I.* Sententia ex falſis inſtrumentis, vel teſtimoniis lata ſit. *l 33.* D. *h. t. t. t. C. ſi ex falſ. inſtr. vel teſtim. jud. ſit. l. 11.* D. *de exc. l. 75.* D. *de jud.*

II. Negotium ſit publicum. *d. l. 35.* D. *h. t. l. un. C. de ſent. adv. ſiſc. lat. retract. l. 3. C. de jur. Reip.*

III. Sententia ſit lata ex jurejurando, per judicem delato. *l. 31.* D. *de jurej.*

IV. Poſterius inveniatur teſtamentum, ex quo teſtatorem a priori voluntate receſſiſſe manifeſtum eſt. arg. *l. ult. C. de reb. cred. l. 3.* §. *1.* D. *de transact.*

V. Inſtrumenta per adverſarium ſubtracta ſint, ut non niſi poſt ſententiam reperiri potuerint. arg. *l. 19. C. de transact.*

 VI. In-

VI. Inſtrumenta reperiantur, quæ probant ſententiam contra rem prius judicatam latam eſſe. *l. 1. C. quand. prov. non eſt neceſſ.*

§. 29. Plane eodem die ſupplere, quæ ad conſequentiam jam ſtatutorum pertinent; *l. 42.* D. *h. t.* actorumve verba emendare, tenore ſententiæ perſeverante, non eſt prohibitum. *l. 46. D. h. t.*

§. 30. Quin & contra ſententiam ſuam Judex ex juſta cauſa in integrum reſtituere; *l. 16. §. ult. D. de minor.* & mulctam inflictam, ob inopiam condemnati, remittere poteſt. *l. 6. §. ult. C. de mod. mulct.*

§. 31. *II. Effectus Sententiarum* eſt, quod, ſi intra decendium a ſententia non ſit appellatum, v. *Nov. 23. c. 1.* res judicata pro veritate habeatur, *l. 25.* D. *de ſtat. hom. l. 207. D. de R. J.* eique ſtandum ac parendum ſit; *l. 1. C. h. t.* adeoque controverſiæ finem imponat, *l. 1.* D. *h. t.* & jus inter litigantes, non alios, faciat: *l. 63. D. h. t.* res enim inter alios acta vel judicata, aliis neque prodeſt, neque præjudicat. *d. l. 63. D. h. t. t. t. C. int. al. act. vel jud. al. non noc. l. 2. C. quib. res jud. non noc. l. 1.* D. *de exc. rei jud.*

§. 32. Niſi is, cui actio vel defenſio primum competit, ſequentem agere patiatur, eoque ſciente ſententia inter alios data ſit. *d. l. 63.*

§. 33. *III.* Quod ſi Actor vicerit, *Actioni Judicati*; ſi vero Reus abſolutus ſit, *Exceptioni Judicati* locum faciat.

§. 34. De qua *Actione* Prætor ita edixiſſe videtur: „*Condemnatus ab eo, cujus ea de re jurisdictio eſt, ut pecuniam ſolvat;*„ *ſi non ſolvat intra legitimum tempus, Judicati Actionem dabo.* arg. *l. 4. §. 3. l. 5. D. h. t.*

§. 35. Ait Prætor, „*Condemnatus;*„ *Condemnatum* accipere debemus eum, qui rite condemnatus eſt, ut ſententia valeat: cæterum, ſi aliqua ratione ſententia nullius momenti ſit, dicendum eſt, *condemnationis* verbum non tenere. *l. 4. §. 6.* D. *h. t.*

§. 36. „*Ab eo, cujus ea de re jurisdictio eſt;*„ melius ſcripſiſſet, *cujus ea de re notio eſt:* etenim *notionis* nomen etiam ad eos pertinet, qui jurisdictionem non habent, ſed habent de quavis alia cauſa notionem. *l. 5. pr.* D. *h. t.*

§. 37. „*Ut pecuniam ſolvat;*„ *ſolviſſe* accipere debemus non tantum eum, qui ſolvit, verum omnem omnino, qui ea obligatione liberatus eſt, quæ ex cauſa judicati deſcendit. *d. l. 4. §. 7. D. h. t.*

§. 38. *Si non ſolvat;* Quid ergo, ſi ſolvere quidem paratus non ſit, *ſatisfacere* autem paratus ſit, quid dicimus? & ait Labeo, debuiſſe hoc quoque adjici, *Neque eo nomine ſatisfaciat:* fieri enim poſſe, ut idoneum expromiſſorem habeat. Sed ratio *pecuniæ exigendæ* hæc fuit, quod noluerit Prætor obligationes ex obligationibus fieri, idcirco ait, *Ut pecunia ſolvatur.* Ex magna tamen & idonea cauſa accedendum erit ad Labeonis ſententiam. *l. 4. §. 3. D. h. t.*

§. 39.

§. 39. *Intra Legitimum tempus;* quod olim ex *Leg. XII. Tab.* erat XXX. dierum, A. Gell. *L.* XX. *c. 1.* poſtea ex conſtitutionibus Impp. fuit duorum menſium; *l. un.* C. Theod. *de uſur. rei jud. l. 31. D. h. t. l. ult. §. 1. C. de uſur. rei jud.* ſed ab Imp. Juſtiniano mutatum eſt in ſpatium IV. menſium. *d. l. ult. pr. §. 1. C. de uſur. rei jud.*

§. 40. Ita tamen, ut a Prætore ex juſta cauſa arctari, vel prorogari poſſit. *l. 2. 4. § 5. l. 31. D. h. t.*

§. 41. Plane pertinet id tempus ad *Actiones* tantum *Perſonales*, non etiam *Reales*, in quibus, niſi ex juſta cauſa dilatio petatur, reſtitutio ſtatim facienda eſt. v. *l. 68.* D. *de R. V. §. 2. I. de offic. Jud.*

§. 42. *Judicati Actionem dabo.* Quæ eſt *Actio perſonalis, rei perſecutoria, perpetua; Competens Actori victori, ejusque heredi; Contra eum, qui ſuo nomine in judicio condemnatus eſt, ejusque heredem; Ad ſolvendum id, in quod condemnatus eſt, vel ad id, ut ſententia Executioni mandetur.*

§. 43. Vocatur hæc Actio *Judicati; l. 4. pr. §. 1. 2. 5. l. 6. §. ult. D. h. t.* quia datur *Judicati perſequendi cauſa*, ut condemnatus ſatisfaciat judicato, vel per Prætorem ad hoc cogatur.

§. 44. Eſt autem hæc Actio *Perſonalis;* oritur enim ex obligatione, quæ ex mera æquitate naſcitur. v. Diſſert. N. VI. *de Cauſ. Obl. C. V. §. 8. & ſeqq.*

§. 45. *Rei perſecutoria, perpetua. l. 6. §. ult. D. h. t.*

§. 46. *Competens Actori Victori, ejusque heredi. d. l. 6. §. ult. D. h. t.*

§. 47. *Contra eum, qui ſuo nomine in judicio condemnatus eſt;* contra Procuratorem enim, Actorem Municipum ſeu Syndicum, ut & Tutorem & Curatorem, *Actio Judicati* non datur: *l. 4. pr. §. 1. 2.* D. *h. t. l. 61. D. de proc.* niſi quis liti ſe obtulerit, vel ſit Procurator in rem ſuam, *d. l. 4. pr. D. h. t. l. 61.* D. *de proc.*

§. 48. Quod ſi vero plures una ſententia condemnati ſint, contra ſingulos datur pro rata: *l. 1. 2. C. ſi plur. un. ſent.* niſi res diviſionem non recipiat, quo caſu ſinguli tenentur in ſolidum. *l. 2. §. 1. 2. l. 4. §. 1. 2. D. de V. O.*

§. 49. *Ejusque heredem; l. 6. §. ult.* D. *h. t.* ut & ſucceſſorem ſingularem. *l. 3. §. 1. D. de pign.*

§. 50. *Ad ſolvendum id, in quod condemnatus eſt. l. 4. §. 3. D. h. t.*

§. 51. *Vel ad id, ut ſententia Executioni mandetur.* Si enim condemnati intra ſtatutum ſpatium ſolutioni non ſatisfecerint, ſequitur denique *Executio. l. ult. & t. t. C. de execut. rei jud.*

§. 52. Et quidem in *Actionibus Realibus* res manu militari fere aufertur; *l. 68. D. de R. V.* in *Perſonalibus* vero pignora capiuntur, & diſtrahuntur. *l. 2. l. ult. C. de exe. rei jud.*

§. 53. Qua in re hic ordo præſcriptus eſt, ut primo res mobiles & animales

Digitized by Google

les pignori capiantur, & diſtrahantur; & ſi illæ non ſuffecerint, tum ſoli pignora capiantur: quod ſi vero nec quæ ſoli ſunt ſufficiant, vel nulla ſunt ſoli pignora, denique perveniatur ad jura & incorporalia. *l. 15. §. 2. & ſeqq.* D. *h. t.*

§. 54. Si condemnatus in loco judicii vel domicilium, vel bona non habeat, Judex domicilii, vel rei ſitæ, per *Literas Requiſitoriales* rogatur, ut ſententiam ibi executioni mandet. *l. 15. §. 1. §. 1.* D. *h. t. l. 45. §. 1. D. de jud. l. 13. §. 3. C. eod. N. 135. c. 5.*

§. 55. Quod ſi vero condemnatus nulla bona habeat, in carcerem detruditur, usque dum victori in ſolidum ſatisfactum ſit; *l. 1. l. ult. C. qui bon. ced. poſſ.* a victore modice (olim ſecundum *L. XII. Tab.* libra farris in ſingulos dies data, v. Gell. *L. XX. c. 1.*) alendus. v. *l. 24.* D. *h. t.* Qua de re Prætor in Edicto ſubjeciſſe videtur: *Si victum vel ſtratum judicato inferri non patiatur, in eum, uti ea res erit; animadvertam.* arg. *d. l. 34.* D. *h. t.* v. *l. 43. & ſeqq.* D. *de V. S.*

§. 56. Niſi forte gaudeat *Beneficio Competentiæ*; quod eſt *Jus quibusdam perſonis conceſſum, quo non poſſunt in plus conveniri, quam facere poſſunt*, i. e. quam facultates eorum patiuntur, ut tantum iis relinquatur, quod iis ad victum quotidianum & alimenta ſufficiat. *l. 16. 30.* D. *h. t. §. 37. I. de act. l. 137.* D. *de R. J.*

§. 57. Quales ſunt Socii, ſive Univerſales, *l. 16.* D. *h.* t. ſive Particulares; *l. 63. pr.* D. *pro ſoc.* dummodo agatur *Actione pro ſocio*; *§. 36. I. de act.* v. ſupr. *ad t. pro ſoc. §. 37.* Parentes, Patroni, *l. 16. 17.* D. *h. t.* Fratres, arg. *d. l. 63.* D. *pro ſoc.* Conjuges, *l. 17. 20. D. h. t. §. 37. I. de act.* Soceri, *l. 21. 22. pr.* D. *h. t.* junct. *l. 15. §. 2. l. 16. 17. pr. D. ſol. matr.* v. ſupr. *ad t. ſol. matr. §. 20. 22.* Milites, *l. 6. pr. l. 18.* D. *h. t.* Donatores, *l. 19. §. 1. l. 30. 41.* D. *h. t. §. 38. I. de action. l. 28.* D. *de R. J.* Exheredati, & qui ſe paterna hereditate abſtinuerunt, v. *l. 49. D. h. t. l. 2. pr. D. quod cum eo qui in alien. pot.* nec non qui bonis ceſſerunt. *§. 40. I. de act. l. 4. pr.* D. *de ceſſ. bon.*

§. 58. Inter quos & ſingulariter *Donatoribus* conceſſum, ut ita demum conveniantur, deducto omni ære alieno; *l. 19. §. 1.* D. *h. t.* v. ſupr. *ad t. de don. §. 25.* pinguius enim Donatori ſuccurrere debemus, quam ei, qui verum debitum ſolvere compellitur, ne liberalitate ſua inops fieri periclitetur. *l. 49. 50. D. h. t.*

TITULUS II.

DE CONFESSIS. C. VII. 59.

§. 1.

Judicatis ſimiles ſunt *Confeſſi*, qui pro judicatis habentur, quia quodammodo ſua ſententia damnantur. *l. 1. 3. 6. pr. §. 2.* D. *l. un. C. h. t. l. 56. D. de re jud.* v. Diſſ. N. XVIII. *ad Conſt. Marci. §. 3. & ſeqq.*

§. 2. De

§. 2. De quibus Prætor ita edixiſſe videtur: *Confeſſus in jure, ſi intra legitimum tempus non ſolvat; in eum ut condemnatum Actionem dabo.* arg. *Inſcr. l. 1. D. h. t. l. un. C. l. 6. §. ult.* D. *h. t.*

§. 3. Ait Prætor *Confeſſus;* ſi ſcil. *I. Confeſſus ſit ipſe dominus major annis XXV.* Procuratores enim, Tutores vel Curatores fateri non ſufficit: *l. 6. §. 4.* D. *h. t.* & ſi pupillus vel minor ſit, Tutoris vel Curatoris auctoritas neceſſaria eſt. *d. l. 6. §. 5. D. h. t.* arg *l. 3. C. de in int. reſt. min.*

II. Sciens, non per errorem; non enim fatetur, qui errat: *l. 2.* D. *h. t. l. 7. C. de jur. & fact. ign.* niſi jus ignoravit. *d. l. 2.*

III. Certum; nam incertum confeſſus pro judicato non habetur. *l. 6. pr. §. 1. D. h. t.*

§. 4. *In Jure; l. un. C. h. t.* i. e. apud Prætorem, *l.* 7. D. *h. t.* & Acta: *l. 24. C. de lib. cauſ.* nec non præſente Adverſario, ejusve Procuratore, Tutore vel Curatore. *l. 6. §. 3. D. h. t.*

§. 5. *Extrajudiciali confeſſioni,* ut confeſſus pro judicato habeatur, nusquam tributum eſt; licet Extrajudicialis confeſſio vim probandi non raro obtineat. v. *l. 40. pr. D. de pact. l. 25. §. f. D. de prob. l. 26. §. 1. D. depoſ. l. 2. D. ad SCt. Silan. l. 13. C. de non num. pec.*

§. 6. *Si intra legitimum tempus non ſolvat;* confeſſi enim, poſt confeſſionem, tempora quaſi ex cauſa judicati habent. Gell. *L.* XX. *c.* 1. *l. 6. §. ult.* D. *h. t. l. 21. D. de jud.* add. *l. 71. §. 2. D. de leg. 2.*

§. 7. *In eum ut condemnatum Actionem dabo.* Scil. *Confeſſoriam. l. 23. §. f. l. 25. §. 1. D. ad L. Aquil.*

§. 8. Quæ eſt *Actio perſonalis, competens Adverſario, contra Confeſſum, ad conſequendum id, quod ex confeſſione debetur: dd. ll.* & ex ſola æquitate naſci videtur.

§. 9. Ut enim effectus hujus rei habeatur, condemnatione & ſententia Judicis declaratoria opus eſt *l. 3. D. h. t. l. 5. D. de cuſtod. reor. l. 2. C. quor. appell. non recip.*

§. 10. Non tantum autem æris confeſſus, v. Gell. *L. XX. c. 1.* ſeu confeſſus in cauſis civilibus, pro judicato habetur, ſed & in cauſis criminalibus: *Joſ. VII. verſ. 19. & ſeqq. l. 5.* D. *de cuſtod. reor. l. 8. C. ad L. Jul. de vi. l. 16. C. de pœn. l. 2. C. quor. appell. non recip. l. 10. C. de Ep. & Cler.* dummodo de corpore delicti conſtet; *l. 1. §. ult. D. de quæſt. l. 23. §. f. l. 24. 25. D. ad L. Aq. l. 29.* D. *de jur. fiſc. l. 1. §. 24. l. 5. §. 2. D. ad SCt. Silan.* & confeſſio per torturam non ſit elicita. *d. l. 1. §. ult.* D. *de quæſt.* v. Diſſ. *N. XVIII. ad Conſt. Marci. §. 2. & ſeqq.*

TITULUS III.

DE CESSIONE BONORUM.

C. VII. 71.

§. 1.

Eadem fere ratio eſt eorum, qui *Bonis ceſſerunt.*

§. 2. Eſt autem *Ceſſio Bonorum Actus, quo debitores, ſine dolo obærati, omnia bona ſua creditoribus ſponte relinquunt, ut ipſis exinde, in quantum fieri poſſit, ſatisfiat.*

§. 3. Introductum eſt hoc *flebile Ceſſionis adjutorium & miſerabile auxilium* (uti vocatur *l. 7. 8. C. qui bon. ced. poſſ.*) *Lege Julia, l. 4. C. eod. tit. C. Theod. qui bon. ex L. Jul. ced. poſſ.* a C. Julio Cæſare, ut videtur, lata: v. Suet. *in Cæſ. c. 42.* ita tamen, ut locum tantum haberet in Urbe & Italia; arg. *d. l. 4.* v. Matth. V, 25. 26. ſed poſtmodum ad Provincias etiam extenſum eſt. *d. l. 4.*

§. 4. Adeoque nunc *Bonis cedere poſſunt* omnes debitores, *l. 8. D. h. t.* ſine dolo obærati; arg. *l. 37. §. 1. D. de min.* ſive maſculi ſint, ſive fœminæ, ſive patresfam. ſive filiifamilias. *l. 7. C. qui bon. ced. poſſ.*

§. 5. Cedi poteſt non tantum in jure, ſed etiam extra jus; *l. ult. D. h. t.* per ſolam voluntatis declarationem & profeſſionem, non tantum inter præſentes, ſed & inter abſentes per nuncium vel epiſtolam factam. *d. l. ult. D. h. t. l. 6. pr. §. 1. C. qui bon. ced. poſſ.* Dummodo debitor debitum agnoſcat, *l. 8.* D. *h. t.* & omnia bona creditoribus indicet. v. *l. 1. & 3. C. qui bon. ced. poſſ.*

§. 6. *Effectus* factæ *Ceſſionis* eſt *I.* Quod bona ceſſa a creditoribus (ſalva tamen exiſtimatione cedentis, *l. ult. C. h. t. l. 11. C. ex quib. cauſ. infam. irrog.*) publica auctoritate vendi poſſint: *l. 4. C. qui bon. ced. poſſ.* niſi ante venditionem cedentem bonis ceſſiſſe pœniteat, isque vel ſe defendere, vel ſolvere paratus ſit. *l. 3 & 5. D. h. t. l. 2. C. qui bon. ced. poſſ.*

II. Quod cedens ulterius non teneatur, v. *l. 4. §. 1. D. h. t.* neque detrahi poſſit in carcerem. *l. 1. C. qui bon. ced. poſſ.*

III. Quod ſi poſtea iterum aliquid acquiſierit, quod alicujus momenti ſit, gaudeat *Beneficio Competentiæ*, neque in plus conveniri poſſit, quam facere poteſt. *l. 4. pr. l. 6. 7. D. h. t. §. ult. I. de act.*

§. 7. *Ceſſat* autem *Beneficium Ceſſionis I.* Si debitor non agnoſcat debitum. *l. 8. D. h. t.*

II. Si quis ex delicto ad pœnam pecuniariam condemnatus ſit. *l. 7. §. 3. D. de juriſd. l. ult. D. de in jus voc. l. 1. §. ult. D. de pœn.*

III. Si dolo fecerit, veluti bona diſſipando, quo minus facere poſſit. *l. 63. §. 7. D. pro ſoc. l. 22. §. 1. l. 51. D. de re jud.*

IV. Si quis doloſe, convaſatis rebus, ſolum vertat & foro cedat. arg. *dd. ll. l. 37. §. 1. D. de min. l. pen. in f. D. de jur. dot.*

V. Si

Digitized by Google

V. Si quis honoris municipalis, vel muneris evitandi cauſa, cedere velit. *l. 5. C. qui bon. ced. poſſ.*

VI. In cauſa tributorum & vectigalium. *l. 2. C. de exact. tribut.*

§. 8. Quod ſi vero ex juſta cauſa ſperent debitores, ſucceſſu temporis ſeſe creditoribus ſatisfacere poſſe, neceſſe non eſt, ut bonis cedant, ſed a Principe impetrare poſſunt *Reſcriptum Moratorium. l. 2. C. de prec. Imp. off.*

§. 9. Quod eſt *Beneficium debitoribus conceſſum, ne intra certum tempus, veluti quinquennium, a creditoribus conveniri vel inquietari poſſint. l. 2. 4. C. de prec. Imp. off. l. ult. in f. C. qui bon. ced. poſſ.* Sed non aliter valet, niſi fidejuſſio idonea, ſuper debiti ſolutione finitis induciis facienda, præbeatur. *d. l. 4. C. de prec. Imp. off.*

§. 10. Quin & jure noviſſimo remittitur *Ceſſio* iis, qui jusjurandum præſtant, quod nullam rerum cauſa occaſionem aut aurum reliquum habeant, unde æris alieni ſupplementum faciant. *Nov. 135. c. 1.*

TITULUS IV.

Quibus Ex Causis In Possessionem Eatur.

§. 1.

Sunt denique variæ cauſæ, ex quibus quis in *Poſſeſſionem bonorum* alicujus mitti poteſt.

§. 2. Quarum tres maxime ſunt notabiles; *I.* ſcil. Ut quis mitti poſſit *Rei* ſeu *debiti ſervandi gratia.*

II. Legatorum & fideicommiſſorum. & III. Ventris nomine. l. 1. D. h. t.

§. 3. Et quidem quantum ad miſſionem attinet, quæ fit *Rei ſervandæ cauſa,* (de qua *h. t.* maxime agitur,) illa vel ita decernitur, ut miſſus tantum *Cuſtodiam* habeat; vel ita, ut ſimul *Vendendi poteſtatem* conſequatur.

§. 4. *Cuſtodia* tantum conceditur, cum quis mittitur in poſſeſſionem bonorum debitoris, qui neque copiam ſui facit, neque defenditur.

§. 5. De quo Prætor ita edixit: „*In bona ejus, qui judicio ſiſtendi cauſa* „*fidejuſſorem dedit, ſi neque poteſtatem ſui faciet, neque defendetur, iri jubebo.*„ *l. 2. pr. D. h. t.* v. ſupr. *ad t. ſi quis caut. in jud. ſiſt. c. fact. non obtemp. §. 2.*

§. 6. Ait Prætor, „*In bona ejus, qui judicio ſiſtendi cauſa fidejuſſorem dedit,* „*ſi neque poteſtatem ſui faciet;*„ *Poteſtatem ſui non facit,* qui id agit, ne adverſarius ejus copiam ſui habeat, & latitat, *l. 2. §. 1.* D. *h. t.* vel abſens non defenditur, *d. l. 2. §. 2.* Idemque dicendum, ſi ab hoſtibus ſit captus, *l. 6. §. 2. D. h. t.* nullusve ejus heres exiſtat. v. *l. 8. D. h. t.* Cic. *pro Quint. c. 19.*

§. 7. *Neque defendetur*; vel a ſe, vel ab alio quocunque, (præſtita ſcil. ſatisdatione, *l. 5. §. 3. D. h. t. l. 33. §. 1. D. de reb. auct. jud. poſſ.*) vel ante vel

 poſt

poſt miſſionem. Verba enim *neque defendetur*, *παρατατικῶς*, i. e. fuſius & cum extenſione ſcripta ſunt, ut neque ſufficiat unquam defendiſſe, ſi non duret defenſio, neque obſit, ſi nunc offeratur. *l. 2. §. 4. D. h. t. l. 33. §. 1.* D. *de reb. auct. jud. poſſ.*

§. 8. Adeo ut, ſi poſt miſſionem defendatur, a poſſeſſione diſcedatur, & quæcunque ad miſſum pervenerint, una cum fructibus reſtituenda ſint, *d. l. 33. §. 1.* D. *de reb. auct. jud. poſſ.*

§. 9. Qua de re etiam nominatim Prætor ita edixit: „*Si quis, cum in poſ-„ſeſſione bonorum eſſet, quod eo nomine fructus ceperit, ei, ad quem ea res perti-„net, non reſtituat; ſive, quod impenſæ ſine dolo malo fecerit, ei non præſtabitur; „ſive dolo malo ejus deterior cauſa poſſeſſionis facta eſſe dicetur; de ea re ju-„dicium in factum dabo.*„ v. *l. 9. pr. §.* 1. *& ſeqq. l. 14. §. 1.* D. *de reb. auct. jud. poſſ.*

§. 10. Ex qua cauſa debeatur, ſive ex *Actione in Rem*, ſive *in Perſonam*, *l. 7. §. 16. D. h. t. l. 10. D. de V. S.* ſive pure, ſive ſub conditione, nihil intereſt. *l. 6. pr. D. h. t. d. l. 10.* Licet Creditor conditionalis quoad effectum venditionis mitti nequeat. *l. 14. §. 1. D. h. t.*

§. 11. Non etiam intereſt, qualis ſit debitor, ſive adminiſtrationem rerum ſuarum habeat, ſive non habeat; qualis eſt pupillus, v. *l. 3. pr. §. 1. & ſeqq. l. 4. §. 10.* D. *h. t.* furioſus, *l. 7. §. 10.* D. *h. t.* & prodigus. *d. l. 7. §. 12. D. h. t.* Licet bona eorum, ut & Reip. cauſa abſentium, ob hanc cauſam vendi nequeant. *l. 6. §. 1. l. 7. §. 9. D. h. t.*

§. 12. De quo Prætor ulterius edixiſſe videtur: *Si adverſus pupillum, ex contractu cum eo inito agatur, isque non defendatur, bona ejus, quamdiu impubes erit, rei ſervandæ cauſa poſſideri jubebo;* „*Si is pupillus in ſuam tutelam venerit, „vel pupilla viripotens fuerit, & recte defendantur, eos, qui bona poſſident, de poſ-„ſeſſione decedere jubebo.*„ v. *l. 3. pr. §. 1. l. 5. §. 2. 3.* D. *h. t.*

§. 13. Et mittitur quidem hoc caſu creditor in poſſeſſionem univerſorum bonorum; *l. 1. D. h. t.* non tamen ex iis ali debet, *l. 7. pr.* D. *h. t.* neque dominium adipiſci poteſt, *l. 8. C. de bon. auct. jud. poſſ.* ſed tantum cuſtodiam conſequitur, *l. 3. §. ult. D. de acq. vel. am. poſſ.* & jus pignoris: *l. 26. pr. D. de pign. act. t. t. C. de pign. præt.* neque ſibi tantum, ſed & aliis creditoribus, etiam non miſſis poſſidet. *l. 12. pr. D. de reb. auct. jud. poſſ. l. ult. C. eod.*

§. 14. Quod ſi vero quis creditorem prohibuerit bona debitoris ingredi, datur in eum *Actio ad id quanti ea res eſt. l. 14. pr.* D. *h. t.*

§. 15. *Vendendi* autem *poteſtatem* miſſus conſequitur, ſi debitor fraudandi cauſa latitat.

§. 16. De quo Prætor ita edixit: „*Qui fraudationis cauſa latitaverit, ſi „boni viri arbitratu non defendetur, ejus bona poſſideri vendique jubebo.*„ *l. 7. §. 1. D. h. t.* add. *l. 6. §. 1. D. eod.* Cic. *pro Quint. c. 19.*

§. 17.

Digitized by Google

§. 17. Ait Prætor, „*Qui fraudationis cauſa latitaverit;*„ hic enim non ſufficit latitare, ſed *fraudationis* cauſa id fieri neceſſe eſt. *l.* 7. *§.* 2. 5. *& ſeqq.* D. *h. t.*

§. 18. Ut adeo *latitare* hic ſit, fraudandorum creditorum cauſa cum tractu aliquo latere. *l.* 7. *§.* 4. 8 9. D. *h. t.*

§. 19. „*Si boni viri arbitratu non defendetur;*„ ſive per ſe, ſive per alium, v. c. Procuratorem. v. *l.* 5. *§.* 3. D. *h. t.* *l.* 52. D. *de R. J.* Cic. *pro Quint. c.* 19. 27.

§. 20. „*Ejus bona poſſideri, vendique jubebo.*„ v. Cic. *pro Quint. c.* 24. Tempore ſcil. conſtituto tranſacto. *l.* 9. *C. h. t.* add. ſupr. *ad t. de diſtr. pign. §.* 34.

TITULUS V.

De Rebus Auctoritate Judicis Possidendis Seu Vendundis. C. VII. 72.

§. 1.

Quæ venditio auctoritate *Judicis*, non Pedanei, ſed ejus, qui jurisdictionem habet, ſeu Magiſtratus, eſt facienda. *Inſcr. h. t. D. & C.* arg. *l.* 15. *pr. D. de re jud.* v. *l.* 1. 81. D. *de jud. l.* 11. *pr.* §. 1. D. *de jurisd. l.* 41. *D. de min.*

§. 2. Venire autem bona ibi oportet, ubi quisque defendi debet, id eſt, ubi domicilium habet, aut ubi quisque contraxit. *l.* 1. 2. 3. *D. h. t.*

§. 3. Ita, ut in comparationem extranei, & ejus, qui Creditor Cognatusve ſit, potior habeatur Creditor Cognatusve; magis tamen Creditor, quam Cognatus: & inter Creditores potior ſit is, cui major pecunia debetur. *l.* 16. *D. h. t.*

De Privilegiis Creditorum.

§. 4. Quæ ſi non ſufficiant, ut omnibus Creditoribus inde ſatisfieri poſſit, *Privilegia Creditorum*, in quantum *Protopraxia*, v. Plin. X. *Ep.* 109. ſeu *Præferentia* locum habeat, examinanda ſunt.

§. 5. Et quidem ante omnia a *Creditoribus* ſeparandi ſunt *Domini*, qui res ſuas extantes vindicant, & auferunt jure Dominii. *l.* 1. *C. de priv. fiſc. l.* 5. *§.* 18. D. *de trib. act. l.* 38. *pr.* D. *de pecul.* Qualis eſt *I.* Deponens ratione rei depoſitæ. *l.* 24. *§.* 2. *D. h. t. l.* 7. *§.* 2. *D. l.* 8. *C. depoſ.*

II. Commodans. *l.* 8. *& ſeqq. D. commod.*

III. Qui rem precario conceſſit. *l.* 1. *§. f. D. de precar.*

IV. Locator. *l.* 39. D. *locat.*

V. Uxor ratione rerum dotalium & paraphernalium: *l.* 1. *C. de priv. fiſc.* ſimilesque.

§. 6. *Creditores* autem in *quinque Claſſes* diſcernendi ſunt.

Digitized by Google

§. 7. In *Prima Claſſe* collocandi *Singulariter Privilegiati*, ſeu ita privilegiati, ut omnes alios præcedant. Qualis eſt *I.* Qui credidit impenſas funebres; *l.* 45. junct. *l.* 43. *D. de religioſ.* ſine quibus ſcil. funus honeſte duci non poteſt. *l.* 14. *§.* 3. *D. eod.* Sumtus enim in ultimum morbum facti hunc non pertinent v. ſupr. *ad t. de relig. §.* 24. & *ſeqq. §.* 49.

II. Qui credidit infectionem inventarii, inſinuationem teſtamenti, vel alias neceſſarias cauſas. *l. ult. §.* 9. *C. de jur. delib.*

§. 8. In *Secunda Claſſe* collocandi *Hypothecarii Privilegiati*, i. e. Hypothecam cum privilegio prælationis habentes. Qualis eſt *I.* Fiſcus ratione debiti primipilaris. *l.* 1. *C. de priv. fiſc. l.* 3. *C. primipil.* & tributorum; ſive ordinaria ſint, ſive extraordinaria: *l.* 1. *C. ſi propt. penſit publ. l.* 1. *C. in quib. cauſ. pign. vel hyp. tac. contr.* in quibus nervi ſunt Reipublicæ. *l.* 1. *§.* 20. *D. de quæſt.*

II. Qui credidit in Militiam emendam, & ſibi de hypotheca ſpecialiter proſpexit. *Nov.* 97. *c.* 3.

III. Uxor (non etiam ſponſa) ejusque liberi, ratione dotis, ejusque augmenti: *l.* 12. *§.* 1. *C. qui pot. in pign. §.* 29. *I. de act. Nov.* 97. *c.* 2. 3. 4. non etiam ratione paraparaphernalium, & donationis propter nuptias. *l. fin. C. de pact. conv. l.* 12. *§.* 2. *C. qui pot. in pign.*

IV. Qui credidit in reſtitutionem ſeu refectionem ædificii. *l.* 1. *D. in quib. cauſ. pign. vel. hyp. tac. contr l.* 24. *§.* 1. *D. h. t. l.* 1. *D. de ceſſ. bon.*

V. Qui credidit in refectionem navis, vel emtionem domus, alteriusve rei & ſpecialiter ſibi de hypotheca proſpexit: *l.* 5. 6. *D. qui pot. in pign.* junct. *l.* 7. *C. eod. l.* 17. *C. de pign. Nov.* 97. *c.* 3. cæteroquin enim privilegium tantum habet perſonale. *l.* 26. & 34. *D. h. t.* v. ſupr. ad *t. in quib. cauſ. pign. vel hyp. tac. contr. §.* 6.

VI. Pupillus, cujus pecunia res emta eſt. *l.* 7. D. *qui pot. in pign. l. pen. C. de ſerv. pign. dat. man.*

VII. Fiſcus ratione debiti ex contractu; *l.* 28. *D. de jur. fiſc. l.* 2. *l.* 6. *C. de priv. fiſc.* quod enim ex delicto debetur, poſt Chirographarios demum accipit *l.* 17. & 37. *D. de jur. fiſc.*

VIII. Dominus reſpectu ſolarii. *l.* 15. D. *qui pot. in pign.*

IX. Creditor, cujus pecunia ſervus ab hoſte redemtus eſt. *l.* 12. *§.* 12. *D. de captiv. & poſtlim. rev.*

§. 9. Quorum magis privilegiati minus privilegiatis præferendi. arg. *l.* 12. *§.* 1. *C. qui pot. in pign. Nov.* 97. *c.* 3. 4. Sed ſi plures eadem prærogativa gaudeant, temporis ratio habenda eſt; *d. l.* 12. *§.* 1. *l.* 2. & 8. *C. qui pot. in pign. Nov.* 91. *c.* 1. quia privilegiatus contra æque privilegiatum non utitur ſuo privilegio. *l.* 11. *§. pen.* D. *de min. l.* 12. *§.* 1. *C. qui pot. in pign. d. Nov.* 91. *c.* 1.

§. 10.

Digitized by Google

§. 10. In *Tertia Claſſe, Hypothecarii Simplices;* inter quos obtinet regula, *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure. l. 2. 4. 7. & 8. C. qui pot. in pign.*

§. 11. In *Quarta Claſſe, Chirographarii Privilegiati*, ſeu perſonale privilegium tantum habentes. Qalis eſt *I.* Fiſcus, in iſtis ſcil. cauſis, in quibus hypothecam non habet. Paul. *Sent. L.* V. *T. XII. §. 10. t. t. C. de priv. fiſc.*

II. Reſp. Civitas, & Eccleſia. *l. 38.* §. *1. D. h. t. l. 23. pr. C. de SS. eccleſ.*

III. Sponſa ratione dotis. *l. 74.* D. *de jur. dot. l. 17. §. 1. l. 18. 19. D. h. t.*

IV. Qui ad rem quandam (præter domum) reficiendam, vel emendam credidit, neque de pignore ſibi ſpecialiter proſpexit. *l. 26. & 34. D. h. t. l. 17. C. de pign.*

V. Deponens ratione rei depoſitæ, quæ amplius non extat: *l. 24. §. 2. D. h. t.* niſi ratione pecuniæ depoſitæ uſuras perceperit, quo caſu a reliquis creditoribus non ſeparatur. *d. l. 24. §. 2.*

§. 12. Qui ſi diverſi tituli ſint, non ex tempore æſtimantur, ſed ex cauſa ſeu Privilegio. Sed ſi plures ejusdem tituli ſint, concurrunt ſecundum proportionem Geometricam. *l. 32. D. h. t.*

§. 13. In *Quinta* vero *Claſſe* collocandi *Chirographarii Simplices;* qui omnes concurrunt ſecundum proportionem Geometricam. *l. 6. in f. C. de bon. auct. jud. poſſid.*

§. 14. Quo loco antem collocantur creditores ratione ſortis, eodem & rationes uſurarum ponendi ſunt. *l. 18.* D. *qui pot. in pign.*

§. 15. Quod ſi vero quis ſcienter cum debitore contrahat, poſt ſuſceptum fraudationis conſilium, ille numero creditorum eximitur, & a bonis debitoris excluditur. De quo Prætor ita edixit: *„Quod poſtea contractum erit, quam is, „cujus bona venierint, conſilium receperit fraudare, ſciente eo, qui contraxerit, „ne actio eo nomine detur. l. 25. D. h. t.*

TITULUS VI.

De Separationibus. C. VII. 72.

§. 1.

Ne vero defuncto debitore, per concurſum Creditorum heredis, Creditores defuncti damnum ſentiant, *Remedium Indemnitatis* ipſis conceſſum eſt, ſeu *Actio Extraordinaria, ad impetrandam Separationem bonorum.*

§. 2. Quæ datur *Creditoribus hereditariis, contra heredem, ejusque creditores, ad hoc, ut bona defuncti a proprio heredis patrimonio ſeparentur, ut illis exinde primo omnium ſatisfiat.*

§. 3. Introduxit hoc remedium Prætor, *l. 2. C. de bon. auct. jud. poſſ.* ex æquitate naturali. *l. 1. §. 1. l. 6.* D. *h. t.* v. Diſſert. *N. IX. de Cauſ. Obl. C. V. §. 4. 12. & ſeqq.*

§. 4.

§. 4. Cum enim per hereditatis aditionem confuſio inducatur, & una eademque cenſeatur perſona heredis & defuncti, *Nov. 48. pr.* unumque eorum Patrimonium, *l. 10. §. 2. D. de vulg. & pup. ſubſt.* creditores heredis in bona defuncti jus acquirerent, & cum creditoribus defuncti concurrerent; *l. 1. §. 1. D. h. t* iniquum autem eſſet per factum heredis, ejusque creditores, deteriorem fieri conditionem creditorum hereditariorum ſeu defuncti, qui defuncti fidem ſecuti, & nihil niſi patrimonium ejus intuiti ſunt. v. *l. 2. §. 2. D. de V. O. l. 25. C. de pact.*

§. 5. Datur *Creditoribus hereditariis*, ſeu defuncti, deſiderantibus, *l. 1. pr. in f. D. h. t.* quibus ex quacunque cauſa aliquid debetur; *l. 2. C. de bon. auct. jud. poſſ. l. 1. §. 1. l. 4. D. h. t. l. 10. 11. D. de V. S.* adeoque & legatariis & fideicommiſſariis. *l. 6. D. h. t. l. 40. D. de O. & A.* quorum conditio per hereditatis aditionem facta eſt deterior: *l. 1. §. 1. 2. D. h. t.* non etiam heredi, nec ejus creditoribus. *l. 1. §. 2. 5. D. h. t.*

§. 6. Datur autem Creditoribus hereditariis maxime *Chirographariis;* arg. *l. 1. §. 3. D. h. t.* Hypothecarii enim, quippe qui pignoris jure ſatis muniti ſunt, v. *l. 9. C. qui pot. in pign.* hoc remedio non indigent.

§. 7. Datur *contra heredem*, *l. 1. §. 15. l. ult. D. h. t.* qui in defuncti debitoris locum ſucceſſit, & non eſt ſolvendo, v. *l. 1. §. 1. l. 6.* D. *h. t. l. 6. C. de hered. act. ejusque creditores.*

§. 8. *Ad hoc*, ut creditoribus hereditariis, ex ſolis bonis hereditatis ſatisfiat, ne per concurſum creditorum heredis damnum ſentiant; *d. l. 1. §. 1. l. 7. in f. C. de bon. auct. jud. poſſ.* ac ſi hereditas adita non fuiſſet. *l. 1. §. 6. l. 5.* D. *h. t.*

§. 9. Quod ſi vero creditores hereditarii *Separationem bonorum* impetraverint, & inveniatur non idonea hereditas, heres autem idoneus, non poſſunt reverti ad heredem; ſed ei quod ſemel poſtularunt ſtare debent: *l. 1. §. 17. l. 5. D. h. t.* niſi juſtiſſima cauſa ignorantiæ aliud ſuadeat. *d. l. 1. §. 17.* Ita accip. *l. 3. §. 2. D. h. t.*

§. 10. *Ceſſat* autem *Remedium Separationis*, *I.* Si creditores hereditarii ſeparationem non deſiderent, arg. *l. 1. §. 1. in f. D. h. t.*

II. Si fidem heredis ſecuti ſint, *l. 1. §. 10. 11. 15.* D. *h. t.*

III. Si bona hereditaria bonis heredis ita mixta ſint, ut commode ſeparari nequeant. *l. 1.* §. *12. D. h. t.*

IV. Si lapſum ſit quinquennium. *l. 1.* §. *13. D. h. t.*

V. Si hereditas ab herede *b. f.* diſtracta ſit. *l. 2. D. h. t.*

TITU-

TITULUS VII.

De Curatore Bonis Dando.

§. 1.

Ne etiam bona debitoris, ubi creditores in Poſſeſſionem miſſi ſunt, corrumpantur vel deminuantur, *Curator* Bonis dari ſolet. *l. 14. 15. & 8. §. f.* D. *de reb. auct. jud. poſſ. l. 1. §. 1, 2. D. h. t.*

§. 2. De quo conſtituendo hoc jure utimur, ut Prætor adeatur, isque *Curatorem Curatoresve* conſtituat, ex conſenſu majoris partis creditorum, vel Præſes Provinciæ, ſi bona in provinciis diſtrahenda ſint. *l. 2. pr. D. h. t.* Licet & nonnunquam ab ipſis creditoribus eligatur. *l. ult. D. h. t. l. 8. §. ult.* D. *de reb. auct. jud. poſſ.*

§. 3. Similis eſt hic *Curator* in pleriſque *Curatori Minoris*. Unde etiam Inventarium facere, *l. 15. D. de reb. auct. jud. poſſ.* ſatisdare, *l. 3. C. de poſtl. rev.* & curam fideliter adminiſtrare debet. *l. 1. §. 17. 22. D. de ventr. in poſſ. mitt.*

§. 4. Quæque per eum eosve acta, facta, geſtaque ſunt, rata habentur, eisque actiones & in eos competunt. *l. 2. §. 1. D. h. t.*

§. 5. Si plures autem conſtituantur *Curatores*, in ſolidum agunt, & conveniuntur, non pro portionibus. Quod ſi vero per regiones fuerint conſtituti, regiones ſuas conſervare debent. *l. 2. §. 2. D. h. t.*

§. 6. Quod ſi *Curator* non ut oportuit adminiſtraverit, Debitori tenetur *Actione in factum*, ad damnum dolo vel lata culpa datum reſarciendum; *l. 9. §. 3. & 5.* D. *de reb. auct. jud. poſſid.* Creditoribus vero *Actione Mandati*, vel *Negotiorum geſtorum*, *l. 22. §. 10. D. mand.* tum ad rationes reddendas, *l. C. ubi de ratiocin.* tum ad præſtandum dolum, culpam latam, & levem: arg. *l. 1. §. 22. D. de ventr. in poſſ. mitt.* quia non tam debitoris, quam creditorum, negotium geſſiſſe videtur. *l. 1. §. 17. D. de ventr. in poſſ. mitt. l. 2. §. 1. D. h. t.*

§. 7. Illud tamen inter *hunc* & *Curatorem Minoris* intereſt, quod *Curator Bonorum*, niſi ex magna neceſſitate, non conſtituatur invitus; *l. 2. §. 3. D. h. t.* & fere tantum cuſtodiam habeat: niſi res deteriores futuræ ſint; *l. 48.* D. *de admin. tut.* vel miſſio ita facta ſit, ut & venditio locum habeat. v. *l. 2. pr. l. f.* D. *h. t.*

TITULUS VIII.

Quæ In Fraudem Creditorum Facta Sunt, Ut Restituantur. C. VII. 75.

§. 1.

Quin &, ut Creditoribus pleniſſime proſpectum eſſet, ad revocanda ea, quæ

in fraudem eorum alienata ſunt, *Actio* ipſis *in factum* conceſſa eſt. *l. 1. §. 1.* D. *h. t. l. pen. C. h. t.*

§. 2. Ait Prætor: „*Quæ fraudationis cauſa geſta erunt, cum eo, qui fraudem non ignoraverit; de his curatori bonorum, vel ei, cui de ea re actionem dari oportebit, intra annum, quo experiundi poteſtas fuerit, actionem dabo. Idque etiam adverſus ipſum, qui fraudem fecit, ſervabo*„ *l. 1. pr.* D. *h. t.*

§. 3. Ait Prætor, „*Quæ fraudationis cauſa*;„ ita ſcil. ut debitor conſilium fraudandi, & eventum fraus habeat, *l. 10. §. 1. l. 15. D. h. t.* & utrumque in ejuſdem creditoris perſona concurrat: *l. 15. D. h. t.* niſi priores pecunia poſteriorum dimiſſi probentur. *d. l. 10. §. 1. l. 16. D. h. t.*

§. 4. „*Geſta erunt*;„ *Geſtum* proprie ſignificat rem ſine verbis factam: *l. 19.* D. *de V. S.* ſed hoc loco hæc verba generalia ſunt, & continent in ſeſe omnem omnino in fraudem factam vel alienationem, vel contractum, vel aliud quid fraudis cauſa factum, qualecunque id fuerit. *l. 1. §. 2. l. 2. 3. pr. §. 1. 2. l. 4. 5. & 17. §. 1. l. 18. & 25. pr. §. 1. 2. D. h. t.*

§. 5. Quod autem, cum poſſit aliquid quærere, non id agit, ut acquirat, ad hoc Edictum non pertinet. Pertinet enim Edictum ad deminuentes patrimonium ſuum, non ad eos, qui id agunt, ne locupletentur. *l. 6. pr. §. 1. 2. 3. 4. 5. D. l. 3. C. h. t. l. 119. & 134. pr.* D. *de R. J.*

§. 6. „*Cum eo, qui fraudem non ignoraverit*;„ hoc enim Edictum eum coërcet, qui ſciens, eum in fraudem creditorum hoc facere, ſuſcepit, quod in fraudem creditorum fiebat. *l. 6. §. 8.* D. *h. t.*

§. 7. Unde, qui, antequam bona poſſideantur, ſuum recipit, ſeu id, quod ſibi debetur, non videtur fraudem facere, quamvis ſciens prudensque ſolvendo non eſſe recipiat; ſibi enim vigilavit, *Jura autem vigilantibus ſcripta ſunt. l. 6. §. 7. l. 10. §. 16. l. 24. D. h. t.*

§. 8. Sic &, ſi quis, conſentientibus creditoribus, a fraudatore vel emit, vel ſtipulatus eſt, vel quid aliud contraxit, non videtur in fraudem creditorum feciſſe: nemo enim videtur fraudare eos, qui ſciunt & conſentiunt. *l. 6. §. 9.* D. *h. t. l. 145. D. de R. J.*

§. 9. „*De his Curatori bonorum, vel ei, cui ea de re actionem dari oportebit*;„ ſcil. Creditori, ejusque heredi. *l. 10. §. ult. l. 25. §. 1.* D. *h. t.*

§. 10. „*Intra annum, quo experiundi poteſtas fuerit*;„ hujus actionis enim annum computamus *Utilem*, quo experiundi poteſtas fuit, ex die factæ venditionis. *l. 6. §. ult. l. 10. §. 18. D. h. t.*

§. 11. „*Actionem dabo.*„ Scil. *in Factum; l. pen. C. de revoc. his, quæ in fraud. cred. alien. ſunt. l. 10. pr. in f.* D. *h. t.* quæ alio nomine *Pauliana* vocatur, *l. 38. §. 4. D. de uſur.* ſcil. a *Paulo* Prætore, qui eam primus introduxit.

§. 12. Eſt autem hæc *Actio in factum*, ſeu *Pauliana*, *Prætoria*, *in perſonam*; *Competens Creditoribus*, *eorumque heredibus*, *miſſis in poſſeſſionem bonorum*

Digitized by Google

rum debitoris; Contra poſſeſſores fraudis conſcios, eorumque heredes, vel ex cauſa lucrativa res tenentes; *Ad id, ut res in fraudem Creditorum alienatæ, reſciſſa traditione, cum omni cauſa reſtituantur, quaſi traditæ non eſſent.*

§. 13. Dicitur *Prætoria, in perſonam; l. 38. §. 4. D. de uſur.* quia naſcitur ex maleficio, fraudulenta ſcil. alienatione.

§. 14. *Competens Creditoribus, eorumque heredibus*, (v. ſupr. §. 8.) *miſſis in poſſeſſionem bonorum debitoris*; hæc Actio enim non niſi bonis poſſeſſis locum habet. *l. pen. C. de revocand. his quæ in fraud. cred. §. 6. I. de act.*

§. 15. *Contra poſſeſſores, fraudis conſcios, l. 6. §. 8. D. l. pen. C. h. t. eorumque heredes*, in quantum ſcil. ad eos pervenit. arg. *l. 10. §. ult. l. 11. D. h. t.*

§. 16. *Vel ex cauſa lucrativa res tenentes. l. 6. §. 11. D. l. pen. C. h. t.*

§. 17. *Ad id, ut res in fraudem creditorum alienatæ, reſciſſa traditione, cum omni cauſa reſtituantur, quaſi traditæ non eſſent. §. 6. I. de act.* arg. *l. 10. §. 19. & ſeqq. D. h. t.*

§. 18. „*Idque etiam adverſus ipſum, qui fraudem fecit, ſervabo.*„ v. *l. ult. §. ult. D. h. t.* In quantum ſcil. facere poteſt, vel dolo fecit, quo minus poſſit. *l. ult. C. h. t.*

§. 19. Non tantum autem Prætor, in eam rem dictum Edictum, ſed & inſuper *Interdictum Fraudatorium*, v. *l. 96. pr. D. de ſol.* propoſuit, quod ita habet: „*Quæ Lucius Titius fraudandi cauſa, ſciente te, in bonis, quibus de agitur fecit;* „*ea illis, ſi eo nomine, quo de agitur, Actio ei ex Edicto meo competere, eſſeve opor-* „*tet: etſi non plus quam annus eſt, eum de ea re, qua de agitur, experiundi pote-* „*ſtas eſt;*„ Ut & fructus, qui fundo cohæſiſſe dicentur; „*reſtituas. Interdum* „*cauſa cognita, etſi ſcientia non ſit, in factum Actionem permittam.*„ *l. 10. pr. l. ult. §. 4. 6.* D. *h. t.*

§. 20. Ait Prætor, „*Quæ Lucius Titius fraudandi cauſa;*„ ita ſcil. ut ipſe conſilium fraudandi, & eventum fraus habeat. *l. 10. §. 1. l. 15. D. h. t.* v. ſupr. §. 2.

§. 21. „*Sciente te;*„ i. e. te conſcio, & fraudem participante. *l. 10. §. 2. & ſeqq.* D. *h. t.*

§. 22. „*In bonis, quibus de agitur;*„ ſi fraudator heredem habuit, & heredis bona venierint, non eſt in bonis, quibus de agitur, factum, & ideo ceſſat hæc Actio. *l. 10. §. 9. D. h. t.*

§. 23. „*Fecit;*„ ſcil. qualitercunque. v. *l. 10. §. 12. 13. 14. 15. l. 17. §. 1. l. 18. & 25. pr. §. 1. 2. D. h. t.* ſupr. *§. 3.*

§. 24. „*Ea illis, ſi eo nomine, quo de agitur, Actio ei ex Edicto meo compe-* „*tere, eſſeve oportet;*„ eorumque heredibus. *l. 10. §. ult. D. h. t.*

§. 25. „*Et ſi non plus quam annus eſt, eum de ea re, qua de agitur, expe-* „*riundi poteſtas eſt;*„ qui annus utilis eſt, & computatur ex die venditionis bonorum. *l. 10. §. 18.* D. *h. t.* v. ſupr. *§. 9.*

§. 26. *Ut & fructus, qui fundo cohæſiſſe dicentur;* res enim in fraudem credito-

ditorum alienata cum omni cauſa reſtituenda eſt: *l. 10. § 19. D. h. t.* adeoque & cum fructibus, tum iis, qui tempore alienationis fundo cohærebant; tum iis, qui poſt inchoatum judicium recepti ſunt. *l. 10. §. 20. & ſeqq. l. 25. §. 4. 6.* D. *h. t.*

§. 27. „*Reſtituas*;„ ita ut omnia in priſtinum ſtatum reſtituantur, & non tantum dominia revocentur, ſed & Actiones reſtaurentur. *l. 10. §. 22. l. 14. & 17. pr.* D. *h. t.*

§. 28. „*Interdum cauſa cognita, etſi ſcientia non ſit, in factum Actionem* „*permittam.*„ Uti in caſu *l. 6. §. 12. l. 14. D. h. t.*

* *

LIBER XLIII. TITULUS I.

De Interdictis, Sive Extraordinariis Actionibus, Quæ Pro His Competunt, C. VIII. 1.

§. 1.

Potiſſimus autem *Poſſeſſionis* effectus eſt, quod *Interdictis*, & *Extraordinariis Actionibus, quæ pro his competunt*, locum faciat.

§. 2. *Interdicta* olim formulæ erant, ſeu conceptiones verborum, quibus Prætor aliquid fieri jubebat, vel fieri prohibebat. *pr. I. h. t.*

§. 3. Quibus ſi paritum non eſſet, Prætor aut manu militari Decretum exequebatur, aut ex cauſa *Interdicti* Actionem & Judicium dabat. *l. 1. §. 2.* D. *ſi ventr. nom. l. 3.* D. *ne vis fiat ei qui in poſſ.*

§. 4. Sed formulæ & mos dandorum Judicum Pedaneorum abierunt in deſuetudinem, *l. 2. C. de ped. jud.* omniaque judicia Extraordinaria facta ſunt; *§. ult. I. h. t.* ut ab Actionibus incipere jam liceat. *d. §. ult. I. h. t.*

§. 5. Unde *Interdicta* jure novo nihil ſunt aliud, quam *Extraordinariæ Actiones, quibus de Poſſeſſione vel Quaſi Poſſeſſione maxime agitur. Inſcr. h. t. pr. §. ult. I. l. 2. §. 2. D. h. t.*

§. 6. Introducta ſunt *Interdicta* tum ob utilitatem, tum ob neceſſitatem; quia in hiſce controverſiis ultra jurgium ſæpe proceditur, & manibus non temperatur, ut celerrime componi debeant. v. *l. 13. §. 3. D. de uſufr.*

§. 7. Dantur *maxime* de *cauſa Poſſeſſionis*, vel *Quaſi poſſeſſionis*; *pr. I. h. t.* ſunt enim quædam, quæ etiam cauſam *proprietatis* continent, veluti de *Itinere Actuque privato*, quæ *de Locis Sacris* & *Religioſis* proponuntur, *de Liberis exhibendis*: *l. 2. §. 2. D. h. t. l. 1. §. 1.* D. *de mort. inf. l. 1. §. 1. de lib. exhib.* ut & *de Aqua quotidiana* & *æſtiva. l. 1. §. ult.* D. *de aq. quot. & æſtiv.*

§. 8.

§. 8. Dantur autem de rebus tum *Divinis* tum *Humanis*. *l. 1. pr. l. 2. §. 1. D. h. t.*

§. 9. De *Divinis* ut *de Locis Sacris*, vel *de Locis Religioſis*. *d. l. 1. pr. d. l. 2. §. 1.*

§. 10. De *Humanis* vel *Nullius*, vel *Alicujus*. *d. l. 1. pr.*

§. 11. *Nullius* ſunt liberæ perſonæ, de *quibus Exhibendis* & *Ducendis Interdicta* competunt. *d. l. 1. pr.*

§. 12. *Alicujus* ſunt aut *Publicæ*, aut *Singulorum*. *d. l. 1. pr.*

§. 13. *De Publicis* dantur, veluti *de Locis Publicis*, *de Viis*, *deque Fluminibus publicis*. *d. l. 1. pr.*

§. 14. *Res Singulorum* vel ad *Univerſitatem* pertinent, de quibus eſt Indictum *Quorum bonorum*; vel ad *res Singulas*, de quibus eſt v. c. *Interdictum Uti poſſidetis*, *de Itinere Actuque privato*. *d. l. 2. pr.* D. *h. t.*

§. 15. Porro Interdicta dividi poſſunt, *I.* Quod ſint vel *in Rem* vel *in Perſonam*. arg. *§. 1. I. de act.*

§. 16. *Interdicta in Rem* ſunt, *quæ deſcendunt ex jure in re*; qualia ſunt *Quorum bonorum*, quod oritur ex jure hereditatis; & *Salvianum*, quod oritur ex jure pignoris; nec non *Uti poſſidetis* & *Utrubi*, quæ deſcendunt ex jure poſſeſſionis. Non obſt. *l. 1. §. 3. D. h. t.*

§. 17. *In Perſonam* vero, *quæ oriuntur ex Obligatione*, uti *Interdictum Unde vi*, quod oritur ex delicto.

§. 18. *II.* Quod ſint vel *Exhibitoria*, vel *Prohibitoria*, vel *Reſtitutoria*, vel *Mixta*. *l. 1. §. 1.* D. *h. t.*

§. 19. *III.* Quod ſint vel *in Præſentes*, ut *Uti poſidetis*; vel *in Præteritum*, ut *de Itinere Actuque*, de *Aqua æſtiva*. *l. 1. §. 2. D. h. t.*

§. 20. *IV.* Quod quædam ſint *Annalia*, quæ ſcil. ex delicto ſunt; quædam *Perpetua*, quæ rei perſecutionem continent. *l. 1.* §. *ult. D. h. t. l. 35. D. de O. & A.*

§. 21. *V.* Quod ſint vel *Simplicia*, qualia ſunt omnia *Exhibitoria*, *Reſtitutoria*, & *Prohibitoria*; vel Duplicia, qualia ſunt *Uti poſſidetis*, & *Utrubi*, *l. 2. pr. D. h. t. §. pen. I. h. t.*

§. 22. *VI.* Quod ſint aut *Apiſcendæ Poſſeſſionis*, aut *Retinendæ*, aut *Recuperandæ*. *l. 2. §. 3. D. §. 2. I. h. t.*

§. 23. *Apiſcendæ Poſſeſſionis* ſunt vel *Prætoria* vel *Imperialia*.

§. 24. *Prætoria* ſunt, quæ Prætorem auctorem habent, *Quorum Bonorum*, *Salvianum*, *Quod Legatorum*, *de Itinere quo venditor uſus eſt*, *de Tabulis exhibendis*, & *de Glande legenda*, *l. 2. §. 3.* D. *§. 3. I. h. t.*

§. 25. *Imperialia*, quæ ex Imperatorum Conſtitutionibus proficiſcuntur, uti *Interdicta* ex *l. 3. C. de pignor.* & ex *l. ult. C. de Ed. Div. Hadr. toll.*

Digitized by Google

§. 26. *Retinendæ Poſſeſſionis* ſunt *Uti poſſidetis, Utrubi, l. 2. §. 3.* D. *§. 4. I. h. t. de Operis novi nunciatione, de Superficiebus de Arboribus cadendis, Quod vi aut clam, & de Migrando.*

§. 27. *Recuperandæ Poſſeſſionis* ſimiliter ſunt *Prætoria*, vel *Imperialia.*

§. 28. *Prætoria ſunt Unde Vi, de Precario, & Fraudatorium, l. 2. §. ult. D. §. 6. I. h. t. l. 67. §. 1.* D. *ad SCt. Treb. l. 69. D. de ſol.*

§. 29. *Imperialia* vero ſunt *Interdicta* ex *l. 5. 6. 7. 8. l. pen. & ult. C. unde vi, l. 1. C. ſi per vim, l. ult. C. de acq. poſſ.*

TITULUS II.

QUORUM BONORUM. C. VIII, 2.

§. 1.

Sed de ſingulis *Interdictis* paulo accuratius videndum.

§. 2. Et quidem *ad Univerſitatem* pertinet *I. Interdictum Quorum bonorum, l. 1. pr. D. de interd.*

§. 3. Ait Prætor: „*Quorum bonorum ex Edicto meo illi poſſeſſio data eſt:* „*Quod de his bonis pro herede aut pro poſſeſſore poſſides, poſſideresve, ſi nihil uſucaptum eſſet: quod quidem dolo malo feciſti, uti deſineres poſſidere, id illi reſti-* „*tuas.*„ *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 4. Eſt itaque *Interdictum Quorum Bonorum* (a prioribus verbis Interdicti ſic vocatum, arg. *l. 1. §. 1.* D. *h t.*) *Interdictum in Rem, Adipiſcendæ poſſeſſionis, quod datur Bonorum Poſſeſſori; Contra eum, qui pro herede vel poſſeſſore poſſidet; Ad conſequendam poſſeſſionem rerum hereditariarum.*

§. 5. Dicitur hoc Interdictum *in Rem*; quia naſcitur ex jure *Bonorum Poſſeſſionis*, ſeu hereditate Prætoria.

§. 6. *Adipiſcendæ poſſeſſionis; l. 1. §. 1. D. h. t. §. 3. I. de interdict.* quia ei tantum utile eſt, qui nunc primum conatur adipiſci poſſeſſionem. Si quis enim adeptus poſſeſſionem amiſerit eam, hoc *Interdictum* ei inutile eſt, *d. §. 3. I. de interdict.*

§. 7. *Quod datur Bonorum Poſſeſſori*; i. e. cui ex Edicto Prætoris *Bonorum Poſſeſſio*, ſeu hereditas Prætoria, data eſt. *l. 1. pr. D. h. t.* junct. *l. 2.* D. *de bon. poſſ. l. 2. D. de poſſ. hered. pet.*

§. 8. *Contra eum, qui pro herede vel poſſeſſore poſſidet. l. 1. pr.* D. *h. t. §. 3. I. de interd.*

§. 9. *Pro Herede* autem *poſſidere* dicitur, qui putat ſe heredem eſſe; *Pro Poſſeſſore* vero is poſſidet, qui nullo jure rem hereditariam, vel etiam totam hereditatem, ſciens ad ſe non pertinere, poſſidet. *§. 3. I. de interd. l. 11. pr. §. 1. l. 12. 13. pr. D. de hered. pet.*

§. 10.

§. 10. *Ad conſequendam poſſeſſionem rerum hereditariarum. l. 1. pr. D. h. t. §. 3. I. de interdict.*

§. 11. Simile huic Interdicto eſt *Remedium l. ult. C. de Edict.* D. *Hadr, toll.* quo ſcriptus heres, in teſtamento nullo vitio viſibili laboranti, petit, ut mittatur in poſſeſſionem hereditatis,

TITULUS III.

QUOD LEGATORUM. C. VIII. 3.

§. 1.

II. I*nterdictum Quod Legatorum*, de quo Prætor ſic edixiſſe videtur: *Quod Legatorum nomine poſſides, aut dolo deſiiſti poſſidere, non ex voluntate ejus, ad quem ea res pertinet, ſi ſatisdatum ſit, aut per Bonorum Poſſeſſorem non ſtet, ut ſatisdetur, id illi reſtituas.* arg. *l. 1. pr.* § *2. 7. 11. 16.*

§. 2. Ait Prætor, *quod Legatorum nomine poſſides*; *Legatorum nomine poſſidet*, qui pro legato poſſidet: *l. 1. §. 2. 4. 6. 8. 9. D. h. t.* ſive ipſe poſſideat, ſive heres ejus, cæterique ſucceſſores. *d. l. 1. §. 10.*

§. 3. *Aut dolo deſiiſti poſſidere;* i. e. facultatem reſtituendi deſiiſti habere. *l. 1. §. 7. D. h. t.*

§. 4. *Non ex voluntate ejus, ad quem ea res pertinet;* etenim æquiſſimum Prætori viſum eſt, unumquemque non ſibi ipſi jus dicere occupatis legatis, ſed ab herede petere. *l. 1. §. 2. D. h. t.* v. *§. 1. I. de legat.*

§. 5. Unde, ſi poſt aditam hereditatem, vel bonorum poſſeſſionem agnitam, voluntas accommodata eſt Legatario, *Interdictum* ceſſat. *l. 1. §. 11, 12, 14. 15.* D. *h. t.*

§. 6. *Si ſatisdatum eſt:* & perſeveret ſatisdatum: ſi enim non perſeveret cautum, mittitur Legatarius in poſſeſſionem Legatorum ſervandorum cauſa. *l. 1. §. 16.*

§. 7. *Satisdatum* autem videtur, ſi ſic ſatisdatum ſit, ut Legatario vel ipſo jure adquiſita ſit idonea cautio, vel per mandati actionem acquiri poſſit. *l. 1, §. 17. D. h. t.*

§. 8. *Aut per Bonorum Poſſeſſorem non ſtet, ut ſatisdetur;* i. e. ſi paratus ſit ſatisdare: non enim offerre debet ſatisdationem, ſed ſatis petenti moram non facere. *l. 2. §. 1.*

§. 9. Unde ſi per Legatarium factum ſit, quo minus ſatisdetur, licet cautum non ſit, tenetur *Interdicto.* Sed ſi forte factum ſit per Legatarium, quo minus ſatisdetur, eo autem tempore, quo editur *Interdictum*, ſatis accipere paratus ſit, non competit *Interdictum*, niſi ſatisdatum ſit. Quemadmodum &, ſi per bonorum poſſeſſorem ſtetit, quo minus ſatisdaret, ſed modo paratus eſt cavere,

vere, tenet *Interdictum.* Illud enim tempus inſpicitur, quo *Interdictum* editur. *l. 2. §. ult.* D. *h. t.*

§. 10. *Id illi reſtituas. l. 1. §. 2. D. l. un. C. h. t.* Vel id quod intereſt. *l. 2. §. 2.* D. *h. t.*

§. 11. Eſt itaque Interdictum *Quod Legatorum* (quod ſimiliter a prioribus verbis Edicti ſic dictum eſt) *Interdictum in perſonam, Adipiſcendæ poſſeſſionis; l. 1. §. 1.* D. *h. t. quod datur heredi, Bonorumve poſſeſſori, qui ſatisdedit; Adverſus quemlibet, legatorum nomine, rem hereditariam, ſine voluntate heredis, occupantem; Ad hoc, ut eam* (ob Legem ſcil. Falcidiam) *reſtituat, vel in id quod intereſt condemnetur. l. 1. §. 2. l. 2. §. 2. D. l. un. C. h. t.*

TITULUS IV.

NE VIS FIAT EI, QUI IN POSSESSIONEM MISSUS ERIT.

§. 1.

III. Interdictum *ne vis fiat ei, qui in poſſeſſionem miſſus eſt,* de quo ſic ait Prætor: „*Si quis dolo malo fecerit, quo minus quis permiſſu meo, ejusve, cujus „ea jurisdictio fuit, in poſſeſſionem bonorum ſit, in eum in factum judicium, quanti „ea res fuit, ob quam in poſſeſſionem miſſus erit, dabo.*„ *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 2. Quod *Interdictum* ſumma providentia Prætor propoſuit; fruſtra enim in poſſeſſionem mitteret rei ſervandæ vel alterius cauſa, niſi miſſos tueretur, & prohibentes venire in poſſeſſionem coërceret. *l. 1. §. 1. 2. D. h. t.*

§. 3. Eſt autem hoc *Interdictum in Perſonam,* arg. *l. 1. pr. §. 8. D. h. t.* tum *Adipiſcendæ,* tum *Retinendæ,* tum *Recuperandæ poſſeſſionis; l. 1. pr. §. 1. 3.* D. *h. t.* ut & aliquando *Prohibitorium & Reſtitutorium. l. 2. §. 2.* D. *h. t.*

§. 4. *Quod datur in poſſeſſionem miſſo,* ſive rei ſervandæ cauſa, ſive legatorum, ſive ventris nomine; *l. 1. §. 2.* ejusque heredi. *l. 1. §. 8. D. h. t.*

§. 5. *Contra eum, qui dolo malo facit, quo minus miſſus quiete poſſideat. l. 1. pr. §. 1. l. 2. §. 1. D. h. t.*

§. 6. Non contra heredes; niſi quis legatorum vel fideicommiſſorum cauſa miſſus ſit, vel aliquid ad eos pervenerit. *l. 1. §. ult. D. h. t.*

§. 7. *Ad id quanti ea res erit, ob quam in poſſeſſionem erit.* i. e. quanti ejus intereſt poſſeſſionem habere. *l. 1. pr. §. 5. D. h. t.*

§. 8. Plane non tantum hoc *Interdictum* miſſo conceditur, ſed & quandoque a Prætore etiam per manum militarem in poſſeſſionem inducitur. *l. 3. pr.* D. *h. t.* v. *l. 68.* D. *de R. V. l. 1. §. 2.* D. *ſi ventr. nom.*

TITU-

TITULUS V.

De Tabulis Exhibendis.

C. VIII 7.

§ 1.

IV. *Interdictum de Tabulis exhibendis*, de quo Prætor ita edixit: „Quas Tabu„las Lucius Titius ad cauſam Teſtamenti ſui pertinentes reliquiſſe dice„tur, ſi hæ penes te ſunt, aut dolo malo tuo factum eſt, ut deſinerent eſſe; ita „eas illi exhibeas. Item ſi libellus, aliudve quid relictum eſſe dicetur, decreto „comprehendam.„ *l. 1. pr.* D. *h. t.*

§. 2. Ait Prætor, „*Quas Tabulas Lucius Titius ad cauſam Teſtamenti ſui* „*pertinentes;*„ hoc enim *Interdictum* pertinet non tantum ad teſtamenti tabulas, verum ad omnia, quæ ad cauſam teſtamenti pertinent, ut puta & ad codicillos. *l. 1. §. 2. 5. D. h. t.*

§. 3. Sive autem valeat teſtamentum, ſive non; ſive ſupremæ tabulæ ſint, ſive non ſint; ſive plures tabulæ ſint, ſive non ſint, nihil intereſt. *l. 1. §. 3. 4. 5. 6. ult. l. 2. 3. pr. §. 1.* D. *h. t.*

§. 4. „*Reliquiſſe dicetur;*„ ad vivi enim tabulas hoc Interdictum non pertinet. *l. 1. §. 10. D. h. t.*

§. 5. „*Si hæ penes te ſunt;*„ quacunque ratione, etiam ſi apud te ſint depoſitæ. *l. 3. §. 2. 3. D. h. t.*

§. 6. „*Aut dolo malo tuo factum eſt, ut deſinerent eſſe;*„ ſi quis enim dolo malo fecerit, quo minus penes eum tabulæ eſſent, nihilominus hoc *Interdicto* tenebitur. *l. 3. §. 6. D. h. t.*

§. 7. „*Ita eas illi exhibeas.*„ *Exhibere* eſt materiæ ipſius apprehendendæ copiam facere. *l. 3. §. 9. D. h. t. l. 2.* D. *ad exhib.*

§. 8. Exhibere autem apud Prætorem oportet, ut auctoritate ejus ſignatores admoniti ad recognoſcenda ſigna veniant. *l. 3. §. 9. D. h. t.*

§. 9. Eſt itaque hoc *Interdictum Exhibitorium*, *l. 3. §. 7.* D. *h. t. in Perſonam;* arg. *l. 4.* D. *h. t. Competens omnibus, qui quid in teſtamento adſcriptum habent, l. 3. §. 10. D. h. t. l. un. C. h. t. corumque heredibus; l. 3. §. ult. D. h. t. Contra tabularum detentores, qui negant ſe exhibere poſſe, vel oportere; l. 1. §. 1. D. h. t. Ad tabulas, ad cauſam teſtamenti pertinentes, exhibendas, l. 1. pr. l. 3. §. 8. 9, D. h. t. vel id quod intereſt.* v. *l. 3. §. 11. & ſeqq.* D. *h. t.*

§. 10. Adeo ut, ſi quis æſtimationem legata ab extraneo acceperit, legatum nihilominus ab herede petere poſſit; ſi vero ab herede æſtimationem acceperit, non item. *l. 3. §. 15. D. h. t.*

§. 11. Quod ſi vero hereditatis controverſia ex tabulis pendeat, aut ad publicam quæſtionem pertineat, huic *Interdicto* locus non eſt. *l. ult. D. h. t.*

TITULUS VI.

NE QUID IN LOCO SACRO FIAT.

§. I.

Interdicta vero, quæ ad *Res Singulas* pertinent, competunt *de rebus, vel Divini,* vel *Humani juris. l. 1. pr.* D. *de interdict.*

§. 2. D*e rebus Divini juris* competit *Interdictum* de *Locis Sacris, Religioſis,* vel *Sanctis. l. 1. pr. D. de interdict.*

§. 3. De *Locis Sacris* ait Prætor: „*In loco ſacro facere, inve eum immittere* „*quid, veto. l. 1. pr.* D. *h. t.*

§. 4. Quod tamen non ad hoc pertinet, quod ornamenti cauſa fit, ſed quod deformitatis vel incommodi. *l. 1. §. 2. D. h. t.*

§. 5. Quemadmodum autem in *locis Sacris,* ſic & in *muris,* itemque *portis,* & aliis *Sanctis locis,* (quæ quodammodo divini juris ſunt, *§. 10. I. de R. D.*) aliquid facere, ex quo damnum vel incommodum irrogetur, non permittitur. *l. 2.* D. *h.* t.

TITULUS VII.

DE LOCIS, ET ITINERIBUS PUBLICIS.

§. I.

Quæ *de Rebus Humani Juris* competunt, ſpectant vel *ad res Publicas,* vel *Privatas. l. 1. pr.* D, *de interd.*

§. 2. Ad *res Publicas* ſpectat *I. Interdictum de Locis & Itineribus publicis;* quod *datur cuivis ex populo, ad id, ut locis & viis, ſeu itineribus publicis, uti liceat. l. 1.* D. *h. t* Adeo, ut hoc jus non utendo amitti nequeat. *l. 2.* D. *de via publ. & itin. publ.*

§. 3. Sunt autem *Viæ Publicæ,* ſeu *Regiæ. Prætoriæ, & Conſulares, quarum ſolum publicum eſt, relictum ac directum certis finibus latitudinis, ab eo, qui jus publicandi habuit, ut ea publice iretur, commearetur. l. 2. §. 21. 22.* D. *ne quid in loc. publ.*

§. 4. Quarum numero & *Vicinales* ſunt, ſi non ex collatione privatorum conſtitutæ ſint; *d. l. 2. §. 22.* vel earum non extet memoria. *l. 3. pr. D. h. t.*

§. 5. *Viæ* vero *Privatæ* ſunt, *quarum ſolum alienum eſt, d. l. 2. §. 21.* quæque vel ex ſervitute debentur, vel a *Via Regia* aut *Conſulari* ad agros ducunt. *d. l. 2. §. 23.*

TITU-

TITULUS VIII.

Ne Quid In Loco Publico, Vel Itinere Fiat.

§. 1.

I. *Interdictum, ne quid in Loco Publico, vel Itinere fiat;* v. *l. 6.* D. *h. t.* cujus IV. hic exhibentur capita.

§. 2. *Primo capite* Prætor ait; „Ne quid in loco publico facias, inve eum „locum immittas, qua ex re quid illi damni detur: præterquam quod Lege, Se„natusconſulto, Edicto, Decretove Principum tibi conceſſum eſt: de eo, quod „factum erit, Interdictum non dabo. *l. 2. pr.* D. *h. t.*

§. 3. Quod interdictum *Prohibitorium* eſt, & tam publicis utilitatibus, quam privatorum proſpicit; quia loca publica uſibus etiam privatorum jure Civitatis deſerviunt. *l. 2.* §. *1. 2.* D. *h. t.*

§. 4. Sunt autem *Loca Publica*, *quæ publico uſui deſtinata ſunt; l. 2. §. 3. 5.* D. *h. t.* qualis eſt area, inſula, ager, via, iterque publicum. *d. l. 2. §. 3.* D. *h. t.*

§. 5. Merito vero ait Prætor, „*Qua ex re quid illi damni detur;*„ nam quotieſcumque aliquid in publico fieri permittitur, ita oportet permitti, ut ſine injuria cujuſquam fiat: & ita ſolet Princeps, quoties aliquid novi operis inſtituendum petitur, permittere. *l. 2. §. 10.* D. *h. t.* v. *l. 2. D. de his qui ſunt ſui vel al. jur. §. 2. I. eod.*

§. 6. *Damnum autem pati videtur*, qui commodum amittit, quod ex publico conſequebatur, quale quale ſit. *l. 2. §. 11.* D. *h. t.*

§. 7. *Secundo capite* ait Prætor; „*In via publica itinereve publico facere, im„mittere quid; quo ea via, idve iter deterius ſit, fiat; veto.*„ *l. 2. §. 20. D. h. t.*

§. 8. *Viam publicam* eam dicimus, cujus ſolum publicum eſt. *l. 1. §. 21. D. h. t.* v. ſupr. ad *t. de loc. & itin. publ. §. 3.*

§. 9. Pertinet autem hoc *Interdictum* tantum ad *vias Ruſticas*, non *Urbicas;* quarum cura pertinet ad Magiſtratus, *l. 2. §. 24. D. h. t.*

§. 10. Et tum demum locum habet, ſi eo, quod fit, vel immittitur, via, iterve deterius fiat; ſive ſtatim, ſive poſtea. *l. 2, §. 31.* D. *h. t.*

§. 11. *Deteriorem* autem *viam fieri* ſic accipiendum eſt, ſi uſus ejus ad commeandum corrumpatur, *l. 2.* §. *32. D. h. t.*

§. 12 Eſt vero hoc *Interdictum* perpetuum & populare; condemnatioque ex eo facienda, quanti Actoris intereſt. *l. 2.* §. *34. D. h. t.*

§. 13. *Tertio capite* ait Prætor: „*Quod in via publica, itinere publico fa„ctum, immiſſum habes; quo ea via, idve iter deterius ſit, fiat; reſtituas.*„ *l. 2. §. 35.* D. *h. t.*

§. 14. Quod Interdictum *Reſtitutorium* eſt, *l. 2. §. 36.* D. *h. t.* & non contra eum locum habet, qui fecit, ſed *qui factum habet*, i. e. qui utitur, & jure poſſeſſionis fruitur: *l. 2.* §. *37. 38.* D. *h. t.* ut & *contra eum, qui dolo fecit, quo minus poſſideret, vel haberet; l. 2. §. 42. D. h. t. ad id quod factum* eſt *reſtituendum*, i. e. in priſtinum ſtatum reducendum, *l. 2. §. 43.* D. *h. t.* vel *id, quod Actoris intereſt. l. 2. §. 44. D. h. t.*

§. 15. *Quarto* vero *capite* Prætor ait: „Quo minus illi via publica, itine„reve publico ire, agere liceat; vim fieri veto.„ *l. 2. §. ult. D. h. t.*

TITULUS IX.

De Loco Publico Fruendo.

§. 1.

III. I*nterdictum de Loco Publico fruendo;* de quo Prætor ſic edixit: „Quo minus „loco publico; quem is, cui locandi jus fuerit, fruendum alicui locavit; „ei, qui conduxit, ſociove ejus, e lege locationis, frui liceat; vim fieri veto.„ *l. 1. pr. §. 3. D. h. t.*

§. 2. Quod Interdictum publicæ utilitatis cauſa proponi palam eſt; tuetur enim Vectigalia publica, dum prohibetur quis vim facere ei, qui id fruendum conduxit. *l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 3. Sed merito ait Prætor, *Quo minus e lege locationis frui liceat;* ultra legem enim, vel contra legem, non debet audiri, qui frui deſiderat. *l. 1. §. 3.* D. *h. t.*

TITULUS X.

De Via Publica, Et Si Quid In Ea Factum Esse Dicatur.

§. 1.

IV. I*nterdictum de Via Publica*, ſcil. Urbana. *l. un. pr. D. h. t.*

§. 2. Quod propoſitum eſt ab Ædilibus Curulibus, (quorum erat, vias Urbanas, & quæ ſecundum Civitates ſunt, curare, *d. l. un. pr. l. 12. D. de peric. & comm. rei vend.)* & partim *Prohibitorium* eſt, partim *Reſtitutorium*.

§. 3. Prohibet enim, ne quis viam publicam effodiat, ſubruat, vel in iis aliquid conſtruat, *l. un. §. 2. D. h. t.* neve quis in eam ſtercora, morticina, pelles, ſimiliave projiciat: *l. un. §. 4. 5. D. h. t.* & ſi quis contra fecerit, ea reſtitui jubet, *d. l. un. §. 2.* D. *h. t.*

TITU-

Digitized by Google

TITULUS XI.

De Via Publica, Et Itinere Publico Reficiendo.

§. 1.

V. **I***nterdictum de Via publica, & Itinere publico reficiendo;* de quo Prætor ait: „Quo minus illi viam publicam, iterve publicum aperire, reficere liceat; „dum ne ea via, idve iter deterius fiat; vim fieri veto. „ *l. 1. pr.* D. *h. t.*

§. 2. *Viam aperire* eſt, ad veterem altitudinem latitudinemque reſtituere. Sed & *purgare* refectionis portio eſt. *Purgari* autem proprie dicitur ad libramentum proprium redigere, ſublato eo, quod ſuper eam eſſet. *Reficit* enim, qui aperit, & qui purgat, & omnes omnino, qui in priſtinum ſtatum reducunt. *l. 1. §. 1.* D. *h. t. l. 1. §. 6. D. de riv.* v. infr. *ad d. t. §. 7. & ad t. de itin. act. priv. §. 7.*

§. 3. Plane, qui reficit, ita reficere debet, ne viam deteriorem faciat; ſi quis enim in ſpecie refectionis deteriorem viam faciat, impune vim patietur. *l. 1. §. 2. l. ult. §. 1.* D. *h. t.*

§. 4. *Interdictum* autem hoc perpetuo datur, & omnibus, & in omnes, & habet condemnationem in id quod Actoris intererit. *l. 1. §. ult.* D. *h. t.*

TITULUS XII.

De Fluminibus, Ne quid In Flumine Publico, Ripave Ejus Fiat, Quo Pejus Navigabitur.

§. 1.

VI. **I***nterdictum de Fluminibus;* quod *Probibitorium* eſt, & *Reſtitutorium. l. 1. §. 20. D. h. t.*

§. 2. *Probibitorium* ita conceptum eſt: „Ne quid in flumine publico, ri„pave ejus facias: ne quid in flumine publico, neve in ripa ejus immittas; quo „ſtatio iterve navigio deterior ſit, fiat.„ *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 3. Ait Prætor, „*Ne quid in flumine publico;*„ *Flumen* a *Rivo* magnitudine diſcernendum eſt, aut exiſtimatione circumcolentium. *l. 1. §. 1.* D. *h. t.*

§. 4. Sunt autem *Flumina I.* Quædam *Perennia*, quæ ſemper fluunt: quædam *Torrentia*, quæ tantum hyeme fluunt. *l. 1. §. 2. D. h. t.*

II. Quædam *Publica;* (ad quæ ſola hoc *Interdictum* pertinet; *l. 1. §. 4. D. h. t.*) quædam *Privata. l. 1. §. 3. l. 3. pr.* D. *h. t.*

III. Quædam *Navigabilia*, quædam *Non Navigabilia. l. 1. §. 12. & 18. D. h. t.*

§. 5. „*Ripave ejus;*„ *Ripa* eſt, *quod flumen continet, cum eſt pleniſſimum, naturalem ſui curſus rigorem tenens. l. 1. §. 5. l. 3. §. 1. D. h. t.* Neque ſolum

 labrum

labrum accipiendum, quod aquam tangit, ſed omne id, unde a plano incipit vergere ad flumen. *l. 3. §. 2. D. h. t.*

§ 6. „*Facias;*„ *In flumine publico factum* accipere debemus, quicquid in aqua fiat: nam, ſi quid extra factum ſit, non eſt in flumine factum. *l. 1. §. 11. D. h. t.*

§. 7. „*Ne quid in flumine publico, neve in ripa ejus immittas; quo ſtatio „iterve navigio deterior ſit, fiat.*„ Non enim omne, quod in flumine publico ripave fit, coërcet Prætor, ſed ſi quid fiat, quo deterior ſtatio & navigatio fiat. *l. 1. §. 12. 14. D. h. t.*

§. 8. *Deterior* autem *ſtatio, itemque iter navigio fieri videtur,* ſi uſus ejus corrumpatur, vel difficilior fiat, aut minor, vel rarior, aut ſi in totum auferatur. *l. 1. §. 15.* D. *h.t.*

§. 9. *Stationem* vero dicimus a *Statuendo,* i. e. eum locum, ubicunque naves tuto ſtare poſſunt, *l. 1. §. 13. D. h. t.*

§. 10. Quod ſi non in flumine, ſed in *mari* aliquid fiat, non quidem directum, ſed *Utile Interdictum* locum habet, *Ne quid in mari, inve litore, quo portus, ſtatio, iterve navigio deterius fiat. l. 1. §. 17. D. h. t.*

§. 11. *Interdictum* vero *Reſtitutorium* ita habet: „*Quod in flumine publico, „ripave ejus fiat: ſive quid in id flumen, ripamve ejus, immiſſum habes; quo „ſtatio iterve navigio deterior ſit, fiat, reſtituas.*„ *l. 1. §. 19. D. h. t.*

§. 12. Quod non contra eum competit, qui fecit, vel immiſit, ſed eum, qui factum vel immiſſum habet. *l. 1. §. ult. D. h. t.*

§. 13. Et tum demum locum habet, ſi id, quod factum vel immiſſum habet, ſtationem, vel navigium deterius faciat, *l. 1. §. 21. D. h. t.*

TITULUS XIII.

NE QUID IN FLUMINE PUBLICO FIAT, QUO ALITER AQUA FLUAT, ATQUE UTI PRIORI ÆSTATE FLUXIT.

§. 1.

VII. **I***nterdictum, Ne quid in flumine publico fiat, quo aliter aqua fluat, atque uti priori æſtate fluxit;* quod ſimiliter *Prohibitorium* eſt, & *Reſtitutorium. l. un. §. 12. D. h. t.*

§. 2. *Prohibitorii* verba hæc ſunt: „In flumine publico, inve ripa ejus facere, aut in id flumen ripamve ejus immittere; quo aliter aqua fluat, quam „priore æſtate fluxit; veto.„ *l. un. pr. D. h. t.*

§. 3. Quo Interdicto proſpexit Prætor, ne derivationibus minus conceſſis flumina exareſcant, vel mutatus alveus vicinis injuriam aliquam afferat, *l. un. §. 1.* D. *h. t.*

§. 4. Ait

Digitized by Google

§. 4. Ait Prætor, „*In flumine publico;*„ ſive navigabile ſit, ſive non ſit. *l. un.* §. 2. *D. h. t.*

§. 5. „*Inve ripa ejus facere, aut in id flumen ripamve ejus immittere, quo* „*aliter aqua fluat;*„ non enim omnis, qui immiſit, vel qui fecit, tenetur, ſed qui, cum jus non haberet, faciendo vel immittendo efficit, ut *aliter aqua fluat*, i. e. aquæ curſus mutetur, dum depreſſior vel arctior fiat aqua, cum incommodo accolentium. *l. un.* §. *3. & ſeqq.* D. *h. t.*

§. 6. „*Quam priore æſtate fluxit.*„ *Æſtas* ad Æquinoctium autumnale refertur *l. un. §. 8. D. h. t.* add. *l. 1. §. 32. D. de aq. quot.* & infr. *ad d. t. §. 13.*

§. 7. *Æſtatis* autem facit mentionem Prætor, qui ſemper certior eſt naturalis curſus fluminis æſtate potius, quam hyeme: & quidem *prioris*, quia iſtius æſtatis fluxus indubitatior eſt. *l. un. §. 8.* D. *h. t.*

§. 8. *Reſtitutorium* vero ita habet: „*Quod in flumine publico, Ripave ejus factum: ſive quid in flumen ripamve ejus immiſſum habes; ſi ob id aliter aqua fluit, atque uti priore æſtate fluxit; reſtituas.*„ *l. un. §. 11.* D. *h. t.*

§. 9. Quod ut & ſuperius populare eſt; *l. un. §. 9.* D. *h. t.* & non tantum contra eum competit, qui factum vel immiſſum habet, ſed & cujus dolo malo factum eſt, quo minus haberet. *l. un. §. ult. D. h. t.*

TITULUS XIV.

Ut In Flumine Publico Navigare Liceat.

§. 1.

VIII. Interdictum, *Ut in flumine publico navigare liceat;* de quo Prætor ita edixit: „Quo minus illi in flumine publico navem, ratem agere; quo„ve minus per ripam onerare, exonerare liceat; vim fieri veto. Item, ut per „lacum, foſſam, ſtagnum publicum navigare liceat; interdicam.„ *l. un. pr.* D. *h. t.*

§. 2. Quo *Interdicto* proſpicitur, nequis in flumine publico navigare prohibeatur, ſicuti enim ei, qui via publica uti prohibetur, *Interdictum* ſupra propoſitum eſt, ita hoc quoque proponendum Prætor putavit. *l. un. §. 1.* D. *h. t.*

§. 3. *Lacus* autem eſt, *quod perpetuam habet aquam. l. un. §. 3.* D. *h. t.*

§. 4. *Stagnum, quod temporalem continet aquam ibi ſtagnantem;* quæ quidem aqua plerumque hyeme cogitur. *l. un. §. 4 D. h. t.*

§. 5. *Foſſa* vero, *receptaculum aquæ manu factum. l. un. §. 5. D. h. t.*

§. 19. Quod & ad Publicanos, qui *lacum* vel *ſtagnum* conduxerunt, ſi piſcari prohibeantur, extenditur. *l. un. §. 7. D. h. t.*

TITU-

TITULUS XV.

DE RIPA MUNIENDA.

§. 1.

IX. Interdictum de Ripa munienda; quod ita conceptum eſt: „Quo minus illi „in flumine publico, ripave ejus opus facere, ripæ, agrive, qui circa ri„pam eſt, tuendi cauſa, liceat; dum ne ob id navigatio deterior fiat; ſi tibi da„mni infecti in annos decem, viri boni arbitratu, vel cautum, vel ſatisdatum eſt; „aut per illum non ſtat, quo minus viri boni arbitratu caveatur, vel ſatisdetur; „vim fieri veto.„ *l. un. pr.* D. *h. t.*

§. 2. Quod *Interdictum* ſummam rationem habet; Ripas enim fluminum publicorum reficere, munire, utiliſſimum eſt. Sicuti igitur *de Via Publica reficienda* Interdictum propoſitum eſt, ita etiam *de Ripa fluminis munienda* proponendum fuit. *l. un.* §. *1.* D. *h. t.*

§. 3. Licet autem *de Ripa lacus, foſſæ, ſtagni, munienda*, nihil nominatim Prætor caveat, idem tamen in ea etiam obſervandum eſt. *d. l. un. §. ult.*

TITULUS XVI.

DE VI, ET DE VI ARMATA. C. VIII. 4. 5.

§. 1.

Interdicta quæ ad *Res privatas* pertinent, vel ratione *Rerum immobilium* locum habent, vel *Jurium* ſeu *Incorporalium* vel *Mobilium.*

§. 2. Ratione *Rerum Immobilium* competit *I. Interdictum De Vi, h. t. l. 17. D. de A. v. A. poſſ.* ſeu *Unde Vi, l. 1. §. 42. l. 5. 6. 12. 16. & 18. D. h. t. §. 6. I. de interdict.*

§. 3. De quo Prætor ſic edixit: „Unde tu illum vi dejeciſti, aut familia „tua dejecit; de eo, quæque ille tunc ibi habuit, tantummodo intra annum; „poſt annum de eo, quod ad eum, qui vi dejecit, pervenerit, judicium dabo.„ *l. 1. pr. D. h. t.* add. Cic. *pro Cæcin. c. 19.*

§. 4. Ait Prætor, „*Unde*;„ v. Cic pro *Cæcin. c. 30. 31.* i. e. ex quo fundo, aliave qua re immobili, *l. 1. §. 3. 4. 5. & 8. D. h. t.* vel quæ pro immobili habetur. *l. 9. §. 1. D. h. t.* Ad res mobiles enim hoc *Interdictum* non pertinet, de quibus vel *Actio Furti* vel *Vi bonorum raptorum* competit. *l. 1.* §. *6.* 7. *D. h. t.*

§. 5. „*Tu illum vi dejeciſti*;„ hoc enim *Interdictum* non ad omnem vim pertinet, verum ad eos tantum, qui de poſſeſſione dejiciuntur. *l. 1. §. 3. D. h. t.*

§. 6. *Dejici* autem dicitur is, qui poſſidet: ſive civiliter, ſive naturaliter, *l. 1. §. 9. 10. & 26. D. h. t.* ſive animo, ſive corpore, *l. 1.* §. *22. & 24. D. h. t.* ſive juſte, ſive injuſte poſſideat. *l. 1. §. 30. D. h. t. §. 6. I. de interdict.*

§. 7.

§. 7. *Dejicere* vero videtur non tantum, qui ipſe fecit, ſed & qui mandavit, vel juſſit, ut aliquis dejiceretur; parvi enim referre viſum eſt, ſuis manibus quis dejiciat, an vero per alium. *l. 1. §. 12. D. h. t. l. 152. §. 1. D. de R. J.*

§. 8. Quo caſu, ſi quidem verus Procurator dejecerit, cum utrolibet, tum Domino, tum Procuratore, agi poteſt: ſed ſi falſus Procurator id commiſerit, cum eo ſolo agendum eſt. *l. 1. §. 13. D. h. t.*

§. 9. Sed & ſi quis, quod alius dejecit, ratum habuit, dejeciſſe videtur, & *Interdicto* tenetur; quia ratihabitio etiam in maleficio mandato comparatur. *l. 1. §. 14. D. h. t. l. 152.* D. *de R. J.*

§. 10. „*Aut familia tua dejecit;*„ cum ſcil. non juſſiſti: ſi enim Dominus juſſerit, ipſe dejeciſſe cenſetur. *l. 1. §. 15. D. h. t.*

§. 11. *Familiæ* autem appellatio ſervos continet, eosque, qui loco ſervorum habentur: *l. 1. §. 16. 18.* D. *h. t.* ſive plures, ſive unus tantum dejecerit. *l. 1. §. 17.* D. *h. t.* Cic. *pro Cæcin. c. 19. 20.*

§. 12. „*De eo, quaque ille tunc ibi habuit;*„ non enim ſolum poſſeſſio fundi vel ædium reſtituenda, ſed & omnes res mobiles, quæ ibi fuerunt: non ſolum, quæ propriæ ipſius fuerunt, verum etiam, ſi quæ apud eum depoſitæ, vel ei commodatæ, pignoratæ, quarumque uſum, vel uſumfructum, vel cuſtodiam habuit. *l. 1. §. 32. 33. l. 19. D. h. t.*

§. 13. Rectiſſime autem Prætor addidit, „ *Tunc ibi habuit;*„ *Tunc* ſic accipimus, cum dejiceretur. Et ideo, & ſi quid poſtea deſiit illic eſſe, dicendum erit, in *Interdictum* venire: ut &, ſi homines, vel pecora demortua ſint poſt dejectionem, *Interdicto* locus ſit. *l. 1. §. 34. 35. 36.* D. *h. t.*

§. 14. „ *Ibi*„ vero ait Prætor, ne quis, & quæ illic non habuit, complectetur. *l. 1. §. 37. D. h. t.*

§. 15. Plane τό *Ibi* non ad angulum referendum, vel locum in quo fuerit, cum dejiceretur, verum etiam ad omnem partem poſſeſſionis, qua quis caruit, cum dejiceretur. *l. 1. §. 38. D. h. t.*

§. 16. „ *Tantummodo intra annum;*„ ſcil. utilem. *l. 1. §. 39. D. h. t.*

§. 18. „*Poſt annum de eo, quod ad eum, qui vi dejecit, pervenerit, Judicium dabo.*„ Quod enim pervenit, ſemper reſtituendum eſt. v. *l. 1. §. 15. & 19. l. 3. §. 12. D. h. t.*

§. 18. Idque nunc procedit, ſive vis ſit *Privata* ſeu *ſimplex*, ſive *Armata;* licet de ea olim ſeparatum Edictum fuerit propoſitum, quod ita conceptum videtur: *Unde tu, aut familia tua, aut procurator tuus, hominibus coactis armatisque eum dejeciſti, reſtituas.* Cic. *pro Cæcin. c. 19. 20. 21. 22. & 30.* arg. *l. 3. pr. §. 2. & ſeqq. D. h. t.*

§. 19. *Arma* autem non tantum ſunt gladii, haſtæ, & frameæ ſeu romphex ſed & omnia tela, hoc eſt fuſtes, lapides, & ſimilia. *l. 3. §. 2. D. h. t. §. 6.*

I. de interdict. §. 5. I. de publ. jud. l. 9. D. ad Leg. Jul. de vi publ. l. 41. D. de V. S.

§. 20. Eſt itaque *Interdictum Unde Vi* (a prioribus verbis Edicti ſic appellatum) *in perſonam*, arg. *l. 1. pr. §. 3. D. h. t. Recuperandæ poſſeſſionis; §. 6. I. de interdict. Quod datur ei, qui poſſedit, & per vim de poſſeſſione dejectus eſt, l. 1. §. 3. 23. 26. & 45. D. h. t. ejusque heredi l. 1. §. 44. D. h. t. Contra eum, qui dejecit, ſive per ſe ſive per alium; l. 1. §. 12. D. h. t. Ad reſtituendam poſſeſſionem vi ablatamomniaque quæ tempore dejectionis ibi fuerunt, l. 1. §. 32. D. h. t. una cum fructibus omnique utilitate, d. l. 1. §. 40. 41.* nec non *ad damnum dejectione datum reſarciendum, & id quod intereſt. l. 1. §. 31. l. 6. D. h. t.*

§. 21. Non datur Procuratori, vel colono; *l. 1. §. 22. l. f. D. h. t.* neque Liberis, vel Libertis, contra Parentes, vel Patronos: niſi vis ſit armata. *l. 1. §. 43. D. h. t.*

§. 22. Non etiam contra heredes, niſi in quantum ad eos pervenit, dolove malo eorum factum eſt, quo minus perveniret. *l. 1. §. ult. l. 2. D. h. t. l. 1. C. h. t.*

§. 23. Nec denique contra eum, qui in continenti deficientem rurſus dejecit; *l. 3. §. 9. D. h. t.* quia ſecundum Jus Naturæ, vim vi, arma armis, repellere licet. *l. 1. §. 27. D. h. t. l. 3. D. de J. & J. l. 45. §. 4. D. ad L. Aquil.*

§. 24. Plane contra vim facientes non tantum *Interdictum* hoc competit, ſed & aliæ pœnæ conſtitutæ ſunt. Si quis enim rem ſuam per vim occupaverit, dominio ejus privatur; ſi alienam, poſt ejus reſtitutionem etiam æſtimationem rei vim paſſo dare compellitur. Incidit etiam in *Legem Juliam de Vi publica*, vel *Privata*, prout vis ſimplex vel armata illata eſt. *§. 6. I. de interdict. l. 1. §. 2. D. h. t. l. 5. & 7. C. h. t. t. t. D. & C. ad L. Jul. de vi publ. & de vi privat.*

§. 25. Similia autem huic *Interdicto* ſunt *Remedia l. 7. & ult. C. unde vi. l. f. C. de acq. poſſ. c. 18. X. de reſt. ſpol.* ſed omnium optimum eſt *Remedium C. Redintegranda. 3. Cauſ. 3. Q. 1.* quod datur de omni re, ſive mobili, ſive immobili, quocunque modo injuſte ablata, adverſus quemcunque poſſeſſorem, licet non ſpoliaverit, nec ſpolii conſcius fuerit, ad reſtituendum.

TITULUS XVII.

UTI POSSIDETIS. C. VIII 6.

§. 1.

II. *Interdictum Uti poſſidetis; v. l. 1. §. 4. & 6. D. h. t.* de quo Prætor ait: „Uti eas ædes, quibus de agitur, nec vi, nec clam, nec precario, alter ab „altero poſſidetis; quo minus ita poſſideatis, vim fieri veto. De cloacis hoc „Inter-

„Interdictum non dabo. Neque pluris, quam quanti res erit, intra annum, quo „primum experiundi poteſtas fuerit, agere permittam„ *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 2. Eſt autem hoc *Interdictum in rem*, arg. *l. 2.* D. *h. t. l. 3. §. 12.* D. *ad exhib.* junct. *l. 1. D. eod. l. 5. §. 1. D. ad. L. Jul. de vi publ. l. 1. §. 1. in f. §. 2. D. de ſuperfic. Retinendæ poſſeſſionis, l. 1. §. 4. D. h. t. §. 4. I. de interdict. Duplex; d. l. 1. §. 1. D. h. t. Quod datur poſſeſſori rei immobilis, l. 1. §. 1. & 3. D. h. t. §. 4. I. de interdict. qui nec vi, nec clam, nec precario, tempore litis conteſtatæ ab altero poſſidet; l. 1. §. 6. & 9. D. h. t. §. 4. I. de interdict. Contra turbantem; l. 1. §. 4. l. 3. §. 2. & ſeqq.* D. *h. t. Ad id quanti res eſt*, i. e. quanti intereſt poſſeſſionem retinere, *l. 3. §. ult. D. h. t.* nec non, *ut caveat, eum in poſterum turbatum non iri.* arg. *l. un. C. h. t. l. 7. l. 12. D. ſi ſerv. vind.*

§. 3. Quod ſi ambo poſſideant, neuter vincet; *l. 3. pr. D. h. t.* ſi vero probationes ſint ancipites, & par utriusque cauſa, pro poſſeſſore judicandum, contra eum, qui prior ad judicium provocavit, *l. 128. pr.* D. *de R. J.*

§. 4. Ad poſſeſſionem rerum mobilium hoc *Interdictum* non pertinet; *§. 4. I. de Interdict.* ad quaſi poſſeſſionem autem rerum incorporalium, veluti ſervitutum, etiam extenditur. *l. ult. D. h. t. l. 8. §. 5. in f.* D. *ſi ſerv. vind.*

TITULUS. XVIII.

DE SUPERFICIEBUS.

§. 1.

III. Interdictum de Superficiebus; de quo Prætor ſic edixit: „Uti, ex lege locationis ſive conductionis, ſuperficie, qua de agitur, nec vi, nec clam, „nec precario, alter ab altero fruemini; quo minus fruamini, vim fieri veto. „Si qua alia actio de ſuperficie poſtulabitur, cauſa cognita dabo.„ *l. 1. pr.* D. *h. t.*

§. 2. Proponit itaque hic Prætor de *Superficie Interdictum* ſimiliter *duplex*, exemplo *Interdicti Uti poſſidetis;* omnia enim, quæ in *Uti poſſidetis Interdicto* ſervantur, hic quoque ſervabuntur. *l. 1.* §. *2.* D. *h. t.*

§. 3. Eſt autem *Superficies, omne, quicquid in alieno ſolo ſupra faciem terræ ædificatum, vel poſitum eſt.* Caj. *Inſt. L. II. T. I.* §. *4. l. 2. D. h. t. l. 13. D. de S. P. R. l. 23. pr.* D. *de uſucap. l. 71. D. de uſuſur.*

§. 4. Cum vero *Superficiarius* etiam jus in re conſequatur dominio proximum, *l. 73.* §. *1. l. 74. 75. D. de R. V. l. 19. pr. D. de damn. inf.* non tantum ei hoc *Interdictum*, ſed & *Actio in rem*, ſeu *Utilis rei vindicatio*, competit. *l. 1.* §. *3. & 6. D. h. t.*

Digitized by Google

TITULUS XIX.

DE ITINERE, ACTUQUE PRIVATO.

§. 1.

Ad *Jura & Res Incorporales* pertinet *I. Interdictum de Itinere, Actuque privato;* de quo Prætor duplex Edictum propoſuit, quorum *prius* ita conceptum eſt: „Quo Itinere, Actuque Privato, quo de agitur, vel via, hoc anno, „nec vi, nec clam, nec precario, ab illo uſus es; quo minus ita utaris, vim fie„ri veto.„ *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 2. Eſt hoc *Interdictum Prohibitorium*, pertinens ad tuendas ſervitutes ruſticas. *l. 1. §. 1.* D. *h. t.*

§. 3. Quo Prætor non inquirit, utrum habuerit jure ſervitutem impoſitam, ſed hoc tantum, an Itinere Actuque hoc anno uſus ſit non vi, non clam, non precario; & tuetur eum, licet eo tempore, quo *Interdictum* redditur, uſus non ſit: ſi modo eo anno (qui ex die Interdicti retrorſum computatur) uſus eſt vel modico tempore, i. e. non minus quam triginta diebus. *l. 1. §. 2. 3. D. h. t.*

§. 4. *Alterum* vero ita habet: „Quo Itinere, Actuque, hoc anno, non vi, „non clam, non precario, ab alio uſus es; quo minus id Iter, Actumque, ut „tibi jus eſſet, reficias; vim fieri veto. Qui hoc Interdicto uti volet, is adver„ſario damni infecti, quod per ejus vitium datum ſit, caveat.„ *l. 3. §. 11. D. h. t.*

§. 5. Quod *Interdictum* proponere Utilitas ſuaſit, quia nemo Itinere vel Actu commode uti poteſt, niſi & reficere poſſit; *l. 1. §. 12. D. h. t.* & a ſuperiori diſtat: quod *Illo* quidem *Interdicto* omnes uti poſſunt, qui hoc anno uſi ſunt; *Hoc* autem *Interdicto* is demum uti poteſt, qui hoc anno uſus eſt, & jus ſibi eſſe reficiendi docet. *l. 3. §. 13. D. h. t.*

§. 6. Jus autem reficiendi ei competit, cui ſervitus debetur. *d. l. 3. §. 13.*

§. 7. *Reficere* vero ſic accipimus, ad priſtinam formam Iter & Actum reducere; hoc eſt, ne quis dilatet aut producat, aut deprimat, aut exaggeret. *l. 3. §. 15. D. h. t.* add. ſupr. *ad t. de via publ. & itin. publ. refic.* §. 1. 2. & infr. *ad t. de riv. §. 7.*

§. 8. Veteres etiam nominatim adjiciebant, *Ut ea quoque, quæ ad refectionem utilia eſſent, adportanti vis non fieret;* quod ſupervacuum eſt: quoniam, qui adportari non patitur ea, ſine quibus refici iter non poſſit, vim facere videtur, quo minus reficiatur. *l. 4. pr. D. h. t.*

TITU-

TITULUS XX.

De Aqua Quotidiana, Et Æstiva.

§. 1.

II. I*nterdictum de Aqua & Aquaductu*, cujus *tria* hic exhibentur *Capita*.

§. 2. *Primo capite* Prætor ait: „Uti hoc anno aquam, qua de agi„tur, non vi, non clam, non precario ab illo duxiſti; quo minus ita ducas, vim „fieri veto.„ *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 3. Quod *Interdictum Prohibitorium*, & interdum *Reſtitutorium* eſt; & pertinet ad aquam *Quotidianam*. *l. 1.* §. *1. D. h. t.*

§. 4. *Quotidiana* autem aqua non illa eſt, quæ quotidie ducitur, ſed ea, *qua quis quotidie poſſet uti, ſi vellet. l. 1. §. 2. 3. 4. D. h. t.*

§. 5. Pertinet etiam hoc *Interdictum* ad eam tantum aquam, quæ perennis eſt, quæque duci poteſt, & a *capite* ducitur. *l. 1.* §. *5. 6. 7. D. h. t.*

§. 6. *Caput* vero *aquæ* illud eſt, *unde aqua naſcitur*; ſi ex fonte naſcatur, ipſe fons, ſi ex flumine vel ex lacu, prima incilia vel principia foſſarum, quibus aquæ, ex flumine vel ex lacu, in primum rivum communem pelli ſolent. *l. 1. §. 8. D. h. t.*

§. 7. *Datur* hoc *Interdictum ei*, qui aquam hoc anno vel uno die, vel nocte, non vi, non clam, non precario duxit, licet jus ducendi non habeat, dummodo jure ducere ſe putaverit. *l. 1. §. 4. 9. 10. 19. D. h. t.*

§. 8. *Adverſus eum*, qui prohibet me aquam ducere; ſive dominium fundi habeat, ſive non habeat. *l. 1. §. 25. D. h. t.*

§. 9. *Ne* quid in fundo faciat, ferat, ſuccidat, putet, ædificet, qua ex re ea aqua, quam alter hoc anno per fundum ejus ſine vitio duxit, inquinetur, vitietur, corrumpatur, deteriorve fiat *l. 1. §. 27.* D. *h. t.*

§. 10. *Secundo Capite* inquit Prætor: „*Uti priore æſtate aquam, qua de* „*agitur, nec vi, nec clam, nec precario, ab illo duxiſti; quo minus ita ducas, vim* „*fieri veto. Inter hæredes, emtores, & bonorum Poſſeſſores interdicam.*„ *l. 1. §. 29. D. h. t.*

§. 11. Quod Interdictum de *Aqua Æſtiva* proponitur. *l. 1. §. 30. D. h. t.*

§. 12. Eſt autem *Aqua Æſtiva, qua quis æſtate maxime utitur. l. 1. §. 3. 4. D. h. t.*

§. 13. *Æſtatem* vero incipere ſic peritiores tradiderunt, ab æquinoctio verno, & finiri æquinoctio autumnali: *l. 1. §. 32. D. h. t.* v. ſupr. *ad t. ne quid in flum. publ. §. 6.*

§. 14. Non tamen de qualicunque æſtate hic interdicit Prætor, ſed tantum *de priore*; nec immerito: nam quia hyeme non utitur, referre ſe non ad præſentem æſtatem, ſed ad priorem debuit. *l. 1. §. 31. D. h. t.*

Digitized by Google

§. 15. Subjecit Prætor. „*Inter heredes, & emtores, & bonorum poſſeſſores* „*interdicam.*„ Hæc verba non ſolum ad *æſtivam aquam*, verum etiam ad *quotidianam* quoque referenda eſſe ſciendum eſt. Nam ſicuti de *Itinere Actuque* & ſucceſſoribus dantur Interdicta, & emtori, ita hæc quoque danda Prætor putavit, *l. 1. §. 37. D. h. t.*

§. 16. *Tertio* vero *capite* Prætor ita edixit: „*Quo ex caſtello illi aquam ducere, ab eo, cui ejus rei jus fuit, permiſſum eſt; quo minus ita, uti permiſſum eſt,* „*ducat, vim fieri veto. Quandoque de opere faciendo interdictum erit, dàmni* „*infecti caveri jubebo.*„ *l. 1. §. 38.* D. *h. t.*

§. 17. Quod *Interdictum* neceſſario propoſitum eſt. Nam cum ſuperiora Interdicta ad eos pertinent, qui a *capite* ducunt, vel impoſita ſervitute, vel quia putant impoſitam; æquiſſimum viſum eſt, ei quoque, qui *ex Caſtello* ducit, *Interdictum* dari, i. e. *ex eo receptaculo, quod aquam publicam ſuſcipit. l. 1. §. 39. D. h. t. l. 78. pr. D. de contr. emt. l. 2. D. comm. præd.*

§. 18. Et ei ſoli competit, cui *ex caſtello* aquam ducere Princeps permiſit, *l. 1.* §. *40. 42.* D. *h. t.*

TITULUS XXI.

De Rivis.

§. 1.

III. **I***nterdictum de Rivis*; de quo Prætor tale Edictum propoſuit: „Rivos, ſpecus, ſepta reficere, purgare, aquæ ducendæ cauſa, quo minus liceat illi; dum „ne aliter aquam ducat, quam uti priore æſtate non vi, non clam, non precario „a te duxit; vim fieri veto.„ *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 2. Hoc *Interdictum* utiliſſimum eſt; nam niſi permittatur alicui reficere, alia ratione uſu incommodabitur. *l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 3. Ait ergo Prætor, „*Rivos, ſpecus;*„ *Rivus* eſt *locus per longitudinem depreſſus, quo aqua decurrat:* cui nomen eſt ἀπὸ τοῦ ῥεῖν i. e. a fluendo. *l. 1 §. 2. D. h. t.*

§. 4. *Specus* autem eſt *locus, ex quo deſpicitur, l. 1. §. 3. D. h. t.*

§. 5. *Septa* ſunt, *quæ ad incile opponuntur, aquæ derivandæ compellendæve ex flumine cauſa*; ſive ea lignea ſunt, ſive lapidea, ſive qualibet alia materia ſunt, ad continendam, transmittendamque aquam excogitata. *l. 1. §. 4. D. h. t.*

§. 6. *Incile* autem eſt *locus depreſſus ad latus fluminis*; ex eo dictus, quod *incidatur*: inciditur enim vel lapis, vel terra, unde primum aqua ex flumine agi poſſit. Sed & *foſſa* & *putei* hoc Interdicto continentur. *l. 1. §. 5. D. h. t.*

§. 7. Deinde ait Prætor, „*reficere, purgare;*„ *Reficere* eſt, *quod corruptum eſt in priſtinum ſtatum reſtaurare.* Ut verbo *reficiendi* tegere, ſubſtruere, ſarcire, ædificare, item advehere, adportareque ea, quæ ad eandem rem opus

opus eſſent, contineantur. *l. 1. §. 6. D. h. t. l. 1. §. 1.* D. *de via publ. & itin. publ. refic.*

§. 8. *Purgare* vero, *ad libramentum proprium redigere, ſublato eo, quod uſum rivi impedit. d. l. 1. §. 1. l. 1. §. 7. D. h. t.*

§. 9. Porro inquit, „*Aquæ ducendæ cauſa;*„ quia ei demum permittitur & reficere, & purgare rivum, qui aquæ ducendæ cauſa id facit. *l. 1. §. 8. D. h. t.*

§. 10. Competit autem hoc *Interdictum* non tantum ei, qui ſervitutem *Aquæ ductus* habet, ſed & ei, qui jus aquæ ducendæ non habet; ſi modo aut priore æſtate, aut eodem anno, aquam duxerit: cum ſufficiat non vi, non clam, non precario duxiſſe. *l. 1. §. 9. l. f. D. h. t.*

§. 11. Et in genere ſciendum, dari hoc *Interdictum* iisdem perſonis, & in easdem, quibus, & in quas, *de Aqua* Interdicta redduntur. *l. 3. §. 7. D. h. t.*

TITULUS XXII.

De Fonte.

§. 1.

IV. I*nterdictum de Fonte*, de quo Prætor duplex Edictum propoſuit.

§. 2. Quorum *prius* ita habet: „Uti de eo fonte, quo de agitur, hoc „anno aqua nec vi, nec clam, nec precario, ab illo uſus es; quo minus ita utaris, vim fieri veto. De lacu, puteo, piſcina item interdicam.„ *l. un. pr.* D. *h. t.*

§. 3. Quod *Interdictum* proponitur ei, qui aqua fontana uti prohibetur: ſervitutes enim non tantum *Aquæ ducendæ* eſſe ſolent, verum etiam *hauriendæ*, & ſicut diſcretæ ſunt ſervitutes *Ductus aquæ*, & *Hauſtus aquæ*, ita Interdicta quoque ſeparatim redduntur. *l. un. §. 1. D. h. t.*

§. 4. Et tum locum habet, *ſi quis aqua uti prohibeatur*, hoc eſt, ſive hauriri prohibeatur, ſive etiam pecus ad aquam appellere. *l. un. §. 2.* D. *h. t.*

§. 5. *Alterum* vero ita conceptum eſt: „Quo minus fontem, quo de agitur, „purges, reficias, ut aquam coercere, utique ea poſſis; dum ne aliter utaris, „atque uti hoc anno non vi, non clam, non precario ab illo uſus es; vim fieri „veto.„ *l. un. §. 6. D. h. t.*

§. 6. Quod *Interdictum* eandem habet utilitatem, quam habet *Interdictum de Rivis reficiendis;* niſi enim purgare & reficere fontem licuerit, nullus uſus ejus erit. *l. 1. §. 7.* D. *h. t.*

§. 7. *Coërcere* autem *aquam* eſt, continere ſic, ne diffluat vel dilabatur; dummodo non permittatur cui novas quærere vel aperire; hic enim innovat aliquid, præter id, quam præcedenti anno uſus eſt. *l. 1. §. 9. D. h. t.*

TITU-

Digitized by Google

TITULUS XXIII.

De Cloacis.

§. 1.

V. Interdictum de Cloacis; de quo Prætor ſimiliter duplex Edictum propoſuit, *Prohibitorium* ſcil. & *Reſtitutorium*. *l.* 1. *§.* 1. D. *h. t.*

§. 2. *Prohibitorium* ita habet: „Quo minus illi cloacam, quæ ex ædibus „ejus in tuas pertinet, qua de agitur, purgare, reficere liceat, vim fieri veto. „Damni infecti, quod operis vitio factum ſit, caveri jubebo.„ *l.* 1. *pr.* D. *h. t.*

§. 3 Quod, ut & ſequens, ad ſalubritatem civitatum & tutelam pertinet. Nam & cœlum peſtilens, & ruinas minantur immunditiæ cloacarum, ſi non reficiantur. *l.* 1. *§.* 2. 7. *D. h. t.*

§. 4. Eſt autem hoc *Interdictum* propoſitum *de Cloacis privatis.* Publicæ enim cloacæ publicam curam merentur. *l.* 1. *§.* 3. D. *h. t.*

§. 5. *Cloaca* autem eſt *locus cavus per quem colluvies quædam fluat;* ut & tubus, & fiſtula ejus appellatione continеatur. *l.* 1. *§.* 4. 6. *D. h. t.*

§. 6. Ait Prætor, „*Quæ ex ædibus ejus in tuas pertinet*,„ *Ædes* hic accipere debes pro omni ædificio, hoc eſt, ex ædificio ejus in tuum ædificium. Hoc amplius huic *Interdicto* locus eſt, & ſi area ab utralibet parte ædium ſit; & ſi forte cloaca ex urbano ædificio in proximum agrum ducta ſit. *l.* 1. *§.* 8. D. *h. t.*

§. 7. *Pertinet* vero ſignificat dirigitur, extenditur, pervenit. *l.* 1. *§.* 10. D. *h. t.*

§. 8. Sed & damni infecti cautionem pollicetur Prætor, ſi quid operis vitio factum ſit; nam ſicuti reficere cloacas & purgare permittendum fuit, ita dicendum, ne damnum ædibus alienis detur. *l.* 1. *§.* 14. *D. h. t.*

§. 9. *Reſtitutorii* vero verba hæc ſunt: „*Quod in cloaca publica factum, ſive* „*immiſſum habes; quo uſus deterior ſit, fiat; reſtituas. Item ne quid fiat, im-* „*mittaturve, interdicam. l.* 1. *§.* 15. *D. h. t.*

§. 10. Quod *Interdictum* ad Publicas cloacas pertinet, ne quid in eas immittatur vel fiat, quo uſus earum deterior fiat. *l.* 1. *§. ult. D. h. t.*

TITULUS XXIV.

Quod Vi Aut Clam.

§. 1.

VI. *Interdictum* Generale *Quod vi aut clam;* de quo Prætor ait: „*Quod vi aut* „*clam factum eſt, qua de re agitur, id, cum experiendi poteſtas eſt, reſti-* „*tuas.*„ *l.* 1. *pr. D. h. t.*

§. 2. Eſt

§. 2. Eſt hoc *Interdictum Reſtitutorium*, & per hoc occurſum eſt calliditati eorum, qui vi aut clam quædem moliuntur: jubentur enim ea reſtituere. *l. 1. §. 1.* D. *h. t.*

§. 3. Et parvi refert, utrum jus habuerit faciendi, an non. Sive enim jus habuit, ſive non, tamen tenetur *Interdicto:* tueri enim jus ſuum debuit, non injuriam comminiſci. *l. 1. §. 2.* D. *h. t.*

§. 4 Pertinet autem hoc *Interdictum* ad ea tantum opera, quæ *in ſolo vi aut clam fiunt. l. 1.* §. 4. *l. 7. §. 5. l. 20. §.* 4. D. *h. t.*

§. 5. *Vi factum* videtur, ſi quis per vim, vel contra quam prohiberetur fecerit. *l. 1. §. 5. & ſeqq. l. 3. §. 1. l. 20. pr. §. 1. D. h. t.* Sive alter per ſe prohibuerit, ſive per alium. *l. 3. pr. D. h. t.*

§. 6. *Clam vero facere* videtur, qui celavit adverſarium, neque ei denunciavit, ſi modo timuit ejus controverſiam, aut timere debuit. Ne meliores ſint ſtulti, quam periti. *l. 3. §. 7. ult. l. 4. D. h. t.* add. *l. 6.* D. *de acq. vel am. poſſ.*

§. 7. *Datur* hoc *Interdictum*, non tantum Dominis, ſed & omnibus iis, quorum intereſt opus non fieri, *l. 11. §. 10. 14. l. 13. & 16.* D. *h. t.* eorumque heredibus, *l. 13. §. 5.* D. *h. t.*

§. 8. *Contra eos*, qui vi vel clam in alieno opus fecerunt, ſive per ſe, ſive per alios; *l. 5. §. 8. D. l. 6. D. h. t.* omneſque operis poſſeſſores. *l. 15. pr. D. h. t.*

§. 9. Non etiam contra heredes, cæteroſque ſucceſſores, niſi in id, quod ad eos pervenit. *l. 15. §. 3. D. h. t.*

§. 10. *Ad opus factum reſtituendum*, & id quod intereſt; ſi quidem poſſeſſor ipſe fecerit: *l. 15. §. 7. l. 16. §. 2.* D. *h. t.* ſi vero non fecerit, ad patientiam tollendi operis præſtandam. *d. l. 16. §. 2.*

§. 11. *Ceſſat* vero *hoc Interdictum I.* Si Actor opus fieri permiſerit. *l. 3. §. 2. D. h. t.*

II. Si Actor prius vi vel clam fecerit. *l. 7. §. 3. l. ult. §.* 2. *D. h. t.*

III. Si quid incendii arcendi cauſa juſto metu factum ſit. *l. 7. §. 4.* D. *h. t.* junct. *l. 49. §. 1. D. ad L. Aquil.*

IV. Si quid agri colendi cauſa factum ſit. *l. 7. §. 7.* D. *h. t.*

V. Si annus præterlapſus ſit. *l. 15. §. 3. 4. D. h. t.*

VI. Si ſine opere aliquid factum ſit. *l. ult. §. 3. D. h. t.*

VII. Si *Remiſſio* novi operis nunciationis facta ſit. *l. 7. §. 2.* D. *h. t.* Quo caſu VII. *Interdictum de Remiſſionibus* locum habet.

Digitized by Google

TITULUS XXV.

De Remiſſionibus.

§. 1.

Quod ita conceptum eſt: „*Quod jus ſit illi prohibere, ne ſe invito fiat: in eo* „*nunciatio teneat. Ceterum nunciationem miſſam facio.*„ *l. un. pr.* D. *h. t.*

§. 2. Fit autem a Prætore *Remiſſio* novi operis nunciationis, ſi nuncians jus & cauſam nunciandi non habuerit, adeoque nunciatio non teneat. *l. un. §. 2. D. h. t.* v. ſupr. *ad t. de O. N. N. §. 37. n. IV.*

TITULUS XXVI.

De Precario. C. VIII. 9.

§. 1.

VIII. *Interdictum de Precario;* quod ita habet: „*Quod precario ab illo habes,* „*aut dolo malo feciſti, ut deſineres habere, qua de re agitur, id illi reſti-* „*tuas.*„ *l. 2. pr.* D. *h. t.*

§. 2. *Interdictum hoc Reſtitutorium* eſt; *l. 2. §. 1. D. h. t.* & merito introductum, quia nulla eo nomine ordinaria erat Actio Civilis. *l. 14. D. h. t.*

§. 3. Naturalem autem in ſe æquitatem habet; eſt enim natura æquum, tam diu te liberalitate mea uti, quamdiu ego velim, & ut poſſim revocare, cum mutavero voluntatem. *l. 2. §. 2. l. 15. pr. D. h. t.*

§. 4. Eſt enim *Precarium, quod precibus petenti utendum conceditur, tamdiu, quamdiu is, qui conceſſit, patitur. l. 1. pr. D. h. t.*

§. 5. Quod genus Liberalitatis ex Jure Gentium deſcendit. *l. 1. §. 1. D. h. t.*

§. 6. Et diſtat a *Donatione* eo, quod, qui donat, ſic dat ne recipiat; at qui precario concedit, ſic dat quaſi tunc recepturus, cum ſibi libuerit precarium ſolvere. *l. 1. §. 2.* D. *h. t.*

§. 7. Nec non a *Commodato* eo, quod, qui commodat rem, *certo modo* gratis utendam concedit; *l. 17. §. 3. D. l. 3. C. commod.* licet in eo ſimile ſit *Commodato*, quod, qui commodat, rem ſic commodat, ut non faciat rem accipientis, ſed ut ei uti tantum re commodata permittat. *l. 1. §. 3.* D. *h. t.*

§. 8. *Precario dare poſſunt* Domini, aliique jus in re habentes; *l. 18. 6. §. ult. l. 11.* D. *h. t. l. 35. §. 1.* D. *de pign. act.* non ſolum præſentes, ſed & abſentes, per epiſtolam, vel per nuncium. *l. 9.* D. *h. t.*

§. 9. *Res qualescunque*, quæ ſunt in commercio, neque uſu conſumuntur; ſive corporales ſint, ſive incorporales, ſive mobiles, ſive immobiles. *l. 2. §. ult. l. 3. pr. l. 4. 15. §. 2. D. h. t.*

§. 10.

Digitized by Google

§. 10. Ita tamen; ut *Precarium* non ſit rei propriæ; *l. 4. §. 3. D. h. t. l. 45. pr.* D. *de R. J.* niſi res pignori obligata ſit: quo caſu rei ſuæ precarium conſiſtere poteſt. *l. 6. §. 4. l. 11.* D. *h. t.*

§. 11. Competit autem *Interdictum de Precario ei, a quo quis precario rogavit,* (licet non ſit dominus) *ejusque heredi; l. 7. 8. pr. §. 1. l. 12. §. 1. D. h. t. Contra eum, qui precario habet,* (licet non rogaverit) *l. 4. §. 2. D. h. t. vel dolo fecit, ut deſineret habere; l. 8. §. 3.* D. *h. t. Ad rem precario conceſſam cum omni cauſa reſtituendam, l. 8. §. 4. D. h. t. nec non ad præſtandum dolum & latam culpam: l. 8. §. 3. 6.* D. *h. t.* poſt Interdictum vero etiam ad leviſſimam, & caſum fortuitum. *d. l. 8. §. 6.*

§. 12. Neque tantum *Interdictum* conceditur, ſed & *Actio Præſcriptis verbis Extraordinaria* locum habet, quæ ex ſola æquitate naſcitur. *l. 2.* §. *2. l. 19. §. 2. D. h. t.* v. ſupr. *ad t. de præſcr. verb. §. 5.* Diſſert. N. V. *de Cauſ. Obl. C. III. §. 12. & ſeqq.*

TITULUS XXVII.

De Arboribus Cædendis.

§. 1.

IX. Interdictum de Arboribus cædendis; cujus duo ſunt *Capita. l. 1. §. ult. D. h. t.*

§. 2. *Primo capite* ait Prætor: „Quæ arbor ex ædibus tuis in ædes illius impendet, ſi per te ſtat, quo minus eam adimas; tunc, quo minus illi eam arborem adimere, ſibique habere liceat, vim fieri veto.„ *l. 1. pr.* D. *h. t.*

§. 3. Quod *Interdictum Prohibitorium* eſt, *l. 1. §. 1. D. h. t.* & non tantum domino ædium datur, ſed & omni ei, cujus intereſt, *l. 1. §. 4.* D. *h. t.* ad totam arborem, quæ ædibus impendet, ſi per vicinum ſtat, quo minus adimatur, exſcindendam. *l. 1. §. 2. 6. D. h. t.*

§. 4. *Arboris* vero appellatione etiam vites continentur. *l. 1. §. 3. D. h. t. l. 3. pr. D. arb. furt. cæſ.*

§. 5. *Secundum* vero caput ita habet: „*Quæ arbor ex agro tuo in agrum illius impendet, ſi per te ſtat; quo minus pedes quindecim a terra eam altius coërceas; tunc, quo minus illi ita coërcere, lignaque ſibi habere liceat; vim fieri veto.*„ *l. 1. §. 7. D. h. t.*

§. 6. Quod & *Lex XII. Tab.* efficere voluit; & ideo conſtitutum, ne umbra arboris vicino Prædio noceret. *l. 1. §. 8. D. h. t.*

§. 7. Quod ſi vero arbor ex vicini fundo, vento in tuum inclinata ſit, ex *Lege XII. Tab.* de adimenda ea recte agere potes, jus ei non eſſe ita arborem habere, *l. 2. D. h. t.*

TITULUS XXVIII.

DE GLANDE LEGENDA.

§. 1.

X. *Interdictum de Glande legenda;* „de quo Prætor ita edixit: „*Glandem, quæ* „*ex illius agro in tuum cadat, quo minus illi tertio quoque die legere, aufer-* „*re liceat; vim fieri veto.*„ *l. un. pr.* D. *h. t.*

§. 2. *Glandis* nomine antem omnes fructus continentur. *l. un. §. 1. D. h. t. l. 236. §. 1. D. de V. S.*

§. 3. Quod ſi vero quis glandem, ex arbore vicini in fundum ſuum cadentem, immiſſo pecore depaſcat, *Actione in factum* conveniri poteſt. *l. 14.* §. *ult. D. de P. V.*

TITULUS XXIX.

DE HOMINE LIBERO EXHIBENDO.

C. VIII. 8.

§. 1.

XI. Interdictum de Libero homine exhibendo; de quo Prætor ait: „*Quam libe-* „*rum dolo malo retines, exhibeas.*„ *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 2. Quod *Interdictum* tuendæ libertatis cauſa proponitur; *l. 1. §. 1. D. h. t.* adeoque *omnibus* competit: quia nemo prohibendus eſt libertati favere. *l. 3. §. 9.* D. *h. t.*

§. 3. Et *contra eos* locum habet, qui liberum hominem dolo malo retinent; non etiam, ſi ex juſta cauſa id fiat. *l. 3. §. 2. 3. 4. 5. l. 4. §. 1. D. h. t.*

§. 4. *Ad liberum hominem exhibendum*, i. e. in publicum producendum; *Exhibere* enim eſt in publicum producere, & videndi tangendique hominis facultatem præbere. *l. 3. §. 8. D. h. t.* add. *l. 2.* D. *ad exhib. l. 3. §. 4.* D. *de tab. exhib.* Vel litis æſtimationem, & quidem ſæpius præſtandam, usque dum exhibeatur. *l. 3. §. 13. D. h. t.*

TITULUS XXX.

DE LIBERTIS EXHIBENDIS, ITEM DUCENDIS.

C. VIII. 8.

§. 1.

XII. Interdictum de Liberis exhibendis, item *ducendis*.

§. 2. *De Liberis exhibendis* Prætor ait: „Qui quæve in poteſtate Lu- „cii Titii eſt, ſi is eave apud te eſt, dolove malo tuo factum eſt, quo minus apud „te eſſet; ita eum eamve exhibeas.„ *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 3. Quod

§. 3. Quod *Interdictum* eſt *Exhibitorium*, *l. 3. §. 1. D. h. t.* eique competit, qui liberos in poteſtate habet; *l. 1. §. 1.* D. *h. t.* contra eum, qui eos invitos retinet. *l. ult.* D. *h. t.*

§. 4. In quo *Interdicto* Prætor non admittit cauſam, cur apud eum ſit, qui exhibere debet, quemadmodum in ſuperiore Interdicto, ſed omnimodo reſtituendum putavit. *l. 1. §. 2. D. h. t.*

§. 5. Niſi *I.* Mater ſit, quæ retinet, apud quam filius ex juſta cauſa moratur. *l. 1. §. 3. l. 3. §. 5.* D. *h. t.*

II. Judicatum ſit, eum in poteſtate non eſſe. *l. 1.* §. 4. *D. h. t.*

III. Filia nupta ſit; de qua hoc *Interdictum* contra maritum non competit, ne bene concordantia matrimonia jure patriæ poteſtatis turbentur. *l. 1. §. 5.* D. *h. t. l. 5. C. de repud.* add. Geneſ. II, 24. Matth. XIX, 5. 6. Eph. V, 31.

§. 6. Imo ipſe pater, de exhibenda ac ducenda Uxore, a Marito conveniri poteſt. *l. 2. D. l. ult. C. h. t. l. 11. C. de nupt.*

§. 7. De *Ducendis* vero *Liberis* Prætor edixit: „*Si Lucius Titius in poteſtate Lucii Titii eſt; quo minus eum Lucio Titio ducere liceat; vim fieri veto.*„ *l. 3. pr. D. h. t.*

§. 8. Quod *Interdictum Prohibitorium* eſt, & ex iisdem cauſis, ex quibus Interdictum *de Liberis exhibendis* (quod hujus præparatorium eſt) competit. *l. 3 §. 1. 2. D. h. t.*

TITULUS XXXI.

UTRUBI.

§. 1.

Ratione *Rerum Mobilium* vero datur *I. Interdictum Utrubi;* de quo Prætor ait: „Utrubi hic homo, quo de agitur, majore parte hujusce anni fuit, quo „minus is eum ducat; vim fieri veto.„ *l. un. pr. D. h. t.*

§. 2. Inter quod, & *Interdictum Uti poſſidetis*, olim magna erat differentia; Interdicto enim *Uti poſſidetis* is vincebat, qui Interdicti tempore poſſidebat; *Utrubi*, qui majore parte anni, nec vi, nec clam, nec precario, ab adverſario poſſidebat *l. un. §. 1.* D. *h. t.* Paul. *L. V. Sent T. VI. §. 1.* Sed id poſtea mutatum, & utriusque *Interdicti* poteſtas (quantum ad poſſeſſionem attinet) exæquata eſt: ut ille vincat, & in re ſoli, & in re mobili, qui poſſeſſionem, nec vi, nec clam, nec precario, ab adverſario, litis conteſtatæ tempore, detinet. *d. l. un. §. 1. D. h. t. §. 4. I. de interdict.*

§. 3. Ut adeo inter Interdictum *Uti poſſidetis*, & *Utrubi*, nunc nihil aliud interſit, quam quod Interdictum *Uti poſſidetis* de poſſeſſione rerum immobilium; *Hoc* vero de poſſeſſione rerum mobilium locum habeat. *l. un. §. 1. D. h. t. d. §. 4. I. de interdict.*

TITULUS XXXII.

De Migrando.

§. 1.

II. I*nterdictum de Migrando;* de quo Prætor ita edixit: „Si is homo, quo de „agitur, non eſt ex his rebus, de quibus inter te & actorem convenit, ut „quæ in eam habitationem, qua de agitur, introducta, importata, ibi nata, fa„ctave eſſent, ea pignori tibi pro mercede ejus habitationis eſſent: ſive ex his „rebus eſſet ea merces tibi ſoluta, eove nomine tibi ſatisfactum eſt; aut per te „ſtat, quo minus ſolvatur: ita quo minus ei, qui eum pignoris nomine induxit, „inde abducere liceat; vim fieri veto.„ *l. 1. pr. D. h. t.*

§. 2. Quod *Interdictum* proprie *datur Inquilino*, (non colono,) *l. 1. §. 1. D. h. t. ejusque heredi, l. 1. §. 6. D. h. t. qui ſoluta penſione vult migrare; d. l. 1. §. 1. Contra locatorem, ejusque heredem; d. l. 1. §. ult. Ne vis fiat, quo minus invecta & illata abducere liceat. d. l. 1. pr. l. 2. D. h. t.*

TITULUS XXXIII.

De Salviano Interdicto. C. VIII. 9.

§. 1.

III. I*nterdictum Salvianum*, quod eſt *in Rem*, *Adipiſcendæ poſſeſſionis*, *competens domino fundi*, *contra colonum*, *ad conſequendam poſſeſſionem rerum coloni*, *pro mercede fundi pignori obligatarum. l. 1. §. 1. D. h. t. l. 1. C. de precar. §. 3. in f. I. de interdict.*

§. 2. De quo Prætor ſic edixiſſe videtur: „Quod de his rebus poſſides, de „quibus inter te & Actorem convenit, ut, quæ in fundum, de quo agitur, invecta, ibi nata, factave eſſent, ea pignori pro mercede ejus fundi eſſent, id ei reſtituas.„ arg. *l. 1. 2. D. h. t. l. 1. C. de precar.*

* *

LIBER XLIV. TITULUS I.

De Exceptionibus, Præscriptionibus Et Præjudiciis. C. VIII. 36.

De Exceptionibus.

§. 1.

Poſtquam nunc late actum eſt de *Actionibus* & armis Actorum, ſequitur, ut & de Remediis defenſoriis Reorum, i. e. *Exceptionibus* diſpiciamus.

§ 2.

§. 2. *Exceptio* autem vel *late* accipitur, vel *ſtricte.*

§. 3. *Exceptio late accepta* ſignificat omnem, tam Actoris, quam Rei, in judicio factam allegationem & defenſionem; *l. 2. §. 1. D. h. t.* etiam, qua Actio ipſo jure ſublata dicitur. *l. pen.* D. *de publician. in rem act. l. 24. D. de except. rei jud. l. 112. D. de R. J.*

§. 4. *Stricte* vero *accepta* eſt defenſio Rei, quæ actioni ſummo jure competenti opponitur. *l. 10. C. h. t. pr. I. h. t.*

§. 5. Quo ſenſu deſcribi poteſt, quod ſit *Actionis excluſio; l. 2. pr. D. h. t.* ſeu *Rei defenſio, quæ actioni alioqui jure conſtitutæ oppoſita, eam æquitatis ratione excludit. d. l. 2. pr. D. pr. I. h. t. l. 12.* D. *de dol. mal. & met. exc.*

§. 6. Dicitur *Rei defenſio;* comparatæ enim ſunt Exceptiones defendendorum eorum gratia, cum quibus agitur. *pr. I. h. t.*

§. 7. *Actioni alioqui jure conſtitutæ oppoſita;* allegationes enim, quibus dicitur Actionem ipſo jure ſublatam eſſe, proprie non ſunt *Exceptiones:* quia liberari *Ipſo jure,* & *per Exceptionem,* contraria ſunt. *l. 34. §. 1.* D. *de O. & A.*

§. 8. Ut adeo *diviſio Exceptionum* a DD. tradita, quod aliæ ſint *Juris,* aliæ *Facti,* proprie locum non habeat.

§. 9. Subjicitur, per eam *Actionem æquitatis ratione excludi.* Sæpe enim accidit, ut, licet ipſa perſecutio, qua actor experitur, ſecundum ſtrictam juris rationem, juſta ſit, tamen iniqua ſit, adverſus eum, cum quo agitur. *pr. §. 1. & ſeq. I. h. t.*

§. 10. *Dividuntur* autem *Exceptiones I.* Quod ſint vel *Civiles,* vel *Prætoriæ. §. 7. I. h. t.*

§. 11. *Civiles* ſunt, *quæ ex Legibus, vel iis, quæ Legis vicem obtinent, ſubſtantiam capiunt: §. 7. I. h. t.* veluti *Exceptio Sc̄ti Macedoniani,* & *Vellejani, l. 1. pr. D. ad SCt. Vellej. Præſcriptionis quadriennii, t. t. C. de quadr. præſcr. XXX.* vel *XL.* annorum, *l. 3. 4. C. de præſcr. XXX. vel XL. annor.* ſimileſque.

§. 12. *Prætoriæ* vero, *quæ ex Jurisdictione Prætoris,* ſeu *Jure Prætorio, deſcendunt: d. §. 7. I. h. t.* vel uti *Quod metus cauſa, l. 1. pr.* junct. *l. 9. §. 3. D. quod met. cauſ. de Dolo, l. 1. de dol. mal. & met. exc. Pacti, l. 7. §. 7.* junct. *§. 4. D. de pact. Jurisjurandi, l. 7. & 9. §. 1. D. de jurej.* ſimileſque.

§. 13. H[illegible]od ſint aut *Perpetuæ* & *Peremtoriæ,* aut *Temporales* & *Dilatoriæ. l. 2. §.* [illegible] *3. D. h. t. §. 8. I. h. t.*

§. 14. *Exceptiones Perpetuæ* atque *Peremtoriæ* ſunt, *quæ ſemper locum habent, nec evitari poſſunt; d. l. 3.* D. *h. t.* ſeu *ſemper agentibus obſtant, & ſemper rem, de qua agitur, perimunt: §. 9. I. h. t.* qualis eſt *Doli mali, Metus, Rei Judicatæ, Si quid contra Leges vel SCta factum eſſe dicetur, Pacti conventi perpetui,* i. e. ne omnino pecunia petatur, *d. l. 3. D. h. t. §. 9. I. h. t.* ſimileſque

§. 15. *Temporales* vero atque *Dilatoriæ* ſunt, *quæ non ſemper locum habent, ſed evitari poſſunt; d. l. 3. D. h. t.* ſeu *quæ ad tempus nocent, & temporis dilationem*

Digitized by Google

tionem tribuunt: §. 10. *I. h. t.* qualis eſt *Exceptio Pacti conventi temporalis*, id eſt, ne intra certum tempus, veluti quinquennium, ageretur. *d. l. 3.* D. *h. t.* §. 10. *I. h. t.*

§. 16. Sed *Exceptiones Dilatoriæ* diverſi ſunt generis; vel enim ad ipſum *Proceſſum* pertinent, vel *ad Merita cauſæ.*

§. 17. *Quæ ad Proceſſum pertinent*, reſpiciunt vel perſonas in judicio verſantes *Principales*, & *minus Principales*; vel *Modum procedendi.*

§. 18. *Perſonæ Principales* ſunt *Judex*, *Actor*, & *Reus.*

§. 19. *Juriſdictionem Judicis* reſpiciunt *Exceptio* ſeu *Præſcriptio fori*, *l. ult. C. h. t. Incompetentiæ* vulgo dicta, *Exceptio Præventionis*, *l. 7. D. de jud.* & *Exceptio Litis pendentiæ. l. 30.* D. *de jud.*

§. 20. Ipſam *Perſonam Judicis* reſpiciunt *Exceptio Suſpicionis*, *l. 16. C. de jud.* v. ſupr. *ad t. de jud §. 33. & ſeqq.* & *Inhabilitatis. l. 12. §. 2. D. eod.*

§. 21. *Perſonam Actoris & Rei* reſpiciunt, ſi dicatur *eos perſonam ſtandi in judicio non habere, t. t. C. qui legit. perſon. ſtand in jud. hab.* & ſimiles.

§. 22. *Perſonas minus Principales*, *Advocatos* ſcil. & *Procuratores* reſpiciunt Exceptiones, ſi dicatur *Advocatos poſtulare*, *Procuratores in judicio verſari non poſſe*; quæ in ſpecie dicuntur *Procuratoriæ*, quantum ſcil. ad *Procuratores* attinet. *l. 2. §. ult. l. 3.* D. *h. t.* §. *ult. I. h. t.*

§. 23. *Modum Procedendi* reſpiciunt *Exceptiones ratione Citationis*, ſcil. *Termini nimis anguſti*, *Loci non tuti*, *Feriarum* &c. nec non *ratione Libelli*, ſcil. *Exceptio obſcuri & inepti Libelli*, ſimilesque.

§. 24. *Ad Merita cauſæ* vero pertinent *Exceptio plus petitionis §. 10. I. h. t. Præſcriptio Moratoria* a Principe impetrata, *l. 2. C. de prec. Imp. off.* v. ſupr. *ad t. de ceſſ. bon. §. 8. 9. Sub* & *Obreptionis*, *l. 2. C. ſi contr. jus vel util. publ. Cedendarum actionum*, *Competentiæ*, *Non adimpleti contractus*, aliæque ſimiles.

§. 25. *III.* Sed alio ſenſu, quod ſint *Temporales* vel *Perpetuæ*,

§. 26. *Temporales* ſunt, *quæ certo tempore exſtinguuntur*: qualis eſt *Pacti de non petendo intra certum tempus*; ut & quæ per modum Actionis moveri poſſunt, veluti *Querela Inoffitioſi teſtamenti*, *l. 8. §. 13. D. de inoff. teſtam.* junct. *l. 34. in f. C. eod.* & *Exceptio non numeratæ pecuniæ. l. 14. C. de non num. pec. §. un. I. de lit. obl.*

§. 27. *Perpetuæ* vero, *quæ nulla temporis præſcriptione excluduntur*: quales ſunt pleræque omnes. Quia Actor quidem in ſua poteſtate habet, quando jure ſuo uti, & Actionem inſtituere velit; Reus autem, ſeu cum quo agitur, non habet poteſtatem, quando conveniatur, neque poteſt, cum vult, excipere. *l. 5. §. ult. in f. D. de dol. mal. & met. exc.*

§. 28. *IV.* Quod *Exceptiones* ſint vel *Reales*, vel *Perſonales*. *l. 7. pr. §. 1.* D. *h. t. §. ult. I. de replic.*

§. 29.

Digitized by Google

§. 29. *Reales* ſeu *in Rem* ſunt, *quæ rei cohærent*, & proinde quoque fidejuſſoribus & heredibus competunt: *l. 7. §. 1. l. 19.* D. *h. t. §. ult. I. de replic.* veluti *Rei judicatæ*, *Doli mali*, *Jurisjurandi*, *Quod metus cauſa*, *Pacti in rem*, *SCti Macedoniani*, *Vellejani*, & ſimiles. *d. l. 7. §. 1.* D. *h. t. §. ult. I. de replic. l. 9. §. pen. D. ad SCt. Maced. l. 16. §. 1. D. ad SCt. Vellejan.*

§. 30. *Perſonales* vero ſeu *in Perſonam*, *quæ perſonæ cujusque cohærent*, & ad alios non tranſeunt: *l. 7. pr. D. h. t.* veluti *Exceptio Competentiæ*, *d. l. 7. pr. §. ult. I. de replic.* & *Pacti Perſonalis. l. 22. & 25. §. 1.* D. *de pact.*

§. 31. Quin & *Mixta* quodammodo eſt *Exceptio minoris ætatis. l. 18. §. 5. l. 19. pr. D. de min.*

§. 32. Quod ſi plures Exceptiones Reus habeat, omnibus uti poteſt. *l. 5. & 8. D. h. t. l. 43. pr. D. de R. J.*

§. 33. Dummodo legitimo tempore proponantur in Judicio.

§. 34. Qua in re diſtinguendum inter *Exceptiones Dilatorias*, & *Peremtorias.*

§. 35. *Perpetuæ* & *Peremtoriæ* in *ſtricti juris judiciis* ante litem conteſtatam proponendæ ſeu allegandæ, poſt probandæ ſunt. *l. 8. C. h. t. l. 9. C. de præſcr. long. temp.* Ita accip. *l. 2. C. ſent. reſc. non poſſ.*

§. 36. In *bonæ fidei judiciis* vero, & ante & poſt litem conteſtatam opponi poſſunt.

§. 37. Exceptis quæ litis conteſtationem impediunt: veluti *Rei judicatæ*, *Jurisjurandi*, *Tranſactionis*, *c. 1. 2. X. de lit. cont. Non impleti contractus*, *l. 13. §. 8. D. de act. emt.* quæ ante litem conteſtatam allegandæ & probandæ ſunt. v. infr. *ad t. quar. rer. act. non dat. §. ult.*

§. 38. Quædam vero etiam poſt ipſam ſententiam proponi poſſunt: veluti *Exceptio SCti Macedoniani*, & *Vellejani. l. 11. D. ad SCt. Maced.*

§. 39. *Dilatoriæ* autem ordinario ante litem conteſtatam proponendæ ſunt. *l. pen. & ult. C. h. t.*

§. 40. Niſi Reus eas ignoraverit, vel poſt litem conteſtatam demum ortæ ſint; *c. 4. X. h. t.* arg. *l. 11. §. 8.* D. *de interr. in jur. fac.* vel tales ſint, quæ judicium retro reddunt nullum. *l. 24. C. de proc.*

§. 41. Quin & *Dilatoriæ quædam* poſt ſententiam proponi poſſunt: veluti *I.* Si ſententia nulla ſit propter incompetentiam Judicis. *l. f. C. ſi a non comp. jud.*

II. Exceptio competentiæ. *l. 41. §. 2.* D. *de re jud. l. 17. §. ult. D. ſol. matr.*

III. Cedendarum Actionum. *l. 41. §. 1. D. de fidej.*

§. 42. Quemadmodum autem *Actio* eliditur per *Exceptionem*, ſic *Exceptio* eliditur per *Replicationem*, quæ nihil aliud eſt, quam *contraria exceptio*, ſeu *Exceptionis a Reo propoſitæ excluſio*; *d. pr. l. 2. §. 1. 2. l. 22. §. 1.* D. *h. t. l. 10. C. h. t. Replicatio* per *Duplicationem*; *§. 1. I. de replic.* (quæ alio ſenſu vocatur *Triplicatio*;

tio; l. 2. §. 3. D. *h. t. l. 7. §. 1.* D. *de cur. fur.) Duplicatio* per *Triplicationem; §. 2. l. de replic. Triplicatio* per *Quadruplicationem;* & ſic deinceps multiplicantur nomina, dum Reus aut Actor objicit. *l. 2. §. 3. D. h. t. §. 3. I. de replic.*

DE PRÆSCRIPTIONIBUS.

§. 43. Et hæc quidem de *Natura* & *Diviſionibus Exceptionum* in genere; ſequuntur quædam *Exceptiones in ſpecie.* Et quidem *I. Præſcriptiones;* quæ *latius* acceptæ omnes Exceptiones ſignificant. *l. 11. & pen.* junct. *l. 14.* D. *h. t. l. 29. D. de exc. rei jud. l. 8. 12. & ult. C. h. t.* Sed *Strictius* acceptæ ſunt Exceptiones ſpeciales, quibus reus ratione loci, temporis aliarumve circumſtantiarum ſe defendit; qualis eſt *Præſcriptio fori, l. ult. C. h. t. Præſcriptio Moratoria, l. 2. C. de prec. Imp. off.* aliæque *Temporales:* de quibus *t. D. de div. temp. præſcr.*

DE PRÆJUDICIIS.

§. 44. *II. Præjudicia;* quæ ſunt Exceptiones ſpeciales, quibus Actio excluditur hac ratione, quod per eam quæſtioni de re majori ſeu principaliori præjudicium fiat, adeoque inverſo ordine judiciorum & præpoſtere agatur. *l. 13. D. h. t.* junct. *l. 1. §. 1. D. fam. erciſc. l. 16. 18. & 21.* D. *h. t. l. 54. D. de jud.*

TITULUS II.

DE EXCEPTIONE REI JUDICATÆ.

§. 1.

III. Exceptio *Rei judicatæ;* quæ eſt *Exceptio peremtoria; l. 3. D. de exc. Competens Reo per ſententiam ſemel abſoluto, l. 9. & 17. D. h. t. ejusque ſucceſſori & fidejuſſori; l. 9. §. f. l. 21. §. ult. D. h. t. Contra Actorem,* etiamſi per Procuratorem egerit, *l. 11. §. 7.* D. *h. t. ejusque ſucceſſorem, l. 11. §. 3. l. 28.* D. *h. t.* (non etiam contra tertium, *l. 1. 3. & 27. D. h. t. l. 63. D. de re jud.) qui de eadem re, ex eadem cauſa, iterum agit; l. 3. 5. 12. 13. & 14. pr.* D. *h. t. Ad elidendam actionem inſtitutam.*

§. 2. Ut enim hæc Exceptio locum habeat, debet eadem quæſtio, inter easdem perſonas, revocari; *l. 3.* D. *h. t.* i. e. debet idem corpus eſſe, quantitas eadem, idem jus, eadem cauſa petendi, & eadem conditio perſonarum. *l. 12. 13. & 14. pr.* junct. *l. 5. & 7. §. 1. l. 11. §. 4. l. 27.* D. *h. t.*

TITULUS III.

De Diversis Temporalibus Præscriptionibus, Et De Acceſſionibus Poſſeſſionum.

De Diversis Temporalibus Præscriptionibus.

§. 1.

IV. Præſcriptiones *Temporales*; quæ ſunt Exceptiones, quibus Reus agentem repellit, eo quod debito tempore Actionem non inſtituat, vel jure ſuo uſus non eſt.

§. 2. Quæ diverſæ ſunt, prout diverſa ſunt tempora, quibus Actioni vel Juri alicui præſcribitur.

§. 3. Sic intra *Triduum* agendum *Actione de Glande legenda; l. un. pr. D. de gland. leg.* & Advocatus errorem ſuum corrigere debet. *l. ult. C. de error. advoc.*

Intra *Decendium* appellandum. *Nov. 23. c. 1.*

Intra XX. *dies*, poſt libellum oblatum, Judex ſuſpectus recuſandus; *Auth. Offeratur. C. de lit. conteſtat. Auth. Conſequenter. C. de ſent. & interloc.* & reo deliberandum, utrum cedere, an contendere velit. *d. Auth. Offeratur. C. de lit. conteſt.*

Intra XXX. *dies* Apoſtoli (de quibus. v. *l. un.* D. *de libell. dimiſſ.*) petendi; *l. 24. C. de appell. & Exceptio non numeratæ pecuniæ* apochæ opponenda. *l. 14. §. 2. C. de non num. pec.*

Intra L. *dies* Excuſatio a Tutoribus vel Curatoribus proponenda. *l. 38. D. de excuſ. §. 16. l. eod.*

Intra LX. *dies* inſtituenda *Actio Redhibitoria*, ſi venditor, uti oportet, non caveat, vel de ornamentis reſtituendis, jumentisve ornamentorum nomine redhibendis, agatur. *l. 28. 38. pr. D. de Ædil. Ed.*

Intra C. *dies* petenda *Bonorum poſſeſſio* ab Extraneo. *§. 4. I. de bon. poſſ. l. 3.* D. *unde cogn. l. 1. §. 8. 12. D. de ſucceſſ. Ed.*

Intra *Sex menſes* vero inſtituenda *Actio Quanti minoris*, ſi venditor non, ut oportet, caveat. *l. 28. D. de Æd. Ed.*

§. 4. *Anno* præſcribitur *Actionibus Pratoriis pœnalibus, Reſciſſoriæ*, qua reſcinditur id, quod jure civili ratum eſt: *pr. I de perpet. & temp. act. l. 35.* D. *de O. & A.* ut & *Bonorum poſſeſſioni*, ratione Liberorum & Parentum. *§. 4. I. de bon. poſſ.*

Biennio, Exceptioni non numeratæ pecuniæ. l. 14. C. de non num. pec. §. un. I. de lit. obl.

Triennio, Rei Vindicationi, ratione rerum mobilium. *pr. I. de uſucap.*

Quadriennio, Reſtitutionibus in integrum: l. ult. C. de temp. in integr. reſt. ut & *Juri Fiſci*, ratione bonorum vacantium. *l. 2. C. de quadr. præſcript.*

Quinquennio, Querelæ inofficioſi teſtamenti. l. 8. §. ult. D. l. 34. C. de inoff. teſt.

Decennio, Rei vindicationi, ratione rerum immobilium, inter præſentes. *l. ult. C. de præſcr. long. temp. pr. I. de uſucap.*

Vicennio, Rei Vindicationi ratione rerum immobilium inter abſentes: *d. l. ult. C. de præſcr. long. temp. pr. I. de uſucap.* ut & *Actionibus criminalibus. l. 12. C. ad L. Corn. de falſ.*

XXX. *Annis, Actionibus aliis perſonalibus. l. 3. 7. C. de præſcr. XXX. vel XL. ann.*

XL. *Annis, Actioni Hypothecariæ*, quæ contra ipſum debitorem (non tertium) locum habet; *l. 1. §. 1. C. de annal. except.* v. ſupr. *ad t. de diſtr. pign. §. 20.* ut & Actionibus Eccleſiis competentibus. *N. 131. c. 6.*

L. Denique *annis*, Actioni, quæ competit ratione ejus, quod alea amiſſum eſt. *l. ult. C. de aleat.*

§. 5. In quibus tempus modo *Continuum*, v. *l. 3. in f. C. de præſcr. XXX. vel XL. ann.* modo *Utile* eſt, v. *§. 16. I. de excuſ. tut. l. 19. §. f. D. de Æd. Ed.* & ultimum diem completum eſſe oportet. *l. 6.* D. *de O. & A.*

§. 6. Sunt autem dies *Utiles*, quibus *experiundi poteſtas eſt*, i. e. facultas agendi: tum ratione Actoris, ut Actor agere non impediatur; *l. 1. D. h. t.* tum ratione Rei, ut adverſus eum experiundi poteſtas ſit. *l. 4.* D. *h. t.* v. ſupr. *ad t. de fer. §. 37.*

DE ACCESSONIBUS POSSESSIONUM.

§. 7. Non tamen præciſe requiritur, ut, qui præſcribit, ipſe continue poſſideat, ſed & *Acceſſioni poſſeſſionis* hic locus eſt.

§. 8. Quæ nihil aliud eſt, quam *Poſſeſſionis Anteceſſoris cum poſſeſſione Succeſſoris conjunctio; l. 14. §. 1. l. 15. §. 1.* D. *h. t.* & tribuitur *Succeſſoribus*, tum *Univerſalibus*, tum *Particularibus. d. l. 14. §. 1. & ſeqq. D. h. t. §. 7. 8. I. de uſucap.*

§. 9. Ita tamen, ut *Succeſſor Univerſalis* continuet poſſeſſionem a defuncto bona fide cœptam, etiamſi ipſe in mala fide ſit; *§. 7. I. de uſucap. Succeſſor* vero *Particularis* non aliter poſſit uti acceſſione ſui auctoris, quam ſi uterque in bona fide ſit. *l. 13. §. f. D. de acq. vel om. poſſ.* v. ſupr. *ad tit. de uſurp. & uſucap. §. 20. & ſeqq.*

TITULUS IV.

De Doli Mali, Et Metus Exceptione.

§. 1.

V. **E**xceptio *Doli;* quam ideo Prætor propoſuit, ne cui dolus ſuus, per occaſionem juris civilis, contra naturalem æquitatem, proſit. *l. 1. §. 1.* D. *h. t.* junct. *l. 1. pr.* D. *de dol. mal.*

§. 2. Eſt autem *Exceptio Doli* alia *Generalis*, *l. 4. §. 33.* D. *h. t.* alia *Specialis*.

§. 3. *Exceptio Doli Generalis* eſt, *quæ ex omnibus in factum exceptionibus oritur*, adeoque cum omnibus Exceptionibus concurrit; *l. 2. §. 5.* D. *h. t.* qui enim æquitate defenſionis infringere actionem poteſt, D*oli exceptione* tutus eſt. *l. 12. D. h. t.* Quia dolo facit, quicunque id, quod quaqua Exceptione elidi poteſt, petit. *d. l. 2. §. 5. l. 36. D. de V. O.* v. *l. 4. §. 4. pen. l. ult. pr. D. h. t. l. 27. §. 5.* D. *de pact. l. 3. C. de non num. pec.*

§. 4. *Specialis* vero, *qua ex eadem cauſa naſcitur, ex qua Actio de dolo; l. 2. pr. D. h. t.* i. e. ex negotio ab initio dolo malo geſto: *l. 2. §. 5. D. h. t. §. 1. I. de exc. l. 5. C. de inut. ſtip. & datur dolo læſis*, ſive ipſi dolum paſſi ſint, ſive non, *l. 2. §. 2.* D. *h. t. eorumque heredibus & fidejuſſoribus; l. 7. §. 1. D. de exc. Contra eos, qui dolum admiſerunt, l. 2. §. 1.* D. *h. t. & ſucceſſores ex cauſa lucrativa. l. 4. §. 29.* D. *h. t.* Non etiam ex cauſa oneroſa, *d. l. 4. §. 27.* D. *h. t.* niſi ſucceſſor auctoris ſui acceſſione uti velit; *d. l. 4. §. 27.* neque contra Parentes vel Patronos, contra quos in factum excipiendum eſt: *l. 4. §. 16.* D. *h. t.* & ita quidem, ut replicatione doli elidi nequeat. *l. 4. §. 13.* D. *h. t. l. 154. D. de R. J.*

§. 5. Eaque perpetua eſt, quia Actor quidem in ſua poteſtate habet, quando utatur jure ſuo, is autem, cum quo agitur, non habet poteſtatem, quando conveniatur: *l. 5. §. ult.* D. *h. t.* cum Exceptio *Doli Generalis*, tanquam adjectitia qualitas, ſequatur naturam & conditionem earum, cum quibus concurrit. *l. 4. §. 4. 5. D. h. t. l. 3. C. de non num. pec.* junct. *l. 14. C. eod. §. un. I. de lit. obl.*

§. 6. *VI. Exceptio Metus; l. 4. §. 33. quæ* ſimiliter eſt *Prætoria; l. 1. pr.* junct. *l. 9. §. 3.* D. *quod met. cauſ. Competens metu coactis, eorumque heredibus, nec non iis quorum intereſt; l. 14. §. 6. D. quod met. cauſ. l. 7. §. 1.* D. *de exc. Contra omnes, qui ex negotio geſto agere conantur.* v. ſupr. *ad t. quod met. c. §. 33.*

§. 7. Quæ a *Doli Exceptione* diſtat; quod *Exceptio Doli* perſonam complectitur ejus, qui dolo fecit. Enim vero *Metus Exceptio* in rem ſcripta eſt, ſi in ea re nihil metus cauſa factum eſt; ut non inſpiciamus, an is, qui agit, metus cauſa fecerit, ſed an omnino metus cauſa a quocunque factum ſit, *l. 4. §. 33.* D. *h. t.*

Digitized by Google

TITULUS V.

QUARUM RERUM ACTIO NON DATUR.

§. 1.

VII. *Exceptio Jurisjurandi; quæ datur Reo, qui deferente Actore juravit ſe nihil dare oportere.* §. 4. *I. de exc. l. 3. pr. l. 7. 9. §. 1.* D. *de jurej. l. 1. §. 2. D. h. t.* Jusjurandum enim vicem rei judicatæ obtinet; nec immerito, cum ipſe quis judicem adverſarium de cauſa ſua fecerit deferendo ei jusjurandum. *l. 1. pr.* D. *h. t.* v. ſupr. *ad t. de jurej. §. 29. & ſeqq.*

§. 2. *VIII. Exceptio Onerandæ libertatis cauſa;* v. *l. 1. §. 8. D. h. t. quæ datur liberto, ejusque ſucceſſoribus; l. 1. §. 12. D. h. t. Contra patronum, ejusque heredes; d. l. 1. §. 12. Ad excludendum id, quod patronus onerandæ libertatis cauſa a liberto ſtipulatus eſt. l. 1. § 5. & ſeqq. D. h. t.*

§. 3. *Onerandæ* autem *libertatis cauſa facta* belliſſime ita definiuntur, quæ ita imponuntur, ut, ſi patronum libertus offenderit, petantur ab eo, ſemperque ſit metu exactionis ei ſubjectus, propter quem metum quodvis ſuſtineat patrono præcipiente. *d. l. 1. §. 5. l. 2. §. ult. D. h. t.*

§. 4. *IX. Exceptio ejus, quod in alea geſtum eſt;* ratione rei v. c. in alea venditæ, ut ludat, & evictæ. *l. 2. §. 1.* D. *h. t.*

§. 5. Quarum rerum, ſimiliumque nomine, ſi de Exceptione conſtet, Actio non datur. v. *l. 9. pr.* D. *de jurej. l. 1. pr.* D. *ad SCt. Maced. l. 2. §. 1. D. ad SCt. Vellej.*

TITULUS VI.

DE LITIGIOSIS. C. VIII. 37.

§. 1.

X. *Exceptio Litigioſi; quæ datur rei litigioſæ poſſeſſori, contra tertium, qui rem lite pendente a petitore comparavit; l. 1. §. 1.* D. *l. ult. pr. C. h. t.* ſive ſciverit, ſive ignoraverit rem litigioſam eſſe. *l. ult. C. h. t.*

§. 2. Res enim litigioſa cum effectu alienari nequit, ſed lis cœpta inter Actorem & Reum nihilominus peragenda, tanquam ſi nihil factum eſſet. *l. 2. C. h. t.* Quin & alienantes, & comparantes rem litigioſam, inſuper in pœnam incidunt. v. *l. ult. D. l. ult. C. h. t.*

§. 3. Eſt autem *Res Litigioſa, de qua lis mota eſt, Nov. 112. c. 1. Auth. Litigioſa. C. h. t.* ſive illa res ſit mobilis, ſive immobilis, ſive corporalis, ſive incorporalis. v. *l. 3. C. h. t.*

§. 4. Et quidem olim res litigioſa tantum fiebat per Litis conteſtationem, *l. 1. §. 1.* D. *l. 2. C. h. t.* et non ſufficiat denunciatio impediendæ venditionis cauſa facta, *l. 1. pr. D. l. 1. C. h. t.* Sed id Jure novo, quantum ad *Actiones in Rem* attinet,

Digitized by Google

attinet, mutatum, ut ſufficiat, preces Principi oblatas, Judici inſinuatas, ac per eum Adverſario cognitas eſſe. *Nov. 112. c. 1. Auth. Litigioſa. C. h. t.*

TITULUS VII.

De Obligationibus, Et Actionibus.

C. IV. 10.

§. 1.

Atque ita per ſpecies expoſitis *Actionibus*, *quæ ex civilibus cauſis deſcendunt*, nec non Reorum defenſionibus & *Exceptionibus*, nunc porro, priusquam ad eas Actiones, quæ ex Delictis naſcuntur, fiat tranſitus, Generale caput ſubjicitur *de Obligationibus, & Actionibus.*

De Obligationibus.

§. 2. *Obligatio* in genere eſt *Juris vinculum, quo adſtringimur ad aliquid dandum, faciendum, vel præſtandum. l. 3. D. h. t. pr. I. de oblig.*

§. 3. Eaque eſt vel *Mere Naturalis*, vel *Mere Civilis*, vel *Mixta*. v. *§. 1. I. de fidej. l. 1. D. de nov. l. 3. §. 1. D. de pec. conſt. l. 2. §. 3. D. de dol. mal. & met. exc.* §. *1. I. de exc.*

§. 4. *Obligatio Mere Naturalis* eſt *Vinculum æquitatis, quo ita adſtringimur ad dandum aliquid vel præſtandum, ut nulla eo nomine Jure noſtro ſit Actio. v. l. 95.* §. *4. D. de ſolut. l. 84. §. 1. D. de R. J.*

§. 5. Eaque ſubdividitur in *Efficacem* ſeu *Pleniorem, & Inefficacem* ſeu *Minus plenam.*

§. 6. Inefficax ſeu *Minus plena* eſt, *quæ Juris Civilis auxilio deſtituitur.*

§. 7. Talis eſt *I.* Obligatio ad ἀντίδωρα & gratitudinem. *l. 25.* §. *11.* D. *de hered pet. l. 54. §. 1. D. de furt.*

II. Obligatio, quæ oritur ex teſtamento minus ſolenni. arg. *l. 2. 32. C. de fideic. l. 38. D. de fideic. lib. §. 40. I. de R. D.* Plin. *L. IV. Ep. 10*, v. ſupr. *ad t. qui teſt. fac. poſſ.* §. *ult.*

III. Obligatio ad integra legata præſtanda. arg. *dd. ll.* add. *l. 1. l. ult. C. ad L. Falcid.*

IV. Obligatio pupilli pubertati proximi. v. *l. 1. §. 1. in f. D. de nov. §. 3. I. quib. mod. toll. obl. l. 25. §. 1. D. quand. dies leg. ced. l. 95. §. 2. D. de ſolut. l. 21. D. ad L. Falcid. l. 127. D. de V. O.* junct. *l. 59. D. h. t. l. 41. D. de cond. indeb.*

V. Obligatio prodigi. *l. 6.* D. *de V. O.*

VI. Obligatio filiifam. contra SCtum Macedonianum mutuam pecuniam accipientis. *l. 10.* junct. *l. 1.* D. *ad SCt. Maced.*

VII. Obli-

VII. Obligatio mulieris contra SCtum Vellejanum intercedentis. *l. 16. §. 1.* D. *ad SCt. Vellej. l. 40.* D. *de cond. ind.*

VIII. Obligatio, quæ oritur ex transactione, ſuper alimentis teſtamento relictis, ſine decreto Prætoris inita. *l. 8. pr.* D. *de transact. l. 23. §. 2.* D. *de cond. indeb.*

§. 8. *Obligatio Naturalis Efficax* ſeu *Plenior* eſt, *quæ eosdem fere effectus habet, quos Obligatio mixta, ſola excepta Actione, quam non producit.*

§. 9. Poteſt enim tale naturale debitum cum quovis alio compenſari; *l. 6.* D. *de compenſ.* poteſt conſtitui; *l. 1. §. pen. D. de pec. conſt.* novari; *l. 1.* §. *1. D de novat.* poſſunt ei fidejuſſores & pignora accedere; *§. 1. I. de fidej. l. 5.* D. *de pign.* non poteſt denique Naturale debitum per errorem ſolutum repeti. *l. 10. D. de O. & A. l. 19. pr. D. de cond. indeb. l. 3. §. 7. D. quod quisque jur. in al. ſtat.*

§. 10. Qualis eſt Obligatio, quæ ex ſola conventione, ſeu ex nudo pacto naſcitur: ex quo jure noſtro *Obligatio* quidem oritur & *Exceptio*, ſed non etiam Actio. *l. 7. §. 5. l. 45. D. de pact. l. 8. & 15.* D. *de præſcr. verb. l. 10. 21. & 28. C. de pact.* v. ſupr. *ad t. de pact. §. 20. & ſeqq.*

§. 11. *Obligatio Mere Civilis* eſt *vinculum meri juris civilis, quo quis ita tenetur, ut ſummo jure in eum ſit Actio, ſed talis, quæ jure Prætorio per Exceptionem infirmari poſſit.* v. *l. 3. §. 1. D. de pec. conſt. l. 112. D. de R. J.*

§. 12. Qualis eſt, ſi quis metu coactus, vel errore lapſus, aut dolo inductus aliquid promiſerit; ut &, ſi poſt conſtitutam obligationem debitor cum creditore pactus ſit, ne petat. *§. 1. & ſeqq. D. de except.*

§. 13. *Obligatio Mixta* eſt *vinculum & Æquitatis* & *Juris Civilis, quo quis ita adſtringitur, ut Actio in eum efficax detur;* ſeu *Juris vinculum, quo neceſſitate adſtringimur alicujus rei ſolvendæ, ſecundum noſtræ civitatis jura. pr. I. de obl.*

§. 14. Eaque vel *Vere talis* eſt, vel *Præſumtive;* qualis eſt *Obligatio*, qua tenentur *Judicati, Confeſſi*, nec non illi, contra quos juratum eſt. *l. 56. D. de re jud. l. 25. D. de ſtat. hom. l. 207.* D. *de R. J. l. 1. D. l. un. C. de confeſſ. §. 11. I. de act.* Ejusdemque generis videtur *Obligatio Literarum. §. un. I. de lit. obl.*

§. 15. Obligationes *Mixtæ* ſunt vel *Civiles*, vel *Prætoriæ.*

§. 16. *Civiles* ſunt, *quæ aut Legibus conſtitutæ, aut certo jure Civili comprobatæ ſunt; §. 1. I. h. t.* veluti *Obligatio Verborum.* ex L. XII. Tab. *de Pauperie, l. 1. pr.* D. *ſi quadr. paup. fec. dic.* ex L. Aquilia, *t. t. D. & I. de L. Aquil.* ſimilesque.

§. 17. *Prætoriæ* vero, *quas Prætor ex ſua Jurisdictione comparatas habet; d. §. 1. I. h. t.* veluti *Obligatio ex Conſtituto, de Peculio, ex Jurejurando, §. 9. 10. 11. I. de act.* aliæque ſimiles.

§. 18. Oriuntur autem Obligationes *Mixtæ* aut ex *Contractu*, aut ex *Maleficio*, aut *Quaſi ex Maleficio. l. 1. pr. §. 1. & ſeqq. l. 3. §. 2. l. 4. 5. pr. §. 1. & ſeqq.* D. *h. t. §. 2. I. h. t.*

§. 19.

§. 19. Sed non raro etiam Obligationes proprio jure oriuntur *ex Variis cauſarum figuris*, *l. 1. pr. D. h. t.* ex ſola ſcil. æquitate. v. *l. 32. D. de reb. cred. §. 29. I. de R. D. l. 3. §. 3. D. ad exhib.* v. Diſſert. *N. II. de Cauſ. Obl. C. VI.* Diſſ. *III. C. II. & ſeqq.* Diſſ. VI. *C. I. II. III.* Diſſ. VII. *C. III.*

De Actionibus.

§. 20. *Actio* latiori ſenſu accepta, quatenus omnes complectitur *Actiones Civiles*, ſive illæ *Ordinariæ* ſint, ſive *Extraordinariæ*, *l. 37. pr. D. h. t. l. 178. §. 2.* D. *de V. S.* nihil aliud eſt, quam *Jus perſequendi*, *in Judicio, quod ſibi debetur. l. 51. D. h. t. pr. I. de act.*

§. 21. Dicitur *Jus*; i. e. remedium jure conceſſum: *l. 7. §. 1.* D. *de in int. reſt.* conſideratur enim hic *Actio* ut via & medium, per quod ad id, quod noſtrum eſt, aut nobis debetur, pervenitur; non tanquam jus, quod eſt in patrimonio, & ad ſecundum juris objectum pertinet. *l. 49. D. de V. S.*

§. 22. *Perſequendi*; i. e. quovis modo petendi: latius enim hæc vocula hic accipienda, neque ad perſecutiones extraordinarias, de quibus. *l. 178. §. 2. D. de V. S.* reſtringenda eſt.

§. 23. *In Judicio*; i. e. apud Magiſtratum ſeu Judicem competentem. Nemo enim ſibi jus dicere debet aut propria auctoritate, quod ſibi deberi putat, occupare; *l. 13. D. quod met. cauſ. l. 1. §. 2.* D. *quod legator.* ne tumultus excitetur in Republica, *l. 176. pr. D. de R. J.*

§. 24. *Quod ſibi debetur.* i. e. quod alter quovis modo præſtare tenetur. Neque enim tantum hoc ad *Actionem in Perſonam* pertinet, qua proprie quisque perſequitur, *quod ſibi debetur*; v. *§. 14. I. de act. l. 27. §. 2. D. de aur. arg. leg.* ſed & ad *Actionem in Rem*, verbumque *debetur* hic late accipiendum eſt. v. *l. 178. §. ult. D. de V. S. l. 2. §. 1. l. 6. pr. §. 2. in f. D. ſi ſerv. vind. l. 19. §. 2. D. comm. div. l. 1. D. de compenſ.* junct. *§. 30. I. de act.*

§. 25. *Actiones* autem varie *dividuntur*. Et quidem *I.* & ſumma diviſio eſt, quod ſint vel *in Rem*, quæ dicuntur *Vindicationes*, vel *in Perſonam*, quæ dicuntur *Conditiones*. *l. 25. D. h. t. §. 1. & 15. I. de act.*

§. 26. *Actio in Rem* eſt, *quæ oritur ex jure in re, & datur contra eum, qui rem poſſidet. d. l. 25. D. h. t. §. 1. I. de act.*

§. 27. Cujus juris in re quinque poſſunt conſtitui ſpecies: *I. Dominium, §. 4. I. de uſufr. l. 23.* D. *de R. V. l. 3. §. 12. D. ad exhib. l. 19. D. de damn. inf. l. 8. §. 1. C. de præſc. XXX. vel XL. ann.* & *Jus* Dominio *proximum*, *Jus* ſcil. Emphyteuſeos & Superficiei; *l. 1. §. 1. D. ſi ag. vect. l. 1. 2. 3. C. de jur. emph. l. 12. C. de fund. patrim. l. 1. §. 1. D. de ſuperf.* junct. *l. 73. §. 1. l. 74. 75. D. de R. V. l. 19. pr. D. de damn. inf.* (quod vulgo *Utile dominium* vocari ſolet) ex quo naſcitur *Rei vindicatio* in ſpecie ſic dicta, *t. t. D. & C. de R. V.*

II. Jus Hereditatis; l. 9. & 19. pr. D. de hered. pet. l. 1. §. f. D. ſi quadr. paup. fec. dic. l. 6. D. de relig. ex quo naſcitur *Hereditatis petitio. t. t.* D. & *C. de her. pet.*

III. Jus Servitutis; §. 2. I. de act. l. 13. §. 1. l. 19. D. de damn. inf. l. 30. D. *de noxal. act. l. 3.* §. *12.* D. *ad exhib.* ex quo naſcitur *Actio Confeſſoria. d. §. 2. I. de act. l. 2. pr. §. 1.* D. *ſi ſerv. vind.*

IV. Jus Pignoris; d. l. 30. D. *d. noxal. act. d. l. 19. D. de damn. inf. l. 3. §. 12. D. ad exhib.* ex quo naſcitur *Actio Serviana, & Quaſi Serviana* ſeu *Hypothecaria. §. 7. I. de act.*

V. Jus Poſſeſſionis; l. 3. §. 12. D. ad exhib. junct. *l. 1. D. eod l. 5. §. 1.* D. *ad L. Jul. de vi publ.* ex quo naſcitur *Interdictum Uti poſſeſſidetis.* §. 4. *I. de Interdict.*

§. 28. *Jus Dotis* neceſſe non eſt ſeparatam facere ſpeciem *Juris in re,* cum maritus conſtante matrimonio dotis ſit dominus. *pr. I. quib. alien lic. l. 13. §. 2.* D. *de fund. dot. l. 7. §. 3.* D. *de jur. dot. l. 9. C. de R. V. §. 40. I. de R.* D. v. ſupr. *ad t. de jur. dot. §. 36.*

§. 29. *Actio in Perſonam* vero eſt, *quæ oritur ex Obligatione, qua cum eo agimus, qui obligatus eſt nobis, ad faciendum aliquid, dandum, vel præſtandum, & ſemper adverſus eum locum habet, qui nobis obligatus eſt, non contra alium. l. 25. pr.* D. *h. t. §. 1. I. de act.*

§. 30. *Tertium genus* Actionum, *Mixtarum* ſcil. quæ *ratione originis* & *in Rem* ſint, & in *Perſonam*, i. e. tam ex jure in re, quam ad rem oriantur, non agnoſcimus.

§. 31. Nullæ enim ſunt Actiones, quæ vel ad *Actiones in Rem,* vel ad *Actiones in Perſonam,* ſatis commode referri nequeant.

§. 32. Actiones ſiquidem *Finium regundorum, Familiæ erciſcundæ, Communi dividundo,* & *Petitio hereditatis*, quas multi *Quadrigas Mixtarum Actionum* appellant, vel *in Rem* ſunt, vel *in Perſonam* tantum.

§. 33. Et quidem tres priores *Finium regundorum* ſc., *Familiæ erciſcundæ,* & *Communi dividundo,* Actiones *in Perſonam* eſſe manifeſtum eſt ex *l. 1.* D. *fin. reg. l. 1. §. 1. C. de annal. exc.*

§. 34. Oriuntur enim ex Obligatione, quæ *Quaſi ex contractu* deſcendit. *§. 3. 4. I. de obl. quæ quaſ. ex contr.* Licet in confuſione finium dolus adverſarii quandoque concurrat. v. *l. 4. §. 4. D. fin. reg.* v. ſupr. *ad t. fin. reg. §. 5. 6. ad t. fam. erc. §. 4.* & *ad t. comm. div. §. 3.*

§. 35. *Petitio* autem *hereditatis*, Actio *in Rem* eſt: *l. 25. §. 18. D. de pet. her. l. 27. §. 3. D. de R. V.* quia oritur ex *Jure Hereditatis,* quod *Jus* eſt *in re. l. 9. & 19. pr. D. de hered. pet. l. 1. §. f. D. ſi quadr. paup. fec. dic. l. 6. D. de relig.* v. ſupr. *ad t. de her. pet.* §. *6.*

§. 36.

Digitized by Google

§. 36. *Mixtæ* tamen dictæ Actiones dici poſſunt, tum ratione ſubjectæ materiæ, eo quod partim de rebus, partim de præſtationibus perſonalibus, exercentur; *l. 25. §. 18.* D. *de pet. her. l. 22.* §. 4. D. *fam. erciſc.* (ita accip. *§. 20. I. de Act. l. 7. C. de pet. her.*) tum ratione inſtitutionis, quia in Actionibus *Finium regundorum, Familiæ erciſcundæ, Communi dividundo*, uterque Actor eſſe poteſt. *l. 37.* §. *1. D. h. t. l. 13. 14.* D. *de jud.*

§. 37. *II.* Quod ſint *Civiles*, vel *Prætoriæ* ſeu *Honorariæ*. *l. 25.* §. *2.* D. *h. t. §. 3. I. de act.*

§. 38. *Civiles* ſunt, *quæ ex Civilibus & legitimis cauſis deſcendunt; d. §. 3. I. de act.* veluti *Rei vindicatio*, *Actio Confeſſoria* & *Negatoria*, ſimileſque *§. 1. 2. 3. I. de act.*

§. 39. *Prætoriæ* vero, *quas Prætor ex ſua Jurisdictione comparatas habet; d. §. 3. I. de act.* quales ſunt, & quidem *In Rem*, *Actio Publiciana*, *Reſciſſoria*, *Serviana*, *& Quaſi Serviana: §. 3. 4. 5. & 7. I. de act. In Perſonam* vero, *Actio Pauliana*, (v. ſupr. *ad t. quæ in fraud. cred.* §. *12.*) *de Pecunia conſtituta, de Peculio, In factum ex Jurejurando, §. 6. 8. 9. 10. 11. I. de act.* & ſimiles.

§. 40. *III.* Quod *quædam Actiones Rei perſequendæ gratia* comparatæ ſint, *quædam Pœnæ perſequendæ, quædam Mixtæ ſint. §. 16. I. de act.*

§. 41. *Rei perſequendæ gratia* comparatæ ſeu *Rei perſecutoriæ* ſunt, *quibus perſequimur, quod quovis modo ex patrimonio nobis abeſt; l. 35. pr.* D. *h. t.* quales ſunt omnes *Aciones in Rem*, & *Perſonales ex Contractu: §. 17. I. h. t.* nec non *Condictio furtiva*, & *Actio Rerum amotarum*, ex delicto deſcendentes, *l. 7. §. 1. 2.* D. *de cond. furt. l. 21. §. 5.* D. *rer. amot.*

§. 42. *Pœnæ perſequendæ gratia* comparatæ ſeu *Pœnæ perſecutoriæ* ſunt, *quibus perſequimur pœnam legitimam;* arg. *l. 7.* D. *de ſerv. export.* quales ſunt *Actio Furti, aliæque ex delictis deſcendentes. §. 18. I. h. t.*

§. 43. *Mixtæ* vero i, e. *& Rei & Pœnæ perſecutoriæ, quibus partim perſequimur id, quod nobis abeſt ex patrimonio, partim pœnam legitimam*; qulis eſt *Actio Vi bonorum raptorum*, quia in quadruplo rei perſecutio continetur: *Actio Legis Aquiliæ de damno dato,* ſi adverſus inficiantem agatur in duplum, vel in id, quanti intra annum, vel XXX. dies, res fuerit plurimi: *Actio de Legatis Eccleſiæ* vel aliis venerabilibus locis *relictis*, ſi contra inficiantem, vel ſolutionem differentem, usque dum in jus vocatus ſit, inſtituatur in duplum. *§. 19. I. de act,*

§. 44. *IV.* Quod vel *in Simplum* conceptæ ſint, vel *in Duplum*, vel *in Triplum.* vel *in Quadruplum. §. 21. I. de act.*

§. 45. *In Simplum* ſunt omnes *Actiones Rei perſecutoriæ. §. 22. I, de act.*

§. 46. *In Duplum* agimus *Actione Furti Nec manifeſti, Damni ex Lege Aquilia* contra inficiantem, *Depoſiti*, ſi depoſitum ſit miſerabile, *Servi corrupti*, nec non *Actione de Legatis venerabilius locis relictis* contra inficiantes, vel differentes. *§. 23. 26. 27, I. de act. l. 1. §. 1.* D. *depoſ.*

Pppp 2 §. 47.

§. 47. Quarum quædam ab initio ſtatim ſunt *Dupli*, quædam demum ex poſt facto; uti ex dictis ultro intelligitur. *§. 26. I. de act.*

§. 48. *In Triplum* Actio contra eos conceditur, qui majorem ſummam, quam ipſis competit, in libello propoſuerunt, ut ex hac cauſa viatores, i. e. executores litium, ampliorem ſummam ſportularum nomine exigerent. §. *24. I. h. t.*

§. 49. In Quadruplum agimus *Actione Furti Manifeſti, Quod Metus cauſa, In factum contra calumniatores*, item *Actione contra executores litium, qui plus debito exegerint. §. 25. I. h. t.*

§. 50. V. Quod quædam ſint *Bonæ fidei*, quædam *Stricti juris, §. 28. I. de act.* quædam *Arbitrariæ. §. 31. I. eod.*

§. 51. Actiones Bonæ fidei ſunt, *in quibus libera poteſtas permittitur Judici, ex bono & æquo æſtimandi, quid alterum alteri præſtare oporteat.* §. *30. I. de act.* Cic. *de Off. L. III. c. 17.*

§. 52. In bonæ fidei judiciis enim multa veniunt, de quibus nominatim non convenit; *l. 31. §. 20.* D. *de Ædil. Ed.* quia tantundem in b. f. judiciis officium Judicis valet, quantum in Stipulatione v. c. nominatim ejus facta interrogatio. *l. 7.* D. *de neg. geſt.*

§. 53. Ceterum *Bonæ fidei* Actiones hæ ſunt, ex *Emto Vendito, Locato Conducto, Negotiorum Geſtorum, Mandati, Depoſiti, Pro Socio, Tutelæ, Commodati, Pignoratitia, Familiæ erciſcundæ, Communi dividundo, Præſcriptis verbis de Æſtimato*, & *quæ ex Permutatione competit, Petitio hereditatis, §. 28. I. de act* & *Actio ex Stipulatu de dote. §. 29. I. de act.* Cic. *de Off.* L. *III. c. 17. 15.*

§. 54. Præter quas plures *Actiones Bonæ fidei* in jure noſtro non reperiuntur.

§. 55. Quod tamen non ita intelligendum eſt, quaſi excluſæ etiam eſſent Actiones, quæ ſub expreſſis, tacite continentur; ſub genere enim continentur ſpecies: adeoque per Actionem *Mandati, Depoſiti* &c. non tantum *Directa* intelligenda, ſed & *Contraria*; Cic. *de Offic. L. III. c. 17.* & ſub Actione *Negotiorum geſtorum, Funerariam* contineri, minime dubitandum eſt. arg. *l. 14. §. 7. 9. 11. 13. & 16. D. de religioſ.*

§. 56. Quin & *Actio Emphyteuticaria Bonæ fidei* eſſe videtur, propter ſimilitudinem, quam cum Actione *Emti Venditi* & *Locati Conducti* habet.

§. 57. Actiones Stricti juris, ſeu *ſtricti judicii. l. 5.* §. *ult. D. de in lit. jur.* ſunt, *in quibus poteſtas Judicis olim formulæ, jam conventioni partium adſtricta eſt.* v. *l. 99. D. de V. O.*

§. 58. Jus enim *ſtrictum*, hic non *jus ſummum*, ut alibi, v. *l. 8. C. de jud. l. 17. D. de injuſt. rupt. irr. l. 2. §. 5. D. de aq. & aq. pluv. arc.* ſed *parvam*, ſeu *non liberam, judicis poteſtatem ſignificat.*

§. 59.

Digitized by Google

§. 59. Sunt autem *Stricti juris Actiones* omnes illæ, quæ non ſunt *Bonæ fidei*, vel *Arbitrariæ*.

§. 60. *Actiones* vero *Arbitrariæ* ſunt, in *quibus propter contumaciam*, (ſi ſcil. Judicis arbitrio, jubentis rem petitori reſtitui, non pareat reus) *vel loci adjectionem, ſequitur condemnatio in aliquid majus. §. 31. I. h. t. l. 14. §. 4. D. quod met. cauſ. l. 46. & ſeqq. D. de R. V. l. 2. D. de eo quod cert. loc.*

§. 61. Quas ab *Actionibus Bonæ fidei, & Stricti juris*, diverſas eſſe, docent tum textus in *d. §. 31. verb. Præterea. l. 5. pr. §. 4. D. de in lit. jur. l. 3. §. 1. D. de uſur.* tum diverſa harum Actionum natura.

§. 62. In *Bonæ fidei* judiciis enim condemnatio fit ex natura ipſius Actionis; *Hic* ex accidenti: In *Stricti juris* Actionibus condemnatio fit ſecundum ſtrictam conventionem partium; In *Arbitrariis* ex arbitrio Judicis.

§. 63. Sunt autem *Arbitrariæ, Actio Publiciana, Serviana, Quaſi Serviana, l. 16. §. 3.* D. *de pign. §. 31. I. de act.* imo omnes Actiones in rem, arg. *l. 46. & ſeqq. D. de R. V. l. 5. 8.* D. *de in lit. jur.* ſola excepta *Hereditatis petitione*, quæ bonæ fidei eſt; *§. 28. I. de act. Actio quod metus cauſa, l. 14.* §. 1. 4. D. *quod met. cauſ. §. 31. I. de act. De eo quod certo loco, Ad exhibendum, d. §. 31. Finium regundorum, l. 4. §. 3. D. fin. reg.* §. *6. I. de off. jud. Actio Faviana, l. 5. §. 1. D. ſi quid in fraud. patr. Calviſiana*, arg. *l. 3.* §. *3. D. eod. Redhibitoria, l. 45. D. de Æd. Ed.* omnesque actiones in perſonam, (dummodo non ſint *Bonæ fidei*) ad reſtituendum conceptæ.

§. 64. *VI.* Quod quædam, & quidem pleræque, dentur *In Solidum*, quædam *In minus quam ſolidum. §. 36. I. de act.*

§. 65. Quod contingit *I.* Propter *Rationem peculii*, aliamve ſimilem qualitatem adjectitiam. *d. §. 36 I. de act.*

II. Propter *Beneficium Competentiæ*, de quo vid. ſupr. ad *t. de re jud. §. 56. & ſeqq.*

III. Propter *Jus Compenſationis. §. 39. I. de act.* v. ſupr. ad *t. de compenſ. §. 20. & ſeqq.*

§. 66. *VII.* Quod ſint *Principales*, vel *Adjectitiæ;* quales ſunt *Actio Quod juſſu, Exercitoria, Inſtitoria, Tributoria, De Peculio, De in rem verſo*, v. *§. 1. 2. 3. 4. 5. ult. I. quod cum eo qui in alien. pot.* & *Noxales.* v. *pr. I. de noxal. act.*

§. 67. *VIII.* Quod quædam ſint *Perpetuæ*, quædam *Temporales. t. t. I. de perpet. & temp. act.*

§. 68. Et olim quidem, ante Theodoſium Imp. omnes *Actiones Civiles* erant *perpetuæ*, nulloque tempore excludebantur; omneſque *Prætoriæ Temporales*, annoque circumſcribebantur: quia & ipſius Prætoris annale erat Imperium. *pr. I. de perp. & temp. act.*

§. 69 Sed poſtmodum *Actiones Civiles* (ut litium aliquis finis eſſet) certo tempore circumſcriptæ ſunt; ut ſcil. *Actiones in Rem*, ſi res mobilis ſit, triennio

 ſi im-

ſi immobilis, decennio inter præſentes, vicennio inter abſentes præſcribantur: *pr. I. de uſucap. l. ult. C. de præſcr. temp. Actiones in Perſonam* vero XXX. annis; *l. 3. C. de præſc. XXX. vel XL. annor. Hypothecaria* autem, quæ contra ipſum debitorem locum habet, *l. 1. §. 1. C. de annal. exc. & Actiones Ecceleſiis Religioſisque locis competentes* XL. annis excludantur. *N. 131.* v. ſupr. *ad t. de uſurp. & uſuc.* §. *24. 34. 35. & ad t. de div. temp. & præſcr. §. 3.*

§. 70. Quia tamen hæ Actiones etiamnum ad longum tempus durant, adhuc dicuntur *Perpetuæ. pr. I. de perp. & temp. act.* add. *l. 1.* D. *pro ſoc.*

§. 71. Aliud etiam deinde conſtitutum quoad *Actiones Prætorias. Actiones* enim *Prætoriæ Rei perſecutoriæ* etiam factæ ſunt *Perpetuæ;* excepta *Reſciſſoria,* qua reſcinditur id, quod Jure Civili ratum eſt. *l. 35. pr.* D. *de O. & A.*

§. 72. *Actiones* autem *Prætoriæ Pœnales* manſerunt *Annales; d. l. 35. D. de O. & A.* excepta *Actione Furti manifeſti,* quæ eſt perpetua: abſurdum enim exiſtimavit Prætor eam anno terminari. *pr. I. de perp. & temp. act.*

§. 73. *IX.* Quod *quædam Actiones* dentur *Heredibus, & contra Heredes; Quædam Heredibus, non contra Heredes; Quædam neque Heredibus, neque contra Heredes. Inſcr. & §. 1. I. de perp. & temp. act. & quæ ad hered. & in hered. trans.*

§. 74. *Actiones Rei perſecutoriæ,* ſive ex Contractu, ſive ex Delicto, (qualis eſt *Condictio Furtiva, & Actio rerum amotarum, l. 7. §. 1. 2. D. de cond. furt. l. 25. §. 5. D. rer. amot.* v. ſupr. §. *41.) dantur Heredibus, & contra Heredes. l. 49.* D. *h. t. l. 157. §. 2. D. de R. J. l. 7.* §. *2. l. 9. D. de cond. furt. l. 6. §. 4. D. rer. am.*

§. 75. *Actiones Pœnales,* ſive ex Delicto, ſive ex Contractu, puta Depoſito miſerabili, v. *§. 17. I. de act. l. 1. §. 1. l. 7. §. 1.* D. *depoſ. dantur quidem Heredibus, ſed non contra Heredes. §. 1. I. de perpet. & temp. act. l. un. C. ex delict. def. in quant. ten. her.*

§. 76. Niſi ab ipſis principalibus perſonis fuerint conteſtatæ; quo caſu heredibus dantur, & contra heredes. *d. §. 1. in f. l. 26. 58.* D. *h. t. l. 164. D. de R. J. d. l. un. C. ex delict. defunct.*

§. 77. Quin & id, quod ex delicto ad heredes pervenit, ipſis auferendum eſt; *l. 38.* D. *de R. J. l. 5. D. de calumn. l. un. C. ex delict. def. in quant. ten. her.* ne alieno ſcelere ditentur. *d. l. un.*

§. 78. *Actiones* vero, *quæ Vindictam continent, neque dantur Heredibus, neque contra Heredes; §. 1. I. de perpet. & temp. act.* niſi & hic lis conteſtata ſit. *d. l. un. C. ex delict. def.*

§. 79. Qualis eſt *Actio Injuriarum, §. 1. I. de perp. & temp. act. Querela inofficioſi, l. 8. pr. D. de inoff. de Revocandis donationibus, l. 7. C. de rev. don.* ſimilesque. v. *l. pen. D. de in jus voc. l. pen.* §. *ult. D. ne quis eum. l. 4. D. de calumn. l. 9. D. de relig.*

§. 80.

Digitized by Google

§. 80. X. Quod ſint *Directæ*, vel *Contrariæ*.

§. 81. *Directæ* ſunt, *quæ naſcuntur ex contractibus dipleuris ſeu bilateralibus, & domino competunt*, ſeu *ei, cujus ſtatim ab initio principaliter intereſt*. v. *l.* 17. *§. 1.* D. *commod.*

§. 82. *Contrariæ* vero, *quæ ab altera parte ex poſt facto naſcuntur, eique competunt, cujus minus principaliter intereſt. d. l. 17. §. 3. l. 18. §. 2. l. pen.* D. *commod. l. 31. D. de pign. act. l. 5.* D. *depoſ. l. 1. pr. §. pen. D. de contr. tut. & ut act.*

§. 83. *XI.* Quod ſint D*irectæ*, vel *Utiles*.

§. 84. Quæ dupliciter maxime accipiuntur: 1. Ut Actiones *Directæ* dicantur, quæ ſunt *Civiles; Utiles* contra, quæ ſunt *Prætoriæ*. v. *§. 4. I. de act. l. 16. §. ult. D. de pign. act. l. 26. §. 2. D. de noxal. act. l. 1. §. 4.* D. *de ſuperf. l. ult. C. quib. ex cauſ. maj.* 2. Ut D*irectæ* ſint, *quæ naſcuntur ex verbis Legis; Utiles* vero, *quæ ex mente Legislatoris. §. ult. I. de Leg. Aquil.*

§. 85. *XII.* Quod ſint D*irectæ* ſeu *Principales, & Præparatoriæ;* qualis eſt *Actio ad Exhibendum* reſpectu *Vindicationis. l. 3. §. 13. l. 17.* junct. *l. 1.* D. *ad exhib.*

§. 86. *XIII.* Quod ſint *Petitoriæ*, vel *Poſſeſſoriæ*.

§. 87. *Petitoriæ* ſunt, *quibus de Proprietate, vel ſimili jure, extra poſſeſſionem, agitur.*

§. 88. *Poſſeſſoriæ* vero, *quibus de Poſſeſſione contenditur.* v. *l. 24.* D. *de R. V. l. 12. §. 1. D. de acq. poſſ. l. 14. §. f.* D. *de exc. rei jud.*

§. 89. *XIV.* Quod ſint vel *Univerſales*, vel *Generales*, vel *Speciales* ſeu *Particulares*.

§. 90. *Actiones Univerſales* ſunt, *quibus de rerum Univerſitate agitur;* veluti *Hereditatis Petitio. l. 1. pr. D. de R. V.*

§. 91. *Generales, quibus* non de tota univerſitate, *ſed de pluribus* tamen *rebus agitur;* veluti *Actio pro Socio, Negotiorum Geſtorum, Tutelæ. l. 38. pr.* D. *pro ſoc.*

§. 92. *Speciales* vero ſeu *Particulares, quibus de re ſpeciali* ſeu *ſingulari agitur;* veluti Actio *Mandati, Commodati, Depoſiti. d. l. 38. D. pro ſoc.*

§. 93. *XV.* Quod ſint *Simplices*, vel D*uplices* ſeu *Mixtæ. l. 37. §. 1.* D. *h. t. §. 7. I. de interdict.*

§. 94. *Actiones Simplices* ſunt, *in quibus ab initio alter Actor, alter Reus eſt. d. §. 7. I. de interdict.*

§. 95. D*uplices* autem ſeu *Mixtæ, in quibus uterque Actor vel Reus eſſe poteſt;* ut puta *Finium regundorum, Familiæ erciſcundæ, Communi dividundo, Interdictum Uti poſſidetis & Utrubi. d. l. 37. §. 1.* D. *h. t. §. 7. I. de interdict.* Pro *Actore* vero habetur, qui prior ad judicium provocaverit. *l. 13. 14.* D. *de jud.*

§. 96.

§. 96. Cum autem non raro contingat, ut uni contra eundem plures Actiones competant, de *Cumulatione, & Concurſu Actionum*, ſimul videndum eſt.

DE CUMULATIONE ACTIONUM.

§. 97. *Cumulatio Actionum* eſt *plurium Actionum, ſive unius, ſive plurium rerum nomine competentium, in eodem libello coacervatio.*

§. 98. Quæ jure noſtro eſt illicita; *l. 76. §. 8. D. de leg. 2. l. 18.* D. *de except.* ſingulis enim controverſiis, ſingulæ Actiones, unusque judicati finis ſufficit: ne aliter modus litium multiplicatus ſummam atque inexplicabilem difficultatem faciat. *l. 6. D. de except. rei jud.*

§. 99. Niſi incertum ſit, qua Actione potius agendum ſit; quo caſu duas pluresve dictare licet, ſub proteſtatione, de condemnatione ex una tantum facienda: *l. 1. §. 4. D. quod legator.* vel ejusdem Actionis, ex eodem contractu, diverſæ relationes reſultent. *l. 35. §. 1. D. locat. cond. l. 50. D. de contr. emt*

DE CONCURSU ACTIONUM.

§. 100. *Concurſus* vero *Actionum* eſt, *cum Actiones duæ pluresve, eidem Actori, adverſus eundem Reum, ex eadem, vel diverſis cauſis, competentes, concurrunt. l. 10.* D. *de act. emt.* junct. *l. 5. D. de fidej. l. 29. D. h. t. l. 2. pr. D. de priv. delict. l. 56. D. de furt. l. 32. 34. pr.* D. *h. t. l. 130.* D. *de R. J.* .

§. 101. Qui duplex eſt, *Electivus, & Cumulativus.*

§. 102. *Concurſus Electivus* eſt, *cum una Actio tantum inſtitui poteſt, & una electa altera tollitur.*

§. 103. *Cumulativus* vero, *cum omnes inſtitui poſſunt, & omnibus cum effectu agi poteſt.*

§. 104. An autem Actiones concurrant *Elective,* an *Cumulative?* ſequentes tenendæ ſunt Regulæ.

§ 105. *I. Quoties Actiones ex diverſis cauſis deſcendunt, ſive ejusdem rei nomine competant, ſive diverſarum, concurrunt cumulative,* i. e. omnibus agi poteſt. *l. 18. 29. D. h. t. l. 2. pr. D. de priv. del. l. 56. pr. D. de furt.*

§. 106. *II. Quoties* vero *ex eadem cauſa, eodem* ſcil. *contractu,* vel *delicto, deſcendunt, ſi quidem ejusdem rei nomine competunt,* i. e. omnes vel rei perſecutoriæ ſint, vel pœnales, *concurrunt elective,* i. e. una tantum quis experiri poteſt. *l. 34. §. 1. l. 53. pr. D. h. t. l. 9. §. 1.* D. *de trib. act. l. 43. §. 1.* junct. *l. 57.* D. *de R. J.*

§. 107. Niſi in una plus ſit, quam in alia; quo caſu, ſi actum ſit ea, in qua minus eſt, deinde adhuc altera agere licet, in quantum in ea plus eſt. *l. 34. pr §. 2. l. 41. §. 1. D. h. t. l. 1. D. arb. furt. caeſ. l. 28.* D. *de act. emt. l. 47.* D. *pro ſoc.*

§. 108. *III. Quod ſi* vero *ex eadem cauſa deſcendant, & diverſarum rerum nomine competant,* i. e. una ſit Rei perſecutoria, altera Pœnalis, *concurrunt etiam cumulative,* i. e. utraque agi poteſt. *l. 34. §. 2. D. h. t. l. 7. §. 1.* D. *de cond. furt. l. 54. §. 3. D. de furt. l. 45. D. pro ſoc. l. 42. D. locat. l. 2. §. 1. D. de tut. & rat. diſtr.*

PARS

Digitized by Google

PARS SEPTIMA.

LIBER XLV. TITULUS I.

De Verborum Obligationibus.

C. VIII. 38. 39.

§. 1.

Cum autem *Obligationum & Actionum* firmandarum cauſa, in plerisque negotiis *Stipulationes* intercederent; v. *pr. in f. I. h. t.* Paul. V. *Sent. T. VII. §. 1. l. 45. D. de pact. l. 3. C. de rei perm. l. 4. §. ult. D. de uſur.* de *Verborum Obligationibus* hoc loco ſimul agendum viſum eſt.

§. 2. *Verborum Obligatio*, ſi accurate loquamur, a *Stipulatione* differt, olimque pluribus modis contrahebatur, v. Caj. *I. L. III. T. II. §. 2. & ſeqq.* Ulp. *Fragm. T. VI. §. 1. 2.* ſed nunc fere cum *Stipulatione* confunditur: v. *l. 6. C. de transact.* eoque ſenſu eſt *Contractus Juris Civilis, l. 53. D. de A. R. D. l. 17. §. 1.* D. *de pœn.* junct. *l. 14. §. 1. de novat. ſtricti juris,* v. *l. 99. D. h. t. l. 7.* D. *de neg. geſt. §. 28. I. de act. verbis conſtans, quibus is, qui interrogatur, daturum facturumve ſe, quod interrogatur, reſpondet. l. 5. §. 1. D. pr. I. h. t. l. 1. §. 7. D. de obl. & act.*

§. 3. Et quidem olim hic ſolennia, verba erant neceſſaria; *§. 1. I. h. t.* ſed ea poſtea Leoniana conſtitutione ſublata ſunt: *l. 10. C. de contr. ſtip. d. §. 1. I. h. t.* adeo, ut nihil jam interſit, qua lingua, quibusve verbis fiat *Stipulatio*, dummodo congrue ad interrogata reſpondeatur. *d. l. 10. l. 1. §. ult. D. h. t.*

§. 4. Plane ipſa *Pacti & Stipulationis* differentia ſublata non eſt; & proinde ad *Stipulationem* etiamnum requiritur, ut fiat utroque præſente & loquente, verbaque ex utraque parte interveniant, ſine notabili intervallo. *l. 1. pr. §. 1. 2.* D. *h. t.*

§. 5. Eſt autem *Verborum Obligatio* ſeu *Stipulatio I.* vel *Certa*, vel *Incerta*; *l. 74. pr.* D. *pr. I. h. t.*

§. 6. *Stipulatio certa* eſt, *cum conſtat, quid, quale, quantum ſit in obligatione; d. l. 74. §. 1.* ſive per ſe, *d. §. 1.* ſive per relationem ad aliud: veluti, ſi quis vinum, oleum, vel triticum. quod in horreo eſt, ſtipulatus ſit. *l. 75. §. 5. D. h. t.*

§. 7. *Incerta* eſt, *cum non conſtat, quid, quale, quantum ſit in Obligatione:*

l. 75. pr. D. h. t. veluti, ſi *Fundum* ſine proprio nomine, aut *Vinum*, *Frumentumve*, ſine qualitate, vel *Factum* ſtipulatus ſit. *d. l. 75. §. 1. D.* §. *ult. I. h. t.*

§. 8. Sic enim *Incertam Obligationem* hic accipere oportet; non etiam ita, ut ad minimum redigi poſſit. v. *l. 69. §. 4. D. de jur. dot. l. 94. 95. 115.* D. *h. t.*

§. 9. *II. Pura*, *In* Diem *concepta*, vel *Conditionalis*. *§. 2. I. l. 73. pr.* D. *h. t.*

§. 10. *Stipulatio Pura* eſt, *cui nec dies, nec conditio, neque expreſſe, neque tacite ineſt. d. §. 2. d. l. 73. pr.*

§. 11. Ubi vero *Pura* eſt *Stipulatio*, id, quod promiſſum eſt, confeſtim peti poteſt. *§. 2. I. l. 41. §. 1. l. 137. §. 4. D. h. t. l. 14. D. de R. J.*

§. 12. *Puræ* enim *Stipulationis* hic effectus eſt, ut *dies ſtatim cedat & veniat*, i. e. Obligatio ſtatim oriatur & Actio. *l. 213. pr.* D. *de V. S.*

§. 13. Ex humanitate tamen quædam dilatio indulgenda, neque creditor ſtatim cum ſacco adeſſe debet: *l. 105. D. de ſolut.* utique tantum temporis concedendum eſt, intra quod traditio fieri poſſit. *§. ult. I. de inut. ſtip.*

§. 14. *Dies* (*Certus* ſcil. *Incertus* enim, ſi modo incertum ſit, *an ſit extiturus*, conditionem facit, *l. 75. D. de cond. & dem. l. 21. pr. l. 22.* D. *quand. dies leg. ced.*) Stipulationi adjicitur dupliciter; nam vel *Ex Die* incipit Obligatio, vel confertur *Ad Diem*. *l. 44. §. 1. D. de O. & A.*

§. 15. *Ex Die* incipit Obligatio, *cum dies adjicitur*, *quo pecunia ſolvatur*; *§. 2. I. h. t. d. l. 44. §. 1.* ſeu cum dies adjicitur uti terminus *a quo*.

§. 16. Quo caſu *Dies ſtatim* quidem *cedit*, *ſed non venit*, *l. 213. pr. D. de V. S.* i. e. pecunia ſtatim quidem debetur, ſed ſine effectu; Ita acc. *l. 41. §. 1. D. h. t. l. 1. §. 1. D. de cond. & dem.* Peti enim prius quam dies venerit non poteſt: imo ne quidem eo ipſo die, in quem Stipulatio facta eſt, peti poteſt; quia totus is dies arbitrio ſolventis tribui debet. *§. 2. I. l. 38. §. 16. l. 42.* D. *h. t.*

§. 17. Quia autem ante diem Obligatio oritur, ſolutum per errorem repeti nequit. *l. 10.* D. *de cond. indeb.*

§. 18. Plane, cum D*ies* in favorem Rei plerumque adjiciatur, *l. 41. §. 1. D. h. t. l. 17. D. de R. J.* liberum ei eſt, ante diem, invito etiam creditore, ſolvere: *l. 50. D. de O. & A. l. 70. 98. §. 4. D. de ſol. l. 38. §. 16.* D. *h. t.* ſed ſi creditoris gratia adjectus ſit, ſecus eſt. *l. 15. D. de ann. leg.*

§. 19. Adjicitur autem D*ies* vel *expreſſe*, vel *tacite* ineſt, ob qualitatem ſcil. rei promiſſæ, veluti, ſi quis ſtipulatus ſit *Domum ædificari*; *l. 14. 73. pr. l. 137. §. 3. D. h. t.* vel ob adjectionem loci: tantum enim temporis concedendum eſt, ut aliquid fieri vel eo loco præſtari poſſit, *l. 41.* §. *1. l. 73. pr. l. 137. §. 2. D. § 5. I. h. t. l. 2. §. 6.* D. *de eo quod cert. loc.*

§. 20. Et ideo, ſi quis Romæ ita ſtipuletur, *Hodie Cartagini dare ſpondes?* inutilis

inutilis erit Stipulatio, eum impoſſibilis ſit repromiſſio: *d. §. 5. l. 31.* D. *de O. & A.* niſi uterque diſpenſatorem ſuum, quem forte ibi habet, ante de futura Stipulatione certiorem fecerit. v. *l. ult. §. 4.* D. *h. t.*

§. 21. *Ad Diem* vero confertur Obligatio, *cum Dies adjicitur, ut intelligatur, quamdiu ſolvendum ſit;* ſeu cum Dies adjicitur uti *terminus ad quem:* quo caſu promiſſum ſtatim peti poteſt, ſed finito die opponitur exceptio. *l. 44. §. 1.* D. *de O. & A.*

§. 22. Hinc ſi quis decem annuos *Quoad vivam* promittat, Obligatio quidem ipſo jure perpetua eſt, ſed heres petendo pacti exceptione ſubmovebitur. *l. 56.* §. 4. *D. §. 3. I. b. t. l. 44.* §. *1. D. de O. & A.*

§. 23. Si *Conditionalis* ſit Stipulatio, *dies pendente conditione neque cedit, neque venit; l. 213. D. de V. S.* i. e. ante conditionem exiſtentem neque Obligatio oritur, neque Actio.

§. 24. Ex *Conditionali* enim *Stipulatione* tantum ſpes eſt debitum iri; quam tamen ſpem in heredem transmittimus, ſi prius, quam conditio extet, mors nobis contigerit. *§. 4. I. l. 57. D. h. t.*

§. 25. Qualis adjiciatur *Conditio Poſſibilis,* (*Impoſſibilis* enim conditio ſtipulationem vitiat, *l. 7. 26. 27. pr. l. 35. 69. 97. 123.* D. *h. t. §. 10. I. de inut. ſtip. l. 31.* D. *de O. & A.*) ſive *Caſualis,* ſive *Poteſtativa, l. 99. §. 1. l. 115. §. 1. 2. D. b. t.* ſive *Mixta, l. 108. D. eod.* nihil intereſt; dummodo non expreſſe in arbitrium promittentis (ſi tacite fiat, non nocet, *l. 52. in f. D. de cond. & dem.*) conferatur, qualis *Stipulationem* etiam reddit ridiculam & inutilem. *l. 17. 46. §. ult.* D. *b. t. l. 8.* D. *de O. & A.*

§. 26. *III. Stipulatio* conſiſtit vel in *Dando,* i. e. dominium transferendo, *l. 75. §. ult. D. h. t. §. 14. I. de act.* vel *Faciendo,* vel *Non faciendo. l. 2. pr. l. 72. pr. §. ult. l. 84.* junct. *l. 124. D. §. ult. I. h. t.*

§. 27. Plane in *Stipulationibus,* quæ *Factum* continent, optimum erit pœnam ſubjicere, ne quantitas ſtipulationis in incerto ſit. *d. §. ult. I. h. t.*

§. 28. Cum enim *Stipulatio Facti nudi* Reum ad ipſum factum præſtandum præciſe non obliget, ſed tantum ad id, quod Actoris intereſt; *l. 68. 72. pr. D. §. ult. I. h. t. l. 13. D. de re jud. id* autem, *quod intereſt,* quantum mihi abeſt, quantumque lucrari potui, contineat; *l. 13. D. de rem rat. hab.* valde incertam eſſe talem Obligationem, niſi pœna ſubjiciatur, facile intelligitur. v. *l. 24. D. de R. J.*

§. 29. *IV.* Eſt vel D*ividua, quæ partium præſtationem recipit;* vel *Individua, quæ partium præſtationem non recipit:* puta earum rerum, quæ natura diviſionem non admittunt, veluti viæ, itineris, actus, aquæductus, cæterarumque ſervitutum. *l. 2. §. 1. l. 72. pr. l. 85.* D. *h. t.*

§ 30. *V.* Sunt vel *Voluntariæ* ſeu *Conventionales,* vel *Judiciales,* vel *Prætoriæ,* vel *Communes. l. 5. pr.* D. *h. t. pr. I. de diviſ. ſtip.*

Digitized by Google

§. 31. *Judiciales* ſunt, *quæ a mero Judicis* (ſcil. Pedanei) *officio proficiſcuntur, d. l. 5. pr. §. 1. I. de diviſ. ſtip.* ſeu jure novo, (ſublato more dandorum Judicum Pedaneorum, *l. 2. C. de ped. jud.*) *quæ poſt litem conteſtatam interponuntur;* veluti *De Dolo cautio* in *Actione in rem*, vel *Quod metus cauſa*, ne ſcil. res deterior fiat; *De perſequendo ſervo qui in fuga eſt; Reſtituendove pretio*, ſi res forte pereat. *l. 5. pr.* D. *h. t. §. 1. I. de diviſ. ſtip. l. 20. 45.* D. *de R. V. l. 9. §. 5. 7.* D. *quod met. cauſ. l. 69. §. ult.* D. *de leg. 1.*

§. 32. *Prætoriæ* ſunt, *quæ a mero Prætoris officio proficiſcuntur; l. 5. pr.* D. *h. t. §. 2. I. de diviſ. ſtip.* ſeu jure novo, *quæ ante litem conteſtatam præſtari jubentur*: veluti D*amni infecti*, *d. l. 5. d. §. 2.* qua dominus ædium ruinoſarum vicino cavet de damno futuro, nondum facto; *l. 7.* D. *de damn. infect. Legatorum, d. §. 2.* qua heres cavet de legatis præſtandis; *t. t.* D. *ut Legat. nom. cav. Fructuaria; l. 7. D. uſufr. quemadm. cav. Judicatum ſolvi; Rem ratam haberi. l. 1. §. 1. D. de ſtip. Præt. pr. §. 3. I. de ſatisd.*

§. 33. *Prætorias* autem Stipulationes ſic exaudiri oportet, ut in his contineantur etiam *Ædilitiæ; l. 5. pr.* D. *h. t. §. 2. I. de diviſ. ſtip.* quibus venditor cavet de morbis & vitiis rerum venalium. *l. 1. & paſſ.* D. *de Ædilit. Ed. l. 31. & ſeqq. D. de evict.*

§. 34. *Communes* ſunt, *quas & Prætor & Judex præſtari jubet; l. 5. pr.* D. *h. t. §. 4. I. de diviſ. ſtip.* ſeu *quæ & ante, & poſt litem conteſtatam interponi poſſunt:* veluti *Rem ſalvam fore pupillo, d. l. 5. pr. D. h. t. §. 4. I. de diſtiſ. ſtip. pr. §. pen. I. de ſatisd. tut.* arg. *l. 3. C. de tut. qui ſatis non ded. l. 1. C. de ord. jud. & de Rato ſtipulatio. d. §. 4. I. de diviſ. ſtip. l. 1. §. 2.* D. *de ſtip. præt.* junct. *l. 1. C. de ord. jud.*

§. 35. *Voluntariæ* vero ſeu *Conventionales* ſunt, *quæ fiunt ex ſola conventione partium;* quarum totidem pene ſunt genera, quot rerum contrahendarum. *l. 5. pr. D. h. t. §. 3. I. de diviſ. ſtip.*

§. 36. *VI.* Sunt vel *Generales*, cum genera; vel *Speciales*, cum ſpecies in ſtipulationem deducuntur. *l. 54.* D. *h. t.*

§. 37. *VII.* Denique ſunt *Utiles*, vel *Inutiles*, *t. t. I. de inut. ſtip.* quales ſunt vel *Ratione Perſonarum*, vel *Ratione Rei* in ſtipulationem deductæ, vel *ratione Modi & Formæ.*

§. 38. Non enim omnes ſtipulari poſſunt. *Impediuntur* Furioſi, Mente capti, *§. 8. I. de inut. ſtip.* Infantes, *§. 9. I. eod.* ut & Muti & Surdi: *l. 1. pr.* D. *h. t. §. 7. I. de inut. ſtip. Prohibentur* vero Prodigi, Pupilli & Minores, quatenus ſine Tutorum Curatorumve auctoritate ſeſe obligare nequeunt civiliter; *l. 6.* D. *h. t. §. 9. I. de inut. ſtip. l. 3. C. de in integr. reſt. min.* Deportati, *l. 14. §. 1. D. de novat.* nec non Pater & Filius inter ſe. *§. 6. I. de inut. ſtip.*

§. 39. Sed nec alter alteri ſtipulari poteſt: *l. 38. pr. §. 1. 17.* D. *h. t. §. 4.*

18. I.

Digitized by Google

18. I. de inut. ſtip. l. 11. D. *de O. & A.* niſi in poteſtate ejus ſit, cui ſtipulatur; *d. l. 38. §. 17. d. §. 4. pr. I. de inut. ſtip.* vel pœna ſubjecta ſit; *d. l. 38. §. 17. d. §. 18. I. de inut. ſtip.* vel ejus pecuniariter interſit. *§. 19. I. de inut. ſtip. l. 38. §. 20. 21. l. 118.* §. *ult.* D. *h. t.*

§. 40. Plane ſolutio etiam in extraneam perſonam conferri poteſt; veluti, ſi quis ita ſtipuletur, *Mibi aut Sejo dare Spondes?* Quo caſu Obligatio quidem Stipulatori acquiritur, ſed ſolvi Sejo etiam invito Stipulatore poteſt, *l. 56.* §. *2. l. ult. §. 3.* D. *h. t. §. 4. I. de inut. ſtip. l. 10. D. de ſol.*

§. 41. Niſi jam lis conteſtata, *l. 16.* D. *de fidej. l. 57.* §. *1. D. de ſol.* junct. *l. 29. D. de nov.* aut ſtatus adjecti in deterius mutatus ſit. *l. 38. D. de ſol.* junct. *l. 56.* §. *2. D. h. t.*

§. 42. Ita tamen, ut, ſi quid adjecto ſolutum ſit, Stipulator contra eum *Mandati Actionem* habeat. *l. 131. §. 1.* D. *h. t. §. 4. I. de inut. ſtip.*

§. 43. Quod ſi vero quis *Sibi & alii*, cujus juri ſubjectus non eſt, ſtipulatus ſit, ſtipulatio pro parte dimidia ſubſiſtit, pro parte dimidia vero inutilis eſt. *l. 110. pr. D. h. t. d. §. 4. I. de inut. ſtip.*

§. 44. Non etiam *Res* omnis in ſtipulationem deduci poteſt. Si quis enim rem, quæ in rerum natura non eſt, neque eſſe poteſt; vel rem Sacram, Religioſam, Sanctam, Publicam, vel liberum hominem, aliamve, cujus commercium non eſt, vel rem ſuam ſtipulatus ſit, inutilis eſt Stipulatio. *§. 1. 2. I. de inut. ſtip. l. 69. & 82. pr. l. 103. D. h. t.*

§. 45. Adeo, ut ne quidem res exemtas commercio, ſub conditione, *Si liber ſervus factus, Res Sacra profana facta ſit*, ſtipulari liceat; quia tales caſus ſperare incivile atque inhumanum eſt. *l. 83. §. 5. D. h. t. §. 2. I. de inut. ſtip. l. 34. §. 2. I. de contr. emt.*

§. 46. *Ratione Modi* & *Formæ* vero Inutilis eſt Stipulatio, ſi quis ad interrogata non congrue reſpondeat, i. e. non ad idem, de quo rogatur, nec eadem qualitate: veluti, ſi quis *Decem* aureos a te dari ſibi ſtipuletur, tu *Quinque* promittas, vel contra; aut ſi ille *Pure* ſtipuletur, tu *ſub conditione* promittas, vel contra. §. *5. I. de inut. ſtip.*

§ 47. In quibus tamen per omnia non idem juris eſt; ſi quis enim roganti *Decem, quinque* promittat, non in totum inutilis eſt Stipulatio, ſed quoad concurrentem ſummam ſubſiſtit: minor enim ſumma majori ſemper ineſt. *l. 1. §. 4. l. 83. §. 3. D. h. t.* add. *l. 113. D. de R. J.*

§. 48. Quemadmodum nec in totum inutilis eſt Stipulatio, ſi quis plures res copilative ſtipulanti, unam vel quaſdam ſpoponderit; Obligatio enim in iis, pro quibus ſpoponderit, contrahitur. *l. 1. §. 5. l. 83. §. 4. D. h. t. §. 17. I. de inut. ſtip.*

§. 49. Sed ſi quis *Pure* ſtipulanti *ſub conditione* promittat, vel contra, ſtipulatio plane inutilis eſt; quia mutatur forma & qualitas interrogationis, & pro-

proinde alia ſit Obligatio *l. 1. §. 3. D. h. t.* niſi tamen diverſitas reſponſionis illico placuerit. *d. l. 1. §. 3.*

§. 50. Similis eſt is, qui ſtipulanti alicui disjunctive *Stichum aut Pamphilum*, unum ſe daturum reſpondet; *l. 83. §. 2. D. h. t.* quo caſu ſtipulanti ſub conditione pure reſpondiſſe cenſetur.

§. 51. Plane, ſi quis ſtipulanti in genere reſpondeat *promitto* vel *dare ſpondeo*, non inutiliter reſpondet, ſed breviter in eandem rem, diem, vel conditionem, reſpondiſſe videtur; neque enim neceſſe eſt in reſpondendo eadem omnia repeti, quæ ſtipulator expreſſerit. *§. 5. & 17. I. de inut. ſtip.* *l. 1. §. 2. D. h. t.*

§. 52. Ubi vero *Stiplatio Utilis* eſt, *Effectus* ejus eſt, quod duplex ex ea naſcatur Actio, *Condictio* ſcil. *Certi*, ſi certa ſit Stipulatio; & *Actio ex ſtipulatu*, ſi ſit incerta *pr. I. de V. O.* Licet & rem certam petentes in genere *ex ſtipulatu* agere dici poſſint. *l. 83. §. 6. D. h. t.*

TITULUS II.

De Duobus Reis Constituendis. C. VIII. 40.

§. 1.

Non tantum autem unus ſemper ſtipulatur, & unus promittit, ſed & duo pluresve, tum ſtipulari, tum promittere poſſunt; *pr. I. h. t.* qui *Rei Stipulandi*, & *Promittendi*, dicuntur. *l. 1. D. h. t. Inſcr.* & *pr. I. de duob. reis ſtip. & prom.*

§. 2. *Rei* enim a *re*, i. e. lite, v. Phædr. *L. VII. Fab. XIII. 1.* D. *de re jud.* ſic dicti, in genere ſunt omnes litigatores: Cic. *L. II.. de Orat. c. 43. & 79.* Feſt. *in voc. Reus. l. 5. pr. D. de V. O.* & proinde non tantum *Promiſſores*, qui conveniri; ſed & *Stipulatores*, qui debitores convenire poſſunt.

§. 3. Sunt autem *duo pluresve Rei Stipulandi, qui eandem rem ab eodem in ſolidum ſtipulati ſunt, ea mente, ut, quamvis ſolida ſingulis, una tamen debeatur omnibus. l. 1. D. pr. §. 1. I. h. t.*

§. 4. Dummodo omnes ſimul, vel utique ſine magno intervallo ſtipulati ſint; arg. *l. 6. §. ult. D. h. t.* nam ſi *Reus Promittendi* prius Titio ſtipulanti ſpoponderit, deinde alio interrogante ſpondeat, alia atque alia erit obligatio, nec creduntur duo *Rei Stipulandi* eſſe. *pr. I. h. t.*

§. 5. Duo pluresve vero *Rei Promittendi* ſunt, *quorum ſinguli eandem rem eidem ſtipulanti in ſolidum promiſerunt, ea mente, ut quamvis ſolidum ſinguli debeant, una tamen tantum debeatur ab omnibus. l. 1. 2. 3. §. 1. l. 4.* D. *pr. §. 1. I. h. t.*

§. 6. Dummodo omnes ſimul, vel utique ſine magno intervallo, promiſerint. *l. 6. §. ult. l. 12. D. h. t.*

§. 7. Ex

§. 7. Ex hujuſmodi autem obligationibus & Stipulationibus ſolidum ſingulis debetur, & promittentes ſinguli in ſolidum teneutur: in utraque tamen obligatione una res tantum vertitur. *§. 1. I. l. 2. 3. §. 1. D. h. t.*

§. 8. Hinc *Rei Stipulandi* ſinguli ſolidum exigere poſſunt, &, ſi uni ſolutum ſit, reliqui amplius exigere non poſſunt. *d. l. 2. 3. §. 1. D. h. t. l. 31. §. 1. D. de novat.* Adeo, ut nec iſte, cui ſolutum eſt, cogatur *Correis Stipulandi* partem communicare; niſi ſint ſocii, vel aliud convenerit.

§. 9. Imo unus ex *Correis Stipulandi* etiam acceptum ferendo, novando, jusjurandum deferendo, promiſſorem liberare poteſt; *l. 2. & 16. D. h. t. l. 31. §. 21. D. de novat. l. 11. §. 21. D. de leg. 3. l. 27. 28. D. de jurej.* non vero paciſcendo: *l 27. pr. in f. D. de pact.* junct. *l. 35. D. de R. J.* licet pactum correi ſocii etiam correo proſit. *l. 21. §. ult. I. D. de pact.*

§. 10. Hinc & *Rei Promittendi* ſinguli in ſolidum conveniri poſſunt: & quidem jure antiquo indiſtincte; *l. 3. §. 1. D. h. t. §. 1. I. h. t.* ſed jure novo ita demum, ſi ſpecialiter dictum ſit, *Unumquemque teneri in ſolidum. Nov. 99. c. 1. Auth. Hoc ita. C. h. t.*

§. 11. Adeo, ut nec poſt *Nov. 99. c. 1.* (quo tantum mutatur *l. 11. pr. D. h. t.*) *Beneficio Diviſionis* gaudere videantur, nec, ſi unus ſolverit, a reliquis partem repetere poſſit: niſi ſint ſocii, (ita accip. *l. 2. C. h. t.*) aut aliud actum ſit.

§. 12. Quin & unus ſolvendo, *l. 3.* D. *h. t.* acceptum rogando, *l. 2. D. h. t. l. 16. D. de accept.* novando, ſeu alium debitorem dando, *l. 20. D. de SCt. Vellej.* nec non jurando, obligationem perimit.

§. 13. Ex duobus autem *Reis Promittendi* alius pure, alius in diem, vel ſub conditione obligari poteſt; nec impedimento erit dies, aut conditio, quo minus ab eo, qui pure obligatus eſt, petatur. *l. 7. & 9. §. 1. ult. D. §. 2. I. h. t.*

TITULUS III.

De Stipulatione Servorum.

§. 1.

Neque tantum homines Liberi, ſed & *Servi* qui cæteroquin jure civili pro nullis habentur, *l. 32. D. de R. J.* ex perſona tamen Dominorum, ſtipulari poſſunt, *pr. I. h. t.* add. *l. 31. D. de hered. inſt.*

§. 2. Etiam *Servi Hereditarii*, qui ſunt in hereditate jacente. *d. pr. I. h. t.* Hereditas enim jacens, quamdiu adita non eſt, perſonam defuncti ſuſtinet, *l. 34. & 61. D. de A. R.* D. *§. 2. I. de her. inſt. pr. I. h. t.*

§. 3. Quodcunque autem *Servus* ſtipulatur, domino acquirit; ſive domino, ſive ſibi, ſive conſervo, ſive imperſonaliter ſtipulatus ſit: *l. 1. pr. l. 15. D. §. 1. I. h. t.*

Digitized by Google

I. h. t. niſi factum ſtipulatus ſit; *§. 2. I. h. t.* ea enim, quæ facti ſunt, ad dominum non tranſeunt. *l. 44. D. de cond & dem. l. 38. §. 6. D. de V. O.*

§. 4. Si ſervus communis ſit, unicuique dominorum pro portione dominica acquirit, niſi juſſu unius, aut nominatim alicui eorum ſtipulatus ſit. *l. 5. & 7. D. §. 3. I. h. t.*

§. 5. Quod ſi autem, contemto juſſu unius, alteri ſtipulatus ſit, videndum, an Dominus juſſerit nominatim, *Ut ſibi ſtipularetur?* quo caſu jubenti acquiritur: an in genere, *Ut Stipularetur?* quo caſu acquiritur ei, cui ſtipulatus eſt, *l. ult. C. per quas perſ. nob. acq.*

* *

LIBER XLVI. TITULUS I.

De Fidejussoribus, Et Mandatoribus. C. VIII, 41.

§. 1.

Et quidem, firmandarum Obligationum cauſa, non tantum *Principales* ſæpe intercedunt *Stipulationes*, ſed & plerumque *Fidejuſſoriæ*.

§. 2. Eſt autem *Fidejuſſor*, (qui & *Sponſor*, v. Sen. *de Benef. L. III. c. 15.* & *Appromiſſor* dicitur, *l. 5. §. 2.* D. *de V. O. l. 43. D. de ſol. l. 64. §. 4. D. ſol. matr.) qui id, quod alius debet, citra novationem, ſua fide eſſe jubet, interpoſita ſtipulatione; ut creditori eo magis cautum ſit. pr. I. h. t. l. 1. §. 8. D. de O. & A.*

§. 3. *Fidejuſſor ſua fide eſſe jubet id, quod alius debet, citra novationem;* accedendo ſcil. ad alienam obligationem; *d. l. 1. §. 8.* D. *de O. & A.* in quo differt ab *Expromiſſore*, qui alienam obligationem novando in ſe ſuſcipit, ita ut Reus Principalis non maneat obligatus, *l. ult. D. ad SCt. Maced. §. 3. I. quib. mod. toll. obl.*

§. 4. *Interpoſita ſtipulatione;* in quo *Fidejuſſor* differt a *Pecuniæ conſtitutæ reo*, qui nudo pacto conſtituit, ſe ſoluturum id, quod alius debet: *l. 1. D. de pec. conſt.* nec non *Mandatore*; *§. 6. I. de mandat.* quia mandatum ſolo conſenſu perficitur. *§. un. I. de oblig. ex conſenſ.*

§. 5. Quibus autem verbis, qua lingua, ſive Græca, ſive Latina, fiat, nihil intereſt, *l. 8. pr. D. §. 7. I. h. t.*

§. 6. *Fidejubere poſſunt*, quicunque obligari & conveniri poſſunt, *l. 3. & 10. §. 2. D. l. 8. C. h. t.*

§. 7. *Impediuntur* Furioſi, Mente capti, *§. 8. I. de inut. ſtip. l. 5.* D. *de R. J.* Infantes & Infantiæ proximi, *§. 9. I. de inut. ſtip.* nec non Surdi & Muti. *§. 7. I. eod.*

§. 8.

§. 8. *Prohibentur* vero Prodigi; *l. 6. D. de V. O.* Pupilli pubertati proximi, & Minores, ſine Tutorum Curatorumve auctoritate; *§. 9. I. de inut. ſtip. pr. I. de auct. tut. l. 3. C. de in integr. reſt. min.* Milites; *l. 8. §. 1. D. qui ſatisd. cog.* Clerici in cauſa laicorum; *Nov. 123. c. 6. c. 1. C. pen. x. de fidej.* & Fœminæ; tum propter SCtum Vellejanum, *t. t. D. & C. ad SCt. Vellej.* tum propter *Nov. 134. c. 8. Auth. Si qua mulier. C. ad SCt. Vellej.*

§. 9. Intercedere poſſunt *Fidejuſſores* in *omnibus Obligationibus*, ſive Re, ſive Verbis, ſive Literis, ſive Conſenſu contractæ fuerint. *l. 1. & 8. §. 1.* & *ſqq. l. 16. §. 3. D. §. 1. I. h. t.*

§. 10. Nec intereſt, ſive naturalis ſit Obligatio, ſive civilis; *l. 6. §. 2. l. 7. & 16. §. 3. D. §. 1. I. h. t.* dummodo talis ſit, quæ effectus habeat: v. *l. 6. D. de V. O. l. 112. D. de R. J.* ſive ex contractu, ſive ex delicto deſcendens. *l. 8. §. 5. l. 56. §. ult. l. 70. §. ult. D. h. t.*

§. 11. Excipitur tamen *I.* Obligatio, quæ ex Delicto oritur, ſi non ad pœnam pecuniariam, ſed corporalem agatur; arg. *l. 26.* D. *l. 22. C. de pœn. l. 13. pr. D. ad L. Aquil.* niſi forte caveatur judicio ſiſti. *l. 1. 2. pr. §. 1. l. 3. 4. D. de cuſtod. reor.*

II. Obligatio mariti de Dote reſtituenda, pro qua fidejuſſor intercedere nequit; adeo, ut ne quidem a volente marito dari poſſit, datusve obligetur. *l. 2. C. ne fidej. dot. dent.* arg. *t. C. ne Chriſt. manc Jud. hab. t. C. ne ſanct. Baptiſm. iter.*

§. 12. Sed nec in aliam rem, *l. 42. D. h. t.* neque in plus accipi poſſunt *Fidejuſſores*, quam debet is, pro quo obligantur; nam eorum Obligatio acceſſio eſt principalis obligationis; in acceſſione autem non poteſt eſſe plus, quam eſt in re principali. *§. 5. I. h. t.*

§. 13. Adeo, ut in duriorem cauſam adhibiti, *omnino non*, *l. 8. §. 7. D. h. t.* i. e. nequidem ad concurrentem ſummam, obligentur; *l. 70.* D. *h. t. l. 26. §. 3. D. de cond. indeb. l. 1. §. ult. D. de O. & A. §. 7. I. de inut. ſtip. l. 137. §. 6.* D. *de V. O. l. 1. §. ult.* D. *de eo qui pro tut. l. ult. pr. D. de leg. 3.* quaſi contra formam juris accepti. *l. 49. §. 2. in f.* D. *h. t.*

§. 14. *Effectus Fidejuſſionis* eſt, quod, ſi Reus principalis non ſolvat, *Fidejuſſor* teneatur; *l. 16. §. ult. D. h. t.* & non tantum ipſe obligetur, ſed etiam heredem relinquat obligatum: *l. 4. §. 1. l. 24. D. §. 2. I. h. t.* & ſi plures ſint, ſinguli (licet id dictum non ſit, *l. 3. C. h. t.*) teneantur in ſolidum. *§. 4. I. h. t.*

§. 15. *Beneficia* tamen quædam *Fidejuſſoribus* conceſſa ſunt.

§. 16. Quorum *primum* eſt *Beneficium Epiſtolæ* *Divi Hadriani*, ſive *Diviſionis*; *quo compellitur creditor a ſingulis, ſi modo ſolvendo ſint litis conteſtatæ tempore, partes petere*. *l. 26. & 51. §. 1. pen. D. §. 4. I. h. t.*

§. 17. Si aliquis litis conteſtatæ tempore ſolvendo non ſit, hoc reliquos onerat. *d. l. 51. §. 1. d. §. 4.*

§. 18. Non tamen ex Epiſtola D. Hadriani *Ipſo Jure* inter confidejuſſores dividitur Obligatio, ſed ope *Exceptionis; l. 26. D. h. t.* unde, ſi per modum Exceptionis (quod & poſt litem conteſtatam ante ſententiam fieri poteſt, *l. 10. §. 1. C. h. t.) Fidejuſſor* hoc beneficium non oppoſuerit, ſed ſolidum ſolverit, partem a confidejuſſore repetere nequit: *d. §. 4. I. l. 39. D. h. t.* ſibi enim imputare debet, quare hoc beneficio uſus non ſit. *d. §. 4. l. 26. D. h. t.*

§. 19. Niſi Actiones ſibi cedi curaverit; quo caſu contra confidejuſſorem pro rata agere poteſt. *l. 39.* D. *l. 11. C. h. t.*

§. 20. Plane *Beneficium* hoc *Diviſionis* inter confidejuſſores ejusdem Rei tantum locum habet; non etiam inter Fidejuſſores diverſarum ſtipulationum: *l. 43. D. h. t.* adeoque neque inter Fidejuſſorem Principalis, & Fidejuſſorem Fidejuſſoris; *l. 27. §. ult. D. h. t.* neque inter Fidejuſſores duorum Reorum promittendi ſeparatim datos. *l. 51. §. 2. D. h. t.* Et tum demum locum habet, ſi non inficientur; nam inficiantibus *auxilium Diviſions* non eſt indulgendum. *l. 10. §. 1.* D. *h. t.*

§. 21. *Secundum* eſt *Beneficium Ordinis*, ſeu *Excuſſionis; quo* jure novo (olim enim ſecus fuit, *l. 5. C. h. t.) Creditor prius convenire debet Reum Principalem, quam adverſus Fidejuſſorem experiri poſſit. Nov. 4. c. 1. Auth. Præſente. C. h. t.*

§. 22. *Tertium* denique *Beneficium Cedendarum actionum; quo creditor unum ex fidejuſſoribus conveniens, ei actionem ſuam contra cæteros Confidejuſſores cedere tenetur, antequam conventus ſolvere cogatur. l. 17. 36. & 39. D. l. 2. 11. & 14. C. h. t.*

§. 23. Quod ante ſolutionem factam obmovendum, neque ea facta amplius locum habet; *l. 76. D. de ſol. l. 1. C. de contr. tut. jud.* niſi ea conditione ſolutio facta ſit. *d. l. 76. D. de ſolut.* Ita accip. *l. 36. D. l. 11. C. h. t.*

§. 24. Quibus tamen Beneficiis *Fidejuſſores* renunciare poſſunt: *l. pen. C. de pact.* adeo, ut *Generalis Renunciatio* jure noſtro ſufficere videatur. arg. *l. 51. in f.* D. *de adm. tut. l. 79. pr. D. de leg. 3.*

§. 25. Quod ſi vero *Fidejuſſor* pro Reo Principali aliquid ſolverit, id repetit, vel per *Actionem Mandati*, ſi Mandatum expreſſe vel tacite interceſſerit; vel per *Actionem Negotiorum geſtorum*, ſi quis pro ignorante (non etiam invito, *l. 40. D. mand. l. ult. C. de neg. geſt.)* fidejuſſerit. *§. 6. I. h. t. l. 10. §. 11. l. 6. §. 2. l. 20. §. 1. D. l. 6. C. mandat.*

§. 26. *Finitur* autem & *exſtinguitur Fidejuſſio I.* Sublata obligatione principali. *pr. I. quib. mod. toll. obl.*

II. Confuſione. *l. 93. §. 2. 3. D. de ſol.*

III. Lapſu temporis, ad quod ſe quis obligavit, ſub expreſſa proteſtatione, quod ultra id obligatus eſſe nolit; quo caſu, tempore præterlapſo, *Fidejuſſori* com-

competit *Exceptio pacti: l. 44. §. 1. D. de O. & A.* ſi enim ſimpliciter ſe quis obligaverit ad certum tempus, eo elapſo non liberatur; arg. *l. 12. §. 14. D. mand.* ita tamen, ut ad id, quod poſt tempus obligationi accedit, non teneatur. *l. 7. C. de locat. cond.*

IV. Si creditor in mora fuerit excutiendi debitorem Principalem, cum adhuc ſolvendo eſſet. arg. *l. 41. pr.* D. *h. t.*

TITULUS II.

De Novationibus, Et Delegationibus.

C. VII. 42.

De Novationibus.

§. 1.

R*eſolvuntur* autem & *tolluntur* tum *Verborum Obligationes*, tum *Aliæ*, variis modis ipſo jure, & *primo* quidem *Novatione*.

§. 2. Quæ nihil aliud eſt, quam *prioris debiti in aliam obligationem, vel Civilem, vel Naturalem, per ſtipulationem*, (non etiam per nudum pactum, *l.* 27. §. 2. D. *de pact.*) *transfuſio atque translatio*; hoc eſt, cum ex præcedenti cauſa ita nova conſtituitur, ut prior perimatur. *Novatio* enim a *Novo* nomen accepit, & a nova obligatione. *l. 1. pr. §. 1. l. 2. 5. D. h. t. §. 3. I. quib. mod. toll. obl. l. 17. D. de cond. furt.*

§. 3. Eſt autem *Novatio* vel *Voluntaria*, vel *Neceſſaria*. *l. 29. D. h. t.*

§. 4. *Neceſſaria* eſt, *quæ fit per Litis conteſtationem*, *d. l. 29. 11. §. 1. D. h. t. l. ult. pr. C. de uſur rei jud.* & proprie *Novatio* non eſt, quia priſtina Obligatio & Actio non tollitur; *d. l. 29. D. h. t. l. 2. C. de jud.* ſed ita vocatur ratione novarum qualitatum, quas prior obligatio poſt judicium acceptum acquirit: veluti, quod Actio temporalis fiat perpetua, pœnalis rei perſecutoria, *l. 6. §. 5. D. de re jud. l. 26. D. de O. & A. §. 1. I. de perp. & temp. act.* & poſt ſententiam de cauſa amplius quæri non poſſit. *l. 56. D. de re jud.* v. Diſſ. *N. VI. de C. O. C. V. §. 14. & ſeqq.*

§. 5. *Voluntaria* vero eſt, *quæ fit per conventionem partium, interpoſita ſtipulatione. l. 1. pr. §. 1. l. 2. 5. D. h. t. §. 3. I. quib. mod. toll. obl.*

§. 6. Eaque fit vel *Nova intercedente perſona*, quæ alienam obligationem expromittendo in ſe transfert, ita, ut prior debitor non maneat obligatus: *§. 3. I. quib. mod. toll. obl.* unde & talis *Expromiſſor* dicitur. *l. 37. §. ult. D. de op. libert. l.* 4. D. *de condict. cauſ. dat. l. 10. D. de pign. act.*

§. 7. Vel *Eadem manente perſona obligata*; quo caſu poſteriori obligationi aliquid novi, conditio puta, aut dies, aut fidejuſſor adjici, aut detrahi debet. *§. 3. I. quib. mod. toll. obl.*

§. 8. Quin & expreſſe adjiciendum *Novandi animo hoc fieri. l. ult. C. h. t. d. §. 3. I. quib. mod. toll. obl.* Cæteroquin enim & priſtina obligatio manet, & ſecunda ei accedit, ut ex utraque cauſa debitor obligatus ſit. *d. l. ult. d. §. 3.*

§. 9. *Novare poſſunt*, quibus ſolvi poteſt: *l. 10. 25. D. h. t.* ſive per ſe, ſi ſui juris ſint; ſive per alios, qui eorum voluntate ſtipulantur. *l. 20. pr. D. h. t.* Non vero Pupillus ſine Tutoris auctoritate; *l. 1. §. 1. D. h. t.* neque Prodigus, niſi meliorem conditionem fecerit; *l. 3. D. h. t.* neque Servus, citra domini voluntatem. *l. 16. D. h. t.*

§. 10. *Novari poſſunt Obligationes praecedentes:* ſive Naturales, ſive Civiles; ſive verbis, ſive conſenſu contractæ. *l. 1. §. 1. l. 2. 5. 14.* D. *h. t.*

§. 11. *Effectus* vero *Novationis eſt*, quod prior Obligatio ipſo jure tollatur; *§. 3. I. quib. mod. toll. obl.* adeoque & acceſſiones, pignora ſcil. & fidejuſſores liberentur, & curſus uſurarum ſiſtatur. *l. 18. D. h. t.* junct. *l. 35. D. de uſur. l. 4. C. de fidej.*

DE DELEGATIONIBUS.

§. 12. Eſt autem *ſpecies Novationis Delegatio*, *cum debitor vice ſua alium dat reum creditori*, vel *alium debitorem ſubſtituit. l. 11. pr.* D. *h. t.*

§. 13. Quod ratione *Delegantis* fit per *Mandatum*, *l. 45. §. ult.* D. *mand.* adeoque & per ſcripturam & nutu; *l. 17. D. h. t.* ratione *Delegati* vero & *Creditoris*, per *Stipulationem* & per *Litis conteſtationem. d. l. 11. §.* 1. *D. h. t.*

§. 14. Cujus *Delegationis effectus* eſt, quod prior obligatio ſit ſublata, licet debitor delegatus non ſit ſolvendo: *l. 26. §. 2. D. mand. l. 3. in f. C. h. t.* niſi aliud actum ſit, *l. 45. §. pen. & ult.* D. *mand.*

TITULUS III.

DE SOLUTIONIBUS, ET LIBERATIONIBUS.

C. VIII. 43.

§. 1.

II. T*olluntur Obligationes Solutione; l. 107. D. h. t.* quæ vel *Generaliter* accipitur, vel *Specialiter.*

§. 2. Solutio Generaliter accepta, ad omnem liberationem & ſatisfactionem pertinet. *l. 54. 52. D. h. t.* add. *l. 47. 176. D. de V. S.*

§. 3. Specialiter vero *accepta*, uti hic *Inſcr. h. t.* eſt *naturalis præſtatio ejus, quod debetur; l. 49.* D. *h. t. pr. I. quib. mod. toll. obl. l. 4. §. 3. D. de re jud.* Senec. *de Benef. L. IV. c. 14. & L. V. c. 14.*

§. 4. *Solvunt Debitores*, liberam rerum ſuarum adminiſtrationem habentes; v. *§. ult. l. quib. alien lic.* eorumque Procuratores, ſive generale, ſive ſpeciale mandatum habentes; *l. 56. 87. D. h. t.* ut & Tutores & Curatores. *d. §. ult. I. quib.*

quib. alien. lic. Imo ſolvere poſſunt omnes alii, quicunque volunt, non tantum pro Debitore rogante & ſciente, ſed & ignorante & invito. *l. 23. 40. 53.* D. *h. t. pr. I. quib. mod. toll. obl.*

§. 5. Non etiam Furioſus, *l.* 5. D. *de R. J.* neque Pupillus, vel Minor, ſine Tutorum, Curatorumve auctoritate. *§. ult. I. quib. alien. lic. l. 9. §. 2. D. de auct. tut. l. 3 C. de in integr. reſt. min.*

§. 6. *Solvitur Creditoribus,* liberam rerum ſuarum adminiſtrationem habentibus; *l. 39.* D. *de neg. geſt. §. ult. I. quib. alien. lic.* etiam Reis criminum poſtulatis; *l. 41. 45. §. 1.* D. *h. t.* eorumque Procuratoribus, generale vel ſpeciale mandatum habentibus; *l. 12. pr. l. 34. §. 3. D. h. t.* nec non Tutoribus, & Curatoribus. *l. 14. §. 1. & ſeqq. l. 49. 96. 100. D. h. t. l. 46. §. 5. 7. D. de adm. tut.*

§. 7. Non etiam Pupillo, vel Minori, ſine decreto Prætoris, vel Tutorum Curatorumque auctoritate; *l. 15. 66. D. h. t. l. 25. C. de adm. tut. §. 2. I. quib. alien. lic.* neque Procuratori falſo, vel cujus mandatum revocatum eſt. *l. 34. §. 4.* D. *h. t.*

§. 8. *Solvendum* eſt id, quod debetur, *l. 49. D. h. t. pr. I. quib. mod. toll. obl.* neque aliud pro alio invito creditori ſolvi poteſt. *pr. I. quib. mod. toll. obl. l. 2. §. 1. D. de reb. cred.*

§. 9. Licet pro nummis aureis recte ſolvantur argentei; quia in pecunia non tam ſubſtantia, quam quantitas ſeu valor conſideratur: *l. 1.* D. *de contr. emt.* dummodo aliud ſpecialiter non convenerit; arg. *l. 3. D. de reb. cred. l. 1. §. 6.* D. *depoſ.* vel creditor (ſic leg. v.) ex ea re damnum non ſentiat. *l. 99. D. h. t.* v. ſupr. *ad t. de reb. cred.* §. 40. 41. 42.

§. 10. Totum etiam debitum ſolvendum eſt, neque per partes ſolutio fieri poteſt: *l. 9. C. h. t. l. 41. §. 1. D. de uſur.* quia partium ſolutio non minima habet incommoda. *l. 3.* D. *fam. erciſc.*

§. 11. Niſi forte conſentiat creditor; Ita acc. *l. 5. §. 1. l. 9.* §. *1.* D. *h. t. §. 1. in f. I. quib. mod. toll. obl. l. 2. §. 1. 2. D. de V. O.* vel debitum pro parte ſit liquidum, pro parte illiquidum: quo caſu creditor partem oblatam accipere cogendus eſt. Ita acc. *l. 21. D. de reb. cred.* v. *l. 8. D. ſi pars hered. pet.*

§. 12. Solvendum denique debitum, *tempore & loco opportuno. l. 39.* D. *h. t.* Et quidem, ſi debitum purum ſit, ſtatim; *§. 2. I. de V. O. l. 213. D. de V. S.* ita tamen, ut modica dilatio concedenda ſit, neque creditor in continenti adeat cum ſacco. *l. 105.* D. *h. t.* Si vero tempus adjectum ſit, tempore convento. v. *§. 2. I. de V. O.* Quantum autem ad locum attinet, vel ibi, ubi petitur, *l. 38.* D. *de jud.* vel ubi conventum eſt. *l. 9. D. de eo quod certo loc. l. 122. D. de V. O.*

§. 13. *Effectus Solutionis* eſt, quod obligatio tollatur ipſo jure; *pr. I. quib. mod. toll. obl.* & non tantum ipſe reus liberetur, ſed & acceſſiones, Fidejuſſores ſcil. Mandatores, pignora & hypothecæ. *d. pr. in f. l. 43.* D. *h. t.*

Digitized by Google

§. 14. Quod ſi vero quis debitor ex pluribus cauſis, unum debitum ſolvat, eſt in arbitrio ſolventis ſtatim dicere, quod potius debitum voluerit ſolutum; ſed ſi ſolvens de eo nihil dixerit, in arbitrio eſt accipientis, cui potius debito acceptum ferat: dummodo in id conſtituat ſolutum, in quod ipſe, ſi deberet, eſſet ſoluturus, i. e. in id debitum, quod non eſt in controverſia, aut in illud, in quod pro alio quis fidejuſſerat, aut cujus dies nondum venerat. *l. 1. 2. 3. pr. l. 101. §. 1.* D. *l. 1. C. h. t.*

§. 15. In dubio autem, ſolutum primum in uſuras, deinde in ſortem imputatur; *l. 5. §. ult.* D. *h. t.* & quidem duriorem, vel antiquiorem: *l. 3. pr. l. 5. pr. l. 7. 97. 103. D. h. t.* ſed ſi par omnium cauſa ſit, in omnes imputatur pro rata. *l. 8.* D. *h. t.*

TITULUS IV.

DE ACCEPTILATIONE. C. VIII. 44.

§. 1.

III. **T***ollitur Verborum Obligatio Acceptilatione; l. 5. 13. §. 4. D. h. t. quæ eſt imaginaria ſolutio, §. 1. I. quib. mod. toll. oblig.* ſeu *Liberatio per mutuam interrogationem, l. 1.* D. *h. t.* i. e. verborum conceptio, quibus creditor, cui verbis quid promiſſum, rogatus a debitore, an id, quod ita debetur, acceptum ferat? reſpondet ſe acceptum ferre. *d. §. 1. I. quib. mod. re contr. obl.*

§. 2. Ut adeo differat tum a *Solutione*, tum ab *Apocha*. Nam *Acceptilatione* omnimodo liberatio contingit, licet pecunia ſoluta non ſit; *Apocha* vero non alias, quam ſi pecunia ſoluta ſit. *l. 19. §. 1. D. h. t.*

§. 3. *Acceptum rogare poſſunt* Debitores. eorumque heredes; *l. 13. §. ult.* D. *h. t.* etiam pupillus ſine tutoris auctoritate, *l. 2. D. h. t.* ut & ſervus. *l. 11. pr. §. 2. D. h. t.*

§. 4. *Accepto ferre poteſt Creditor*, ejuſque heres, *l. 13. §. 10. 11.* D. *h. t.* qui liberam rerum ſuarum adminiſtrationem habet: *l. 1. C. h. t.* non Tutor vel Curator, neque Procurator; *d. l. 13. §. 10. l. 3. D. h. t.* quia Actus eſt legitimus, *l. 77. 123. D. de R. J.*

§. 5. *Accepto* vero *ferri poteſt id, quod ex verborum obligatione debetur; l. 8. §. 3. D. h. t. §. 1. I. quib. mod. toll. obl.* vel totum, vel pro parte, *l. 9. 10. 13. §. 1. D. h. t. §. 1. in fin. I. quib. mod. toll. oblig.* ſive pure debeatur, ſive in diem, ſive ſub conditione: *l. 12.* D. *h. t.* licet ſub conditione, vel in diem, fieri nequeat. *l. 4. 5.* D. *h. t.*

§. 6. Quod ſi in alia quam Verborum Obligatione *Acceptilatio* intercedat, non quidem obligationem ipſo jure tollit, ſed vim tamen pacti habet, & Exceptionem producit. *l. 8. pr. l. 19. pr. D. h. t.*

§. 7. Quin & aliæ obligationes per *Acceptilationem* tolli poſſunt, ſi modo per

Digitized by Google

§. 17. *Quod Lege Naturali prohibitum eſt admittere.* Furtum enim natura turpe eſſe manifeſtum eſt. *Exod. XX, 15.* junct. *Ep. ad Rom. II, 14. 15.* Cic. *L. III. de Offic. c. 5. l. 1. §. ult. D. h. t. l. 42.* D. *de V. S.*

§. 18. Furtorum genera olim erant quatuor: *Conceptum, Oblatum, Prohibitum,* & *Non exhibitum. §. 4. I. de oblig. quæ ex delict.* Gell. *L. XI. c. ult.*

§. 19. Sed cum requiſitio rei furtivæ ſecundum veterem obſervationem, *cum lance* ſcil. *& licio,* v. Petron. *c. 57.* Feſt. *in voc. Lance.* Gell. *d. L. XI. c. ult.* ab uſu receſſerit; Gell. *L. XVI. c. 10. §. 4. I. de oblig. quæ ex delict.* Actiones etiam furti *Concepti*, *Oblati*, *Prohibiti*, & *Non exhibiti*, in deſuetudinem abierunt, omneſque, qui rem furtivam ſuſceperunt aut celarunt, jam furti nec manifeſti rei ſunt. *d. §. 4. I. de oblig. quæ ex delict. l. 14. C. h. t.*

§. 20. Ut adeo nunc Furtorum genera ſint duo, *Manifeſtum,* & *Nec manifeſtum. l. 2. D. h. t. §. 3. I. de oblig. quæ ex del.*

§. 21. *Furtum Manifeſtum* eſt, *cum fur ἐπ' αὐτοφόρῳ,* i. e. *in ipſo furto, vel rem furtivam tenens, acclamando vel accurrendo,* v. *l. 7. §. 1. 2. D. h. t.* Virg. *Ecl. III. verſ. 17. & ſeqq.* ſive per ipſum dominum, ſive per alium, ſive in publico, ſive in privato, antequam eo pervenerit, quo furtum eo die deferre, vel deponere deſtinavit, *deprehenditur. l. 3. pr. §. 1. & ſeq. l. 4. 5. & 7. §. 1. & ſeqq. D. h. t. §. 3. I. de oblig. quæ ex delict.*

§. 22. *Nec Manifeſtum* vero, *cum fur ita non deprehenditur. l. 8. D. h. t. d. §. 3. in f. I. de obl. quæ ex delict.*

§. 23. Poteſt tamen etiam *II. Furtum* dividi in *Nocturnum,* & *Diurnum. l. 54. §. 2.* D. *h. t. l. 4. §. 1.* D. *ad L. Aquil.*

§. 24. *III.* In *Domeſticum*, *quod committitur a perſonis domeſticis, l. 11. §. 1.* D. *de pœn.* & *Non domeſticum, quod committitur ab extraneis.*

§. 25. *IV.* In *Simplex, cum quo non concurrunt circumſtantiæ aggravantes;* quale eſt v. c. *Sacrilegium,* & *Furtum effractis foribus, vel parietibus, factum.*

§. 26. *Pœna Furti*, apud Græcos, Romanoſque, non ſemper eadem fuit; ſed alia, atque alia, pro temporum, circumſtantiarumque varietate.

§. 27. Et quidem, quantum ad *Athenienſes* attinet, Draco furem cujuscunque modi furti ſupplicio capitis puniendum ſanxit; ſed Solon, qui poſtea mitiores Leges tulit, in fures dupli pœna vindicandum exiſtimavit. Gell. *L. XI. c. ult.*

§. 28. Decemviri autem, apud *Romanos*, cum Leges XII. Tab. ſcriberent, neque pari ſeveritate in puniendis omnium generum furibus, neque remiſſa nimis lenitate uſi ſunt. Nam furem, qui *Manifeſto furto* prehenſus eſſet, tum demum occidi permiſerunt, ſi aut, cum faceret furtum, nox eſſet; aut interdiu ſe telo, cum prehenderetur, defenderet. Gell. *d. l. l. 52. §. 2.* D. *h. t. l. 4. §. 1.* D. *ad L. Aquil.* Ex cæteris autem manifeſtis furibus liberos verberari, addicique

 juſſe-

Digitized by Google

relegationem, per procuratorem cauſa agi nequit. *l. 1. pr. D. h. t.* v. Diſſ. *N. XX. ad Conſt. Marc. §. 1. & ſeqq.*

§. 2. *Generalis* enim eſt *Regula*, *Quod, quæ cauſa per alium in prima inſtantia agi non poteſt, ejus nec appellatio per alium agi poſſit. d. l. 1. in f. D. h. t.*

TITULUS X.

SI TUTOR, VEL CURATOR, VEL MAGISTRATUS CREATUS APPELLAVERIT.

§. 1.

Sive autem quis ipſe, ſive per alium cauſam *Appellationis* reddat, probe videat, ne temere appellet; ſi quis enim ad munus publicum nominatus, vel Tutor, vel Curator creatus appellaverit, nec cauſas *Appellationis* probaverit, omne damnum, quod per moram *Appellationis* acciderit, ad periculum ejus pertinet: *l. 1. & 2.* D. *h. t.* adeo, ut & heredes cauſas appellationis reddere neceſſe habeant. *d. l. 2.*

TITULUS XI.

EUM, QUI APPELLAVERIT, IN PROVINCIA DEFENDI.

§. 1.

Quod ſi vero quis ipſe cauſam *Appellationis* agat, & interim in Provincia ſua ab alio conveniatur, ibi, licet *Appellationis* cauſa peregrinetur, nihilominus defendendus eſt. *l. 1. D. h. t.*

§. 2. Id enim, ne neceſſe habeant ſe defendere, illis tantum præſtatur, qui Reip. cauſa abſunt. *l. 2.* D. *h. t.*

TITULUS XII.

APUD EUM, A QUO APPELLATUR, ALIAM CAUSAM AGERE COMPELLENDUM.

§. 1.

Quemadmodum & eundem Judicem, a quo quis appellavit, in aliis cauſis habere neceſſe habet; neque hoc prætextu uti poteſt, quaſi apud offenſum Judicem experiri non debeat, cum gravatus denuo provocare poſſit, *l. un. D. h. t.*

TITU-

167
C
7

Digitized by Google